Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

IESVS MARIA.

IN VNIVERSAM ARISTOTE. LOGICAM COMMENTARIA, VNA CVM QVAESTIONIBVS,

Per Doctorem Franciscum Toletum, societatis IESV.

SANTUARIO DEL CORAZON DE JESUS BILBAO

PRAEFATIO.

¶ *De Dialectica scriptoribus, & eiusdem vtilitate.*

SErpauca, ante Aristotelē, eaq; imperfecta præcepta Dialectices extitere, præterrudem quandam cognitionem prædicamentorum, (quorum inuentionem ad Archytā Tarentinum nonnulli referūt) & præter argumentationum quarundam genera, tunc temporis maximē nota, quibus frequentius vtebantur. Quāuis sophistæ plerique, qui disputandi peritia gloriabantur, vt Gorgias Leontius, Protagoras, Prodicus, & plures alij, Aristotelem præcesserint: quos quibusdam dialogis exagitat Plato, & ob quorum sophistarum importunitatem Aristoteles libros Priorum se scripsisse profitetur, vt illorū cauillis & obiectionibus plenè satisfieret. Cæterum ipse Aristot. primus omnium Dialecticā ita perfecit, vt vix vllus post eum aliqua in parte superauerit. Extitere quidem Stoici plerique post Aristotelem qui differendi arte & acumine plurimū valuerunt, & eius artis præcepta quàm plurima conscripserunt: ita vt longo interuallo Peripateticos & Aristotelem ipsum (vt ait Cicero, & Seneca, variis locis) dexteritate disputandi, se antecellere arbitrarentur. Cæterum posteriorum iudicium secum habuit, & vnum Aristotelem omnibus prætulit, vt præstantissimi quiq; Philosophi, eum & sequi, & in eum commentaria edere non dedignarentur, & publicè omnibus præleg endum proponere. Hunc etiam, præ cæteris Philosophis, Ecclesia suscepisse videtur, à mille præsertim annis, & eum potissimum in Academijs, cæteris aliis Philosophis posthabitis, adolescentibus erudiendis, enarrandum exhibere. In huius ergo vniuersam Dialecticam commentaria edenda curauimus ad inuentutis ipsius institutionem, commoditatem, & vtilitatem.

Aristot. in tradēdis præceptis Dialectices reliquos oēs philosophos anteire.

Est autem Dialectica, ad plurima & maxima, sine vlla controuersia, vtilis: ad scientias, inquam, omnes addiscēdas, ad omnes errores vitandos, ad ipsius q; veritatis in abditis occultæ cognitionem, ad rerum denique naturam & essentiam, earumq; principia, causas, partes, proprietates & earum accidentia perscrutanda. Hæc enim Dialectica res latētes definitione explicat, multiplicia & ambigua distinguit, & diuidit accuratiùs, acutè, & appositè, ac sine deceptione, de omnibus ratiocinandi viam aperit. Tandē hæc omnia inuenit, inuenta iudicat, iudicata disponit, disposita & ordinata probat, ac, si ab aliis oppugnetur, defendit.

Dialectica adeq; sit opportuna & vtilis.

26683

A

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dialectica maximè homini cõpetit,

dit. Denique, vt vno verbo dicam, cum homo sit animal rationis particeps, hęc autem rationem perficiat: vnde & rationalis scientia meritò vocatur: maximè hominis propria censeri debet, & à cæteris illum animantibus potissimum seiungere. Sed tamen antequàm ad Aristotelis Dialecticã accedamus, breuiter proponenda erit scientiarum diuisio: vt appareat quem ordinem, quemq; locum & gradũ Dialectica seruet inter alias scientias & disciplinas.

CAPVT II.

De artium & scientiarum diuisione.

VAriè quidem à diuersis scientiæ, & artes, multiplicique diuisione, distinguuntur. Nos aũt Aristotelica duntaxat diuisione contenti erimus, eam tantillũ locupletãdo. Omnis igitur scientia, hoc est, clara & certa alicuius rei cognitio, ab Aristotele 1. Metaphysices, cap. 1. in speculatiuam & practicã distinguitur, quę distinctio ex fine desumpta est. Speculatiua enim est, cuius finis in sola veritatis cõtemplatione consistit. Practica vero, cuius finis est opus, ignobiliores etenim cognitiones, dubias & incertas, quales sunt opiniones & suspiciones, ac similes alię, à ratione scientiæ penitus excludimus. Speculatiuam rursus scientiam diuidit idem Aristot. 6. Meta. ca. 1. in Physicam siue Naturalem, Mathematicam, & Metaphysicam, quæ vltima, tum diuina, quia de Deo tractat & intelligẽtijs, tum naturalis Theologia, seu prima Philosophia, ab ipso & aliis vocari cõsueuit. Physica scientia est, quæ de rebus corporeis & mutationi subiectis tractat, vt de animalibus, plantis, arboribus & similibus: sub qua Medicina collocãda videtur, quę corpus humanum & eius affectiones cõsiderat. Mathematica, quæ circa quãtitatem & eius affectiones versatur: quæ quidem in quatuor partes diuisa est, ipsiusmet quãtitatis diuisione. Alia enim quãtitas est permanens, alia successiua: & permanens quidem vna cõtinua, scilicet magnitudo, de qua Geometria disserit, cui annectitur Perspectiua, quæ est de linea visuali: altera discreta, scilicet numerus, de qua agit Arithmetica. Successiua similiter alia continua, vt motus & tempus, quæ in ipsis cælestibus orbibus maximè perspicua cernuntur: & circa hæc Astrologia versatur, quæ & Astronomica dicitur: quãtus & astrorum cælorumque numerum & magnitudinem, & distantiã, & alia similia, in cælis & astris, ope Geometriæ & Arithmeticę, ipsa quoque considerat. Tandem alia est successiua, sed discreta quantitas, quasi successiuus quidam numerus, vt harmonicus sonus, & oratio longis & breuibus syllabis constans: & hanc quantitatem eiusq; affectiones, vt sonorum & cõcentuum harmoniam, sonorum inquã numerũ, Musica cõsiderat. Iam verò Metaphysica est, quę disserit de rebus non corporeis, sed incorporeis: vt de Angelis & Intelligentijs, & tandem de Deo optimo maximo: atq; ideo naturalis Theologia, vt diximus, vocatur: quòd de istis agat, quantum lumine duntaxat naturali potest cognosci. Diuino autem beneficio præstantior longe Theologia, super naturali lumine, humano generi à Deo concessa est: cui annecti potest iuris pũtificij prudentia: nam ex ea prodijt matificij prudentia (præter forensia) Cũ Theologia ex parte decreta ex sacris literis, & Ecclesiæ diuino lumine deprompta, tum ad mores, tum ad fidem pertinentia, in vnũ corpus redacta, ad ipsiusmet Ecclesię gubernationem coaluerunt, quãuis Theologia, cũ sit omnium prima & suprema, non tam speculatiua, quàm supra speculatiuam, vocari debet: quæ & eminenter continet Practicam, & Speculatiuam, vt ait Diuus Thomas, prima. p. q. 1. art. 5. at quę hæc de speculatiuis.

Scientia quo ab Arist. diuidatur.

Metaphisica cur Theologia dicatur naturalis.

Practica vero cũ circa operationes versetur, diuiditur ipsarũ operationũ diuisione, in Actiuã, videlicet actionũ immanentium, & factiuam, seu effectricẽ operum

rum externorum: ex Aristo. 6. Meta. c. 1. Operationes enim aliæ sunt internæ, aliæ externæ, & internæ quidẽ in eo, qui operatur manẽt, vt intellectus, cognitio & amor, & similes, quæ ob id, ppriæ actiones dicuntur, non effectiones: & istarum quidem, actiua est scientia. Sunt aũt internæ mẽtis nostrę actiones triplicis generis, volũtatis, intellectus, & memoriæ. Circa voluntatis quidẽ operationes moralis Philosophia versatur: quæ quidem definiri potest, scientia rectè volẽdi. In tres autem partes secatur, in Ethicã, quę vnius actiones & mores rectè instituit. Oeconomicã, quæ actiones domesticas probè disponit. Politicã seu ciuilẽ scientiam, quæ publicas actiones ad reipublicæ, videlicet gubernationẽ, complectitur, sub qua Iuris ciuilis scientia magna ex parte continetur: atq; ex illa fere ortum habuit. Iam verò circa intellectus operationes dirigendas. Dialectica versatur, quæ est rectè, videlicet, intelligendi scientia. Circa memorię actiones, ars rectè memorandi versatur: qualem tradit Cicero, & alij Rhetores, per loca & imagines, & alia huiusmodi præcepta.

Actiones mentis quotuplices sint.

Operationũ partitio.

Operationes verò aliæ sunt externę, vocis scilicet, vel operis: quæ in eo, qui agit non manent, sed in rem transeunt externam: siue post illas opus aliquod effectũ permaneat: vt post ædificationẽ domus: siue non maneat, sed solũ ipsæ actiones transeant: vt vox, cantus, saltatio, &c. huiusmodi. Igitur circa vocis quidem actiones, ad congruè loquendum Grãmatica versatur: ad ornatè loquendũ rhetorica: cui annecti merito potest, ad carmina & poemata componẽda, Poetica, & ad historias scribendas, Historia. In externis autem operibus efficiendis, cæteræ artes Mechanicæ cernuntur: quæ propter diuersitatem rerum & operum, in quibus versantur, quæq; in ipsis efficiunt, distinguũtur: vt Agricultura, Pastoria, Militaris, Nautica, Lanifica, Fabrilis, cum alijs, quæ operosum nimis hic esset sigillatim referre.

Ac scientiarum quidem & artium ciuisio, sic habet: & quem inter has locum Dialectica teneat, ex dictis cõstat. Aduertendum est aũté, etiam operum esse posse speculationem, si in se, & per se cõsiderentur, & non ad opus agendum referatur (sunt enim res quædam, vt cęteræ aliæ, quas speculamur) esse autem practicam cognitionẽ, cum ad opus refertur. Ex istis autem aduertendũ est, septem liberales artes ab antiquis connumerari solere, sic dictas, vel quòd liberum hominem faciant: vel quòd liberum deceant hominem, vel quòd magis ratione vtantur, quàm cæteræ artes Mechanicæ & seruiles, quæ in corporis potius exercitatione cõsistunt. Sunt aũté hæ liberales reales quidẽ quatuor, quod in rebus versentur, scilicet, Geometria, Arithmetica, Astrologia, Musica. Sermocinales seu rationales tres: quia in sermone seu ratione consistunt, licet diuerso modo, vt postea ostendemus: Dialectica, Rhetorica & Grãmatica. Sed de his hactenus. Nũc de Dialectica nobis iam agendum.

Operum vt sit speculatio.

Artes illæ septẽ cur dicãturliberales.

CAPVT III.

De quibus, & quo ordine agendum.

IGitur antequam ad Arist. interpretationem accedamus, quæ dã in vniuersum ad tõtam Dialecticã spectantia explicanda erunt. Hæc nempe sex: Primo, An Dialectica sit ad alias scientias addiscendas necessaria? Secũdo, an sit propriè scientia? Tertio, an sit vna scientia? Quarto, an sit scientia practica, an speculatiua? Quinto, de Dialecticæ subiecto, seu obiecto circa quod versatur. Sexto, de ipsius Dialecticæ diuisione & partibus.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum Dialectica sit necessaria ad omnes alias scientias?

INter alia, quæ in principio cuiuslibet artis & scientiæ quæri solent, illud primum est an ea ars aut scientia sit necessaria, vel vtilis: vt eius necessitate, & vtilitate perspecta, facile animi ad eam capes sen-

capessendam accendantur. Cum autem constet de eius vtilitate, nec in ea re vlla sit controuersia: de eius necessitate nũc quęramus. erit igitur prima quæstio. Vtrum Dialectica sit necessaria? In qua quæstione tria agemus, Primo, titulum quæstionis explicabimus, non enim parum lucis quæstioni definiendæ, & solutioni comprehendẽdæ affert, vt quod in dubiũ vertitur, semel intelligatur. Secundo, quid alii senserint, cum eorum rationibus proponemus: nõ admodum solliciti omnium sententias referre, sed eas duntaxat, quæ præterquàm quòd probatorum virorum sunt, aliquod emolumẽtum auditoribus afferre posse videantur. Tertio, quid certius tenendum sit ostendemus: ac oppositas rationes solvemus: nostram sic sententiam vndiq; corroborando: eademq; disputandi methodo, in aliis omnibus, diuina ope freti vtemur.

Tituli quæstionis expositio.

In titulo ergo quæstionis, duæ voces explicandę sunt, ex quarum cognitione eius intellectus pendet. Altera vox est Dialectica: altera, necessarium. Dialectica idẽ est, quod ratio disserendi, id est ars, qua verum à falso discernere docemur à multis pars Logicæ cõstituitur: est enim Logica, vt tradit Boetius Topica. ratio disserendi, cuius duæ sunt partes: vna topica. i. ars inueniendi: & hanc Philosophus Dialecticam vocat: alia Analytica. i. ars iudicandi: & quamuis Aristot. aliquando partẽ topicam Dialecticam vocare visus sit: hic tamẽ de Dialectica per totam quinque vtrumq; cõplectitur partem, & à Logica, quę in vniuersum rationalis dicitur, non differt. Altera vox est,

Quid sit Logica.

Necessariũ quot modis dicatur.

sũ quot necessarium. Dupliciter autem aliquid necessarium dicit, vt docet Aristotel. lib. 5. Meta. ca. 5. vno modo absolutè: altero modo ex suppositione. Necessariũ absolutè illud est, quod ex natura tua, nullo ordine ad aliud habito, nõ potest aliter se habere: vt, Deum esse necessaria res. Et necessarium est, hominẽ esse animal, duo & tria esse quinque. Aliud est necessarium, quod ex se aliter se potest habere, tamen alio extrinsecò posito, non potest aliter se habere: sicut esse calorem, nõ est necessarium: tamen posito igne, necesse est sit calor. Respirare non est secundum se necessarium, tamẽ si animal debet cõsistere, respiratio est necessaria. Sagittã non est necessarium sursum tendere. si tamẽ projiciatur, id efficietur necessarium: & hoc necessarium dicitur ex causa: siue causa sit efficiens, vt in exemplis propositis: siue finalis, vt cibus dicitur necessarius homini propter vitã, siue sit quæcunque alia causa. Hoc autem necessarium, quod à fine dicitur, duplex est: alterum, id sine quo talis finis obtineri nequit: quod necessarium simpliciter dicitur, vt cibus homini simpliciter necessarius est ad vitam. alterũ, id sine quo finis commodè non potest haberi: quamuis simpliciter possit: quo pacto homini necessarius est equus ad iter peragendũ: & hoc dicitur necessarium ad bene esse vel vtile. In præsenti loquimur de necessario ad finem: & quærimus, an ista ars disserendi, quæ Logica dicitur, sit necessaria simpliciter ad scientias naturales acquirẽdas, an solum sit vtilis, ita vt sine Dialectica possit quis scientias omnes alias adipisci. Et hæc de titulo.

Opin. 1. Idem ẽt docet. 1. Meta. q. 2

Circa secundam partem prima opinio est Ioannis Iandu. 2. Meta. q. 12. qui asserit, vnam scientiam esse priorẽ alia ordine doctrinæ dupliciter: vno modo secundum necessitatem absolutam, & simpliciter: altero modo, secundum necessitatem secundũ quid, id est, bene esse, docet autem Logicam non esse necessariam simpliciter, sed solũ ad bene esse, & vtilem. Pro hac opinione sunt aliquot argumenta primò, Illud est necessarium simpliciter propter finem, sine quo finis haberi non potest: sed scientiæ possunt acquiri sine Logica, ergo non est Logica simpliciter necessaria: Maior est certa. Minor probatur: cõstat enim experientia, multos discere Mathematicas absq; Logica, referunt etiam Hippocratẽ caruisse

Cõfirmatio opinionis primæ. 1. Argumentũ,

ruisse arte Logicæ, qui tamen rectè obtinuit Medicinam & ius ciuile, ac pontificium sine Dialectica acquiritur, & quidẽ

2. Argu. perfectè, vt videtur. 2. si Logica esset necessaria propter alias scientias: esset, quia docet definire, diuidere & argumentari: hæc enim sunt instrumenta, per quæ acquiritur cognitio rei: sed quælibet scientia habet suas definitiones & diuisiones, & argumenta, secundum diuersitatẽ rerum, quas cõsiderat: ergo Logica est superflua. Præterea. 3. si Logica esset necessaria ad acquirẽdas alias scientias, esset primo loco addiscenda, sed hoc fieri nõ potest, ergo non est necessaria. Minor probatur. Dialectica tractat de his, quæ non cognoscuntur, nisi rebus alijs cognitis: vt de argumentatione, syllogismo, propositione: hæc aũt non cognoscuntur, nisi cognitis rebus, ex quibus fiunt:

3. Argu.

4. Argu. propter quã causam Auer. 4. Meta. com. 2. Logicam asserit tractare de secundis intelligibus & Auic. 1. Meta. esse de secundis intentionibus. At aliæ scientiæ cõsiderant res ipsas, ergo potius alię scientiæ sunt prius addiscendæ: & ita Logica non erit necessaria. Præterea, quædam pars Logicæ videtur mala & reijcienda scilicet illa, quæ docet sophismata, & fallacias: qui enim sophistice loquitur, odibilis est. Ecclesiast. 37. ergo absolutè Logica nõ est necessaria. 5. præterea, si Dialectica esset necessaria ad quãuis scientiam cõparandam: cùm ipsa Dialectica sit scientia quædam, erit etiam necessaria, ad suimet acquisitionem. Quare antequam Dialectica esset cõparata, erit iam acquisita: quod implicat.

5. Argu.

Primum fundamẽtum.

Pro horum determinatione, sit primũ fundamẽtum. Homo qua parte intellectu præditus est, omnium naturas cognoscere, & earum causas speculari conatur: nulla tamẽ ei à natura cognitio insita est sed solũ principium à natura habet, quo omnia cõprehendere possit, quod intellectus dicitur: sicut natura nullã animali visionem tribuit, sed potentiã visiuam, qua obiecta per se videre possit. vnde Aristot. 1. Ethic. cap. 6. sicut pupillę, inquit, inest visus, ita animæ intellectus & vtique à natura datum esse absq; vllo opere nostro, docuit 2. de Anima, cap. 5. Quemadmodum autem animal ipsum per visum à natura receptum, postea per se res obiectas videt, ita & anima per intellectũ à natura cõcessum, res postea intelligit & contemplatur: propterea 6. Ethic. ca. 11. asserebat, neminem esse à natura sapientem: hoc tamen inter alia, inter sensum, & intellectũ interest: quod sensus facile in suorũ cognitionẽ pernenit, quia eius cognoscendi modus, vnus & facilis, ac certus est, scilicet ab ipso obiecto præsente mouerinat intellectus magna difficultate rei speculationẽ cõsequitur, cùm res in cõmuni intelligat, & modo difficili procedat, scilicet ex notis, ea quæ ignota sunt, indagando, quẽ discursum vocamus: hic autem modus multis est expositus erroribus, eũ quid, ex quo, & qualiter sequatur, sit obscurum, nec intellectui. secundũ se, peruium. Vnde Aristot. 3. de Anima. c. 3. maximam vitæ partem sub errore homines ducere, arbitratur. Hinc enim intellectꝰ in multiplices incidit deceptiones.

Sit. 2 fundamentum. Quamuis modus procedendi in rerum cognitione, nõ sit nobis statim notus, aliqua tamen ex parte notus est, cum solo lumine naturali intellectus, aliquos discursus, & ratiocinationes cognoscamus: hoc tamen non sufficit, vt absolutè rem omnẽ speculemur, vt optimè docet Auic. in sua Logica. c. 2 a natura inquit, & prima inchoatio hominis nõ fuit sufficiens ad verũ cognoscendum: fuit ergo opus aliqua arte, per quã modum procedẽdi in cognitione haberemus, vt tali modo perspecto, postea ad rerũ speculationem accederemus. Hęc autem ars fuit Logica, seu Dialectica, quæ modum vniuersalem tradit rẽ quamlibet speculandi: propter quod à Boetio dicitur Dialectica, scientia discernẽs verum à falso. à S. Thoma verò scientia rationalis, actuum rationis directiua. Ab

2. fundamẽtum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Augustino Logica est ars artium, scientia scientiarum, qua aperta, omnes aliæ aperiuntur, & qua clausa, omnes aliæ claudūtur: est enim, quæ ostendit viam cognoscendi. Et ab Alberto Magno li. Prędicab. ca. 3. Logica est, quæ à phantasijs, quæ videtur, & non sunt, liberat: errores damnat: falsitates ostendit, & lumen rectum in omni opere contēplationis præbet. Hæc autem Logica acquiritur: non enim à natura est, quamuis initium aliquod lumine naturali habeatur, quam aliqui Logicam naturalem vocant. Et Arist. 1. Rhetor. ad Theodect. ca. 1. dicit, homines à natura Dialecticos & Rhetoricos esse: tamen consummatio, & perfectio à magistris modò habetur, vel lōga obseruatione, sicut alij habitus ex assidua operatione in nobis fiunt.

Dialecti. ca nō est à natura.

3. funda.

Sit tertium fundamentū, quo Dialecticæ inuentio explicatur. Sæpè homines multa operantur non cognoscentes modum, quo operantur, sed modum tātum naturaliter tenent: & inde multa à casu dicuntur facere: ita fit in intelligēdo: homo enim naturaliter modum intelligendi habet, cùm homo absq; vllo magistro in multis discurrat, & ratiocinetur: vt dicit Arist. 1. Elench. c. 11. nō tamē modū hūc semper intelligit & aduertit: ac propterea nescit talem modum applicare omnibus rebus, quibus applicari potest. Et ideo nō semper in multis ratiocinatur: Prætereà cùm modum cognoscendi nō intelligat, nescit bonū à malo distinguere, & ob hoc frequenter decipitur: imò nec certā consequitur cognitionē, modò ignorato, cùm cognitio certitudinis modi non exiguam rei cognitæ certitudinē afferat. Fuit igitur inuenta Dialectica ex obseruatione canta, & diligenti huius modi, quem homines naturaliter intelligendo obseruāt: qua obseruatione rebus cognitis, homines supra ipsum modum se reflectebāt ipsius naturā considerantes: & paulatim plurimum successione, id quod homo naturaliter, & casu præstabat, ad artem redactum est,

Dialect. vt sit inuenta.

& hæc est Logica: quod eleganter Aris. docet 1. Rheto. ad Theo. cap. 1. probans Dialecticam, & Rhetoricam posse esse artes, ex eo, quia id quod temerè, & naturæ ductu fit, ad rationem rectam redactum, fit ars, vt sit in ipsis artibus.

His igitur suppositis fundamentis sit prima cōclusio. Modus intelligēdi per discursum qui vsus Logicæ dici potest, est homini naturalis, nec sine illo scientiā aliquā potest consequi. Hæc manifesta est, cùm naturaliter homo sit discursiuus sicut risibilis, aut disciplinabilis: nec in hoc potest nec debet dubium cadere. Vt probaui etiam ex Arist. 1. Rhetor. & 1. Elench. in tertio fundamento.

prima cō clusio.

Secunda conclusio. Aliqua cognitio modi est homini naturalis, id est, sine aliquo magistro, sed per se ipsum absq; vllo labore percepta ex experientia: cùm lumen naturale rationis aliquas cōsequutiones manifestet, qualis est illa, quæ in modo perfecto primæ figuræ fit.

Concl. 2

Tertia conclusio. Consummata cognitio modi intelligēdi, quę Logica dicitur non habetur, nisi per doctrinam, à magistris, vel propria inuentione quę magno errandi periculo, & longo labore fit: atq; in his non est controuersia aliqua.

Cōclu. 3.

Quarta conclusio. Cognitio modi intelligendi, siue naturaliter sit nota, siue per inuentionem acquisita, siue per doctrinā accepta, est necessaria simpliciter ad alias scientias perfectè acquirendas, & illis est prius addiscenda.

Cōclu. 4

Probatur primo. Res non scitur, nisi cognoscatur: quia aliter se habere nēpotest: sed hoc fieri non potest, nisi cognoscatur syllogismi illatio certissima, ergo Logica, cuius est syllogismos cognoscere, est ad scientiā necessaria. Antecedēs est Arist. 1. Post. cap. 2. scire, inquit, arbitramur, cū cognoscimus rē ex sua causa, & quod aliter se habere nō potest: quod fit, quando necessitatem syllogismi cognoscimus, vt explicat Albertus magnus 1. Poster. tra. 2. cap. 1. Prætereà. 2. cognoscere non possumus, nisi inueniendo & iudicando: sed non potest cognosci an aliquid sit inuentum, vel non inuentum nec similiter, an res processerit ex principijs, vel nō processerit, nisi per Logicā: ergo est necessaria simpliciter. Hæc est sententia ipsius Arist. 2. Meta. cap. 3. vbi impedimentum vnum ad scientias capessendas docet: non prius tenere modū sciendi, quē Auer. & alij vocant Dialecticam. Et iam ex Logicæ ignorantia, sæpissimè in errores scientiarū antiquos, lapsos fuisse tradit. 1. de Partibus animalium ca. 1. Prætereà Auic. in sua Logica. cap. 2. inquit, esse necessariam: & Alber. mag. Prædicab. cap. 3. inquit, nescięs Logicam, & si scire aliquid videatur, nescit tamen, cùm rationem sui sciti nesciat: & se habet ad scitum, & actū sciendi, sicut ignis ad comburendum lignum: ac propterea dicebat Augustin. clausa Dialectica, omnes clauduntur scientiæ: nimirum, quia ignorato modo sciendi, ignoratur res. Quod idē manifestat Arist. 1. Meta. signum scientis est posse docere, docere verò non potest, qui rationē sciti ignorat. Hæc tandem cōclusio est Algazel. sua Logica. cap. 2.

Ad. 1. Ad primum ergo argumentū, Respondeo, negando minorē: nullus enim sciētiam consequitur absque aliqua Logicę cognitione, vel lumine naturali habita, qualis est cognitio aliquarum rationum Mathematicarum, vel propria obseruatione & diligētia acquisita, qualis forsan fuit Hipocratis, vel à magistris accepta, cùm tamen illa, quæ naturaliter habetur, non sit sufficiens ad scientiam totā, sed quæ vel est multo tempore inuenta vel accepta ab alio. Ideò dicitur Logicā esse necessariam simpliciter ad sciētias, siue inuentam, siue acquisitam. Ius vero ciuile & Pontificium demonstrandi seu sciendi methodo non traditur: nō enim res per causas & principia comprobantur, sed sola authoritate credūtur: ac plurimum etiam ad perfectam eius cognitionem Dialectica conducit.

Ad. 2. Ad. 2. circa minorem: est considerandum: quod in syllogismo, argumentatione, & reliquis instrumētis, possumus duo considerare: vnum est forma, alterum materia, ex qua fiunt. Quælibet ergo scientia dat materiam arguendi, sed Logicus formam. Itaque si formam consideres, vna potest esse in pluribus materijs, sicut vna forma & figura regis potest in primi auro, argento, & ferro: ita vna argumētationis forma varijs potest rebus aptari: modo consideratio formæ est cōmunis, & ad Logicum pertinet: consideratio materiæ ad particularis scientias pertinet, quæ tales res considerat. Vnde Arist. 1. Rhe. ad Theo. cap. 1. inquit: Dialectica est eorum, quæ omnium quodammodo, & nullius determinatæ scientiæ sunt. Et 1. Elench. cap. 8. dicit duplicem esse redargutionem: quædam est particularis, quæ in scientia particulari fit, nimirum in certa materia: quædam communis, & generalis, & hæc est Dialectica. Vnde Auer. distinguebat duplicem modum sciendi, vniuersalem, & particularem, qui in qualibet scientia per se fit: ex alijs enim principijs conflat syllogismus Mathematicus, & Physicus, sed eadem est forma. Vide Auerr. de hoc. 2. Meta. com. 15. 3. Ethi. com. 3. & Paraphr. 1. de Partibus animalium & Proœmio 12. Meta. idem etiam Albertus in principio suæ Logicæ. Constat autem, q. non posset in vlla scientia definitio, diuisio, argumentatio in particulari fieri: nisi præcognosceretur in vniuersali. quod fit in Logica. Duplex itaq; est mod' cognoscendi vniuersalis omnibus scientijs cōmunis, qui diuisione, definitione, argumentatione fit: alter particularis, secundum quem, in qualibet scientia diuersimodè proceditur, ac varia est methodus. Vnde duplex Logica, vniuersalis cognitio prioris modi, particularis cognitio posterioris. De particulari loquitur Aris. 1. de Part. animaliū. c. 1. in principio, & vocat peritiā. Hæc distinctio est ex locis illis Auer. Et 7. Meta. com. 2. Et 1. physic com. 835. & 8. comment. 70.

Universidad de Deusto Biblioteca

Arg. 3. Ad tertium respondeo, concedendo dicta Auer. & Auicennæ. Dicimus tamẽ tria. Primum quòd simul cognoscimus rem, & vtimur modo cognoscendi, cum discurrentes cognoscamus per intellectum. Secundò res possumus intelligere, non cognito modo intelligendi: non tamen illa cognitio dicetur scientia, vt ostensum est in conclusione quarta. Vnde fit, vt quamuis in inuentione Dialectice præcesserit rerũ cognitio cognitionem modi, nunquam tamen illa fuit scientia, quousque ista aduenit, & sic natura prior fuit qualibet alia scientia: potius ergo rei cognitio ante cessit logicã, quam scientia rei: cognitio enim rei, sine cognitione rationis, quæ Logica est, non est scientia. Tertio post inuentionẽ autem, eius cognitio antecedit via doctrinæ omnes alias scientias.

Arg. 4. Ad quartum facilis est solutio, non enim traduntur fallaciæ syllogismorum in Dialectica, vt eis vtamur, sed vt eas cognoscentes magis rectum syllogismum intelligamus: vt intellectum nostrũ ab erroribus, qui ex ignorantia earum accidere poterat, liberemus.

Argu. 5. Ad quintum respondeo, ad eas tantũ scientias Dialecticam necessariam esse, quas antecedere potest. Quo fit vt cùm ante se ipsam esse nõ possit, non dicatur ad se ipsam necessaria, sed ad alias oẽs scientias: quãuis, & in ipsa quoq; Dialectica, pars vna cognita alteri profit ad partem alteram melius cognoscẽdam. Imò verò id, quod est naturæ, iuuat ad ruinam quandam, & imperfectã a prima Dialecticæ cognitionẽ: & hæc imperfecta, rursus facultatem præbet ad perfectionem: & ita gradu quodam ipsa se ipsam perficit, vsque ad suũmet vltimam perfectionem. Quam ob rem etiam ad se ipsam licet diuersis gradib. est necessaria. Hæc de prima quæstione.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum Logica sit scientia.

1. distin. scientię. CIrca tituli declarationẽ oportet aduertere scientiam dupliciter sumi: vno modo pro ipso actu, scilicet pro cognitione, qua cognoscimus, quę scientia actualis dicitur: altero modo pro habitu, & promptitudine, quæ ex frequẽti alicuius cognitione in potentia cognoscente remanet. Vt enim ex assidua circa aliquid operatione, quędam in nobis gignitur facilitas ad operandum postea, quæ dicitur habitus: ita ex frequenti intellectione alicuius, in intellectu superest promptitudo ad cognoscendum, quæ dicitur habitus cognoscitiuus, & scientia habitualis. Est autem discrimen inter veramque. Actualis non est, nisi illo tempore, quo contẽplamur. Habitualis verò etiam nobis non cognoscentibus adest, & per eam ad cognoscendum actualiter sumus prompti, & certi.

2. distinctio. Oportet præterea aduertere, scientiã actualem, quàm habitualem dupliciter vsurpari. Vno modo cõmuniter pro qualicunq; cognitione præsertim intellectus, siue sit rei contingentis, siue rei necessariæ: idque siue certa, siue incerta ratione sciamus: quo pacto omnes artes etiã Mechanicas, scientias vocamus, & secundum quam scientiam dicimur etiã scire quæcunq; cognoscimus. Altero modo propriè pro cognitione rei tãtum necessariæ, & per suam causam ac demonstrationẽ, vt dicemus: quo pacto Aristo. considerat 1. Post. c. 2. Inter hanc autẽ scientiam actualẽ propriè dictam, & habitualem, est discrimen, Actualis enim multiplicatur secundũ numerum propositionum cognitarum: alia enim cognitione actuali cognoscitur, homo est risibilis: alia, homo est disciplinæ capax: alia, singulę ꝓpositiones, quę diuersis demõstrationib. demonstrãtur. Et hoc docet Arist. 1. Elẽ. c. 8. infinitæ, inquit, sunt scientiæ, quia & demõstrationes sunt infinitę. At scientia habitualis nõ multiplicatur secundum numerum conclusionũ: imò sub vna scientia habituali continentur multæ demonstrationes, vt sub vna Geometria, sub vna Arithmetica plures cõclusiones sciuntur. Quo autem modo

Tituli quæstionis sẽsus. modo scientiæ habituales multiplicentur, inferius docebitur. Quæstio igitur est de habituali scientia tam communiter accepta, quàm propriè. Est enim sensus quæstionis. An Logica sit scientia propriè dicta, an communiter dicta: quãuis communiter dicta absolutè non est dicenda scientia. Quod autem dicitur de habituali, dici potest etiam de actuali cùm ab habituali procedat actualis.

1. opin. Circa secundũ fuit quorundam antiquorum opinio, vt Themistij 1. Post. cap. 24 quã sequitur Aegid. Romanus. 1. Elẽ. in principio. Et post hos aliqui neoterici, Logicam non esse scientiam propriè dictam, sed organum & instrumentum, quo scientiæ acquiruntur. Pro hoc autẽ opinione potest multipliciter duci argumentum. Primò, modus sciendi non est scientia, Logica est modus sciendi, ergo non est scientia. Maior est nota, modus enim operãdi non est ipsa operatio, Minor verò est ipsius Aristotelis. 2. Metaph. c. 5. vbi ait absurdũ esse, quærere scientiã simul, & modum sciendi: vbi per modum sciẽdi Dialecticam intelligit. vt D. Tho. & alij exponunt. Et idem ait 2. Metaphysi. cap. 3. & Auer. eodem 2. comment. 15.

Probatio.

1. opin.

1. argu.

2. argu. Præterea. 2. Scientia versatur circa aliquod obiectum. 1. tractat de aliqua certare, at Logica non tractat quicquã determinatum, ergo non est scientia. Maior est Aristot. multis in locis: præsertim. 4. Metaph. ca. 1. & lib. 11. Metã. c. 6. & 1. Post. cap. 23. Minor est ipsius Arist. expressa. 1. Elen. c. 11. in principio. Et 1. Post. in c. 8. in fine. 1. Rheto. ad Theod. cap. 1. in fine & 4. Meta. tex. 5. Tertio argumentorum scientia est de rebus necessarijs, at Logica est de syllogismis, argumẽtationibus, quæ non sunt res necessariæ: imò aliquãdo sunt, quando disputatio fit, cessante autem disputatione, non sunt: ergo non est scientia. Maior est Arist. 1. Post. ca. 7.

3. argum.

4. argu. Vltimò vna pars Logicæ est deceptoria, & potius est ad errores, quàm ad scientias concipiendas, ergo Logica non est sui tem secundum eam partem scientia.

At oppositæ sententiæ est cõmunis, nẽpe Logicam esse proprie scientiam: quã sequitur S. Thom. 4. Meta. lect. 4. & Scot. q. 1. super prædicab. & Albertus Mag. suæ Logicæ. c. 1. & Auic. c. 1. suæ Logicæ. Solet autẽ ista quæstio ab antiquis sub ista forma exprimi. Vtrum Logica sit pars Philosophiæ? vt videre est apud Boet. in prologo super Porphy. & Alber. cap. 2. Logicæ, & Auicen. & Alpharab. in principio suæ Logicæ.

1. Opin. Vide de hac re quæ Alexand. 1. Prior. in prologo, ibidem Philop. & Alpharana, & Nyp. qui latè id disputant. Themist. 1. Poste. c. 24 eam negat esse scientiã. Funda. Quid sit scientia.

Pro huius quæstionis determinatione sit primum fundamentum. Scientia propriè dicta est habitus certus & euidens rei necessariæ per suam propriam causam: in qua definitione tres scientiæ cõtinentur conditiones. Prima, quod sit de re necessaria, id est, quæ aliter se habere non potest, rerum enim mutabiliũ & variabilium, quæ modo sunt, & postea mutantur, non est scientia. 1. Post. c. 24. ob quã rationẽ singularia & entia per accidens ad scientiam non spectant, vt docet Arist. 7. Meta. cap. 15. Secunda, quod sit cognitio rei per causam: cùm enim res etiam necessarias absque causa cognoscimus, scientia non est, cùm scire rẽ, sit per causam cognoscere. 2. c. li. 1. Post. & 1. Physi. c. 1. & 1. Meta. c. 3. Tertia conditio est, quod ista cognitio sit certa, & euidens: certa ad excludendam opinionem, quæ non est certa, euidens ad excludendam fidẽ, quæ licet certa sit, est tamẽ obscura. Hæc autẽ fiunt, quãdo talis cognitio procedit per syllogismũ bonũ & perfectũ: syllogismus enim bonus rẽ necessariam probans per suam causam, qui demonstratio dicitur generat scientiã.

2. funda. Sit secundũ fundamentum maximè animaduertendum: ex cuius inconsideratione, non parua multis accidit deceptio. Aliud est modus operandi, aliud cognitio modi operandi. Modus operandi simul est cum ipsa operatione: At cognitio modi operandi est tantum in potentia cognoscente: verbi gratia: est modus quidam operandi ignis, & hic est simul cum ipsa operatione, huiusmodi cogni-

tio est in homine cognoscéte. Vnde potest esse longè diuersum vnũ ab altero. Ita similiter est modus intelligendi res, & est cognitio modi. Hæc duo, quãuis in eadem potentia sint, scilicet in intellectu vnũ tamé ab altero secernitur. Modus enim cognoscendi rem, est idé cum cognitione rei. At cognitio ipsius modi est alia cognitio per se distincta. Modus igitur cognoscendi non est Logica, sicut res scita non est scientia: sed cognitio & contemplatio ipsius modi est Logica. At verò quia ipsa cognitio modi, quæ Logica est, est in eodem, & in eadẽ potentia, in qua est ipse modus cognoscendi, fit vt aliqui ea in re decepti fuerint, idem esse vtrunque arbitrantes. Fit rursus, vt intellectus cognito suo modo cognoscendi, iuuetur per talem cognitionem ad intelligendum perfectius: quod nõ fit in igne, quia ipse non cognoscit suum modũ operandi. Propterea qui suum modum cognoscit, potest illum iuuare. Ex quo patet esse falsa antiqua distinctio Logicæ, quã habet S. Tho. 4. Meta. lect. 4. & Scotus & alij in docentem, & vtentem. Vocatur enim Logica docens, quę modũ cognoscendi contemplatur. Vocatur vtẽs ipsã met, quatenus cognita, modum intelligendi perficit, & per eam Logici certo, promptè, & in omnibus discursus, & syllogismos componunt, & variis rerum naturis applicant. Hoc obseruandum est maxime.

Logica est cognitio modi intelligẽdi.

Distinctio Logicæ in docentẽ & vtentẽ.

1. Cõclu. His suppositis sit prima conclusio. Modus sciendi seu intelligendi non est scientia, nec similiter Logica, secundũ quod ea vtimur, vt perfectiori modo cognoscamus. Hæc conclusio est manifesta. Modus enim operandi, vt modus est, non est operatio, sed qualitas operationis: & similiter il'e vsus Logicæ non est scientia, sicut vsus rei, vt vsus est, non est ipsa res. Quare nec vsus Logicæ est Logica absolutè, nec secundum talem considerationem est scientia, sed dicitur Logica vtẽs improprio fortan vocabulo. Potius dicẽda passiuè Logica exercita.

Secunda conclusio. Logica docens, quæ scilicet tradit & speculatur ipsum sciendi modum, absque dubio est propriè scientia. Et præter authoritates doctorum inductas, probatur ratione sumpta ex definitione ipsius scientię, expressa in priori fundamento. Logica est habitus certus, & euidẽs rei necessarię per suam causam, & per demonstrationem, ergo est scientia. Consequentia est certa, Antecedens probatur. Conclusiones enim quæ in Dialectica traduntur, sunt necessariæ & demõstratæ sicut illæ, quæ sunt in Physica: sicut enim est ista necessaria, corpus naturale mouetur, ita demõstratio generat scientiam: Syllogismus Topicus constat ex probabilibus: & sicut Physicus demõstrat illã conclusionem per suã causam, scilicet, omne habens naturã mouetur, corpus naturale habet naturam, ergo mouetur: ita Dialecticus seu Logicus suas demonstrat conclusiones. Omnis Syllogismus procedẽs ex probabilibus generat opinionem. Topicus est huiusmodi, ergo generat opinionem. Secũdo, præterea illa est verè scientia, quæ habet propriũ subiectũ, circa quod versatur, de quo proprias passiones considerat, & per propria principia demonstrat: Dialectica verò est huiusmodi, nam siue ens rationis eius subiectũ assignetur, vt postea dicemus, siue argumentatio aut syllogismus, aut quoduis aliud, tamen illud speculatur, & eius propria, principia, & partes, &c.

2. concl. Logicã esse scięntiam.

1. arg.

2. arg.

Item quãuis Dialectica sit vtilis ad omnes alias disciplinas & scientias addiscendas, non ideò id amittit, quod habet in se, & per se, & ex se, etiã si nõ esset alijs vtilis, vel necessaria, sicut & alię scientiæ, quæ alijs sunt vtiles vel necessariæ, nõ ideò sunt scientię. Declaratur simili, vt bonũ, aliud est honestũ, aliud est vtile, sed ramé in aliquo vtrunq; simul coniungi cõtingit, vt & idé sit honestũ, & vtile. Vt, verbi gratia, fortiter in bello pugnare, ad sui & suorum defensionẽ. Nec verò quia illud bonũ sit vtile, ideò amittit

tit rationem honesti, sed in se, & per se, est honestum: ita scientia vna, vt verbi gratia Dialectica, quamuis sit ad alias omnes vtilis vel necessaria, non ideò rationem scientiæ, quam habet ex se, & in se quam etiam quidem si nulli esset vtilis, vel ad nullam scientiam viam præsteret, tamen in se haberet.

Ad 1. Ad primum argumentum Respons. cõcessa maiori, negando minorem, si loquatur de Logica docente, ista enim nõ est modus sciendi, sed speculatur & ostendit modum sciendi: nec Aristot. vel Auer. docet, modum sciendi, esse ipsam Logicam, sed dicit prius oportere cognoscere modum sciendi, quàm illas scięntias, non verò simul vtrunque quærere. Cognitio autem hæc modi Logica est.

Ad 2. Ad secundum Respon. dupliciter posse Logicam considerari, aut secundũ ea instrumenta, & modum sciendi de quo tractat, aut secundum materiam, cui talis modus & instrumenta applicantur. Si Logica primo modo consideretur, habet obiectum determinatum de quo sit nempe ipsa instrumenta & modũ sciẽdi, & secundum hoc, est scientia determinata: at si consideretur secundũ materiam, cui applicantur eius instrumenta, est ad modum vasta, quia dat modum cognoscendi quamcunque rem. Hoc voluit Ioca Aristot. non tamen id impedit, quo minus obiectum habeat determinatũ, quod scientiam particularem posit cõstituere.

Ad 3. Ad tertium respondeo, quamuis iste syllogismus, vel ille non sit necessarius, & perpetuus, tamen istæ propositiones, syllogismus est compositus ex tribus terminis, argumentatio est consequentia, & aliæ similes, ita sunt necessariæ, sicut corpus naturale mouetur, ignis est calid*, de quibus est Physica. Et hoc solum est necessarium ad scientiã per accidẽs est asit quod nõ sit iste vel ille syllogismus, sicut quod corrumpatur iste vel ille ignis: istæ enim omnes propositiones sunt de extremis naturaliter supponentibus.

Ad quartum est facilis responsio. Logica enim, quæ docet illas fallacias, ita vera, & necessaria est, sicut quæ docet alias partes: & sicut ista est necessaria, demonstratio generat scientiam: ita ista Sophisticus syllogismus generat errorẽ. Verum est, quòd vsus Sophismatis facit errorem, sed iste vsus non est Logica, nec propterea reijcienda est ista pars, quasi doceat malum, quia id docet, vt non erremus, abusus est potius Logicæ alios decipere. Hoc autem nihil refert, nam bono possumus abuti, nec propterea fit malum.

Ad 4.

QVAESTIO III.

Vtrum Logica sit vna scientia.

Quid sit vnum & vnitas.

CIrca titulum huius quæstionis, vt intelligamus, quid sit vna scientia. Primo aduertendũ est illud dici vnũ, quod duo habet. Primum est indiuiduũ esse in se. Secundũ est, diuisum esse à quolibet alio extra se: vt lignũ vnũ dicitur, quod in se nõ est in partes scisũ, sed continuũ, & tamé est distinctum, & diuisum ab alijs omnibus. Vnde vnitas secundum quam vnum est, est indiuisio in se, & diuisio a quolibet alio.

Quotuplex vnitas.

Hæc vnitas triplex est, quædã numerica, quædã specifica, quædã generica. Vnitas numerica est, secundũ quã quælibet res singularis est vna. Vnitas specifica est secundũ quã plura singularia habentia vnicã proximã definitionẽ, sunt vnũ, vt Petrus, Ioannes, & Martinus dicũtur vnius esse naturæ, quia vnicã participant definitionẽ, scilicet, q. sunt animal rationale, ista tamé Vnitas est specifica, nam de vnitate numerica id dici non potest, cũ alia sit vnus, alia alter. Vnitas generica est inter illa, quæ quãuis diuersas habeãt proximas definitiones, ac propterea specie differre dicantur, tamen cõueniũt in vnica definitione superiori, vt homo & leo habent quidẽ diuersas definitiones, tamen participant definitionem ani-

Universidad de Deusto
Biblioteca

animalis ex æquo, & propterea sunt vnius naturæ genericæ. Per hæc patebit, quid sit differre numero, specie, vel genere. Differunt enim numero, quæ diuersam sortiuntur numericam vnitatē, vnam definitionem participantia. Specie verò, quæ distinctas habent definitiones, in vna tamen superiori conueniunt. Distincta genere, quæ nulla definitione conueniunt, vel habent diuersas definitiones, communes: vt animata, & inanimata genere differunt, quia sub se varia comprehendunt genera.

Quæ sit scientiæ vnitas & quotuplex.

Est secundo aduertendum, has vnitates, aliter in substantijs, aliter in scientijs, & habitibus sumi. In substātijs enim accipiuntur secundum se, & ab eo, quod in eis est, scilicet à sua natura, & definitione. At in scientijs non sic: sed vnitas numerica sumitur ab vnitate subiecti proximi, in quo est, sicut reliqua accidentia, vnde illa est vna numero scientia, quæ est in vnico intellectu, sicut vna albedo, quæ est in vnico subiecto, & è cōtrario scientiæ quæ sunt in diuersis subiectis sunt numero distinctæ, vt alia est Dialectica tua, alia est mea, alia illius, sicut alia albedo huius Cygni, alia illius. Vnitas verò specifica, seu generica, ab vnitate obiecti, id est, rei, de qua tractat & finis, ad quem ordinatur, vt illa dicatur vna scientia specie, quæ vnius obiecti specifici, & finis est: illa verò vna genere, quæ vnius rei genericæ, & vnius finis cōmunis est: & è contrario fit diuersitas specifica & generica. Hinc fit vt cùm scientię & habitus ab obiectis sumant suam vnitatem & à fine, definantur aliquādo per vnum, aliquando per alterum, aliquādo per vtrunque, vt docet Ammonius in primo Prædicab. poteris enim Medicinam definire per obiectum solum. est ars, quæ circa humana corpora versatur: à fine, est ars sanitatis effectiua: ab vtroque verò, est ars, quæ circa humana corpora versatur, eorum sanitatis effectiua.

Tit. quæ

His suppositis, est sensus quæstionis, non de vnitate numerica, clarum est enim esse plures secundum pluralitatē subiectorū. Sed de specifica, seu generica: scilicet an sint plures Logicæ species, seu genera, quę de diuersis rebus tractēt. hæc de titulo quæstionis.

stionis sus.

Circa secundam quæstionis partē. Fuit opinio Nominaliū multas esse Logicas, iuxta numerū eorum, quæ tractātur. Vnde alius est habitus & alia Logica, quæ docet definire, alia, quæ docet diuidere, alia, quæ docet syllogismos topicos, & alia, quæ docet demonstratiuos. Imò secundū numerū cōclusionum, quæ in Dialectica sunt tot esse Logicas, & habitus. Hæc sentētia probatur primo: habitus distinguuntur per obiecta, sed in Logica sunt plura obiecta specie differentia, ergo non est vna Logica. Maior est certa. Minor patet: nam alia Logicæ pars est de Syllogismo, alia de demonstratione, alia de diuisione. Præterea secundò potest quis habere habitum, & esse promptus in definitionibus cognoscendis, nō autē in demonstrationibus seu syllogismis, ergo alius est habitus pro illis, alius pro his. Atque adeò non est vna Logica.

1. opin.

Cōprobatio.

1. opin. Primum argumē tum.

2. argu.

Alia fuit opinio Capreoli. Prolog. 1. Sen. q. 3 quem sequuntur aliqui discipuli sancti Thomæ: hi enim sustinent, Logicam esse vnam specie, & vnicum habitū simplicem, vt enim in igne non sunt multi calores, sed vnicus, quo diuersū calefacit, ita in intellectu est vnica simplex qualitas & habitus, quo omnibus conclusionibus, quę in Logica sunt, assentimus. Ista sententia probatur primo. Ita se habet habitus ad suum obiectum, sicut potētia ad suum: sed vnica est potentia simplex, qua multa percipimus obiecta, puta vnicus visus, quo multos colores videmus: ergo vnicus & simplex erit habitus quo multas conclusiones vnius rationis cognoscimus. Secūdo præterea, Logica est vna scientia, ergo est vnus habitus, ergo est vna qualitas. Tenet illatio, à specie ad genus: sicut est vnus homo, ergo vnū animal, ergo vnum corpus.

2. opin.

Confirmatio, 2. opin. 1. argu.

2. argu.

Pro

1. funda. operationes intellect. quot sint.

Pro decisione huius quæstionis sit primum fundamentum. Intellectus noster habet duplices operationes. Prior operatio est, qua res ipsas simplici, vel cōposita cognitione percipit, vt quando cogitat hominem, leonem, plantam: seu hominē esse animal, leonē non esse hominem, & talis operatio dicitur apprehensio. Posterior operatio est, assentire, & acquiescere rebus cognitis & apprehensis cognitione composita, quæ operatio dicitur iudicium, siue etiam dissensio: vt quando iudicat, ac assentit huic, homo est animal, dissentit verò huic, homo nō est lapis. & ex hac operatione oritur veritas vel falsitas, non enim est deceptus intellectus in apprehensione, quantumcunque apprehendat aliter quàm se habet res: sed quando assentit apprehensioni rei, non sic se habentis. Verum autem est, quando assentit apprehensioni rei sic se habentis. Scientia ergo, quæ intellectum perficit ad verum, potius perficit actus iudicij intellectus, vt assentiat cui assentire oportet: dissentiat, cui dissentiendum est. Propterea scientia dicitur habitus indicatiuus. Præter hoc etiam perficit intellectus apprehensionem, nā qui scit apprehensiones & compositiones rectas, per scientiam efficit, quibus assentit.

2. funda. Ad intellect operationes quæ concurrunt.

Sit secundum fundamentum. Ad has duas operationes exercendas, duo concurrūt. ex parte rei, quæ intelligitur, vnū, alterū, ex parte intellectus. Ex parte rei cōcurrit ipsius similitudo recepta in intellectu: vt enim visus ad videndū recipit in se quandam obiecti imaginem, seu similitudinē, quæ dicitur species ista intellectus ad intelligendum. Alterum ex parte ipsius intellectus, scilicet promptitudo ad facilius & certius iudicandum, quæ dicitur habitus. Est tamē inter vtrūque discrimen. Species enim est necessaria ad cognitionem, ita, vt sine ea cognitio esse nequeat: at habitus non est necessarius simpliciter ad iudicandum, cū solus intellectus iudicare possit: sed ad perfectius iudicandum, & cognoscendū: habitus enim perficit operationem potentiæ, vt docet Aristot. 7. Physic. c. 3. Scientia igitur est ipse habitus intellectus ipsum ad iudicandum de rebus apprehensis perficiens.

3. funda. Habitus & scientię qui distinguantur.

Sit Tertium fundamentum. Habitus & scientiæ distinguuntur per distinctionem rerū, de quibus tractāt, & erga quas versantur: non tamen quęcunque rerum distinctio diuersas scientias facit, sed distinctio obiecti formalis. In obiecto enim & re qualibet, quæ sub scientia continetur, duo sunt consideranda, sicut in obiecto potentiarū. Vnum, id quod talis scientia cognoscit, & erga, quod talis potentia operatur: vt albedo, quæ videtur ab oculo: planta, quæ cōsideratur à Philosopho. Alterum, id ratione cuius, illud prius sub tali scientia cadit, seu à tali potentia percipitur: vt in visu est color, albedo enim videtur ab oculo, quia color est, & planta cōsideratur à Philosopho, quia corpus naturale est: prius dicitur obiectum materiale, posterius autem formale obiectum. Potestque esse, vt multa obiecta materialia cōtineantur sub vnico formali, vt albedo, nigredo, rubedo sub colore, cuius ratione à visu percipiūtur. Distinctio igitur generica, seu specifica scientiarum, ab obiecti vnitate vel diuersitate formali sumenda est: vt enim non ponitur diuersus visus ad albedinē percipiendam, & alius ad nigredinem: quia quā iis sint duo obiecta, sunt tamen materialia, & conueniunt in vnica ratione formali coloris. Ita in scientijs: licet multa tractentur, tamen si sub vnica formali ratione comprehendātur, erit vna scientia genere, vel specie.

His igitur suppositis, sit prima conclusio. Logica absolutè & simpliciter est dicenda vna scientia. Hæc probatur. Vna scientia est, quæ est vnius obiecti, sed Logica vnicum habet obiectum, ergo est vna scientia: Maior est Arist. 1. Post. ca 23. Minor est certa, & probabitur inferius esse ens rationis Logicū, seu sciendi modum.

1. Cōcl.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum, quòd idem est. Neque argumentũ Nominalium prius factum quicquã probat: quamuis enim multæ sint res, quæ tractentur in Logica, tamen conueniũt sub vnica ratione formali obiecti, scilicet quæ ad argumentationem ordinantur: sicut in philosophia & quauis alia scientia.

2. Cõclu. Secunda Cõclusio. Logica plures partes habet sub se specie differentes, quæ tamen sub vnica ratione formali generica cõueniunt, ac propterea vnius est generis Logica ipsa. Hæc conclusio patet: nam in lib. De interpretatione est aliud partiale obiectum, aliud in libris Priorũ, aliud in alijs: hæc tamen omnia sub ratione modi sciendi, seu argumentationis comprehenduntur, quã Logicus primo considerat.

3. Cõclu. Tertia Conclusio. In logica sunt plures habitus partiales secũdum diuersas partes præcipuas ipsius Logicæ, & hoc patet secundo argumento Nominaliũ: non tamen propterea sequitur esse plures Logicas, seu plures partes Logicæ: Logica enim constat ex pluribus habitibus partialibus vnam scientiam facientibus: quia eorum obiecta sub vnica ratione generica formali cõueniunt. Nec est simile de potentia: nam potentia à natura est, habitus verò partim ab obiecto fit, partim à nobis. Ad aliud autẽ quo arguitur: est vna scientia, ergo vnus habitus: concedo consequens in hoc sensu quòd est vnus totalis, constatus tamen ex multis partialibus. Nec est hoc præter doctrinam Aristot. qui. 5. Meta. cap. 6. docet, quæ sunt plura in vno genere, possunt vnum esse in altero: vt plures milites in ratione substantiæ sunt multi, in ratione quantitatis sunt vnus numerus.

4. Cõclu. Quarta Conclusio. Probabilis est sententia Capreoli q̃ sit vnus simplex habitus, vt probant argumenta, & alia, quæ possent adduci. Sed quia admodum Metaphysica est, omittatur in proprium locum.

QVAESTIO IIII.
Vtrum Logica sit scientia speculatiua, ao practica.

Quid scientia practica & speculatiua.

IN disputatione præsenti primo nobis quis sensus huius quæstionis sit, aperiendũ est. Practica scientia idem est quod operatiua. Speculatiua verò idẽ quod cognoscitiua, seu contemplatiua. Dicitur autem scientia practica illa, cuius cognitio ordinatur ad opus, id est, quando per eam cognoscimus vt operemur. Speculatiua verò, per quam solum cognoscimus, nec talis cognitio ad opus est aliquod ordinata. Iuxta hoc quæritur de Logica, an sit practica, vel Speculatiua.

1. Opin. Fuit sententia quorundam neoteri corum, Logicam esse practicam. Huius opinionis est primum argumentum. Illa scientia est practica, cuius finis est operari, sed finis Logicæ est operari, ergo est practica. Maior est nota: Minor probatur: quia finis eius est syllogismos & discursus facere, hoc autem est operari. Secundò, scientia practica est de obiecto operabili & factibili à nobis, at obiectũ Dialecticæ scilicet argumentatio, est à nobis factibile, ergo est practica. Tertiò. scientia practica causatur in dirigendis & ordinãdis aliquibus operationibus nostris: vt ars pingẽdi ordinat tales operationes, quibus pingimus, similiter reliquæ artes: sed Logica versatur in dirigẽdis intellectus operationibus, vt ait S. Thom. primo. Perihe. & 1. Post. ergo est Practica.

1. Argu.

2. Argu.

3. Argu.

1. funda. Speculatiua & practica scientia vt conueniant & distinguũtur. Pro huius quæstionis determinatione, sit primum fundamentum. Scientia Practica & Speculatiua in vno conueniunt, in aliis differunt: conueniũt enim, quia sicut per scientiam speculatiuã res cognoscimus, & de ipsis iudicamus, ita similiter per practicam: vt enim Physicus per Physicam cognoscit plantas: ita artifex per artem, & scientiam practicam cognoscit res, quas operatur. Differunt autem primo, in fine: per scientiam enim Speculatiuam rem cognoscimus, non vt illam operemur, at per practicã cognoscimus, vt operemur. Hanc autem conuenientiam Practicæ & speculatiuæ, simul & differentiam, non malè explicuit Auerroes. 2. Meta. com. 3. per Speculatiuã, inquit, scimus, vt sciamus: per practicam sumus scientes vt operemur. Est autem duplex finis, intrinsecus, & extrinsecus: intrinsecus est, ad quem scientia ex sua natura ordinatur: extrinsecus, qui finis scientis dicitur, est quem sibi proponit, qui eam scientiam habet, vel addiscit: vt qui disceret Philosophiam animo lucrãdi, vel qui disceret artem ædificandi, vt sciret solum. Hic autem finis extrinsecus non facit scientiam Practicam aut Speculatiuam, sed intrinsecus. Secundo differunt in modo operandi. Practica enim procedit modo practico, seu operatiuo, considerat rem, vt simul tradat modum operandi. Propterea. 2. Meta. cap. 3. dixit Aristot. Practicum non considerare causam secundum se, sed in ordine ad opus. At Speculatiua solum procedit via cognitionis, nec modum tradit operandi. Hinc sequitur, cùm practicæ finis sit operari, & modo operatiuo procedat, quòd necessario tractet de re, quæ fit à nobis: non tamen propterea est practica, licet hoc sit necessarium: quia potest esse Speculatiua de re, quam efficimus: vt Geometria, quæ est de figuris. Sed differentia consistit in fine intrinseco, vt vult Aristot. 2 Meta. cap. 3. & in modo procedendi: ex quo fit, scientiam Practicam & Speculatiuam non differre penes actum suum proprium immediatum: quia per vtramque primo intelligimus res: nec in obiecto, cùm possit esse Speculatiua de re à nobis facienda, sed in fine, & modo vnde in quauis scientia Practica, primo reperitur Speculatio operum, quæ tractat & facit, deinde præcepta faciendorum eorum operum, quo scilicet modo fiant, quæ proprie cognitio est ipsa Practica. Sed hæc præterea duplex: vel in vniuersali: vt temperatè agendum

Finis scientiarũ duplex.

Et. 3. de anima, cap. 10.

est, emittendus est sanguis in dolore laterali, vel in particulari, tunc, nunc, & hoc modo, quod est prudentia, & experti Medici.

2. funda. Practica scientia, vt & operatio, est duplex. Sit secundum fundamentum. Cùm scientia practica sit propter operationem: operatio autem duplex sit, quædã, quæ dicitur actio, quædam, quæ dicitur effectio, erit duplex scientia practica, quædam actiua, quædã effectiua. Actio verò est operatio immanens, nec in aliquam materiam exteriorem transiens, vt cristari, sentire, amare. Effectio verò est operatio in materiam exteriorem transiens, vt scribere, pingere, ædificare. Scientia igitur effectiua dicitur, cuius finis est rectè has exteriores operationes efficere: quales sunt artes Mechanicæ. Vnde Aristoteles sexto Ethicorum cap. 3. Ars, ait, est habitus verus, cum ratione factiuus. Scientia autem actiua, quæ moralis dicitur, est, cuius finis sunt immanentes operationes: qualis est prudentia, quæ dicitur habitus verus cum ratione actiuus.

Vnde Aristot. 6. Meta. capit. 1. omnis, inquit, scientia aut est actiua, aut factiua, aut Theorica, aut Speculatiua. Sumit autem hic scientiam largo modo pro quocunque habitu intellectiuo. Inter has tres autem scientias constituit differimen quoddam notandum. 11. Meta. capit. 6. & 6. Meta. capit. 1. In Speculatiuis principiũ est in ipsis rebus id est, nos sumimus cognitionem ab ipsis rebus, & scientia nostra Speculatiua cõformatur ipsis rebus: vt tunc perfecta sit, quando ipsis rebus adæquatur. Propterea obiectum in his dicitur principiũ, & mensura scientiæ. At in practicis, rerum cognitarum principium est in nobis, quia nos sumus causa rei, & nostra scientia est rerum ipsarum mensura, vt talis sit res, qualis scientia, à qua procedit. Interest tamen quod principiũ actiuæ est electio voluntatis, à prudentia regulata: vnde agibile & eligibile, idem est, at principiũ in factibus, est ars

quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ in intellectu est: ex quo sequitur quoddam notatu dignum, videlicet illã scientiam, quæ non dirigit operationes immanentes, vt ab electione voluntatis procedunt non esse actiuam. Quæ est expressa sententia Aristotelis loco citato 6. Meta. & 6. Eth. cap. 10. Principium, inquit, actionis est electio. Sequitur etiam quod intellectus, seu scientia practica habet pro fine actionem, seu operationem aliquam extra ipsum intellectum: vt clarissimè colligitur ex Aristotele 3. de Anima. cap. 9. & doctè tradit Albertus Magnus 3 de Anima, tract. 4 cap. 4.

3. funda. Scientia æprie accepta & ars quid dittent.

Sit tertium fundamentum. Ex istis potest colligi triplex discrimen inter scientiam proprie dictam & artem. Primò, in fine: finis scientiæ est speculatio & contemplatio sui obiecti: finis artis est aliquod opus, aut operatio extra ipsum intellectum. Secundò, in obiecto: ars enim est de rebus contingentibus. 6. Eth. ca. 4. scilicet non de rebus, quæ possunt esse, & nõ esse solũ, sed de rebus, quæ cũ sint, possunt aliter & aliter se habere: vt est ars scribẽdi, quia scribere, potest aliter & aliter fieri. Prudentia est circa actus, qui cũ sint, possunt aliter, scilicet benè aut malè fieri. Est autem ars & prudentia, vt benè rectèque fiant. At scientia est de rebus necessarijs, quæ semper sunt & eodẽ modo. Discrimen tertium est in modo procedendi: ars considerat rem qualiter fiat, & causas applicat ad opus propterea componẽdo semper procedit & species compositas formando. At scientia, qualiter res fit, considerat, & semper minutissimas, & vltimas eius causas, & principia speculatur. His igitur suppositis.

1. Cõclu. Logicã non esse practicã scientiã. 1. arg.

Sit prima conclusio. Absolutè loquendo, Logica non est proprie Practica scientia, nec etiam ars. Probatur primò. Si esset Practica, vel esset actiua, vel effectiua, sed neutra harũ, ergo non est Practica. Maior est nota ex Aristotele loco citato. Minor probatur. Nõ effectiua, quia eius operatio non transit in materiam externam. Nec actiua, quia nõ est circa actionẽ, quæ procedat ab electione voluntatis, cùm eius actio sit intellectu discurrere. Secundò, scientia Practica, aut ars, habet pro fine aliquid extra intellectũ: at syllogizare & discurrere, est opus ipsius intellectus, ergo absolutè non est ars. 2. arg.

Tertio, ars, & scientia Practica proprie rei naturam non tractant, sed qualiter fiat, tantum ostendunt: at Logica naturam argumẽtationis & syllogismi aperit, nec qualiter fiant, per se solum ostendit: ergo nõ est proprie practica. 3 arg.

Ex quo patet quòd finis proximus & intrinsecus Logicæ est modi præcedendi cognitio: finis sequens scientia rei, quæ ex cognitione modi procedit finis remotus, per Logicam syllogismos constituere.

2. Cõcln. Logica cur ars dicatur.

Secunda conclusio. Logica habet aliquid artis & practicæ: hoc scilicet quòd in aliquem finem extra se ipsam ordinatur, scilicet in rei scientiam, & per eã operationes intellectus regulentur, ac propterea dicitur ars rationalis, ars artium. Quæ conclusio satis ex dictis est manifesta.

3. Concl. Logicã esse scientiã speculatiuã.

Tertia conclusio. Simpliciter est dicenda Speculatiua, vt patet rationibus ad primam conclusionem inductis. Probatur. Quia licet tradat præcepta argumentandi & definiendi &c. tamen per se primo speculatur quid sit argumentatio, definitio, diuisio, & cætera omnia. Deinde hi perspectis, præcipit vt fiant.

Ad primum argumentum respondetur, negando finem primum esse syllogismos facere, sed ad consequi ex eorum cognitione, sicut qui, cognita natura trianguli potest triangulum facere. Ad 1.

Ad secundum negatur consequentia, est enim falsa de accidentis. nisi enim consequentia est bona. Si est Practica, ergo de obiecto factibili & à negatione consequentis, si nõ est de obiecto factibili: ergo nõ est Practica: nõ tamẽ valet, ab affirmatione consequẽtis. Si est de obiecto operabili, ergo est Practica: nisi finis sit operatio vt diximus. Ad 2.

Ad tertium respondetur illud probatur secundum quid esse practicam: & ita vocari solere quandam artem, non tamen absolutè, quia deficiunt illa quæ sunt de ratione artis & scientiæ propriè Practicæ. Ad 3.

QV. AESTIO V.
Quod sit subiectum Logicæ.

Quot modis dicatur subiectũ

VOcabulum hoc subiectũ multipliciter apud Arist. vsurpatur. Vno enim modo significat inferius alicuius superioris quo pacto in Ae reprædicamentis dicit Arist. quædã de subiecto dicuntur. Secũdò pro vna parte propositionis: quomodo dicitur, propositio constat ex subiecto & prædicato. Tertiò pro illo, cui insunt accidentia: vt corpus est subiectũ albedinis: hoc dicitur subiectũ inhæsionis: prior verò subiecta prædicationis. Quartò subiectũ, pro eo quod à sciẽtia primo consideratur: vt idem sit quod obiectũ. Vnde Arist. 1. Post. cap. 23. vna scientia est vnius generis subiecti: & sic in præsenti sumitur, q̃ dicitur etiã materia. Sed materia multipliciter etiã sumitur. Primò, pro substantia, in qua recipitur forma substãtialis, quomodo dicitur, materia animæ est corpus: & sic sumitur. 1. Physi. Secundò pro eo, ex quo aliquid fit, vt ferrum est materia serræ, quia ex eo fit: & sic sumitur. 2. Physi. ca. 3. Tertiò pro eo, cui applicatur opus artis: vt materia fabri est ferrum, quia opus suũ in ferro facit. Quartò, pro illo, circa q̃ sciẽtia versatur. Quæ dicitur materia, circa quã: & sic idẽ est cũ obiecto & subiecto sumpto vltimo modo: & secundũ hoc est quæstio de subiecto Logicæ, scilicet quid sit id, de quo præcipue sit Logica.

Ad obiectũ scientiæ quæ requiratur.

Vt autem aliquid sit subiectum, seu obiectum in aliqua scientia, quatuor sunt necessaria, duo ex parte obiecti: duo ex parte ipsius scientiæ. Primum ex parte subiecti, vt contineat omnia, quæ tractãtur in scientia adæquatè, vt nihil sit sub illa scientia, quod non contineatur ab illo obiecto: nec illud obiectum contineat quicquam, quòd non sit sub tali scientia. Secundò, quod det vnitatem & speciem scientiæ, id est, ab eo sit scientia vna ab alijs distincta, & per illud definiri possit. Tertiò, ex parte scientiæ, vt nihil scientia consideret, quod non sit subiectum, vel ad subiectum pertineat. Quartò, quòd tradat causas sui subiecti. 1. Meta. cap. 6. & passiones, seu proprietates 4. Meta. cap. 1. & inferiora partes, & species ipsius. 4 Meta. textu 3.

1. opin.

Circa hanc quæstionem fuit opinio Scoti q. 2. vniuersalium, & Aegidij Romani syllogismum esse subiectum Logicæ, ratio est, Logica enim docet rationes & discursus intellectus: sed inter omnes præcipuus est syllogismus, ergo hic est obiectum eius.

2 opin.

Secunda Opinio fuit Auic. Logi. c. 3. & Alga. Log. c. 2. quam sequitur Albert. Magnus lib. Prædicabilium. cap 4. argumentationẽ esse obiectum. Huius ratio est. Logica tradit modum procedẽdi ex noto ad ignotum, sed non solùm per syllogismum, sed per quamcunque argumẽtationẽ hoc fit: ergo argumẽtatio est subiectum. Tertia opinio est Ammonij: esse non omnem argumentationem, sed potissimam omnium, videlicet demõstrationem, cuius causa omnia considerari videntur à Logica.

3 opin.

Quarta opinio est neotericorum quorundam, orationem esse subiectum Logicæ: nec illi sumunt quamcunque orationem, sed illam, quæ est ignoti manifestatiua, qualis est definitio, diuisio, & argumentatio. Huius ratio est: Logica tradit modum cognoscendi, sed hic non sola est argumentatio, sed definitio, & diuisio, per quas explicatur natura, & partes rei, hæc per illas cognoscuntur & sciuntur, ergo aliquid, vt est his cõmune, erit subiectum. Illa sententia fuit antiqua, eorum scilicet, qui sermonem faciebant Logicæ commune obiectum, quasi idem esset Logica, quod sermocinalis, quos impugnat Auicen. & Alb. locis citatis.

4 opin.

Quinta sententia fuit S. Thom. 4. Meta. lect. 4. qui asserit

5 opin.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quid sit ens rationis.

ens rationis esse subiectum Logicæ. Ratio huius est: quia ens rationis comprædit ea, quæ sunt in Logica, quæ tamen sub oratione, argumentatione, vel syllogismo non continentur, vt prædicatum, subiectum, genus, species. Prodeclaratione verò huius entis rationis est aduertendum. Res dupliciter possũt considerari. Vno modo secundum se, & suam naturam, altero modo, secundũ quòd à nostro intellectu percipiuntur. Si in se considerentur, habent quasdã proprietates sibi consequentes, vt quòd homo sit risibilis, sit coloratus, sit quantus. Si verò considerentur, vt à nobis sunt intellectæ, habent alias proprietates, scilicet esse subiectum, esse prædicatum, esse genus, esse propositionem. Inter has autem & illas, vnum interest, quod illæ sunt in ipsis rebus: albedo enim, calor, & alia accidẽtia rebus insunt: illæ sunt extrinsecæ: vt enim columna est mihi dextra, non quia in ipsa sit aliquid à quo dicatur dextra, sed ab extrinseco quia ego habeo illam ad dextram meã: ita illæ res dicuntur genera, subiectum, &c. non quod in eis sint illæ proprietates, sed ab extrinseco proueniunt, ex eo quòd à nobis tali modo, vel tali cognoscuntur: & propterea tales proprietates dicuntur entia rationis, id est, intellectus, quia ab intellectu cognoscente, rebus adueniant. Dicuntur pariter intentiones secundæ: quia cum prius sit rem esse in se, quàm à nobis intelligi, proprietates aduenientes rei secundum quod est in se, dicuntur primæ intentiones: posteriores verò, secundæ intentiones. Ex quo patet, quòd ens rationis est proprietas extrinseca aduenientes rebus, vt ab intellectu percipiuntur. Hoc volait sanctus Thomas esse subiectum Logicæ: cũ nihil sit in Logica, quod non sit talis proprietas rei. Sunt præterea illis correspõdentia in ipsis cognitionibus entia alia rationis illis correlatiua: rei inquam respectus ad cognitionem, & contrà respectus hic rationis cognitionis ad rem.

Istæ itaque sunt opiniones præcipuæ.

1. Fundã. Logicæ vocabulum quæ nam cõplectãt.

Pro huius determinatione sit primũ fundamentum. Logica, si vocabuli significatio consideretur, idem est quod scientia sermocinalis, seu rationalis: quia ratione Grammaticam, Rhetoricã, Dialecticam, sub se complectitur, quia omnes in sermone versantur: tamen cum discrimine. Grammatica enim solũ sermonem per se considerat, cum nihil aliud intendat, quàm congruum sermonẽ facere. At Rhetorica non solum sermonem, sed etiam rationem complectitur cum & dicere & probare doceat. Vnde qua parte sermonem habet, cũ Grammatica conuenit: licet in hoc ipso differat, quòd hæc congruum, illa ornatum doceat sermonem. Grammatica autem & à Rhetorica, & à Dialectica differt, q rationis non est contemplatiua, cũ nullum argumentandi genus per se Grammatica tradat, sicut Rhetorica & Dialectica. Inter has autem duas, vna est conuenientia, sed multiplex differentia. Cõueniunt enim in materia remota: sumpta materia pro eo, cui opus artis applicatur: vt enim Logicus sua applicat instrumenta rebus omnibus & cuilibet enti, ita & Rhetoricus sua applicat instrumenta rebus omnibus: ob quam causam ab Aristotele & Rhetorica contraposita Dialecticæ censetur, & vtranque artẽ communem vocat. Differunt tamen inter se. Logicus enim considerat res oẽs vt à nobis sunt cognoscibiles: tradit enim methodum rem quamcunque contemplandi, & speculandi. At Rhetoricus versatur circa res, vt à nobis exprimuntur & manifestantur. Propterea Rhetoricus per se considerat sermonem, quo exprimit rem, & vtitur probatione ad aliud, scilicet vt alteri probet. At cum Logicus sit primo ad se, per accidens verbo vtitur, cum conceptus & probationes alteri communicare intendit tamen eius integra ratio absque sermone est, quod nõ sit in Rhetorica: ob idque eloquutio pars Rhetoricæ, nõ autẽ Logicæ numeratur,

ratur. Huius discriminis ratio est, quia Logicus est ad se, at Rhetoricus præcipue ad alium: vt habet Arist. 1. Rhet. ad Theo. in fine. Vsus ergo Rhetoricæ absque sermone cõstare nõ potest, sicut potest vsus Logicę primus & potissimus. Secundò differunt etiam in amplitudine materiæ formaliter: nã Rhetoricus in omni re considerat id, quod probabile est, id est, dat methodũ cognoscendi & persuadendi id, quod probabile in omnib⁹ est. At Logicus, & id quod est probabile, & id quod est necessarium percipit, id est, dat viã inueniendi probabile & necessarium. Propter quod duplex est Logicæ pars. Topica, cum est tradere methodũ circa probabile, vt docet Arist. 1. Topi. c. 1. & Analytica, cuius est modũ necessarij perueniendi aperire. Tertiò differunt etiã in hoc probabili: Rhetorica enim cõsiderate probabile singulare, vel vel cum aliqua circunstantia singularitatis persuadet enim singulare vel aliquid cõmune determinatũ, secundũ aliquod tempus vel locum, vel ordinem ad opus, quæ omnia ad singulare spectant: propterea dicitur versari circa quæstiones definitas, vel circunstantijs terminatas vel hipotheses. At Logica, probabile cõmune & vniuersale cõsiderat, & ab omni conditione singulari abstrahit: atq; ideo circa quæstiones, quas vocant infinitas, & theses. Quartò differunt in fine: finis enim Logicæ est adhibere methodum, per quam consequamur scientiam necessariorum, probabilium opinionẽ: at Rhetorici finis est adhibere methodum persuadendi ex quo sequitur fides, quæ est remissa quædam opinio, & quæ maximè pendet ex affectione voluntatis. Quintò differunt instrumẽtis. Rhetoricus enim vtitur enthymemate & exemplo, Logicus inductione & syllogismo. Hoc autem ideò fit, cum enim Rhetoricus omnibus aliis probet & persuadeat, nec omnes capaces sint ad percipiendũ vim syllogisticam, assumit rationẽ omnibus facilem, scilicet Enthymema: cum autem Enthymema sit syllogismus maiori suppressa, Dialecticus autem sit ad se, & ad intellectum, cui non potest maior supprimi, syllogismo ad se vtitur, licet aliquando ad alium enthymemate vtatur. Cum igitur Logicus argumentationem cõsideret, & enthymema sit species quædam argumentationis, merito Rhetoricam, quæ speculatur enthymema, Aristoteles particulam & germen Logicæ vocat. 1. Rhet. cap. 2.

Rhetorica cur Enthymemate & exẽplo. Logica syllogismo, & inductione vtatur.

2. funda.

Secundũ fundamentum. Aliud est de obiecto loqui Dialecticæ secũdum se, & in vniuersum Dialecticam considerando. Aliud de dialectica duntaxat, quam nunc habemus ab Arist. conscriptam, & de eius obiecto. Nam, vt mox dicemus, quędam apparent ad Dialecticam spectantia, de quibus non egit, vt videtur, Aristoteles: nempe de diuisione, & definitione, de syllogismis hypotheticis, & alijs aut si egit, eius certò libri nõ extãt.

3 funda. Obiectũ scientiæ esse duplex.

Sit tertium fundamentum. Obiectum scientiæ duplex est, vt diximus superius, materiale, & formale. Materiale est illud, quod talis scientia cõsiderat, vt Physica tractat de plantis, de elementis, de animalibus. Aliud est formale: id, ratione cuius omnia illa à tali scientia considerantur, vt Physicus omnia illa tractat, vt corpora mobilia sunt. Ita fit in qualibet alia scientia, arte, habitu, & potentia. Item obiectũ aliud totale est, aliud partiale, sed præcipuum.

1. concl.

His suppositis, sit prima conclusio. Sermo, vel oratio non est subiectum Logicæ. Patet. Illud est subiectum Logicæ, quod Logica primò & per se considerat: sed sermo, vel oratio, per accidens & minus principaliter ad Logicum spectat, vt diximus ergo non est subiectum. Maior est nota, quia cum subiectum sit intrinsecum, & de ratione scientiæ, nõ debet ab eo, quod per accidens est, cõsiderari. Preterea, quia sine sermone seu externa oratione potest Logica constare: cũ illa sit, quæ modum intelligendi per se manifestet. Præterea: Sermo, vel oratio fit dicat

eam orationem, quæ fit in voce, probatum est in præcedenti conclusione, id esse per accidens ad Logicum. Siverò sumatur pro illa, quæ est in mente, nõ est subiectum. Nam oratio comprehendit etiam eam, quæ non significat verũ vel falsum, vt optatiuam, imperatiuam, & omnia alia, quæ ad Grammaticos & Rhetoricos spectant. Hæc autem Logicus non considerat, sed Grammaticus, & Rhetoricus.

2. Cõcl. Secunda conclusio. Demonstratio nõ est totius Logicæ subiectum. Probatur ex prima subiecti conditione: debet enim continere sub se omnia illa quæ tractantur in ea scientia. At verò nõ omnia quæ in Dialectica tractantur, continentur sub demonstratione: non enim syllogismus probabilis, nec sophisticus, nec enthymema sub demonstratione continentur. Est tamen partiale totissimum subiectum demonstratio: & eatenus rectè opinabatur Ammonius, cum inter alia omnia primum locum teneat demonstratio.

3. Cõclu. Tertia cõclusio. Ens rationis in vniuersum non est formale subiectum Logicæ. Patet, quia Logicus non cõsiderat ens rationis, vt tale est, nec illius causas, nec principia, nec passiones: hæc enim occultissima sunt: nec omnia entia rationis in tota sua latitudine: non enim priuationes, nec entia rationis Rhetorica, qualia sunt, esse tropum, vel figurã, esse exordium vel peroratiõẽ &c. nec Grãmatica entia rationis considerat Dialecticus.

4. Cõclu. Quarta conclusio. Ens rationis Logicum, id est, quod cõsequitur ad operationem intellectus, quatenus intellectus intelligit, est formale subiectum Logicæ. Hoc autẽ vno cõmuni nomine vocari posset ens rationis Logicum, vel intellectuale, vel ratio instrumentaria intelligendi, vel intelligendi modus, seu scientia, quæ omnia in idem ferè incidere videntur. Probatur hæc conclusio. Omnia enim, quæ in Logica considerantur, sub illo continentur, & ad id spectant, vt modum sciendi & intelligendi teneamus: & hæc fuit sententia S. Thomæ nec sumpsit in vniuersum omne ens rationis, sed illud solum, quod rebus aduenit ex intellectus operatione: non autem illud, quod voces cõsequitur: quale est, esse nomẽ, aut verbum, aut participium, hæc enim Grãmatica sunt. Propterea definiuimus superius, ens rationis esse proprietatem rebus aduenientem, quatenus ab intellectu percipiuntur.

5. Cõcl. Quinta conclusio. Materiale obiectũ Logicæ sunt res ipsæ cognitæ, aut cognitiones rerum. Probatur. Nam in illis & ex illis, illa pullulant entia rationis, & illis conueniũt, & in illis inhærent, vt tales sunt: nam illæ dicuntur, & sunt Genera, & Species &c. & ex illis sunt propositiones, syllogismi, &c. voces verò, vt dictum est per accidens & secundario à Dialectico considerantur.

Diximus res cognitas & cognitiones quia res sunt remotius obiectum, cognitiones verò intellectus propinquius. Et quia sunt correlatiua inuicem: nam si cognitio est, alicuius rei est cognitio, & si res cognita est, per aliquam cognitionem est cognita: habent eam inter se motum respectum rationis.

6. Cõcl. Sexta conclusio. Argumentatio est Logicæ subiectum: si Logicam accipiamus pro ea tantum parte, quam Aristoteles in libris suis, qui ad nos peruenerunt, tractauit. Quod sanè videtur spectasse, quia argumentationẽ subiectum Dialecticæ dixerunt, & eatenus verè affirmarunt. Perspicuum enim est non egisse de definitione ac diuisione per se, vt per se faciunt scire essentiam & partes rei: sed solum quatenus demonstrationi, seu argumentationi subseruisit. Quod sanè rectè aduertit Albertus Magnus: &, vt ipse circa initium Porphyrij refert, Auicenna, & Alpharabius, item Caietanus in principio Categoriarum Aristotelis: & Aegidius in principio, in proœmio, & alij. Id autem siue puta-

putauerit minoris esse momenti, quam quòd fusius tractarentur, ac seorsum, siue quia in argumentandi modos, quos primus (vt ipse ait lib. 1. Elench.) inuenit, incumbendum sibi potissimum existimarit: siue quia scripserit quidem his de rebus seorsum, sed eius libri perierint: certè quæ extant, illud duntaxat subiectum argumentationis habent, & eò cũcta referuntur. Imò si quis rectè perspexerit, cũ desint hypothetici syllogismi, istorũ operum Aristotelis sola argumentatio cathegorica subiectum videri poterit. Ex dictis constare potest rationum contrariarum, si quæ sint, solutio, & quo pacto omnes opiniones aliqua ex parte veritatem attigerint, & quomodo omnia verò consonent.

QVAESTIO VI.

De diuisione Logicæ, eiusque partibus.

Diuisio Dial.

LOgica diuersimodè ab aliquib⁹ diuiditur. Boetius enim 1. Top. principio in tres diuidit partes, in eam scilicet quæ docet definire, & in eam, quę docet dinidere, & in eã quæ docet argumentari. Quod si argumentatio procedat ex propositionibus necessarijs, est demonstratio: si ex probabilibus, Topicus: si ex apparentibus, Sophisticus. Et secundum hæc, est pars demonstratiua, Topica, & Sophistica. Vbi Iop. in partem inueniendi, quæ topica dicitur, & in partem resoluendi, simul & iudicandi, quæ Analytica dicitur, Logicam distinxit: & partem Sophisticam posuit cum topica: quia sophisticus syllogismus est obliquitas topici. Cicero 1. Topi. Logicam, in iudicandi, & in inueniendi partem diuisit. Possumus tamen aliter commodius Logicam dimidere ex sancto Thoma, principio Periherm. celebri & recepta diuisione. Cum enim ipsa dirigat operationes intellectus, diuidetur ipsarum distinctione operationum. Triplex autem est intellectus operatio: prima, simplicissima apprehensio, qua res ipsas singulas per se intelligimus: secunda, compositio seu diuisio, qua res inter se vnam alteri copulamus vel separamus: tertia, ratiocinatio est, qua ex noto ignotum discurrentes deducimus, quæ operationes similes sunt sermoni. Aliquando enim simplices voces proferimus, aliquãdo propositiones componimus, tandem ex propositionibus syllogismos conflamus. Triplex igitur est Logicæ pars, prima quæ dirigit primam operationẽ intellectus, docens modum quemque rem per se intelligendi & ad hanc reducitur pars, quæ tractat de definitione. Secunda, quæ dirigit secundam operationem quæ tractat de propositione: sub qua aliquo modo cõtinetur diuisio. Tertia, quæ dirigit tertiam: & hæc est de syllogismo. In singulis autem harum est inuentio, & iudicium: nam & docemur inuenire genera, & differentias: ex quibus est definitio, & de inuentis iudicare. Similiter in propositione, & syllogismo. Vide Boetium 1. Topicorum. Triplex intellectus operatio.

Atq; hæc in vniuersum de Dialectica dixisse sit satis. Iam ad primã ipsius Dialecticæ partem, quæ de simplicibus disserit, & in hac, ad Porphyrij prius. De quinque vniuersalib⁹, tractationẽ accedam⁹.

IN LIBRVM PORPHYRII DE QVINQVE Vniuersalibus.

QVi in aliquem authorẽ commẽtaria ediderunt, quædam solẽt quasi proœmij loco, ante illius enarrationem pertractare. De illius videlicet operis authore, vita, moribus, doctrina, ac laudibus. De ipsius operis argumento, vtilitate, ac necessitate. De scribẽdi modo, & methodo, & ordine, & partibus, & similibus alijs. Ex quibus, nos more aliorum interpretum, breuiter, quantum satis est ad nostrum institutum, nonnulla referemus.

TEXT. ¶ De authore, & huius operis argumento, ac vtilitate, scribendi methodo, ac modo, eiusdem ordine, & partibus.]

POrphyrius Philosophus hoc opus edidit, natione Phœnix: vixit tempore Aureliani & Diocletiani Imperatorum: Plotinum habuit insignem Philosophum Platonicum præceptorẽ: Discipulos verò inter alios Iamblicũ egregium Philosophum, & Chrysaorium Romanum virum patritium, in cuius gratiã, librũ hunc conscripsit, ea occasione, vt referunt: quòd cum Chrysaorius in Aristotelis Prædicamenta incidisset, & in quasdam ibi voces & res sibi ignotas impingeret, ad Porphyrium scripsit, vt sibi in ea re aliquod auxilium ferret. Atque ita hunc ad eum libellum, quẽ inscripsit πορφυρίου εἰσαγωγήν, id est, Porphyrij introductio (subaudi in Aristotelis Dialecticã) misit: & quamuis hic author à fide Christiana defecerit, & eius factus fuerit hostis acerrimus, aduersus quem aliquot nunc extant sanctorum Patrũ scripta pro Christiana Religione: ac Diui Hieronymi & diui Augustin. & aliorum: Tamẽ hoc illius opus, q̃ Arist. doctrinæ consentaneum, & bona ex parte ex Aristot. sit decerptum, & ad illius Prædicamenta, imò & vniuersam Dialecticam multum conducat, nihil aduersus fidem contineat, meritò & ab ecclesia permissum, & in publicis vbique scholis interpretandum ante Aristotelis Dialecticã susceptum est.

Agit enim de quinque vniuersalibus, Genere. Specie, Differentia, Proprio, & Accidente: quæ de rebus omnibus prædicantur, aut prædicari possunt, tũ essentiam rerum intrinsecam, tum extrinseca propria & accidentia rerum, continentibus. Ex quibus etiam omnes constant de vnaquaque re quæstiones: imò & definitiones, & diuisiones: & ex istis quoque constant, quæ in Prædicamentis collocãtur: vt ipsemet postea Porphyrius sui operis vtilitatem commemorans refert, & nos postea explicabimus diligentiùs.

Scribendi modus ac methodus fuit facilis, introductorio scilicet more, definiendo, diuidendo, & exemplis singula illustrando: vt ad introductionem tyronis accommodam & aptam expediebat.

Ordo hic fuit, vt prius de singulis istis vniuersalibus, & quidem à prioribus ad posteriora, naturæ ordine progressus fuerit. Deinde singula inter se contulerit. Vnde in partes tres hic liber secatur: in Præfatiunculam, seu exordiolũ, & ipsorum per se quinque vniuersalium tractationem, totidem capitibus: & in ipsorũ vniuersalium inter se comparationem, vltimo capite in varias ad inuicem comparationes subdiuiso.

DE INSCRIPTIONE LIBRI.

Porphyrij Phœnicis introductio.

QVæri potest cur sic inscripserit (introductio) tam latè patenti vocabulo? nec addiderit cuius rei sit introductio. Responderi potest, vel per Antonomasiã sic inscriptum fuisse ob istius libelli excellentiã: vt dicunt Ammonius, & nonnulli eius lib. interpretes: vel quia ad vniuersam Dialecticam atque adeò ad vniuersam Philosophiam primum aditum patefaciat: vel quia certè ad Chrysaorium scripserat, & subintelligendum erat, ad id quod ille petierat, esse introductionem, videlicet, ad Prædicamenta & Aristotelis Logicam intelligenda.

Inscribitur autẽ à cõplurimis præsertim neotericis, de quinq; prædicabilibus, ab alijs de quinq; Vniuersalibus, q̃ in idẽ fere recidit: nã illa vniuersália sũt, quæ prædicãtur & dicũtur de pluribus: & ideò sunt Prædicabilia, quia sunt vniuersália: de qua tamẽ re postea agemus.

Alij verò qui putant Dialecticam non de rebus, sed de vocibus agere, titulum faciunt iuxta eorum sententiam, de quinque vocibus. Sed in hoc etiã titulo sub

subaudiendum erit aliquid: nempe de quinque vocibus, scilicet, vniuersalibus, seu prædicabilibus. An verò de rebus, seu de vocibus, vel intentionibus, Dialectica differat, supra ostendimus: & diligẽtius paulò post de ea rediseremus. Oẽs autem in hoc titulo absolutè conueniũt scilicet, de quinque vniuersalibus, seu de quinque prædicabilibus, nihil aliud addendo: licet vnus putet has esse res, alius esse tantùm voces.

TEXT. ¶ Cum sit necessarium Chrysaori & ad eam, quæ est apud Aristotelem. Prædicamentorum doctrinam.]

Diximus superius, cùm quæsiuimus, an Logica sit necessaria, quot modis vox necessarium accipiatur: quod hic breuiter repetemus. Duobus etenim modis necessarium dicitur, vt ait Aristot. lib. 5. Meta. cap. 5. vno modo absolutè necessarium: quod, scilicet nõ potest vllo modo aliter se habere. Altero modo ex suppositione necessarium, quod posito aliquo alio, ad id necessariò consequitur: quamuis in se res sit cõtingens, vt si ignis est, necessario calor erit: at calor ipse, & calorem esse contingens est. Est autẽ, rursus hoc ex suppositione necessariũ multiplex, pro suppositionum diuersitate, ex quibus necessario sequitur: videlicet necessarium ex suppositione causæ alicuius efficientis, formalis, materialis, vel finalis, vel etiam alterius rei cuiuscunque suppositione, ex quo aliud necessario consequitur. Sed nos, alijs omissis, de necessario ex suppositione finis, quod ad præsentem difficultatem attinet, dicamus. Necessarium ergo ex fines, seu ad finem est duplex. Alterũ, sine quo is finis obtineri non potest: quod dicitur simpliciter necessarium, vel necessarium ad esse rei, vt cibus necessarius est simpliciter ad vitã sustinendam. Alterum, sine quo non potest cõmodè assequi eiusmodi finis, quãuis simpliciter possit. Et hoc dici solent à Philosophis, necessarium ad bene esse, vel vtile: vt equus ad iter agendũ: nam sine illo iter posset peragi, licet non ita cõmodè: atque ita illud alterum vocari solet necessarium ad esse res, hoc ad bene esse: illud simpliciter necessarium, vt res sit: hoc secundum quid necessarium, vt scilicet, res bene sit, vel bene fiat.

Cognitio quinque vocum quo mõ simpliciter dicatur necessaria.

Deinde aduertendum est, posse nos quærere: vel de hac quinque vniuersaliũ cognitione, an sit necessaria, vel de ipsa Porphyrij tractatione. Igitur tam tractationem Porphyrij, quã ipsam per se notitiã vniuersalium, certũ est non esse absolutè necessariã hominibus: sed ex suppositione duntaxat finis, si velint videlicet Dialecticam, præsertim Aristotelis, addiscere, & alias disciplinas. Sed si de necessitate ad finem loquamur, distinguendum erit: ipsa quidem per se cognitio vniuersalium est necessaria ad eum finem simpliciter: nam tum in Prædicamentis Aristotelex ipsorum frequenter meminit Generis, Speciei, Differentię, Propriorum, & Accidentium, tũ in Topicis & alijs eius Dialecticæ libris: atque ideò necessarium erit omnino, vel tunc simul addisci, vel antea. Si verò de Porphyrij tractatione loquamur, necessaria quidem non est simpliciter: cùm cõstet alium quemuis authorẽ de eisdem vniuersalibus differentem non posse suscipere. Est tamen vtilis valdè, etiam necessaria secundo modo ad bene esse, q̃ magna dexteritate & breuitate de eisdem egerit. Sed nec etiã ipsa per se cognitio vniuersaliũ est simpliciter necessaria, vt addiscãtur ante ipsa Prædicamenta: quãdoquidem in ipsis Prædicamẽtis & alijs libris, cùm occurrerent, addisci possent. Est tamẽ valdè commodum vt prius addiscantur, ne postea in decursu lectionis Aristotelicæ studiosi retardentur. Atq; ita necessariò etiam antea addiscentur ad bene esse, vt melius scilicet, & facilius addiscant.

† Nosse quid sit Genus, quid Differẽtia, quid Species, quid Proprium, & quid Accidens.] TEXT.

Seruauit Porphyrius naturæ ordinem in horum numeratione & tractatione, à

prioribus, scilicet secundum naturam, ad posteriora profectus. nã prius absolutè de ipsis in se vniuersalibus egit: deinde illis constitutis, ea inter se comparauit: prius enim oportet rem esse, deinde ad aliam comparari & referri: res enim primò est in se, deinde refertur ad aliud. De ipsis verò singulis, similiter naturæ ordinem: vt prius intrinseca, quæ ad essentiã rei attinent, referret: nempè Genus, Differentiam, & Speciem. Deinde extrinseca, quę extra essentiam sunt rei. Propriũ & Accidens. Inter intrinseca rursus, priùs partes scientiæ: ex quibus essentia tota constituitur, retulit. Nam ex partibus haud dubiè totum consurgit: & prius oportet partes adsint, quàm totum fiat: quod sine partibus esse non potest. Et in partibus, eam, quæ in potentia prior est, collocauit scilicet Genus, deinde, quæ illi tanquam actus & perfectio aduenit, Differentiam, ex quibus ambabus tota Speciei essentia consurgit, atq; cõponitur. quam tertio proposuit loco. Inter extrinseca quoque primum locum Propria, vtpotè quæ ex ipsa promanent essentia, obtinent. Deinde vltimo quæ extrinsecus ex aliis causis contingunt, Accidentia, tantillum autem in ipsa tractatione, Naturæ ordinem quem hic proposuit, doctrinæ ordine permutauit. Vt de Specie proximè post Genus ante Differentiam, quòd illi esset corollarium, disputauerit.

Ac præterea idé naturæ ordo ex alia quoque causa conspicitur: proportione ad rerum naturalium generationem, & & eius generationis ordinem, à prima origine vsque ad earum perfectionem. Nã in generatione rei cuiusque naturalis, primum est materia in potentia ad formã, deinde in eam ipsa forma inducitur, postea ex materia & forma fit totum compositum: ex composito rursus, ipsius totius essentiæ proprietates emergunt. vltimo tandem accidentium ornatus omni rei superadditur. Atque ita res naturalis vndequaque tota interius exterius q; perficitur. Igitur proportione quadam Genus se habet vt materia, Differentia vt forma, Species vt totum compositũ. Propria proprijs, & Accidentia accidentibus respondent. Atq; ita ordo est, qué Naturæ dicimus, quòd à prioribus ad posteriora Natura progrediatur.

† Et ad definitionum assignationem & omnino ad ea, quæ in diuisione, & demonstratione sunt, vtili istarum rerũ speculatione, compendiosam tibi traditionem feci ens.] TEXT.

Vtilis quidem istorum vniuersalium cognitio est, ad definitiones cõficiendas. fiunt etenim definitiones ex Genere & Differentia, & descriptiones fiunt ex Genere & Proprio, vel Genere & Accidentium collectione. Ad diuisiones quoque vtilis est: nam diuisiones quoque fiunt, Generis in Differentias, vel Generis in Species, & aliquando etiam per propria loco differentiarum: & sunt quoque subiecti in Accidentia, & Accidentis in subiecta, aut accidentis in Accidentia. Vtilis etiam ad demonstrationes, nam demonstrationis potissimæ medium est definitio ex Genere & Differentia constans, & propria aliqua passio demonstratur de Specie in ipsa demonstratione. Accidẽtia deorum cognoscenda erũt vt à demonstratione remoueantur, & quia conferunt plurimum ad rei naturã perfectius cognoscendam.

Sed cur ad hæc vtilem dixit Porphyrius horum cognitionem, non etiam necessariam, cũ nõ sit minus necessaria ad hæc quàm ad ipsa Prædicamenta? facilè respondere potest: vel quia antea vsus fuerat vocabulo necessitatis, noluisse idé iterũ repetere, ne falsidiũ generaret, sed in aliud affine vocabulum, vt solent scriptores, mutare voluisse. vel quia vtile interdum pro necessario accipitur: dicitur enim vtile duobus modis: vno modo pro eo, q alteri conducit, sed nõ est ei omnino necessarium ad esse rei: altero modo, pro eo, q expetitur propter alterũ (de quo loquitur Arist. 3. Eth. cap. 2. sive

sive autem illud omnino necessariũ sit, sicut animali cibus, sive non sit necessarium sicut homini vestis. Aliqui verò distinguunt: aliud, (inquiunt) est dicere vtile ad definitiones faciendas, & diuisiones ac demonstrationes: & ad hoc est vtilis tantum, cùm sine horum vniuersalium cognitione, nonnulli, vt Geometræ & Arithmetici definiant, diuidant, & demonstrent. Aliud est ad artem & præcepta definiendi, diuidendi, & demonstrãdi cognoscenda: nam ad hoc non solum vtilis est, sed necessaria horum vniuersalium cognitio. Id quoque obseruandum erit. Porphyrium non de sua tractatione loqui, sed de ipsorum vniuersalium per se cognitione.

† Tentabo breuiter, velut introductionis modo ea, quæ ab antiquis dicta sunt aggredi: ab altioribus quidem quæstionibus abstinens, simpliciores verò mediocriter coniectans.] TEX.

Hic Porphyrius tractationis suæ modum indicat, & eius aperit institutũ: proponitq; se sub breuitate, & vt introductionis ratio exigit, quæ ab alijs Philosophis dicta sunt, præsertim Peripateticis, allaturũ: obscuriores verò & difficiliores quæstiones, vt potè ad naturalé vel Metaphysicum potius spectantes, prætermissurum: & eas se solum dicturum, quæ faciliora, & quæ ad rem potius spectare videantur, & legentium captum non superent, magisque sint accommodata.

† Mox de Generib' & Speciebus, illud quidé sive subsistãt, sive in solis nudis intellectibus posita sint, & sive subsistentia corporalia sint, sive incorporalia: & vtrũ separata à sensibilibus, an in sensibilibus posita, & circa hæc consistentia, dicere recusabo: altissimum enim est huiusmodi negotium, & maioris egens inquisitionis. Illud verò quemadmodum de his ac de propositis magis probabiliter antiqui tractauerunt, & horum maximè Peripatetici, tibi tunc tentabo mõstrare.] TEX.

Aliquot ex illis difficilioribus quæstionibus, quæ de vniuersalib. fieri poterãt, quas se prætermissurum pollicebatur, reijcit. Prima quæstio est, an Genera & Species existant in rerum natura: an verò sit contra, aliquod figmentum mente & intellectu solum conceptum? vt cùm dicimus: animal vel homo, sit ne aliqua res ille homo cõmunis, & aliud animal commune, an solum generalis sit quædã sola cognitio cum mente nostra, hominis, inquiam, in communi, & animalis in communi? Secunda quæstio est. Esto sint in rerum natura illæ res communes, quas Genera & Species vocamus: an sint corporea, an corporis expertia & incorporea? Tertio quæstio. An existãt istæc Genera & Species in ipsissimet singularibus rebus individuis, quas sensu percipimus: an verò ab istis rebus individuis sint separata. Has quæstiones, quoniam ad Metaphysicum potius spectant, prætermittit Porphyrius: pollicetur autẽ se de ijs tantum tractaturum, quæ vtiliores, & Dialecticis magis accommodatæ videbantur: quæ ab alijs Peripateticis quisquis sint Aristotelẽ, tractatæ fuerunt. Sed tamen quia mens nostra nõ ita his auditis conquiescit, & ob rationes quas iam referemus de istis nonnulla, quantũ satis est Dialectico, magna facilitate, ac pariter breuitate referamus.

QVAESTIONES.

In proœmium Porphyrij.

ERit tripartita disputatio. Primò disseremus de vniuersali in communi. Deinde de primis ac secundis intentionibus, quibus ipsa constant vniuersalia, & alia ad Logicam spectãtia. Tertiò de huius libri subiecto. Postremò vniuersalium facta diuisione, aggrediemur singulorum in particulari tractationẽ, hoc ordine quisequitur.

De vniuersalibus.

¶ Primò. Quid sit vniuersale?

Secundò. Vtrum vniuersalia sint res, an solæ voces vel conceptus?

Tertiò. Vtrum vniuersalia sint in rebus distincta ante operationẽ intellectus?

Quarto.

Quartò. Quomodo respõdendum sit quæstionibus de vniuersalibus à Porphyrio factis?

De secundis ac primis intentionibus.

Primò. Quid sit prima & secunda intentio?

Secundo. Quomodo fiat intentio vniuersalis, & aliæ secundæ intentiones: an scilicet per notitiam absolutã per primam tantum abstractionem, an per notitiam comparatiuam?

De subiecto huius libri.

Primò. An vniuersale sit huius libri subiectum?

Secundò. An sit genus ad illa prædicabilia, Genus, Speciem, Differẽtiam, &c?

Tertiò. De numero prædicabilium, eorumue diuisione: an sint tantũ quinq; vniuersalia, seu quod in idẽ recidit, quinque tantum Prædicabilia? Sed iam de singulis, eo ordine quo proposita sunt, disseramus.

QVAESTIO PRIMA.
Quid & quotuplex sit vniuersale.

QVamuis Porphyrius ab istis de Generibus & Speciebus quæstionibus abstinuerit, id nobis vitio dari non debet, quod de eis disputationem aliquam habeamus: præsertim qui non ad Arist. solum prædicamenta, sed ad totam Logicam & Physicam auditores instituere studemus, quorum vtilitati & in literis progressui nullatenus fieret satis, si quæstiones has, quæ omni doctrinæ maximè sunt necessariæ, in Metaphysicam vsque differremus. Cũ nulla commodior offeratur occasio eas elucidandi, quàm hæc præsens: id quod multi insignes Doctores, inter quos Albertus Magnus, & Boetius sunt, diligenter præstiterunt. Nec tamẽ omnia, quæ in Metaphysica iure dici possunt, sed ea duntaxat, quæ negotio nostro vtiliora fuerint, ac tanta claritate & breuitate, quanta fieri possit, proponemus.

Primò ergo naturæ & doctrinæ ordine, ne in ambiguo versetur disputatio, nobis explicandum est, quid vniuersale, & quotuplex. Vniuersale igitur nomen est multiplex. Vno enim modo sumitur complexè, altero incomplexè. Vniuersale complexum est propositio, cuius veritas ex singularium multorum per se veritate dependet, vt si dicatur, omnis homo currit, siue sit circa res contingẽtes, siue circa res necessarias: quomodo vtitur hoc nomine Arist. 1. Post. c. 7. 1. Meta. c. 1. Vniuersale, inquit, est principiũ scientiæ. Vniuersale incomplexũ est aliquid vnum simplex ad plura ordinẽ habens, quod multiplex esse potest per ordinem multiplicem, quem vnũ ad plura potest habere. Primo enim potest habere ordinẽ causę, siue efficientis, siue finalis: quando vna causa existens plures & varios habet effectus: quo pacto cæli dicuntur causæ vniuersales horum inferiorum efficientes: quia hę omnes res naturales, cęlorum virtute producũtur. Deus etiam est omnium causa vniuersalis efficiens, & finalis, quia omnia ab ipso, vt ab efficiẽte, & ad ipsum vt ad finem supremum & optimum referuntur: & hoc vniuersale cõmuniter dici solet in causando. Secundò dicitur vniuersale, id quod multorũ est similitudo: vt imago est in mente artificis vniuersale, quia multorum artificiatorum exteriorum est similitudo & exemplar, quod etiam vniuersale in repræsentando dici solet. Tertio potest aliquid vnũ existens intelligi multorum esse substantiam: quo pacto Auerroes falsò putabat vnum esse intellectum assistentẽ hominibus: seu potius Plato, vnicam esse ideam hominibus, quæ vna existens omnibus per se dabat hominibus esse. & hoc vocant communiter vniuersale in essendo. Quartò est vniuersale in significando: quo pacto vna vox vnuoca, seu cognitio vna, multa significat, qualis est aliquia communis. Tandem quinto est vniuersale in prædicando scilicet id quod de multis diuisim verè affirmatur, vt homo, qui de Petro & Paulo per se prædicatur.

Vniuersale cõplexum quid sit.

Vniuersale incomplexũ qd sit, & quotuplex.

tur. De his ergo tribus vltimis est inter Philosophos disputatio, & controuersia An id, quod de multis vnuocè prædicatur, sit sola vox, vel conceptus, an sit aliqua natura communis per vocem & conceptum immediatè significata. Quod si natura per vocem & conceptum significata, An talis natura sit per se separata: an in ipsis rebus habeat esse, de quibus prædicatur? Hoc autẽ vniuersale Arist. 1. Perihermenias c. 5. sic definit. Vniuersale est id, quod de pluribus prędicari aptũ est: in qua definitione multæ cõditiones vniuersalis tacitè assignantur. Primum enim debet esse aliquid vnũ in hoc, qđ dicitur (id quod) vnum inquam & nomine & ratione. Sic enim Arist. docet li. 1. Post. cap. 8. & cap. 10. vbi ait, vniuersale esse vnum quid, non solum nomine, sed etiam ratione: hæc ergo particula excludantur primo complexa, quoniam vt talia, non sunt vnum nomine. Excluduntur etiam æquiuoca, quia non sunt vnũ ratione. Analoga verò, quia sunt vnum quidem nomine, & conceptu formali, & ita quodammodo vnum ratione, sed inæqualiter participata, qualia sunt, vnum, ens, bonum, ac similia: ideo ab Aristotele quibusdã locis vniuersalia, ista: scilicet vnum, ens, bonum, vocantur: vt. 3. Meta. ca. 3. & 4. cum ait, ens & vnum esse maxime vniuersalia. & lib. 4. cap. 2. tot ait esse species vnius, quot sunt species entis: quibusdam verò alijs locis, id negare videtur, vt. 4. Meta, cap. 2. cum ait, ens & vnum non esse vniuersalia, & eadem in omnibus, &. 1. Ethico. cap. 6. ait, bonum æquè ac ens, non esse quicquam vniuersale ac vnum: quia in omnibus Prædicamentis reperiantur: sunt enim vniuersalia analoga & transcendentia, non vniuersalia vnuoca, quæ sint verè Genera aut Species. Oportet ergo propriè vniuersale, sit vnum scilicet incomplexum & vnuocum, quod indicauit Aristoteles, cum in eius definitione posuit particulam illã, id quod. Deinde in secunda particula cum dicit (prædicatur) intelligo, affirmatur de pluribus scilicet diuisim: ita vt illa multitudinem habeant in illo nomine. quo pacto hic Deus, non est terminus vniuersalis: quia licet tribus personis cõueniat, non tamen secundum illum recipiunt multitudinem, cum nõ sint plures Dij. Præterea intellige in prædicatione propria & directa, qua superius de inferiori, vel Accidens de subiecto prædicatur. Notandum etiam est Aristotelẽ non definisse vniuersale per actũ prædicandi, sed per aptitudinem: quia non est necesse, vt actu ꝓdicetur, vt sit vniuersale, sed sit aptũ de pluribus prædicari. Vniuersale ergo debet esse incomplexũ, vnum, prædicatum directũ de pluribus in illo diuisim multitudinẽ habentibus. Alterã definitionem vniuersalis attulit Arist. lib. 7. Meta. ca. 13. quæ est eiusmodi. Vniuersale est, quod aptũ est, vt in pluribus insit: quæ quidẽ ab altera in eo differt, quod hæc per causam illa traditur per effectum. Causa enim cur aliquid verè possit de multis affirmari, id eo est, qa illud re ipsa est in multis: alioquin non posset verè de illis affirmari, si in eis non esset: nam quia Petrus est homo, & in eo est natura humana: ideo verè homo de Petro affirmatur: & quia albedo est in subiecto, & ita re ipsa est albũ: id eo de illo albũ dicitur: ab eo enim q̃ res est, vel non est, oratio dicitur vera vel falsa, vt rectè ait idẽ Arist. Cum autẽ hæc definitio ab altera definitione solo verbo, insit, differat: intelligendũ est verbũ, insit, id est, quod verè re ipsi conueniat: id autem siue intrinsecè, & secundũ essentiã cõueniat, vt esse hominẽ, vel rationale: siue extrinsecè & extra essentiã, vt Propria & Accidẽtia rebus ipsis cõueniunt. Atq; ita cum illo effectu prædicationis primæ definitionis reciprocabitur. Nã cum sic insit in pluribus, de pluribꝰ vtiq; verè prędicabitur: & cõtra, si verè de pluribus prędicabitur, verè pluribus inerit. De hoc aũt vniuersali, an sit res aliqua à parte rei existẽs, an solę sint voces vel cõceptus, vel quid aliud, iã videndum est.

QVAE-

QVAESTIO II.

Vtrum vniuersalia sint res, an sola sint vocis vel conceptus.

TItulus ipsæ quæstionis, ex dictis satis est perspicuus, vt nulla alia indigeat explicatione. De isto namq; vniuersali in prædicãdo, quod iam definiuimus, quæritur, num sit in rebus, an in sola tantum mente & cogitatione. & quidem initio, hoc primo notandum est, negari non posse, esse aliquas voces communes & vniuersales, & esse conceptus quoque formales mentis communes & vniuersales. Sed quæstio in hoc versatur, an etiam in rebus ipsis sint vniuersalia, an verò tantum sint voces, vel conceptus.

Fuerunt igitur in hac re tres Philosophorum opiniones: duæ extremæ, & vna quasi media.

1. Opin. Igitur vna fuit sententia Nominalis, quam tradit Ochan suæ Logicæ c.14. & aliorum qui illum sequuti sunt. Vniuersale in prædicãdo esse idem cũ vniuersali in significando, ita vt non sit aliqua natura communis, quæ de multis prædicetur: sed solũ esse vocem cõmunem significantem plura, quæ aliquã inter se habent similitudinem. Sic etiã Buridanus in principio Prædicabilium, inquit: Vniuersale est terminus communis, cui ex modo suę significationis non repugnat prædicari de multis vnivocè & diuisim: & alij pleriq; istius sunt sententię, qui ideo Nominales vocantur, quòd tum hæc, tum alia multa tribuant nominibus.

Hæc opinio probatur 1. Arist. 1 de Anima c. 1. inquit. Vniuersale nihil est, aut posterius est: quod idẽ videtur esse, ac si dicatur, nihil esse vniuersale, nisi vocem, aut conceptũ in repręsentando, vel significando, quod vniuersale posterius est: cũ res sint priores vocibus & cõceptib. Itẽ idem Arist. in Prædicamẽtis cap. de substantia, ait secundas substantias, hoc est, vniuersales significare quale quid: & hoc rebus non conuenit, sed nominibus.

Præterea. Quicquid est in mundo, est singulare, vt experientia patet, ergo nullum est vniuersale.

Tertio. Si aliqua esset natura vniuersalis, vel haberet principium, vel à nullo esset: hoc fieri non potest, omnia enim per Deum principium habent: quod si habet principium, ergo per aliquã actionem incepit esse, ergo est singularis & non vniuersalis, actio enim singularis est 1. Meta. cap. 1.

In oppositа sententia fuit Plato, vt tradit sæpissimè Arist. hic enim singulas substantiæ species posuit naturas separatas quasdam per se existentes, communes & vniuersales, quarum participatione res constarent singulares: & has ingenerabiles & incorruptibiles posuit, Ideas eas vocauit. Huius placiti Arist. 7. Met. à tex. 17. vsq; ad 32. inclusiue, recitat duo motiua, & vtrunq; impugnat. Primo enim Plato motus est ad ponenda ista vniuersalia separata propter scientiam: scientia enim est vniuersalium, & necessariorum, ergo per singula oportet cõstituere vniuersalia, quorum sint scientiæ & definitiones. Secundò propter generationes: cũ multoties videamus ignem à non igne, & alia ànon similibus produci: quod ostendit esse aliquam causam vniuersalem similem, à qua producuntur per sui communicationem. 2. Opin.

Aliqui Platonem interpretantes, asserunt hoc ei Arist imposuisse, inter quos est Augu. lib. 83 quæst. q. 46. dicit Platonẽ per Ideas intellexisse rationes & imagines existentes in mẽte diuina, quę sint idem cum sua essentia, per quas omnia produxit quod idem interpretatur Seneca li. 8. Epist. 66. Deus, inquit, in se rerum exemplа habet, quas Plato Ideas vocat. Sed quicquid de hoc sit, quod parum ad præsens conducit negotium, illa sententia sic secundum Arist exposita, est falsa & impossibilis. Quod primo patet. Nulla quidditas est separata ab eo, cuius est quidditas & natura: sed illa natura est quidditas singularium, ergo non est ab eis

eis separata. Præterea. Nullus singularis homo potest esse cõmunis omnibus hominibus, nam singulare est, quod de pluribus dici, aut prædicari non potest: sed illa Idea hominis, sic per se separata ab alijs hominibus, qui intereunt & corrumpuntur, esset quoddam singulare ab alijs realiter distinctum, ergo illis communis esse non posset. Tertio, Præterea, quod ab altero realiter distinctum est, de illo prędicari, aut dici nõ potest, nec esse idẽ cum altero: imò hoc implicaret cõtradictionẽ esse distinctũ realiter ab aliquo, & esse idem realiter cũ illo. Sed illa Idea hominis, si esset separata ab individuis, per se existens, & per se subsistens, esset realiter distincta à quolibet alio homine particulari & singulari: ergo de illo dici, aut idem ei esse nequiret. Quarto rursus, hæc vera est prædicatio, Petrus est homo: ista esset falsa, Petrus est illa Idea: igitur homo in cõmuni non est illa Idea separata: neque id significatur per vocem hanc, homo, sed aliud quid, quod verè conuenit Petro, & est in Petro: & quod de vno particulari & in vno exẽplo hominis dicimus, de omnibus eadẽ ratione accipiendum est. Quinto, amplius magis intrinseca sunt vnicuiq; rei, quæ ad eius essentiam attinẽt, quàm eius rei accidentia, sed accidentia rei hærent in ipsamet re, ergo multo magis ipsa natura cõmunis, scilicet Genera & Species, quæ sunt rei ipsius essentia. Multis posset hęc sententia redargui: quæ omittatur in locum proprium.

3. Opin. Vniuersale esse naturã quãdam cõmunem. Fuit ergo tertia sententia quasi media inter vtramq; Diui Thomę, Albertini, Scoti, & Realium omnium. Et sine dubio Aristotelis: Vniuersale in prædicando, non solam esse vocem, vel conceptum: sed naturam communem, per vocem immediatè, vel per cõceptum significatam: quia non est tantum realiter à singularibus separata, sicut aiebat Plato sed in ipsis singularibus: quo autem modo, postea declarabimus. Hæc sententia probatur. Primo. Sunt multæ propositiones, in quibus prædicatum nec vocibus, nec singularibus potest conuenire, ergo est natura vniuersalis. Antecedẽs patet: si dicatur, homo est pręstantissima species animalium: prima definitio hominis est animal rationale: sonus est obiectum auditus: in his clarum est, prædicata non voci, sed naturæ communi per vocem significatæ cõuenire. Secõdo. Scientia est de rebus, & non singularibus, ergo vniuersalibus. Maior est Aristo. 4. Meta. ca. 1. & minor ipsius. 7. Meta. ca. 15. Præterea, ex Arist. 7. Met. ca. 13. Itẽ Vniuersale est in illis, de quibus prędicari aptũ est, sed vox non inest, ergo aliqua natura est in eis communis. Illa sententia est vera, & à probatissimis authoribus Græcis, Latinis, Arabibus, recepta. Propter ea positis aliquot fundamentis, aliquibus etiam conclusionibus explicanda erit diligentiùs. Quartò rursus. Idem ex Arist. testimonijs planè conuincitur, vt lib. 1. Periherm. cap. 5. rerum, ait, quasdam esse singulares, quasdam vniuersales, quo nihil apertiùs dici posse videtur, aduersus Nominales: & primo lib. Post. cap. 2. ait vniuersalia esse notiora singularibus: item vniuersale intellectu, singulare sensu cognosci posse. Etc. 7. nec definitionem, nec demonstrationẽ esse de singularibus, & vniuersalia esse perpetua: quæ omnia vocibus conuenire non possunt. Ac præterea quoties Aristoteles disputat contra Platonẽ, vt lib. 7. Meta. ca. 13. & plerisque alijs locis, non eum reprehendit, quòd vniuersales res posuerit: sed quasi supponẽdo quòd essent res aliquæ, reprehendit, quod à rebus separata vniuersalia, quas Ideas vocabat, posuerit, & non potius in ipsis rebus.

Sit igitur primũ fundamentum. Quęcunque res Mundi adinuicem conueniunt, & adinuicẽ differunt: vt patet, si vniuersa considerentur. Petrus & Paulus vterq; est homo, licet particulariter differant: similiter, planta & animal, vtrumque viuens: intellectus autẽ noster quandoq; percipit id, in quo multa conueniunt 1. Funda. Res mundi inter se & conueniunt, & differunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ueniunt & sine differentia: & tunc illud, in quo multa conueniunt, nude consideratum, dicitur vniuersale. Vnde vniuersalia secundum Aristotelem, sunt collecta ex particularibus in intellectu, qui accipit inter ea conuenientiam, & eã facit intentionem vnam. Plato ponebat vniuersalia extra animam existentia.

1. Funda. Potẽtias nostras cognoscẽdi esse finitas.

Sit secundum fundamentum, quo natura abstractionis, per quam vniuersale fit, manifestatur. Omnis nostra potentia cognoscitiua tam sensitiua, quam intellectiua limitata est & finita: ita vt vnum possit percipere, non aliud: verbi gratia, visus videt colorem, non odorem: gustus sentit saporem, sed non sonum: intellectus cognoscit primo communia, nõ singularia: inuenitur autem hoc passim in rebus, vt multæ res diuersæ sint, & coniunctæ sint, vt in pomo simul sunt substantia ipsius, color, odor, sapor, quantitas, humiditas, quæ omnia clarum est, esse inter se longe diuersa: ex his duobus fit, vt quando aliquid huiusmodi nostræ potentiæ cognoscitiuæ limitatæ cognoscendum proponitur, ipsa tantum percipiat, quod suum est cognoscere, omittat autem alia, quæ sua non sunt: verbi gratia, visui proposito pomo, visus ex omnibus his, quæ sunt in pomo, non percipit nisi colorem propriè: non odorem, gustus saporem, sed non colorem. Istæ cognitiones si considerentur ratione eius, quod per illas cognoscimus, dicũtur sensationes, si fuerint sensus: intellectiones, si fuerint intellectus: at si eædem cõsiderentur quatenus suum obiectum percipiunt, vt multa alia, quæ ibi erant, manent incognita, dicitur abstractiones: Abstractio enim non aliud est, quàm cognitio vnius, non cognitis his, quæ cum coniuncta erant: nec oportet existimare quòd ibi fiat aliqua separatio realis: non enim mutatur color pomi, per hoc, quod à pomi qualitatibus alijs cognoscatur seiunctus: sed dicitur abstractio similitudine quadam ad abstractionem, quę in rebus fit: isto modo etiam intellectu abstrahimus, dum vnum absq; alio coniuncto intelligimus, licet multum sit inter sensum & intellectum discriminis, à nobis modo prætermittendum. Vnum tamen ad notãdum est: quod sensus rem cognoscit vnam absque alijs, nõ tamen componit affirmando aut negando: vt visus videt colorem absque odore pomi, non tamen affirmat vel iudicat: color non est cum odore: atque ideo qui colorem solum percipit, non decipitur, aut habet falsitatem, quia falsum & verum in iudicio solo componente consistunt ita intellectus aliquando intelligit rem vnã absque alia, non tamen componit & diuidit vt quando simplici cognitione cognoscit hominem non cognitis eius accidentibus: & ista dicitur abstractio precipua, & in hac non est deceptio, vt docet Boe. hoc proœmio, & Aristo. 2. Phy. cap. 2. abstrahentium, inquit, nõ est mendacium: & Auer. 12. Meta. com. 39. intellectus, inquit, noster natus est adunata in esse, diuidere in ea, ex quibus cõponuntur licet non diuidantur inesse. Aliam tamen præter hanc propriam habet intellectus abstractionem, qua compositè vnum ab alio diuidit, vt quando iudicat homo non est coloratus, & hæc dicitur abstractio negatiua: in qua potest esse verum & falsum. Nec de ista in præsenti loquimur, sed de simplici, in qua error & falsum non est: quamuis aliter quã sint res per talem abstractionem intelligantur, sicut in sensu non est falsum.

Abstractio sensus & intellectus quid sit.

Sit tertium fundamentum. Triplex est potentia in nobis per quam cognoscimus: sensitiua exterior, id est, visus, auditus, & reliqui sensus exteriores. Sensitiua interior, scilicet imaginatiua per quã absentia imaginamur. Tertia intellectus, quo rerum naturas cognoscimus. Vnaquæq; autem harum potentiarum non percipit suum obiectũ, nisi prius recepta similitudine illius, quæ vocatur species: hæc autem similitudo non repræsentat aliud, quàm q. à tali potentia percipi potest, v.g. Species pomi, quam visus recipit,

3. funda. Potentiã qua cognoscim⁹, esse triplicem.

pit, repræsentat visui colorem pomi cũ figura & loco & præsentialitate. At species quam recipit gustus, repræsentat saporem in corpore illo præsenti, non autem colorẽ. Vnde potentiæ cognoscũt id, quod per talem speciem repræsentatur: & cùm in specie repræsentetur vnũ, non aliud, dicitur potentiæ abstrahere, quando cognoscunt: sed prior abstractio est in specie repræsentante vnum, non autem aliud: ista autem species non eodem modo fit, nec eodem modo repræsentat in his potentijs: sed in sensu exteriori, producitur ab obiecto exteriori v.g. in oculo, à re colore affecta: in odoratu, à re odorifera: at in sensu interiori ab ista specie recepta in sensu exteriori producitur alia similis in interiori, quæ idẽ obiectũ repræsentet, & talis species dicitur phantasma: at ex isto phantasmate virtute quadã animæ, quæ dicitur intellectus agens, producitur alia species, quæ recipitur in intellectu qui vocatur possibilis: & iste per talẽ speciem intelligit rẽ in ea repræsentatã. Istæ species nõ eodẽ modo repræsentant: propterea non est eadem abstractio in sensibus, & in intellectu: in sensu enim exteriori repræsentat rem ratione alicuius qualitatis, scilicet coloris, vel saporis, vel odoris: tamen repræsentat rem cũ loco, & figura, & rem præsentẽ: propterea sensus exterior per illam cognoscens, abstrahit ab his, quæ in ea non repræsentantur: cũ autem repræsentet rem præsentem, sensus exterior non abstrahit à præsentia rei: at species sensus interioris abstrahit à præsentia: quia non repræsentat rẽ præsentem & actuè existentem: vnde absentia, & præterita sensu interiori imaginamur, non autem sensu exteriori percipimus: at species intellectus repræsentat rẽ non repræsentata singularitate cum qua erat: v.g. phantasma repræsentabat hunc hominem: at species intellectus repræsentat hominem: vt sicut species coloris repræsentat oculo colorẽ, non saporem, ita species intellectus repræsentat naturã, non autem singularitatẽ, per quam erat singularis, quia repræsentat naturã, non repræsentando locũ, aut figurã, aut colorẽ, quæ repræsentabat phantasma: & cùm talis natura in specie repræsentetur, nõ repræsentatis alijs omnibus: ita intelligitur. Et talis abstractio dicitur à singularibus: ex quo fit, vt illa natura fiat vniuersalis: nõ quod in se sit vniuersalis, sed q ab intellectu cognoscatur tanquam vniuersaliter, dum cognoscitur separata à singularibus: & hoc est, quod dicitur, vniuersale fit per abstractionẽ intellectus, vel per abstractionem speciei à phantasmatibus: sicut color dicitur separatus ab odore, non quod ita fit, sed quod videatur non viso odore: ita fit natura vniuersalis, nõ quod fit, sed quod intelligatur, nõ cognitis singularibus, & inde dicitur esse vniuersale per intellectum.

Sit quartum fundamẽtum. Vniuersale duo habet in se, materiale, scilicet, & formale: vt enim album pro materiali dicit corpus, at pro formali dicit albedinem. Ita vniuersale in materiali significat naturam illam, scilicet hominem & leonẽ, in formali verò ordinem ad plura. Ista verò natura in ipsis singularibus est, scilicet homo, in Petro, Ioanne, Cęsare: nec reperitur vna omnibus cõmunis: at quãdo talis natura separata intelligitur, tam est communis, & vniuersalis, & per talẽ intellectionem, cõmunitatem, & vniuersalitatem, acquirit ab extrinseco. propterea fit ab intellectu vniuersale, nõ quod fiat natura & materiale vniuersalis, illud enim in rebus est, tamen nunquã acquirit vniuersalitatem quousque talis natura per intellectum abstrahitur: id est, intelligitur, non intellectis differentijs singularibus: propter quod Auer. 1. de Anima, com. 8. intellectus, inquit, facit vniuersalitatẽ in rebus: nec propterea existimandum est istam vniuersalitatẽ esse in rebus ipsis intrinsecam, sed est relatio & proprietas quædam extrinseca, cõsurgens ex hoc, quod intellectus cognoscit rem, non cognitis singularibus differentijs:

4. Funda. Vniuersale quot in corpus se cõplectatur.

Natura vt fiat vniuersalis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tijs: quæ proprietas habet solũ esse per intellectus cõsiderationẽ: & propterea dicitur ens rationis, vt inferius dicemus.

1. Cõclu. Ex his fundamentis colligitur prima conclusio, Vniuersalia pro materiali, q̃ fundamentũ dicitur, sunt in rebus, scilicet naturæ ipsæ factæ singulares.

2. Cõclu. Secunda cõclusio. Tales naturæ dicuntur vniuersales per intellectum considerantẽ illas, non cõsideratis singularibus.

3. Cõclu. Tertia conclusio. Vniuersalitas consurgit rei ab extrinseco, ex tali intellectus abstractione.

4. Cõclu. Quarta conclusio. Talis vniuersalitas est quidã respectus, & relatio, qua natura intellecta abstracta ad plura inferiora refertur, de quibus prædicari potest.

5. Cõclu. Vltima conclusio. Tunc res primo dicitur vniuersalis, quando in specie intellectus repræsentatur non repræsentatis singularibus: secundo autem quando cognoscitur non cognitis etiam eisdem singularibus. Per hęc patet solutio ad argumenta Nominalium.

Ad 1. Ad primum respon. sensum Aristotelis hunc esse: nullam esse naturam communem & vniuersalem separatam: quòd si esset, posterius est, id est, per intellectũ abstrahentem illam à singularibus præexistentibus. Ad aliud testimonium Arist. ex lib. Prędicam. respondetur: omnia ferè quæ in Prædicamentis tractat, esse de rebus ipsis vt cõstat, & in eodẽ capite differunt de ipsa substantia reali. Sensus ergo fuit Arist. secundas substantias, id est, nomina secundarum substantiarum significare quale quid: primas verò substantias, id est, nomina primarum substantiarum significare hoc aliquid: sed res ipsas esse primas substantias, & in eis esse secundas substantias.

Ad 2. Ad secundum respondetur, cõcedendo, nihil esse in rebus ipsis secundum se vniuersale separatum, tamen per considerationem sunt naturæ vniuersales.

Ad 3. Ad tertium etiam est facilis solutio: actiones enim sunt rerum per se existentiũ, hæ autem omnes sunt singulares: at vniuersale in rebus nullum per se existit, sed sunt ipsa singularia, solum intellectu vniuersaliter res appręhenduntur, & horum nulla est generatio, sed vt in singularibus sunt.

Nec argumentũ Platonis quicquam valet: nam licet corrũpatur ille, vel ille homo, iste vel ille equus, semper tamen manet equus, qui idem est in hoc & in illo. Semper etiã manent propositiones, homo est animal rationale, equus est hinnibilis, quod sufficit ad scientiam. Similiter nec secundũ valet, quia vnũquodq; producitur à suo simili, vel formali, vel in virtute: sed de hoc alibi dicendum.

Possunt aũt omnes opiniones ex parte quadam cõciliari: si dicamus esse vniuersalia quædam in voce, videlicet voces specificas, & genericas &c. imò etiam interipto simili modo: & esse etiam vniuersalia in mente, conceptus, videlicet intellectus formales, specificos, & genericos, &c. quæ possit dici vniuersalia formalia. Esse præterea vniuersalia in rebus, rerum videlicet ipsarũ genera & species realia, &c. quæ possunt dici vniuersalia obiectiua, quia sunt ipsarum cognitionum vniuersalium obiecta: nam profectò voces ipsæ in voce prædicantur de pluribus, & subijciuntur: & conceptus in mente prędicantur & subijciuntur, & res ipsæ per conceptus subijciuntur, & prædicantur. Demũ esse quoq; separata à rebus alia vniuersalia, scilicet Ideas in Deo ipso videlicet, & mente diuina, vt aliqui Platonem interpretantur, atque ita omnia conuenirent veritati.

QVAESTIO III.

Vtrũ vniuersalia sint in rebus distincta, à re intellectus operantem.

HVIC quæstioni partim videtur satisfactũ ex præcedẽtibus quæ nuis illic solum intendimus præcipuè ostendere, vniuersale nõ esse realiter separatũ à singularibus: hic verò disputatur: constituto iam, quod vniuersale non sit realiter extra

extra singularia scilicet, sola intellectus, operatione, quod omnes Peripatetici admittunt. Dubitatur, an sit in singularibus aliqua natura, quæ secundum se sit vniuersalis, & non ex operatione intellectus: pro cuius ad huc maiori explicatione ne ea aduertendum quòd aliqua rei natura, puta hominis, leonis, aut iguis, potest tripliciter cõsiderari. Vno modo, vt in singularibus. & in diuiduis est contracta, & determinata singularibus differentijs. Altero modo, vt repræsentatur in specie intelligibili, siue vt cognoscitur ab intellectu denudata à talib⁹ differẽtijs. Tertiò modo potest secũdũ se, & suã subsistantiam considerari. Quã triplicem cõsiderationem expressit Auic. in suæ Logicæ cap. 1. Si primo modo cõsideretur: nõ dubium est, quin sit singularis, homo enim cũ differẽtia singulari est Petrus, aut Ioannes, aut aliud indiuiduum: at si consideretur vt est in intellectu cognita, aut repręsentata, nõ dubium, quin sit vniuersalis, & habeat quandam relationẽ & ordinem ad multa, quæ relatio dicitur vniuersalis Natura ita q; primo modo dicitur vniuersale in potentia remota, natura secundo modo est vniuersalis actu separata iam per intellectum ab indiuiduis: at si consideretur tertio modo est difficultas, an talis natura secũdũ se sit vniuersalis, id est, habeat aptitudinem, vt participetur à pluribus, quod vocãt aliqui vniuersale obiectiuum, seu in potẽtia propinqua.

Natura rei cuiusque trib⁹ modis potest spectari.

4. opin. Scotus. 7. Metaph. q. 16. & 2. sen. d. 3. q. 1 quem sequitur Paulus Venetus quæst. de vniuersalibus, item ante hos Albert. libro. 1. dist. tract. vltim. c. tertio & dicit esse hanc opinionem Realium, asserunt, quod natura rei, si secundum se consideretur, habet aptitudinem quandam, vt ei non repugnet à multis participari: verbi gratia, natura hominis, quæ est, in Petro vt natura hominis est, una est, vt sit in Ioanne, Paulo, & quibuslibet similibus proinde est vniuersalis, quamuis non actu, quousque per intellectum separetur à singularibus. vnde duas vnitates ponit in rebus ante operationem intellectus, vnitatem numericam, quã habet natura per hoc, quòd cõtrahitur ab indiuiduali differentia: & aliam specificam, seu genericam, secundum quam natura in se, & sua subsistantia consideratæ vna est specie, vel genere. Huius sententiæ est primum argumentum.

Obiectum præcedit actum potentiæ, sed vniuersale est obiectum intellectus, ergo præcedit operationẽ intellectus, ergo vniuersale est antequam intellectus, operatio sit. Maior patet, color eñ prior est visione, & sonus auditione. Minor verò est Arist. 1. Phys. c. 5. in fine.

Præterea, Secundò natura humana secundum se est indifferẽs ad plura, nõ magis vt sit Petrus, quàm Ioannes, ergo secũdum se est apta vt sit in pluribus.

Præterea Tertio, Seclusa operatione intellectus illę omnes propositiones sũt veræ, Petrus est homo. Ioannes est homo, Cæsar est homo, ergo seclusa operatione intellectꝰ est aliqua vna natura in eis cõmunis, quæ de ipsis prædicetur.

Præterea Quartò. Natura secundum se sumpta est ens, ergo est vna. Non numero, quia secundum se non est singularis, ergo specie, ergo illa natura secũdũ se est communis prior consequentia patet, quia ens & vnum se mutuo sequuntur. 4. Meta. cap. 2.

2. opinio Opposita sententia est S. Tho. in opusculo de ente & essentia. cap. 4. & aliorũ, qui eum sequũtur: cuius placitũ hoc est. Natura quælibet secundũ se sumpta, nec est vna numero, nec specie, nec vniuersalis, aut particularis, sed ei cõueniunt sua prædicata essentialia, scilicet genus, differentia, & proprium: accidit ei, quod sit vna numero, quatenus est in hoc, vel illo indiuiduo: similiter accidit, quod sit vniuersalis, quatenus per intellectum considerantur abstracta: verbi gratia, homo secundum se solum habet, q̃ sit substantia viuens, animal rationale, visibile &c. essentialia: vt autem est in Petro, est vnus,

 nume-

Universidad de Deusto
Biblioteca

numero,& particularis:vt per intellectū solitarie cōsideratur,est vnus species,& vniuersalis. Ista videtur expressa sententia Auic.5 Meta.cap.5. Equinitas,inquit id est,natura equi secundum se,est tantū equinitas,nec vna,nec plures,nec vniuersalis,nec particularis.

Hæc opinio probatur. Si natura aliqua,puta hominis,secundū se est vniuersalis,ergo nullo pacto posset fieri particularis,sed natura hominis,in Petro est particularis,ergo secundum se nō est vniuersalis. Cōsequētia est certa:& minor patet:maior probatur. quia cui vnum oppositum per se competit,alterum oppositum cōpetere nequit, at vniuersale & singulare opponuntur. Secundò q̄ per se competit naturæ,prædicatur de illis, quibus talis natura competit. Si natura hominis per se est vniuersalis, ergo Petrus,qui est homo,erit vniuersalis,quod absurdum est.

1.fundā. Quot modis aliquid dicatur esse in intellectu.

Circa huius quæstionis dissolutionem sit primum fundamentum. Tripliciter aliquid dicitur esse in intellectu,vno modo subiectiuè,scilicet ea,quæ ei insunt,vt accidēs in suo subiecto: quo pacto scientiæ & species intelligibiles,& conceptus dicitur esse in intellectu,quia ei insunt sicut albedo corpori:altero modo aliquid dicitur esse in intellectu,sicut effectus in causa,nimirum quia intellectus est causa eorum:quo pacto dicitur,domus est in mente artificis,quia mēs artificis est prima causa domus:sed iste modus est extrinsecus,quia domus facienda, secundum suum esse,nō est in ipso intellectu subiectiuè. Tertio modo aliquid dicitur esse in intellectu obiectiuè,illud scilicet,q̄ ab intellecta cognoscitur:quo pacto omnia,quæ intellectus cognoscit, dicuntur esse obiectiuè in intellectu non quod ipsi inhæreant,sed quòd pars in sua operationem intelligātur:vnde res,quæ est extra intellectum quando cognoscitur,dicitur esse obiectiuè in intellectu. Horum igitur,quæ obiectiuè sunt in intellectu, quædam habēs esse in se,licet nō eo modo,quo intelliguntur:vt homo,animal, albedo,habent esse obiectiuè in intellectu & in se,quamuis non sint separata sicut intelligūtur:quædam non habent aliud esse in se,quam cognosci,& ista dicuntur habere solum esse obiectiuè in intellectu sicut Chimera,& ea,quæ nō sunt quando à nobis cognoscuntur: horū verò quæ obiectiuè tantum habent esse in intellectu,quædam sunt obiectiuè directè,nempe ea,quæ per talem intellectus operationem cognoscuntur,vt Chimera Antichristus:quædam habent esse obiectiue indirectè & consequenter,scilicet illa quæ nō sunt nisi aliqua existente operatione intellectus,licet non per illam eandē cognoscantur,sed consequuntur ad rem ipsam cognitam obiectiuè existētē in intellectu.vt quando intellectus cognoscit hominem,resultat quædam relatio vniuersalitatis,hominis intellecti in communi,quæ non habet esse,nisi solum obiectiuè in intellectu:tamen indirecte:quia quando ego hominem considero,non considero tunc eius vniuersalitatē:hoc igitur est discriminis inter naturā rei,& eī vniuersalitatē q̄ naturæ est in reb9. & etiā obiectiuè in intellectu:at vniuersalitas nō est nisi obiectiuè in intellectu. Præterea, natura est obiectiuè directè,vniuersalitas aūt indirecte.

2.fundamētū, natura vt sit vniuersalis,duo quirūtur

Sit secūdum fundamētū. Vt aliqua natura sit vniuersalis,duo necessaria sunt alterū vt sit vna,si enim essent multæ naturæ,nihil esset,quod à multis participaretur, quoniam vnum participaret vno,aliud alio & hoc significat Aristoteles dum dicit esse vnum potentia multa: hoc tamen nō sufficit, sed est necessaria aptitudo,vt possit pluribus inesse: quod docuit.7.Meta.cap.13. Vniuersale est aptū esse in pluribus:ita vnitas cum aptitudine,vocatur vnitas specifica,seu generica,seu vnitas vniuersalis:id sit hoc pacto cū nō reperiat in rebus natura cū tali vnitate,non est ea ratione vniuersale in rebus:natura enim quælibet est singularis,nec sit vna communis,nisi quando ab omnibus separatur,& intellectu representatur,& cognoscitur:tūc enim habet esse quoddam commune:ante intellectū autem operationē,natura ex se vna est, sicut quælibet res est vna trascendentali vnitate tantū,re non est distincta ab vnitate indiuidui nisi intercedente intellectus operatione,per quam cōsideratur natura non considerata singularibus,& tunc talis vnitas est communis,& natura dicitur vniuersalis,& hæc est opinio S.Tho.quę magis Peripatetica est: nec argumenta Scoti aliquid probant.

Ad.1. Ad primum dicitur negando consequentiam: vniuersale enim est obiectum intellectus possibilis,& intelligentiæ,& huius operationem præcedit vniuersale,quia,vt diximus,vniuersale statim est,ac representatur in specie intelligibili,quæ prior est ipsa intellectione:si vero argumentū probet,quòd vniuersale est ante intellectus agentis operationem,per quam abstrahitur species,vel genus:falsum est: nā intellectus agens est potentia actiua,& obiectum potentiæ actiuæ non præcedit eius operationem,sed per eam fit:antea vero solum erant res ipsæ indiuiduæ,hic homo,& ille homo,ille scilicet naturæ factæ singulares,& determinatæ,& contractæ differentijs indiuiduantibus, ex quibus intellectus abstrahit species illas intelligibiles representantes vniuersale.


Ad.2. Ad secundum negatur consequentia: natura enim vt sit vniuersalis,debet esse apta vt sit in pluribus:at secūdum se nec est apta,nec ineptа:sicut homo ex natura sua neque est albus:nec non albus sed natura,si per intellectum consideretur, est apta vna ad plura,in rebus vero est singularis:& est magna fallacia argumenti in reduplicatiuis argumētari à negatiua ad affirmatiuā,vt homo secūdū se nō est albus,ergo secūdum se est non albus.

Ad.3. Ad tertiū, Illæ omnes propositiones sunt veræ,quia natura humana est in omnibus indiuiduis,licet in vno quoq; sit vna numero facta:quòd si est vnum prædicatum,id fit, quia per intellectum abstrahitur:prædicatio enim non fit, nisi interueniente intellectus operatione.

Ad quartum,hæc facilis solutio,natura enim secundum se est vna, sed illa vnitas non est communis,sed ea qua vnumquodque in se ipso consideratum, est vnum. Ad.4

QVAESTIO. IIII.

Quomodo respondendum sit quæstionibus à Porphyrio factis.



X his,quæ in hac quæstione & præcedenti dicta sunt,possumus quæstiones à Porphyrio positas soluere.

Ad primam enim dicimus vniuersalia non subsistere per se extra intellectum nec similiter sunt quid ab intellectu fictum,sed sunt naturæ existentes in rebus separatæ tātum à singularibus per intellectum,& hoc significat Aristoteles cum dicit vniuersalia non esse substantias,id est non subsistere per se.3.Meta.tex.10.& lib.7.tex.45.& lib.13.c.10. subsistūt enim in singularibus,quæ si fuerint substantia, & vniuersalia,ad substantiam pertinent, vt homo,leo,animal.si accidēs,ipsa sunt accidentia,vt albedo,color, quātitas.

Corpus quibus modis sumatur.

Ad secundam quæstionem Respōdeo corpus aliquando sumi pro trina dimensione,scilicet latitudine,longitudine,& profunditate,incorporeū autem pro eo quod quātitas non est. Altero modo pro substantia indiuidua corporea habenti hanc dimensionem,scilicet ligno hoc, vel illo,Petro,Ioāne. Tertio modo pro cōposito ex materia & forma. Vniuersalia non sunt corporea primo,& secundo modo accepta,quia nec sūt quātitas,nec substantiæ indiuiduæ:at verò tertio modo essent quædam corporea,scilicet illa quæ haberent materiā,vt homo,& animal,& leo:quædam alia essent incorporea,quæ scilicet non habent materiam, vt angelus & spiritus.

Ad tertiū Respon. Vniuersalia ista corporea nō esse separata à sensibilibus sin

Universidad de Deusto
Biblioteca

gularibus, sed solũ per intellectus operationẽ intelligẽtis naturã, nõ cognitis singularibus differẽtijs. Ex dictis intelligimus, q̃ soleant à Philosophis appellari vniuersalia ante multa, in multis & post multa: vniuersalia si quidẽ ante multa, si q̃ essent, illa essent ideæ Platonis: in multis, sunt res ipsæ, seu rerũ naturæ in ipsis rebus existẽtes, vt ait Aristoteles. Vniuersale vero post multa est ipsa vniuersalitatis ratio per intellectũ facta: ac de his hactenus.

De primis & secundis intentionibus.

QVAESTIO PRIMA.
Quid sit prima & secunda intentio.

CVm frequenter in hac materia, & in reliquis mentio fiat primæ, & secundæ intentionis, vtile erit, si, q̃d sint, & in quo inter sẽ differant, semel dixerimus. Intentio igitur in vniuersum, si vim nominis spectemus, nihil aliud est, quàm actus mẽtis nostræ, quo in aliquid tendit: atque inde dicta intentio, quòd in aliud aliquid mens tendat: hinc etiã pro ipsa re, in quam tendit, quoque accipitur: atq; ita apud Philosophos, tũ actus ipse mẽtis, tum res in quam fertur per illũ actum, intẽtio vocari consueuit: est enim frequens vt nomine actionum vocemus obiectum ipsius, & cõtra, ex inopia nominum hinc factũ est, vt duplex dicatur intentio, scilicet formalis & obiectiua: formalis est ipse actus, obiectiua est ipsum obiectum, scilicet res ipsa, in quã fertur talis actus, res inquam obiecta, vt obiecta est.

Iam verò voluntatis intentio ad Morales Philosophos spectat, quæ est actus voluntatis, quo finem volumus: de qua nihil ad Dialecticum. Intellectus verò intẽtio, quæ ad nostrum attinet institutum nihil est aliud, quàm conceptus, seu cognitio ipsa intellectus, qua rem sibi obiectam cognoscit, vt quo Solem, verbi gratia percipit, cuius obiectum ipse est Sol: ac ita prima intẽtio formalis, ipse actus, secunda intẽtio obiectiua, dicitur ipsum obiectum cognitum: hæc etiam, quod in idem omnino recidit, vocantur & vocari consueuerunt cõceptus formalis & cõceptus obiectiuus.

Sed rursus, vt antea dictum est, in re cognita, quam vocamus intentionem obiectiuam, seu conceptũ obiectiuum, resurgit quidam respectus eatenus, quatenus inquam cognita est, quem vocamus, ens rationis, quod ad ipsam operationẽ intellectus consequitur, & hic dici potest secunda intentio obiectiua, quãdo ipsemet per reflexam cognitionẽ cognoscit vt verbi gratia cum de vniuersali, & modo, quo fit, diceebamus, intellectum cognoscere rem aliquam, non intellectis cõditionibus indiuiduantibus, ex quo talis natura fit cognita, seu potius per speciẽ repræsentata, fit vniuersalis, & resultat illa vniuersalitas, quæ dicitur ens rationis: similiter resultant alia, scilicet ratio speciei & generis, ac (vt ita loqui liceat) ipsa generalitas, & varia entia rationis.

Igitur in ipso vniuersali, naturæ ipsæ primo cognitæ & repræsentatæ, dicuntur primæ intentiones obiectiuæ: illa verò entia rationis secũdæ intẽtiones obiectiuæ: intellectus autem non solum cognoscit naturas, & primas intẽtiones, sed postea reflectitur, & cõsiderat ipsam vniuersalitatem & secundas intẽtiones: illa ergo cognitio, qua cognoscit rẽ, seu primam intentionem, dicitur prima intentio formalis, seu conceptus, seu notitia prima formalis: illa autem [illegible] entia rationis cognoscit, dicitur secunda intentio formalis. Quadruplex ergo intẽtio intellectus reperitur, videlicet prima obiectiua secũda obiectiua, quæ conceptus obiectiui dicuntur, deinde prima formalis, secunda formalis: inter duas priores & duas posteriores est hoc discrimen, vt diximus, quòd priores intentiones sunt res cognitæ, posteriores sunt ipsæ notitiæ & cognitiones per quas intelliguntur. Secundum est discrimen, quòd intentio formalis est subiectiuè in intellectu,

lectu, quia est operatio ipsius intellectus & accidens realeat prima & secunda intentio obiectiua non est subiectiue, sed obiectiue in intellectu, licet cum discrimine: nam prima est etiam in rebus, propterea est ens reale, at secunda est obiectiuè tãtum, & ens rationis. Sicut autem de cõceptibus diximus, ita de nominib⁹, quæ illis respondent, dicendum, esse nomina primæ intentionis, & nomina secũdæ intentionis. Ex his præterea possumus colligere, vniuersale pro materiali quidẽ esse primã intentionẽ, pro formali esse secundam intentionem.

QVAESTIO. II.
Vtrum vniuersale & aliæ secundæ intentiones fiant per notitiam comparatiuam intellectus.

VIdendum est iam, quomodo fiant secundæ intentiones, tum vniuersalis, tum aliorum, an per notitiam absolutam, an per notitiam cõparatiuã. Igitur notitia ipsa est intellectus operatio, qua rem cognoscimus. Dupliciter autem possumus rem cognoscere: vno modo in se, nõ cognoscẽdo illã in ordine ad aliud vt quando cognosco hominem secũdum se, albũ, animal & talis cognitio dicitur, notitia absoluta: altero modo possumus rẽ cognoscere in ordine ad aliud, vt quãdo cognosco naturã humanam conuenire multis indiuiduis, naturam animalis multis Speciebus & Accidens in esse subiecto: & talis cognitio dicitur notitia cõparatiua. Ex his patet sensus quæstionis, cum natura in rebus non sit vniuersalis actu, nec Species, nec Genus, quousque accedat operatio intellectus abstrahẽtis.

Quæritur, an res dicatur vniuersalis, Species aut Genus, quãdo notitia absoluta cognoscitur per primã abstractionẽ duntaxat, an quando cognoscitur notitia comparatiua, scilicet in ordine ad inferiora? Sunt multi, qui asserunt has secundas intentiones non resultare, quousque res cognoscatur notitia comparatiua: verbi gratia homo non dicitur vniuersale, quousque cognoscatur ab intellectu pluribus conuenire, nec Species, quousque cognoscatur de pluribus numero differẽtibus prædicari. Sed iudicio meo, ista opinio peccat in æquiuocatione, vel est falsa: aliud enim est, vniuersale esse Speciem, aut Genus esse, aliud est cognosci: vniuersale quidem Species & Genus sunt, simul atque intellectus cognoscit naturam, non intellectis inferioribus, quæ inferiora, si fuerint indiuidua immediata, talis natura dicetur Species: si vero inferiora fuerint Species, dicetur Genus immò prius natura ante cognitionẽ sunt in specie intelligibili repræsentãte naturã absque inferioribus: at ista non cognoscuntur ab intellectu, esse vniuersale genus, aut speciem, nisi per notitiam cõparatiuam, vt explicuimus. Et hoc est argumentum magnum contra illam sentẽtiam, quòd natura non dicitur vniuersalis, Species, aut Genus, eo quòd actu prædicetur de pluribus, sed quòd aptum sit proximè de pluribus prædicari: vnde quãdo in specie intelligibili repsentatur, vel actu, & notitia absoluta cognoscitur, est aptum proximè de pluribus prædicari, quãuis actu non nisi per notitiam comparatiuam de pluribus prædicetur.

De subiecto huius libri.

QVAESTIO. PRIMA.
Vtrum vniuersale sit huius libri subiectũ.

POstquam de vniuersalibus, & primis ac secundis intentionibus egimus, tunc videndum est, An vniuersale sit huius libri subiectum. In qua quæstione, primum oportet cognoscere discrimen inter vniuersale & prædicabile. Vniuersale est, quod aptum est esse in multis, vt antea dictum est, siue quod à multis participari aptum est: illa autẽ, quæ vniuersalis ratione participant dicuntur singularia, siue nihil vniuersalis: hoc enim respectu magis vniuersalis singulare quodammodo dicitur. At prædicabile dicitur, quod aptũ est de pluribus prædicari et sic refertur ad subij

cibile. Igitur quòd vniuersale nõ sit subiectum huius libri, apparet.

Primo, quia nullam in hoc libello eius Porphyrius fecisse mentionem, videtur: cum tamen si esset subiectum, præcipua de illo deberet esse tractatio, & de illo passiones tradi & demõstrari oporteret.

Secundò, si esset eius subiectum, aliæ scientiæ nõ tractarẽt de vniuersalibus, at Aristoteles tum in Topicis egit de Genere, Specie, Differẽtia, Proprio, Accidẽte tũ in 7. Met. c. 13. & sequẽtibus de vniuersalibus disserit. Immò verò omnes scientiæ de vniuersalibus agunt, vt idem Arist. sæpe decet, præsertim. 1. Poster. c. 7. & 2. de anima. c. 5.

Tertiò videtur potius Prædicabile esse subiectũ & nõ vniuersale: quia hic Porphyrius tractat de indiuiduo, q. ait esse quod de vno tãtum prædicatur: at indiuiduum, vt constat, non est vniuersale, sed singulare, est tamẽ quoddã prædicabile, scilicet de vno tantum.

Quartò, quia tam Genus, quã Speciẽ, quàm Propriũ, quàm reliqua definit Porphyrius per prædicari, non per esse vniuersale, vt constat, ergo potius erit prædicabile genus, & non vniuersale.

Quintò. Omnis scientia demonstrat, passionem propriã de suo subiecto, si ergo prædicabile esset propriũ animalis, posset de illo demõstrari, q. nõ videtur.

3. Funda. Pro istius quæstionis dissolutione, sit primum fundamentum. Causa quare aliquid est prædicabile, hoc est, quare prædicari aptum est de multis, est, quia est in multis, vel aptũ esse in multis, vt antea diximus ex Arist. 7 Met. c. 13. cũ duplicem vniuersalis definitionem attulimus, atq; adeo intrinsecè, & per se, hoc cõuenit vniuersali, scilicet esse in multis: prædicari verò est quid consequens tãquam proprium ipsius vniuersalis: vniuersale itaq; est essentia, prædicabile verò vniuersalis est propriũ, atque ideo opus fuit vt de vniuersalibus tractaretur, vt ait Albertus libro. Prædicabilium tract. 2. capitulo. 1.

Respondemus igitur vnica conclusione vniuersale est subiectũ istius libri Porphyrij. Probatur primo: quia illud est subiectum alicuius tractationis, in qua omnes speciẽs illius subiecti tractãtur: atqui in hoc libello omnes vniuersalis species tractãtur, scilicet Genus, species, Differẽtia Propriũ, & Accidẽs, ergo est subiectũ Vniuersale.

Secundò. Deinde quia omnes subiecti, conditiones ei conueniunt: nam eius passio, scilicet prædicabilitatis in omnibus, suis inferioribus ostenditur: etiam, nihil tractatur in hoc libro, qđ non possit ad vniuersale aliquo modo reuocari, vel tãquam ad partes eius, vel tanquam ad passiones eius vel tãquã ad essentiã eius. &c. ergo vniuersale est subiectum.

Ad argumenta. Ad primum respondemus, in hoc libello factam esse mentionem vniuersalis, cãpite de Genere, cum ait, eorum, quæ prædicantur, quędam de vno, quædã de pluribus prædicantur: vbi apertè definitio vniuersalis traditur per eius proprium, scilicet prædicari de pluribus: atque idem postea, cum omnia comparat inter se vniuersalia, agit ca. vltimo, cum ait hoc commune esse omnibus vniuersalibus, vt de pluribus prædicentur. Ad. 1.

Ad secundũ argumentũ dicimus alias scientias agere de rebus ipsis, quæ vniuersales dicuntur. Dialecticæ verò propriũ est de vniuersalibus, quatenus vniuersalia sunt, & quatenus prædicabilia, agere: proformali itaque relationem vniuersalitatis & prędicabilitatis considerando: aliæ scientiæ pro materiali duntaxat, rei scilicet ipsas, quibus talis ratio conuenit, & quidem res ipsas in se, non vt subsunt talis rationi. Topica quidem de vniuersalibus agit, Genere, Differẽtia, &c. quatenus efficiunt & constituunt quæstionum Dialecticarum diuersa genera, hic verò per se & in se considerãtur vniuersalia, eorũ natura, & propria eorum explicãtur: in Metaphysicis autem nõ quatenus conferũt ad modũ sciendi, seu intelligẽdi, vel quatenus Ad. 2.

tenus conferunt ad Predicamenta: & alias Dialecticæ partes agnoscẽdas vt dialecticus cõsideret: sed ipsa ut per se essentiam in abstracto, speculando & cõtemplando: & in hoc à Dialectico in istorũ tractatione differt.

Ad. 3. Ad tertiũ. Tractauit Porphyrius de indiuiduo, quatenus erat necessarium illud cognoscere ad cognitionem ipsorum vniuersalium, quæ de pluribus differentibus numero prædicãtur: & quia est quoddã subijcibile, de quo illa prædicari possunt, & quia est correlatiuum oppositum vniuersali ipsum singulare.

Ad. 4. Ad quartũ. Porphyrius hoc ipso indicat se de vniuersalibus agere, quòd propria passione ipsius vniuersalis vtitur in omnium illorum explicatione. Potius autem per prædicationem definit, quia notior erat, & vniuersalis essentia, vt talis occultior atque ita ad finem, quę volebat introductionis, accommodatiùs.

Dici etiam secundò potest, Prædicabile duobus modis accipi, vno modo, pro aptitudine ad prædicandum, & ita esse propriã passionem vniuersalis, altero modo pro principio intrinseco, vade prouenit illi ipsa aptitudo: & eatenus esse essentiã & veram ipsam differentiam essentialẽ indicare, per quam vniuersale est vniuersale. Cùm verò dicimus prædicabile esse proprium vniuersalis, intelligendum est vt superius in vniuersalis definitione exposuimus scilicet prædicabile de plurib. vniuocè per se directè &c. quo pacto indiuiduũ non prædicatur, & cætera, quæ tunc exclusimus.

Ad. 5. Ad quintum demonstrari potest per illam primam essentialem definitionẽ vniuersalis hoc modo: omne quod est aptum esse in multis, est prædicabile, sicut aptũ prædicari de multis: sed vniuersale est aptũ esse in multis, ergo est prędicabile de multis

QVAESTIO. II.

Vtrum vniuersale sit genus ad illa quinq; genus, Species, Differentiam. &c.

POsset hic dubitare quis, An vniuersale sit Genus ad quinq; prædicabilia? Albertus magnus lib. Prędicab. tract. 2, cap. 9 existimat, esse prædicatum analogum, quia ratio vniuersalis, scilicet esse in pluribus, seu de pluribus prædicari, nobilior & perfectior est in vno prædicabili, quàm in alio: nam Genus, & Species, nobiliorem modum prædicandi habent vt patebit postea, quam differẽtia & alia duo: & differentia quam Propriũ, & hoc quã Accidens, Similiter nobiliori modo est Genus, & Species in pluribus, quam Propriũ, & Accidẽs, nam illa sunt subsistãtia eorũ quibus insunt, at hæc sunt extra subsistantiam. 1. opin.

Secundò itẽ possumus idem sic ostendere. Vniuersale & prædicabile non cõueniũt in vna, & eadẽ ratione, nec ex æquo omnibus illis, sed aliquibus prius, aliis posterius, igitur non est vnuocũ sed analogum: nam Generi & Speciei conuenit vniuersale primo, vt prædicatur de pluribus inferioribus subsẽ: at differẽtiæ & Proprio vt prædicat primo de æquali, scilicet de ipsa Specie, cuius est differentia vel Proprium & de indiuiduis inferioribus: postea mediante Specie. Ità verò Accidens alia ratione, scilicet extrinsecè & posterius prædicatur. Imò & Genus de indiuiduis, mediante Specie, prædicatur: species verò infima immediatè de indiuiduis. At verò id analogũ est quod non eadẽ ratione dicitur, & quod vni primo, aliis cõuenit posterius, ergo vniuersale, & prædicabile, est analogum & ita non erit genus.

Tertiò si esset Genus, sequeretur, q. aliquod Genus sub sua Specie contineretur, nempè vniuersale sub genere: siquidẽ omne Genus continetur sub Genere in communi: at hoc videtur falsum, & impossibile, vt Genus sub sua Specie cõtineatur: ergo vniuersale nõ erit Genus.

Quãuis ista sentẽtia Alberti sit probabilis, mihi magis placet sentẽtia Scoti. q. 8. esse scilicet Genus ad illa quinq;. Quod probatur primo: quia ratio vniuersalis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

in communi vniuocè ei cõuenit scilicet aptum esse in multis, prout abstrahit ab esse mediatè, vel immediatè: sic etiam ratio prædicabilis in communi, aptũ prædicari de multis, prout abstraluit à prædicatione mediatè, vel immediatè, quæ postea species prædicationis distinguũtur, & Prædicabilium, secundũ diuersitatem modorum, quibus res insunt in multis de quibus prædicantur, quæ sunt Differentiæ diuidentes Genus vniuersalis, & eius rationem vniuersalem. Prætereà cùm vnumquodq; Prædicabile, per illud definiatur, dum dicimus, Genus est vniuersale, Species est vniuersale, Differentia est vniuersale, &sic reliqua, conuincitur esse Genus: nam aliàs id nõ liceret, si Genus, non esset, & vniuocũ: definitio enim non est per analogum assignanda, vt Aristo. docet. 6. Topi. cap. 2.

Ad.1. Ad argumenta respondendum erit. Ad illam rationem Alberti, infirmã esse, nõ enim illud solum facit analogiã: si quidé id in omnibus Generibus apparet nam verbigratia, animal est Genus, & tamen perfectius est in vna specie, quàm in altera, & eodem modo in cæteris,

Ad.2. Ad secundum, dictum est conuenire vna & eadé ratione cõmuni, prout abstrahit ab esse mediatè vel immediatè. Deinde dici etiam potest, Differẽtiã & Proprium, quãus immediatè de specie prædicentur, alterum in quale essentiale, alterum in quale accidentale, tamen hoc ipso esse vniuersalia, quia de vniuersali prædicantur ex æquo: & ita vtrunq; postea de individuis inferioribus: & ita hoc solum discrimen efficere, varias esse formas, seu species vniuersalis, quia sunt variæ formæ & species prædicationis: nam si vnus solus esset in omnibus prædicandi modus, vna tunc solum esset species vniuersalis, non verò quinque.

Ad.3. Ad tertium dicimus non cõtineri vniuersale sub sua specie scilicet sub Genere esse vtiali prædicatione, sed accidentali. Est enim hæc accidẽtalis prædicatio, vniuersale est Genus, sicut hæc, animal, est Genus: &(quod in idem recidit) materiãliter continetur, non formaliter. Est autem inconueniens, & impossibile, vt idẽ contineatur sub sua Specie essentialiter prædicatione scilicet essentiali.

Potest etiam dubitari, An vniuersale habeat aliquam propriam passionem, cũ sit Genus: subiecta enim scientiarum & partium scientiarum habent suas passiones, & proprietates, vt patet primo Poster. cap. 23. Respon. passionem vniuersalis, vt dictũ est, esse, prædicari, seu prædicari posse de pluribus inferioribus, vt enim ab homine, vt homo est, procedit hæc proprietas, quòd sit risibilis, ita ab vniuersali, vt ad plura ordiné habet, fluit, quòd sit prædicabile. & prædicetur.

QVÆSTIO. III

Vtrũ sint tantũ quinque vniuersalis species (seu) quod inde recidit, quinque tantum Prædicabilia.

DE numero iam Vniuersalium, seu Prædicabiliũ inquirendũ est: num tãtũ sint quinque an verò plura, aut pauciora? Ac primo, quòd sint pauciora quã quinque, apparet: nã Prædicabile & prædicatũ idẽ videntur esse: in hoc enim solum differũt, quòd vnũ dicit actum, alterum dicit aptitudinem, seu potentiam, ad eiusmodi prædicationis actum: at verò quatuor tantũ prædicata ab Arist. traduntur primò lib. Topi. cap. 3. Proprium, videlicet, Definitio, Genus, & Accidens de quibus postea sigillatim disserit.

Quòd verò sint plura, sic ostendi potest. Definitio est quoddam Prædicabile si quidem loco citato inter alia prædicata connumeratur ab Aristotele: quare iam erũt sex, si definitio ad illa quinque, addatur.

Secundò. Imò etiam alicui videri poterit ipsa quoque diuisio, aliud prædicabile: si quidem de diuiso ipso potest diuisio prædicari, vt animal aliud est homo aliud brutum.

Tertiò. Item Genus & Species dicunt essentiam rei, sed existẽtia rei videtur aliud

aliud prædicatum, quod prius adhuc ante essentiam quæri debet, nam prius quærimus, an res sit, deinde quid sit, aut qualis. Hæc ita que est omnium de existẽtia rei prima quæstio. An inquam sit? erit ergo existentiæ quoddam Prædicabile, & quidé omnium primum, vt videtur.

Quartò Prætereà individuum vagũ, vt quidam homo, de pluribus prædicatur sub disiunctione, est enim Petrus vel Ioannes. &c. ergo erit iam aliud vniuersale Imò de ista voce hic homo, seu cõcepta respondente, videtur idem dicendum, ex se indifferenter posse isti vel illi homini applicari, & de hoc vel illo dici, & prædicari, vt hic homo est Ioannes, hic homo est Petrus. &c. atq; ita cætera, quæ dicũtur individua demonstratiua.

1. funda. Ad istius quæstionis dissolutionẽ, Primum sit fundamentũ: species vniuersaliũ nos posse colligere tribus modis. Primò à posterioribus & notioribus quo ad nos vt Porphyrius collegit ex diuersitate prædicandi. Vel secundo modo, à priori ex diuersitate existendi in alio si quidem vniuersale est, quod aptum est esse in multis. Tertio modo ex ipsismet rebus à parte rei & his, quæ secundum naturam ipsis rebus conueniunt: si quidem vniuersale fundamentum habet in rebus: & per intellectum perficitur in ratione vniuersalis: & postea sic conceptum, de rebus ipsis prædicatur: & ea ipsa, quæ sunt in rebus à nobis cognoscũtur, siverè cognoscimus. Sunt etiam aliæ viæ hunc numerum vniuersalium ostendendi, tamen hæ tres videntur præcipuæ.

2. funda. Sit secundum fundamentum. Ad hoc vt aliquid sit vniuersale, oportet (vt antea fuit ostensum, cùm quæsiuimus, quid esset vniuersale) sit vniuocũ, & simplex, & directa prædicatione de pluribus sub eadem ratione prædicetur.

3. concl. His positis sit prima conclusio, quinq; tantum esse Prædicabilia, seu vniuersaliũ species: nempè genus, speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens: quæ sic ostẽditur. Primo modo, Porphyrij ratione, ex quintuplici diuersitate modi prædicandi, videlicet de vno, & de pluribus in quid, vel in quale: in quid rursus de pluribus numero, vel pluribus differentibus specie: at in quale, vel essentiale vel accidentale: & demũ accidentale, cõuersim, seu reciprocè, vel non conuersim. Igitur quicquid dicitur, seu de altero prædicatur, aut prædicatur de vno tantũ, & hoc est individuũ & singulare: aut de pluribus, & hoc est vniuersale. Rursus si de pluribus, aut in quæstione quid est, aut in quæstione quale est. Si in quid, vel de pluribus specie differẽtibus, & est Genus: vel de numero tantũ differentibus, & est species. Si in quale, aut essentiale, quod dicã solet, quale quid, & est Differentia aut quale accidentale, scilicet Accidens: accidentaria prædicatione: & tunc aut cõuersim & reciprocè prædicatur de specie aliqua, vel Genere, & est Proprium: aut non conuersim, & est Accidens.

Secundò modo, idem ostendi potest à priori Philosophicè, ex modis existendi in multis: nam quicquid est, aut est id, in quo omnia alia insunt, aut sunt ea, quæ insunt: si id in quo insunt omnia, est individuum: si quæ in alio insunt vel quæ in vno solo, & hæc sunt individualia accidentia, & conditiones aliæ individuãtes, vel insunt in multis, & sunt vniuersalia. Sed omisso individuo, & quæ vt individuo conueniunt, de eo quod ineest in multis videamus: si est in multis, ergo aut intrinsecè ineest in essentia eorum, aut extra essentiã extrinsecè adiacet, vt in subiecto: & si intrinsece, aut ineest vt totum, aut vt pars: si in totum, scilicet tota essentia, est Species: si autem ineest, vt pars in toto, quæ se habet vt materia, & in potẽtia, est Genus, aut tanquam forma, & est Differentia: si verò ineest extrinsece, & in subiecto, vel vt ab essentia fluens ab intrinseca: ab ea dependens, & est Proprium vel subiecto adueniens ex externis causis extrinsece adiacens, & est Accidens.

Tertio modo ex ipsismet rebus, à parte rei. Quicquid est in vnaquaq; re siue

Universidad de Deusto
Biblioteca

singulari siue vniuersali, & quicquid de illa cognosci potest, aut sunt eius rei essentia, aut accidentia: si essentia, aut tota essentia rei, aut pars essentiæ: si pars essentiæ, aut in qua conuenit cũ alijs rebus, & est genus: aut in qua differt, & est Differentia. Si tota rei essentia, est Species: ita vero si Accidens est, aut proprium eius tãtum rei, & est proprium Accidens: aut commune cũ alijs, & est Accidens commune, q̃ absolutè vocamus Accidens cõmuni vocabulo: at de his superius quoque diximus, cũ ostendimus Naturæ ordinẽ seruasse Porphyrium in istorum vniuersaliũ tractatione: quare plura hoc loco non erit necesse superaddere.

Nunc ad argumenta. Ad primum dicimus, Arist. de his egisse in libris Topicorum, quatenus spectant ad efficienda varia genera quæstionum Dialecticarum: atque ideo illa quatuor sola retulit, quæ discrimen quæstionum efficiebant, & diuersitatem locorũ, ac tractationis: & ob id etiam addendam quæstionem de eodẽ & diuerso, præter alias quatuor quæstiones, Generis Definitionis, Proprij, & Accidentis quod diuersam ab alijs requirere tractationẽ, & loca videntur. Specié ergo ob id ad Genus reuocasse videtur Arist. eò quòd ex ijsdem locis quibus quæstio Generis tractatur, potest etiam quæstio tractari Speciei. Differentiã verò addefinitionem retulisse videtur: si quidẽ vitra Genus addit ipsam Differentiã vel Differentias. Atq; ita omnia conueniũt, & nulla est Aristotelis cum Porphyrio pugnantia.

Ad. 1. Ad alia argumenta, quod sint plura, quã quinque. Respondemus ad primum & secundum. Vniuersalia, & Prædicabilia nos simplicia tantum quinque asserere: at composita & complexa Prædicabilia esse posse permulta, & definitionem, & diuisionem, & complexa alia omnia vel accidentalia vel essentialia.

Ad 3. Ad tertium dicimus, Existentiam rei, cũ quærimus de re aliqua an sit, non esse prædicatum aliquod præter ipsum verbum, quod medio verbo de subiecto dicatur: ẽd est ipsummet subiectum rei tum. Vnde in hac quæstione, si recte diuidicimus, non tam quæritur aliquod prædicatum, quàm ipsummet subiectũ quæritur per se, an sit in rerũ natura? Postea vero subiecto iam posito existente in rerum natura de illo & quærimus & dicuntur quinque illa Prædicabilia vniuersalia. Et certum est, antequam res sit, nil ei posse conuenire, & oportere, vt res prius sit, antequam ei aliquid conueniat, aut de ea prædicetur.

Ad quartum. Quidam homo, vel hic homo, & alia similia individua vaga, includant in sua ratione duo, naturam cõmunem, & rationem seu Differentiam individuantem. Quare impossibile est, vt vnica & eadem ratione conueniant singulis individuis: atque ideo vniuersalia nec esse, nec dici possunt, quia non prædicantur de multis sub vna & eadem ratione. Deinde hæc individua vaga ex modo significandi sunt complexa, nõ solum complexione vocis (quia posset facilè vna vox imponi ad significãdum illud ipsum) sed complexione significationis, & conceptus apprehendentis multa singularia per disiunctionem unam tantum, velut quidã homo, ac si diceres, hic homo vel iste homo, vel ille homo &c. Tandẽ de individuo demonstratiuo, cùm dicimus hic homo, demonstrando verbi gratia Petrũ, & hic homo demõstrãdo verbi gratia Ioannẽ in mẽte diuersus omnino cõceptus illorum diuersorum respondet, atq; adeò nõ est eadẽ ratio cõmunis sed æquiuoca & diuersa, & ideo non est vniuersale. Ac de his hactenus, nunc de singulis vniuersalibus videamus.

Caput primum de Genere.

VIdetur autem neque Genus, neque Species simpliciter dici. Genus enim dicitur & aliquorum quo dãmodo se habentium ad vnum aliquod, & ad se habẽtium ad vnum aliquod, & ad se inuicẽ collectio: secũdum quã significationem Romanorũ dicitur genus, ab vnius scilicet habitudine (dico autem Romuli) & multitudinis habẽtiũ aliquo modo ad se inuicẽ eã, quæ ab illo est, cognatione secũdũ diuisionẽ ab alijs generibus, dictũ. Dicitur aũt & aliter rursus genus illud, q̃ est vniuscuiusq; generationis principiũ, vel ab eo qui genuit, vel ab eo loco, in quo quis genitus est. Sic enim Orestem quidem dicimus à Tantalo habere genus. Hyllũ autẽ ab Hercule & rursus. Pindarũ quidẽ Thebanum esse genere. Platonẽ verò Atheniensem: erenim patria principiũ quod dã est vniuscuiusque generationis, quemadmodum & pater. Hæc autem videtur promptissima esse significatio generis. Romani enim dicuntur, qui ex genere descendũt Romuli, & Cecropidæ, qui à Cecrope, & horum proximi. Et prius qui dẽ appellatũ est Genus vniuscuiusque generationis principiũ: dehinc etiã & multitudo eorũ, qui sunt ab vno principio, vt à Romulo: quam diuidentes & ab alijs separãtes, dicebamus omnẽ illã collectionẽ esse Romanorum Genus. Aliter autẽ rursus genus dicitur, cui supponitur Species: ad horum fortasse similitudinẽ dictũ. Et enim principium quoddã est huiusmodi genus earum, quæ sub ipso sunt, Specierum, videturq; & multitudinẽ cõtinere omnẽ, quæ sub ipso sunt Specierum.

Ad 4.

Tripliciter igitur cum genus dicatur, de tertio apud Philosophos sermo est: quod etiam describentes assignauerũt, genus esse, dicentes, quod de pluribus & differentibus Specie in eo, quod quid est prædicatur, vt animal. Eorum enim quæ prædicantur, alia quidem de vno dicuntur solo, sicut individua vt Socrates, & hic, & hoc: alia vero de pluribus, quemadmodum genera & Species, & Differentia, & propria, & Accidentia communiter, sed non propriè: aliquo est autem genus quidem, vt animal, Species verò, vt homo, Differentia autem, vt rationale:

Proprium, vt risibile, Accidẽs, vt album, nigrum, sedere. Ab ijs igitur, quę de vno solo prædicantur, differunt genera: eo q̃ hæc de pluribus prædicãtur. Ab ijs aũt rursus quæ de pluribus: à speciebus quidẽ quoniam species vel si de pluribus prædicẽtur, non tamẽ de differentibus specie, sed numero, homo enim cum sit species, de Socrate & Platone prædicatur, qui non specie differunt: sed numero. animal verò, cũ sit genus, & homine, & boue, & equo prædicatur, qui differunt à se invicẽ specie, non numero solum. A Proprio verò differt genus: quoniam Proprium de vna sola specie, cuius est Proprium, prædicatur, & de ijs, quæ sub ipsa specie sunt individuis quemadmodum risibile de homine solo, & de particularibus hominibus: Genus autem non de vna specie prædicatur, sed de pluribus & differentibus. A Differentia verò, & ab ijs, quæ cõmuniter sunt Accidentia, differt genus: quoniã & si de pluribus & differentibus specie sũ dicentur differentiæ, & communiter Accidentia, non tamen in eo quod quid est prædicantur, sed in eo, quod quale quid est. Interroganti enim alicui quid est illud, de quo prædicantur hæc? Genus respondebimus, Differentias autem & Accidentia non respondebimus: non enim in eo quod quid est prædicantur de subiecto, sed magis in eo quod quale quid est. interroganti enim quale quid est homo? dicimus quod rationale: & quale quid est Corvus? dicimus quod nigrum. est autem rationale quidem differentia, nigrum vero Accidens: quando autem quid est homo interrogamur, animal respondemus, est autem hominis Genus animal. Quare de pluribus prædicari diuidit Genus ab ijs, quę de vno solo, eorum, quę sunt individua, prædicantur: hoc vero, de differentibus specie, separat ab ijs, quę sicut Species prædicantur, vel sicut Propria: in eo autem quod quid est prædicari, diuidit à Differentijs, & communiter Accidentibus, quę nõ in eo quod quid est, sed in eo quod quale

quid

Universidad de Deusto
Biblioteca

quid est vel quomodo se habet vnusquod quę, prædicatur de ijs, de quibus prædicatur. Nil igitur superfluũ, neque minus cõtinet Generis dicta descriptio.

Quæ sint cur prius de genere, quã de specie aut alijs egerit.

AGgreditur modo Porphyrius de singulis vniuersalibus in particulari tractationem quam quinque sequentibus capitibus absoluit: postea vltimo capite ea inter se comparat, & quam adinuicem habitudinem habeat, ostendit.

Incipitur igitur ab ipso Genere: in quo meritò quis dubitare posset, qua ratione id factum fuerit. Boetius huius duas assignat causas, prior est, Genus enim est vniuersalius, cum comprehendat sub se multas Species. Vniuersalia autem nobis sunt notiora. 1. Physic. cap. 1. propter ea ab eis est incipiendum: cuius rationẽ Aristot. 1. de partibus. ca. 1. dat. Si enim vniuersalia primò non traderentur, cum illa sint in particularibus, oportet in particularium tractatione sæpè idem repetere. Posterior ratio, quæ est etiam Ammonij, Genus est generatione prius, quã Species, cuius signum est: si Genus auferatur, auferuntur Species, at non ablata vna, aut altera Specie, Genus aufertur: q docet Arist. 2. de generatione animaliũ: cap. 3. dum dicit, vitam plantæ priorem esse, deinde vitam sensitiuam tandem rationalem. Ex vtraq; autem ratione colligitur Porphyrium secuisse & Naturæ, & doctrinę ordinem, seu cognitionis naturę dum à prioribus incepit cognitionis, dũ ab vniuersalioribus incepit. Hæc tamen vtramque ratio declaratiõe indiget: genus enim & Species dupliciter considerari possunt vno modo secundum naturam, & substratum, altero modo formaliter secundum rationem, & relationẽ Generis, & speciei. Si primo modo considerentur genus, scilicet natura, ipsa est prior, & communior specie: at si secundũ relationem, tunc simul tempore, & natura sunt: non est prius genus, quàm sit species, sicut non prius, formaliter est pater, quàm sit filius: relata enim simul natura sunt, vt docet Arist. in Prædicamẽto, Ad aliquid.

Sed si sic est, poterit meritò quis obiicere, cum hic considerentur ista secũdũ formam, videntur istæ rationes non sufficientes. Ad quod dicendum, rationes esse nihil omnibus bonas, & probabiles, quia cõ natura ipsius generis sit prior, & cõmunior, a quõ fuit, vt eius intectio prius consideraretur. Possumus autem tertiã rationem addere etiam secundum intẽtiones ipsas: cum enim ista introductio sit ad Prædicamenta Aristot. fuit congruum, vt illud primò explicaretur, quod illic primò occurrit. illic autem primo occurrit genus, cũ statim enim in decem genera diuidatur: & in Prædicamento quoque substantiæ, quod ante accidẽtia est, primum sit genus generalissimum. hæc autem ratio est vniuersalis probans ordinem omnium Prædicabilium, substantia enim est primum Prædicamentũ in quo, nec Propria, nec Accidẽtia sunt, & in eo primum locum habent genera, & Species, ille autem rationes solum ordinem inter genus & species probant.

Videtur autẽ neque Genus, neque species, dici simpliciter.

¶ Hoc caput in duas potest partes secari. In priori, aliquot modos acceptionis nominis huius narrat. in posteriori, Genus ipsum Logicum, de quo præsens inquisitio est, definit. ipsamq; definitionẽ manifestat.

Tripliciter ergo Genus sumitur. Primo, Genus dicitur congregatio multorũ habẽtium inter se aliquam affectionem vel habitudinem, & hæc habitudo, & affectio, adinuicem ad vnum aliquid est, sicut dicitur genus Heraclidarum, cõgregatio multorũ, inter se ordinem habẽt, aliquo modo, scilicet quia affines, vel cognati sunt: & hoc respectu vnius, scilicet Herculis, à quo descẽdunt: & propterea, dicuntur Genus Heraclidarum, & sumũt nomen ab vno illo, vt distinguantur ab alijs generibus. Hoc exemplum sumpsit Porphyrius ab Aristot. 10. Meta. c. 11 Boet. quia Romanus erat, transtulit, Genus Romanorum, qui ab vno Romulo descendunt. Secundò sumitur pro ipso principio, à quo talis collectio emanauit quod duplex esse potest, aut pater, aut patria: nam & ipsa patria, quoddam principium est: non enim solum locus naturalis est corporum contentiuus, sed conseruatiuus, cum influxum habeat erga corpora: cuius argumento, est diuersa temperies horum, quæ illorum corporum, & varietas eorum, quæ diuersis locis producũtur. Sic inquit Virgilius.

Hic segetes, illic veniunt felicius vuæ
Arbore: fœtus alibi, atque in iussa virescunt.

Gramina: nõ ne vides, croceos vt Tmolus odores.
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.

Dubium Et Chalibes duri ferrum?

Hic posset esse dubium. An ipse pater vel patria sint dicenda Genus. Auerroes videtur id affirmare: ac credendum cum Caietano non dici Genus patrem ipsum aut patriam, sed ipsum principium, & originem, quæ ab eis ducitur.

Statim Porphyrius cõparat has duas acceptiones: dicit itaq; Posterior est prõptissima, id est, se primo offert, est enim prior: quod probat: prius enim illud principium, quod Genus dicitur, fuit, atq; ab eo appellatio facta est, scilicet Genus Romanorum, Heraclidarũ. Vnde potest duplex ratio fieri, propter quam ista significatio est magis in prõptu, prima, quia ab eo, quod est Genus primo modo, sumitur denominatio, dicitur enim ab Hercule Heraclidarum Genus: secunda, quia ista fuit prior: prius enim fuit illud principium, quàm collectio eorum, qui ab eo fluxerunt. Tertiò sumitur Genus pro eo, cui supponitur Species, id est pro eo, quod de Speciebus prædicatur, & hoc est Genus Logicum, cuius est tractatio præsens.

Huius Generis Porphyrius similitudinem assignat cum alijs Generibus, cum posteriori, tertiò modo accepto: sicut enim Genus secundo modo est principium eorum, quæ ab eo originem trahũt ita Genus hoc, est suarum specierũ principium: similiter est simile Generi primo modo accepto, vt enim hoc est multorũ collectio, ita & Genus Logicum est multarũ specierum aggregatio, id est, sub se multas cõtinet Species.

Dubia aliquot situ digniora in priorem hanc partem capitis de Genere.

CIrca hãc capitis partẽ aliquot sunt aduertenda. Primo, Porphyriũ has Generis acceptiones ex Aristot. serè desumpsisse, nam Arist. 5. Metaph. ca. 18. refert quatuor Generis acceptiones. Primo Genus dicitur continua aliquorũ generatio, quod idem est cum collectione multorum habentium habitudinem secundum generationem: vbi intelliges istam habitudinem, quam dicit Porphyrius esse inter illa, quorum collectio dicitur Genus, debere esse secundum generationem, & ea quæ ad generationẽ attinent, vt quod sint cognati, vel consanguinei, vel filij, vel aliud simile. Quod adnotauit Albertus explicans Porphyriũ contra Auicennam. Secundò dicitur Genus principium, à quo talis generatio est quod est pater, vel patria, & aliquãdo etiam dicitur mater. Tertio Genus est subiectum, ex quo res fiunt, vel in quo: quomodo dicitur Genus figurarum superficialium esse aliud à Genere solidarũ: & in naturalibus materia dicitur Genus. quo pacto cæli & cælestia enta dicũtur esse Genere diuersa, iuxta eorum sententiã, qui asserũt esse ex diuersa materia: & talis Genus dicitur Physicum. Quartò Genus est, quod prædicatur, scilicet illud, q hic proponitur tertio loco à Porphyrio.

Dubium Poterit autem quis dubitare, Quare prætermisit Porphyrius Genus tertio loco positum ab Aristotele. Dicitur, quod istud habet similitudinem quãdam cum Logico, vt enim Logicũ est, ex quo fiunt

Species,

Species,ita & illud: Logicum enim est, velut materia Specierũ: vel forsan, quia parabat facilẽ introductionem, & esset, obscurum explicare,quid esset illud subiectum,quod Genus appellatur.

Circa verba ipsius Porphyrij,nota illud verbum(videtur)aliquãdo enim pro eo,quod apparet & non est, sumitur, vt patet apud Arist. 1. Elenchо. c. 1. & 2. Sũt syllogismi,inquit,qui videntur,& nõ sunt ac hic non sic vsurpatur,sed pro eo,quod est, & patet,ac est manifestum. Nota verbum(simpliciter)nam vno modo idem est,quod vniuersaliter,vt habetur. 1. Meta. tex.44.& 1. Elench. c. 6. Secũdo modo idem est,quod vniuocè,vt habetur. 1. Meta. tex. 47. Tertio modo accipitur pro eo quod est sine addito diminuẽte. 1. Elẽch. cap. 5. quo pacto dicitur, Aethiops non est simpliciter albus. Vltimo modo ,pro eo quod est solum,vt Brutum est simpliciter sensitiuum: qua significatiõe vtitur Porphyrius.c.de Differẽtia: hic sumitur, modo secundo,ac si dicat, Genus non dicitur vniuocè.

Nota præterea,dicit(videtur autem) hic vel ut excusat se ab eo, qđ proposuit scilicet docere,quid sit horum quod q;ac propterea incepturus erat à definitis ne sed id prohibet eius æquiuocatio, æquiuoca enim prius diuidenda. Nota præterea nõ explicasse nisi Genus,& Speciem, quia illa sunt relata,vt docet Ammonius vel vt vult Boetius,omnia alia subintelligi,quæ etiam sunt æquiuoca:quæ quia iã erant enarrata,prolixitatis vitandæ gratia prætermisit.

Nota vltimo,secundum Albertum differimen inter genus tertio modo,& alia Genera:Genus enim secundo modo, nõ est in tota collectione eorũ, quæ ab eo, procedunt:non enim est Romulus in singulis Romanis:at tota natura generis est in singulis Speciebꝰ:homo enim est substantia animata,sensibilis,pariter & leo, & aliæ Species.Preterea, Genus primo modo cõtinet malea tãquam partes integrantes,de quibus prædicari nequit:non enim singuli Romani sunt Genus,at Genus hoc,de singulis Speciebus per se prædicari valet.

TExt. Dupliciter igitur cũ Genus dicatur, de tertio apud Philosophos sermo est.

Hæc est posterior cap. pars. qua Porphy. definit Genus tertio modo:eo enim vsus ad Dialẽticos & Philosophos pertinet. Definitio est ista. Genus est id,quod prædicatur de pluribus differẽtibꝰ Specie,in eo, qđ quid est: quæ definitio ad literã desumpta est ex Arist. 1 Top. c. 4. pro cuius explicatione Porphyrius tres distinctiones insinuat eorũ,quæ prędicãtur:quædam enim de vno prædicantur,vt Socrates, Plato:quædam de pluribus,vt homo. Secunda, eorum quæ de pluribus predicantur:quædam de pluribus differentibus numero,quædam de differentibus Specie prædicãtur. Tertia, eorum quæ de pluribus differẽtibus Specie prędicantur, quædam prædicãtur in eo quod quale,quædam in eo,quod quid. Illud est prædicari in quid,esse tale prædicatum,vt ad quæstionẽ factã per quid de re,scilicet de natura rei,possit per illud,responderi,vt quid est homo? congrue respõdebis,si dicas, animal:animal igitur prædicatur in quid de homine. Illud autem est prædicatum in quale, esse tale prædicatum vt possit per illud respõderi ad quæstionem factam de qualitate rei:vt,qualis est homo?dices,doctus, aut albus:ista prædicantur in quale.

Hac diuisione Porphyrius colligit definitionem Generis sufficientem esse,eã ipsum separet ab omnibus alijs Prædicabilibus. Ex hoc enim quod Genus de pluribus prædicatur,ab indiuiduo distinguitur,quod quidem prædicatur,sed de vno solo:per hoc quod Genus prædicatur de differentibus Specie, à Specie distinguitur,& à Proprio,Species enim de pluribꝰ indiuiduis. Propriũ autẽ de vnica specie cuius est Propriũ,de indiuiduis illius speciei quoque prædicatur:per hoc autẽ, qđ in eo,quod quid,à Differẽtia & Accidẽti distinguitur. Hæc enim in eo quod quale,de pluribus prædicãtur:vt si dicas, qualis est homo?respondebitur,est rationalis vel albus? Patet igitur definitionẽ neque esse superfluam,nec diminutam iuxta præceptũ Arist. 6. Top. c. 1. & 2.

Hic notat Ammonius,quòd definitio superflua diminuit definitum,id est coarctat:vt iuxta illam definitionem paucioribus conueniat,quam cõuenitvt qui dicit, homo est animal rationale album, facit,vt non sint homines nisi albi:definitio verò diminuta,definitum dilatat, vt qui dicit,homo est animal mortale,facit vt equus sit homo,qui est animal mortale: hoc fit, quando definitio est superflua per additionem illius, quod nõ est de natura rei,aut ipsius naturæ Propriũ.

De definitione Generis quæstiones quatuor.

CIrca definitionem Generis positã videnda sunt quatuor deinde de indiuiduo,cuius tum in hoc capite ,tum in sequentibus frequenter fit mentio,agendum quoque. Igitur quæremus primo, quid sit definitum in hac Generis definitione? Secundo quæ sit ista definitio, an quidditatiua,an sit descriptio? Tertio quid loco Generis in hac definitione ponatur? Quarto rectè ne sit posita:vbi videbimus,quo modo singulæ partes sunt intelligendæ? Vltimò de indiuiduo , an indiuiduum prædicetur.

QVAESTIO .I.

PRo declaratione primi dubij, aduertere oportet,ista nomina secundę intentionis,scilicet Genus,speciẽ,Differentiam,& reliqua esse connotatiua ,& ita duo includere in sua significatione,videlicet materiale,& formale, vt antea sæpè dictum fuit. Significat enim pro materiali,seu pro substrato, quod idẽ est natura & rem aliquam:pro formali verò secundam intentionẽ obiectiuã sicut album pro materiali significat corpus,pro formali,albedinem. Et igitur dicendum quando definitur Genus ,an definiatur intentio ipsa,an materiale subiratum, an simul materiale substratum cum intentione. Est autem rursus aduertendum aliud esse in cõnotatiuis,id quod definitur,aliud ratione secundum quam definitur,verbigratia quãdo dicitur albũ est visus disgregatiuum:quod definitur , est subiectum,vt formæ substat:at ipsa ratio secundum quam est definitio, est forma. Præterea aliud est cui cõuenit definitio, aliud ratio per quam cõuenit,vt id quod disgregat,est corpus album:ratio disgregandi est albedo: definitio enim de subiecto verificatur. Quod Caietanus alijs verbis explicat, dicens, qđd definitio competit subiecto denominatiuè, forma quidditatiuè. Hoc suppositio,perspicuis quibusdam conclusionibus respondemꝰ quæ per se satis manifestæ sunt,& ex iam dictis constant.

Sit prima conclusio. Natura & substratum Generis est id,quod definitur,vt intentioni subsstat. 1. con.

Secunda conclusio. Ratio,secundum quam definitur,est secunda intentio. 2. con.

Tertia,definitio competit naturę substratæ,animal enim est, qđ prædicatur & corpus,& aliæ naturæ , quæ Genera sunt,sed non prædicantur, nisi quia Genera,& vt secundæ intentioni subsstant: non tamẽ intentio prædicatur: hoc idẽ dicimus de alijs definitionibus Prædicabilium. 3. con.

QVAESTIO. II.

CIrca secũdum sunt tres opiniones, Scotus,vniuersalis q. 15. existimat, hanc definitionem esse quidditatiuam, cuius Genus est Prædicabile. Alij existimant esse descriptiuam ,& dari per Genus quod est Vniuersale,& propriam passionem,quæ est prædicari. At Ammonius credit hanc definitionem esse descriptionem,nec per Genus proprium assignari,nec posse assignari. Ratio Ammonij est duplex,prior est. Genus hic definitũ comprehendit decem genera suprema,nã singula sunt genus,at nihil potest esse genus generis supremi: ergo genus non potest definiri per genus. Posterior

rior, Genus hoc comprehendit Genera Substantiæ, & Accidentis sed Substantię & Accidenti nihil est cõmune, Vnius cũ ergo non potest assignari ipsi Generi.

Hæ rationes Ammonij fundantur in hoc cùm hic definiatur natura Generis vt subiacet intẽtioni: si definiri debet quid dicatur, erat dicendum Genus, non solum ex parte intẽtionis, sed ex parte materialis, quod esse non potest: quia materiale est substantia, vel Accidens, quæ non possunt habere Genus commune, sed accidens aliquod, & illã proprietatẽ, quæ est prędicari & propterea dicit esse descriptionẽ, & est sententia Alberti, tract. 3. c. 13. vniuersale enim ex parte solius intentionis, Genus quidem est, non tamen ex parte materialis.

Sed hæc sententia Ammonij & eius rationes non placent: nam in concretis accidentalibus, definitio & essentia attendẽda est secundum formam, quæ potest esse vnius rationis, etiã si materialia nõ sint eiusdem rationis: & certum est, rationem vniuersalis eandem esse, siue materiale sit Accidens, siue substantia, sicut in distinctis etiam substantijs potest ergo esse Genus proprij, atque adeò dicendũ est, definitionẽ esse potuisse quid dicatiuam, quãtum est ex parte Generis, si deinde addita fuisset essentialis Differentia: vt si diceretur, Genus est vniuersale, quod inest multis Specie differẽtibus: sed tamen cùm per Prædicabile, tanquã per notius nobis definierit Porphyrius, puto, descriptionem hanc esse, vt dicit secunda opinio, & idem Porphyrius, quia non per Differentiam, sed per passionẽ, id est, prædicationem datur.

Et ad primam rationem Ammonii dicendum, esse posse aliquid Accidens genericum, imò Specificum, quod conueniat supremo Generi, & alijs Generibus, scilicet rationẽ ipsam Generis, ratio verò posterior Ammonij non valet: nã diuersis Prędicamẽtis nihil potest esse vnius cũ quid dicatiuè: potest tamẽ aliquid esse accidentale, quales sunt hæ intẽtiones: sicut etiam relatio vniuoce cõuenit multorum Prædicamentorum fundamẽtis, quamuis secundum Porphyrium nõ ponatur vniuersale, vt Genus: vt in sequẽti dubio dicetur.

QVAESTIO. III.

SEd quæ dubitabis circa tertium quid saltem constituatur loco Generis, secundum Porphyrium? Breuiter respondeo, non vniuersale loco Generis, sed Prædicabile cõstituit. Huius est ratio cõuincens. Differentia, in definitione ponitur, ad excludendam ea, quæ sub eodem Genere conueniunt: verbi gratia, rationale ponitur in definitione hominis, vt separet illa animalia, quæ nõ sunt rationalia: non autem ponitur ad differentiã lapidis, aut alterius extra Genus: sed Porphyrius exclusit indiuiduũ à ratione Generis, per illam differentiam prædicari de pluribus ergo Genus non est vniuersale, quia indiuiduum non continetur sub vniuersali, continetur autẽ sub prædicabili: nam indiuiduum est Prędicabile, sed de vno: Genus autẽ de pluribus: prædicabile ergo erit loco Generis.

QVAESTIO. IIII.

CIrcà quartum, An videlicet rectè sit posita Generis definitio? obijcitur contra definitionẽ ipsius Generis. Primo contra vltimã particulam, in qua à Differẽtia distinguitur. Differẽtia prædicatur in quid, ergo non differt in hoc à Genere. Probatur antecedens ex Aristo. expresse. 7. Top. capit. 3. & 4. Top. c. 4. vbi non in hoc differre à Genere docet, sed quod Genus de pluribus, quàm Differentia prædicetur.

Secundò. Accidens nec est de substantia rei, nec pars substantiæ rei, ergo non prædicatur in quale quid, vt dicit Porphyrius.

Tertiò. Multa sunt propria quæ de pluribus Speciebus prædicantur, ergo non differt in hoc à Genere, quòd solum de vna Specie Proprium prædicetur. Antecedens probatur, mobile, æquale, simile, sunt passiones propriæ, quæ tamen de pluribus corporibus Specie differentibus prædicantur.

Quarto. Differentia non prędicatur de pluribus speciebus, ergo non conuenit in hoc cum Genere: patet antecedẽs, rationale enim est Differentia, quę tamen vni speciei est propria.

Quintò. Genus prædicatur de pluribus differentibus numero, animal enim de Petro, & Ioanne prædicatur, ergo à specie non differt.

Pro horum argumentorũ solutione, est primò notandum duo esse necessaria, vt aliqua differant Specie: alterũ est, vt habeant distinctas definitiones: quia propter Petrus & Paulus, & indiuidua vnius Speciei specie non differunt: alterum est, quod sub eodẽ sint genere: quod docet Aristo. 10. Meta. cap. 11. differre ergo specie est sub eodem genere distinctas habere definitiones.

Possumus etiam tres modos differendi specie desumere, ex Arist. 5. Met. c. 10. Primò illa differunt specie, quæ sub eodem genere distinctas habent definitiones, & ipsa in alias species inferiores diuidi nequeunt, quo pacto differunt Species vltimæ, homo, leo: & illa dicuntur differre specie: athoma, & hęc est propriè Differentia specifica.

Secundò, illa differunt specie, quę sub eodem genere ex æquo continentur, & rursus diuidi possunt in alias species sub se: sicut corpus animatum, & corpus inanimatum, & illa dicuntur differre specie subalterna, seu genere intermedio. Dicuntur autem ex æquo contineri sub genere, quæ per æquales Differentias illius generis componuntur: sicut corpus animatum & corpus inanimatum: corpus enim, quod est illorum genus, æqualiter per animatum & inanimatum diuiditur.

Tertiò, illa differunt specie, quæ sub eodem sunt genere, tamen non æqualiter: cùm videlicet vnum est cõmunius, alterum minus commune: quia pluribus intermedijs Differẽtijs, ab illo genere, in quo conueniunt, distant: licet nõ vnũ sit superius ad alterũ: quo pacto, homo, & planta Specie differunt: clarum est enim q. planta communior est, quàm homo, sed non ad hominẽ, quia homo planta non est. Si enim esset superior illo, esset genus: at Genus, & species sub ipso, nõ dicuntur differre specie, vt ait Aristo. 10. Meta. ca. 11. Genus igitur est, quòd de pluribus specie differentibus prędicatur, vtcunque specie differant, siue primo, siue secundo, aut tertio modo.

Est secundò notandum, Duo esse necessaria, vt aliquod prędicatũ prędicetur in quid: vnum, quod sit de natura, vel pars naturæ rei: nec hoc sufficit, nã Differentia est pars naturæ rei, tamen non prædicatur in quid: sed est necessarium alterũ, scilicet quod prædicetur per modum naturæ, scilicet quod non sit connotatiuum, quãdo subiectum fuerit absolutum: tunc enim significat per modem Accidentis: sed vel vtrunque absolutum, vel vtrunque connotatiuum. Genus ergo respectu Speciei habet vtrũque, & est de natura speciei, & prædicatur per modum naturæ & substantię, propterea prędicatur in quid. At Differentia habet vnũ scilicet, est de natura rei, nõ tamen habet modũ prædicandi: propterea nõ prędicatur in quid, sed dicitur in quale quid: quid, quia est de substãtia rei, quale, quia est ad modum Accidentis: & Accidens neutrum habet, propterea simpliciter in quale prędicatur: vnde fit, vt cõstituatur prædicatio in quid, & in quale quid, & in quale.

His suppositis, Respondeo primũ. Differentia prædicatur in quid secundum rem, sed non secundũ modum, sicut Genus, quod ab hoc hure in quid prædicatur. Nec Aristot. dicit oppositum, sed asserit prædicari in quid, sed differt à genere, quia se habet, vt qualitas, in quo manifestat prædicari in quale quid. Ad 1.

Ad secundũ Respon. Quãdo dicitur,

quale quid est eorum? illud quid, non petit naturam, sed idem est, ac si dicatur, quale ens est eorum?

Ad.3. Ad tertium Respon. admittendo aliquod Proprium de pluribus Speciebus prædicari, sed id nō habetur vt Propriū, & Porphyrius hoc intendit, quòd prædicatio, quæ necessario, & semper constituit genus, est de pluribus speciebus prædicarnat prędicatio necessaria Proprio est de vna specie: reliquum est per accidens, & secundario, quia illa sua species, de qua prædicabatur, erat subalterna. Dici etiam potest, concedendo illationem: aliqua inquam Propria esse generica, quæ de genere immediatè prædicā tur: aliqua esse Propria specifica, quæ de specie vltima prędicantur: differre autem à genere & specie, quia non in quid, sed in quale prædicantur.

Ad.4. Idem Respon. ad quartum de prædicatione de individuis, hæc enim prædicatio, est primò & immediatè & per se speciei, non autem generis, nisi secundariò, & mediatè.

Ad.5. Ad quintū Respon. Porphyrium existimasse, nullā esse particularem & propriam speciei Differentiam, sed oēs esse communes, & rationale non solùm homini, sed Angelis conuenire. Sed de hoc latius dicemus capite de Differentia.

DE INDIVIDVO.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum individuum prædicetur.

1.Opin. CIrca vltimam difficultatem, an scilicet individuum prędicetur, sunt tres opiniones. Prima est S. Tho. 7. Meta. ca. 3. qui loquēs de individuo substantiæ, inquit, posse dupliciter prædicari: vno modo de alio, vt homo est Petrus, animal est Cęsar, & talis est prædicatio per accidens, & indirectè altero modo potest de se prædicari, scilicet Petrus est Petrus, & talis est prædicatio per se, & hoc videtur asserere quoque Boet. Nihil, inquit, verius, quam idem de se ipso prædicari. Imò videtur Arist. sententia. 2. Periherm. cap. vltimo. Bonum, inquit, per se est bonum vbi approbat prædicationem identicā, qua idem de se ipso prædicatur, &. 5. Metaphy. ca. 18. homo per se est homo. Eiusdem sententiæ est Porphyrius qui individuum de vno prædicari affirmat, scilicet de se ipso.

2.opin. Secunda opinio est Auer. cap. de Specie, qui interpretans Porphyrij definitiō nem illam. Individuum de vno prædicatur, dicit, duplex esse individuum: substantię, vt Petrus, accidentis, vt hoc albū individuum accidentis de vno prædicatur, at substantiæ individuum, de nullo: & propterea non benè Porphyrius definiuit, quia soli individuo Accidentis illa definitio competit. Melius Arist. dixit. 1. Periher. ca. 5. Singulare est, quod nō de multis prædicatur. Ista sentētia videtur Arist. cap. de substantia, & 7. Meta. cap. 3. Prima substātia, inquit, id est, individuū substantiæ, de nullo prædicatur. non. n. Auer. vult prędicationem esse eiusdē de se ipsā. 1. Priorū, in digressione de quarta figura, quæ est Galeni, inquit, Si daretur quarta figura, idem de se ipso prædicaretur, quod est in fine abominationis, & 10. Meta. com. 8. & 4 Meta. com 3. dicit illam esse nugatoriam: neque habere subiectum, neque prædicatum.

3.opinio Tertia opinio est Caietani ca. de Specie: vbi distinguit duplicem prædicationem: naturalem, & artificialem. Natura lis est, quæ est vera: tamē nō est apta ad disputationem aliquam, & talis est illa, in qua idem de se ipso Prædicatur: Alia est artificialis, sicut sunt reliquę, quarum vsus arti & scientiæ deseruit, & per hanc distinctionem conciliat opiniones.

Pro huius determinatione, est aduertendum, aliud esse necessarium ad veritatē prædicationis, aliud ad proprietatē. Vnde aliud est prędicatio vera, aliud propria: ad veritatem sufficit, quòd ita sit in re, sicut ipsa significat ad proprietatem est necessariū quòd prędicatum sit forma,

forma, & subiectū materia, q. esse nō potest in prædicatione eiusdem de se ipso.

2.Cōclu. Iuxta hoc sit prima cōclusio. Prædicatio, qua individuum substantiæ de alio prædicatur, vt iste veniens est Petrus, est per accidens: ista est Aristot. 1. Priorum. cap 28.

2.Cōclu. Secunda conclusio. Prędicatio, qua de se ipso aliquid prædicatur, est vera, sed impropria propter rationem prædictā: Hæc est Albert. tract. 3. cap. 4. & Auerroes. nec oppositū voluit Boetius. dixit enim, nihil verius, non autem dixit, nihil proprius: imò nec sanctus Thomas: qui dixit, illa esse per se, eo modo, quo etiā vocat Arist. per se, id est, non per aliam causam: si enim dicas, quare homo est homo? dices, nulla causa, sed per se, & ita interpretatur Boetius. 2. Periherm.

3.Cōclu. Tertia conclusio est quantum existimo etiā vera contra Auerroem: nec individuū Accidentis de vno proprie prædicatur, quāuis vere de illo prædicetur. Hęc est sententia expressa Arist. c. 2. Ante prędicam. Hoc albū, inquit, est in subiecto, sed de nullo prędicatur. Ratio autem est, quia quando demonstratur Accidens individuū, demonstratur ipsum subiectum, in quo est, quia ab eo individuatur. vnde perinde est dicere. Petrus est hoc album, ac Petrus est ipse, habens albedinem.

QVAESTIO II.

Quæ & quot sunt prædicationum genera.

QVia tamē de prędicatione loquuri sumus, & omnia ista ad prędicationem spectant: non erit inutile, quid prędicatio, & quotuplex sit ostendere. Est igitur prædicatio, affirmatio alicuius de aliquo: propositio enim negatiua, non proprie prædicatio, sed diuisio quædam dicitur. Hęc prædicatio duplex est, quędam propria, quędam impropria: propria est, cuius veritas pendet ex propria significatione, & propria acceptione terminorum: pendet, vt homo est albus: impropria, cuius veritas ex impropria acceptione terminorum, vt homo est bulla, diuitię sunt fimus. Propria est triplex, ordinata, & inordinata contra ordinem, & inordinata prēter ordinem.

Ordinata est, in qua subijcitur id, quod subijci debet, scilicet: id, quod se habet, vt materia: prædicatur id, q. debet prædicari, scilicet quod habet modum formæ, quales sunt prędicationes inferiorum respectu superiorum prędicatorum & accidentium de subiectis, & Differentiarum de suis Speciebus. Hæc ordinata duplex est, essentialis, & accidentalis: essentialis est, in qua prædicatum, vel est natura, vel de natura subiecti: quæ duplex est, essentialis quidditatiua, essentialis sola: essentialis quidditatiua qualis est prędicatio Generis, & definitionis, scilicet quādo prędicatū est in quid: essentialis sola, quando prędicatum est in quale quid, qualis est prędicatio Differentię. Accidentalis, in qua prędicatum nō est de natura subiecti: quę duplex est, propria, & cōmunis: accidentalis propria est, in qua prędicatum est Proprium alicuius Speciei, vt homo est risibilis: communis est, in qua prędicatur Accidens cōmune, vt homo est albus. Accidētalis communis duplex, externa, & interna: interna, in qua prędicatur Accidens, q. ineſt subiecto, de quo prędicatur: vt homo est albus: externa in qua Accidēs nō ineſt subiecto de quo prędicatur, vt homo videtur. Prēterea triplex est, prima, quę sumitur ab actibus animę, vt pariet videtur, homo amatur: secunda, quę sumitur à secundis intētionibus, vt homo est Species, animal est Genus: tertia, quę sumitur ab aliquo alio extrinseco, siue loco, vt homo est Romanus, siue alia habitudine, Philosophus est Platonicus.

Inordinata prędicatio cōtra ordinem est, in qua id prædicatur, quod debet subijci, id subijcitur, quod debet prędicari, istę sunt oppositę, seu conuertentes omnium ordinatarū, nec oportet nunc has rursus distinguere. Antiqui vocabant ordinatā

Vide Philopo. de

hæc prædica. 1. Post. cō. 85. & 3. in Theo. 34. & tab. fol. 3. colum. 8.

dinatam prædicationem naturalem: in ordinatam, non naturalem: quā distinctionem ponit Auer. 7. Meta. com. 59. & 4. Physic. com. 33. vbi soluit problema logicum, scilicet cur Aristoteles facit syllogismos ex terminis conuertibilibus in secunda figura ex puris affirmatiuis, cum possit per conuersionem eos facere in prima, & esse consequentia bona de forma: dicit id eum fecisse, ne daretur prædicatio non naturalis, scilicet in qua subiectum de Accidenti, vel definitio de passione prædicetur. Eandem distinctionem habet Themistius 1. Post. capit. 38. Alij prædicationem naturalem vocant directam: non naturalem, indirectam.

Alia est prædicatio inordinata præter ordinem: hæc est triplex, quædam identica, quædam disparata, quædā per accidens: identica, qua idem de seipso prædicatur: disparata, qua disparatum de disparato, vt homo est leo: vel cōtrarium de contrario, vt album est nigrum: per accidens est, in qua duo cōnotatiua inuicem prædicantur, quorum prædicatio in abstracto falsa est. Est enim obseruandum, quando connotatiua prædicātur, ad veritatem propositionum sufficere identitatem subiecti, vt album est dulce: veritas huius pendet ex eo, quòd albedo & dulcedo sint in aliquo vno subiecto, tales vocamus per accidens, dummodo illorum prædicatio in abstracto non valeat: aliter enim erit non per accidens: vt album est coloratum, non est per accidens, valet enim albedo est color. Hæc est triplex. Prima, in qua connotatiuum vnius prædicamenti prædicatur de alio alterius Prædicamenti, vt album est simile, Musicus ædificat. Secunda, in qua cōnotatiuum vnius Prædicamenti prædicatur de connotatiuo eiusdem Prædicamenti, vt album est dulce. Tertia, in qua vna Differentia, vel Proprium de alio, vt rationale est sensibile, risibile est flebile.

DE SPECIE.
Capit. II.

1. SPecies autem dicitur quidem & de vniuscuiusque forma: secundum quam dictum est. Prima quidem species digna est imperio. Dicitur autem species & ea, quæ est sub assignato genere: secundum quam solemus dicere hominem quidem speciem animalis, cum sit genus animal, album autem coloris speciem: triangulum vero figuræ speciem. Quòd si etiam genus assignantes speciei meminimus, dicētes: quod de pluribus & differentibus specie, in eo quod quid est, prædicatur: & speciem dicimus id, quod sub assignato genere est: nōsse oportet, quod quoniam & genus alicuius est genus, & species alicuius est species, idcirco necesse est in vtrorumque rationibus vtrisque vti. Assignant ergo & sic speciem. Species est, quæ ponitur subgettere: & de qua genus, in eo quod quid est, prædicatur. Amplius autem sic quoque. Species est, quæ de pluribus & differentibus numero, in eo quod quid est prædicatur. Sed hæc quidem assignatio specialissimæ est, & quæ solum species est, non autem & genus: aliæ vero erunt etiam non specialissimarum.

2. Planum autem erit quod dicitur hoc modo. In vnoquoque Prædicamēto sunt quædam generalissima, & rursus alia specialissima: & inter generalissima & specialissima sunt alia, quæ genera & species dicuntur eadem. Est autem generalissimum quidem, supra quod nullum aliud sit superueniens genus. Specialissimum autem est, post quod nō est alia inferior species. Inter generalissimū autē & specialissimū alia sunt, quæ genera & species sunt eadem, ad aliud tamē & ad aliud sumpta. Fiat autem in vno quidem Prædicamento manifestum quod dicitur. Substantia est quidem & ipsa genus: sub hac asūt est corp*: & sub corpore animatū corpus: sub quo animal: sub animali verò rationale animal: sub quo homo: sub homine verò Socrates & Plato, & qui sunt particulares homines. Sed horum substantia quidem generalissimum est, & Genus solum: homo vero specialissimum, & solum Species. Corpus autē Species quidem est substantiæ, Genus verò animati corporis, sed & animatum corpus. Species quidem est corporis, Genus vero animalis: rursus animal Species quidem est corporis animati, Genus vero rationalis animalis: sed rationale animal Species quidem est animalis, Genus autem hominis: homo vero Species quidem est rationalis animalis, non autē Genus particularium hominum, sed solum Species: & omne, quod ante individua propinquè prædicatur, Species erit solum, non etiam genus.

GENERVM AC SPECIErum in Prædicamento Substantiæ ordo.

Genus	Substantia	generalissimū
Species	Corpus	& Genus.
Species	Animatū corpus	& Genus.
Species	Animal	& Genus.
Species	Rationale animal	& Genus.
Species	Homo	specialissima.
Particulares	Socra. & Plat.	homines.

Quemadmodum igitur substantia cū suprema sit, eo quòd nihil supra eam sit, Genus est generalissimū, sic etiā homo cum sit species, postquā non est alia species, neq; aliquid eorū, quæ possunt diuidi in Species, sed solum individua (individuum enim est Socrat. & Plato, & hoc album) Species erit solū & vltima Species, & (vt dictum est) specialissima: quæ vero sunt in medio, eorum quidē, quę ante ipsa sunt, erūt species: eorum autem, quę post ipsa sunt, Genera. Quare hæc quidem duas habent habitudines, eam, quæ est ad ea, quę antecedunt, secundū quam Species ipsorum esse dicuntur: & eam, quæ est ad posteriora, secundū quā Genera ipsorum esse dicuntur. Extrema vero vnam habent habitudinem. Nam & generalissimū ad ea quidem quæ posteriora sunt, habet habitudinem, cū sit Genus omnium id, quod est suprēmū: ea vero, quæ est ad superiora non habet, cū sit suprēmum & primum principium, & (vt diximus) supra quod non est aliud sit perueniens Genus. Specialissimū autem vnam habet & ipsum habitudinem, hāc quidem, quæ est ad superiora, quorū est species: eam vero, quę est ad posteriora, non diuersam habet habitudinem sed eandē, & Species indiuiduorum dicitur: sed Species quidē dicitur indiuiduorū, velut ea continēs: Species autē superiorum, velut quæ ab eis continetur.

3. Determinant igitur generalissimum genus ita, quod cū Genus sit, non est Species, & rursus supra quod non est aliud superueniens Genus. Specialissimā vero Speciem sic, quæ cum sit Species, nō est Genus: & quam, cum sit Species, in Species diuidere non possimus: adhuc autem, & quæ de pluribus & differentibus numero in eo quod quid est prædicatur. Ea vero: quæ in medio sunt extremorū, subalterna vocant Genera & Species, & vnum quodque ipsorum Speciem esse, & Genus ponunt: ad aliud tamen & aliud sumptum: ea enim, quæ sunt ante specialissima vsque ad generalissimum ascendentia, & Genera dicantur, & Species: vt Agamenon, Atrides, & Pelopides, & Tantalides, & vltimum Iouis. Sed in similibus quidem plerunque ad vnum reducuntur principium, verbigratia ad Iouē: in generibus vero & speciebus non sic se habet. Neque enim est commune vnum Genus omnium entium nec omnia eiusdem generis sunt secundum vnum suprēmum Genus, quemadmodum dicit Aristoteles: sed posita sint (quemadmodum in

Prædicamentis dictum est) prima decem genera, quasi prima decem principia. Et si omnia quis entia vocet, æquivocè (inquit) nuncupabit, sed non vniuocè. Si enim vnum esset cómune omnium Genus ens, vniuocè omnia entia dicerentur. Cum verò decé sint prima, communio secundum nomen est solum, non tamen secundum rationem, quæ secundum nomen est.

4. Decem igitur generalissima, quidem sunt: specialissima vero in numero quidem quodã sunt, nõ tamen infinito. Indiuidua aũt, quæ sunt post specialissima, infinita sunt. Quapropter vsq; ad specialissima à generalissimis descendẽtes, iubebat Plato quiescere: descendere aũt per media diuidendo specificis differentijs, infinita vero (inquit) relinquenda sunt, neq; enim eorum scientiã posse fieri.

5. Descendentibus igitur ad specialissima, necesse est diuidentes per multitudinem ire: ascendentibus verò ad genera lissima necesse est colligere multitudinẽ in vnum: collectiuum enim multorũ in vnam naturam Species est, & etiam magis id, quod Genus est: particularia verò & singularia è contrario semper in multitudinem diuidunt id, quod vnum est. Participatione enim Speciei plures homines, sunt vnus homo. In particularib⁹ autem & singularibus vnus & communis plures: diuisiuum enim semper est, quod singulare est: collectiuum autem & adunatiuum, quod commune est.

6. Assignato autem Genere & Specie, quid sit vtrunq; eorum, & genere quidé vno existente, speciebus verò pluribus (semper enim in plures Species diuisio generis est) Genus quidem semper de Specie prædicatur, & omnia superiora de inferioribus: Species autem neq; de proximo sibi Genere, neq; de superioribus: neque enim conuertitur. Oportet enim aut æqua de æquis prædicari, vt hinnibile de equo: aut minora de minoribus, vt animal de homine: maiora verò de maioribus minimè: neq; enim dices animal esse hominem. quemadmodum hominẽ dices esse animal. De quibus aũt Species prædicatur, de ijs necessario & Speciei genus prædicabitur, & generis Genus vsq; ad generalissimum: si enim verum est dicere Socratẽ hominem, hominem autem animal, animal autem substantiam: verum est & Socratem animal dicere, atque substantiam, semper enim cùm superiora de inferioribus prędicentur, Species quidé de indiuiduis prædicabitur, Genus aũt & de Specie, & de indiuiduo: generalissimũ verò de Genere vel generibus, si plura sint media & subalterna, & de Specie, & de indiuiduo. Dicitur enim generalissimũ quidem de omnibus sub se positis generib⁹ & speciebus, & indiuiduis: Genus autem, quod ante specialissimum est, de omnibus specialissimis & indiuiduis, solũ autem Species, de omnibus indiuiduis, indiuiduũ autem de vno solo particulari.

Indiuiduum autem dicitur Socrãtes, 7.
& hoc albũ, & hic veniens Sophronisci filius, si solus sit ei Socrates filius. Indiuidua autẽ dicuntur huiusmodi, quoniam ex proprietatibus consistit vnumquodq; eorum, quarum collectio nunquã in alio eadem erit: Socratis enim proprietates nunquam in aliquo alio particularium erunt eædem: eæ vero, quæ sunt hominis proprietates (dico autem eius, qui est cómunis) erunt eædem in pluribus, magis aute & in omnibus particularibus hominibus, in eo quòd homines sunt.

Continetur igitur indiuiduum quidem sub Specie: Species autem sub Genere. Totum enim quoddam est Genus: indiuiduum autem pars. Species vero & totum est, & pars, sed pars quidem alterius: totum autem non alterius, sed in alijs, in partibus enim totum est. De Genere igitur & Specie, & quid generalissimum, & quid specialissimum, & quæ Genera eadem, & Species sint, quæ etiã indiuidua, & quot modis Genus & Species dicantur, sufficienter dictum est. 8.

Cur

Cur de Specie post Genus, & non prius de Differentia egerit?

POst genus tractat Porphyrius de Specie: qua in re non absq; ratione potest quis dubitare, cum Differentia sit prior specie, est enim eius pars, & cùm in prooemio fuerit ante Speciem proposita, cur modo de specie postposita Differentia tractauerit? Ammon. & Boet. huius vnam assignant causam: nempè quia Genus, & species relatiua sunt, & vnum relatiuum perfectè absque altero cognosci nequit. Auicen. secundã huius dat causam, quia Genus est magis intrinsecum speciei, quàm Differentiæ, propterea post Genus sequitur species: Species enim cõstat ex Genere & Differentia: Genere, vt materia: Differentia, vt forma: vt autem materia magis est intrinseca composito, cuius est pars, quàm formæ: ita Genus speciei, quàm Differẽtiæ est magis propinquum. Poterit etiã in tertio dici, quòd quamuis in esse præcedat Differentia, tamen in prædicãdi modo prior est species, prędicatur enim in quid, at Differẽtia in quale, & ferè ad modum Accidentis.

Species autem dicitur, &c.

1. Hoc igitur caput in tres diuiditur partes: in prima tradit acceptiones speciei & definitiones, in secunda constituit ordinem prędicatorum, in tertia definit & diuidit indiuiduum. Dupliciter igitur sumitur species. Vno modo, pro forma & pulchritudine rei, quo pacto dicimus, præstãtissima species digna est imperio, scilicet homines pulchri & formosi sunt digni, vt alijs imperent. Secundo modo dicitur species, quæ subijcitur Generi, quo pacto dicitur, homo est species animalis, de qua in præsenti loquitur Porphyrius. Et quia poteramus ei objcere, quare specié per Genus definit, cũ genus per speciem definierit? vitium enim est circulus in definitionibus, scilicet definiri vnum per alterum, & è contra: excusat se, dicens id in his, quæ relata & ad aliud sunt, non esse inconueniens: imò vnum per aliud definire necesse est.

Huius speciei tres assignat definitiones. Prima est, Species est quæ ponitur sub Genere. Secunda, species est, de quo genus in eo quod quid prædicatur: quãuis has duas aliqui, inter quos est Auicen. vnam esse velint: & admodum probabile videtur, scilicet, Species est quæ ponitur sub Genere, de qua genus in eo quod quid prędicatur, vt posterior pars sit prioris declaratio. Tertia, species est, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid, vt homo prædicatur de Petro, & de Paulo, & alijs similibus. Statim hanc tertiam comparat duabus præcedentibus, & hic manifestat Porphyrius illas esse duas, dũ plura liter de eis loquitur: discrimen aute est, illæ duæ priores competunt omni speciei, ista posterior soli speciei vltimæ, & specialissimæ.

Est enim duplex species, quædam quæ solum est species & relata ad superiora, & relata ad inferiora: ad superiora, quia inferius dicitur species superiorum: ad inferiora quidem: quia sunt solum indiuidua, & singularia de quibus prædicatur: vt homo, leo, equus: & hæc dicitur species specialissima, seu athoma, seu species subijcibilis & sic prædicabilis.

Altera species est quæ relata ad superiora est species, ad inferiora verò est Genus, quia inferiora eius sunt plura specie Differentia: vt animal respectu viuentis, seu substantiæ est species, at respectu hominis & leonis est genus: & hæc dicitur species subalterna. Modo illæ definitiones priores conueniunt vtrique speciei, specialissimæ, & subalternæ: at tertia definitio solum specialissimæ cõpetit.

¶ *Dubia aliquot scitu digniora in primam partem capitis, de Specie.* Nota. 1. Species

Circa hanc partẽ est primo notandũ vt nomẽ quòd species sit nomen primæ intentionis, id est, significans res ipsas secundum tẽtionis.

se: & est nomen secundæ intentionis, vt rem significat: qua ratione prædicatur vel subijcitur: si priori modo consideretur, ad huc multiplex est significat enim apud Philosophos similitudinē rei, quæ in potentia cognoscente recipitur, quo pacto loquuti sumus superius. Secundò significat formam rei substantialē, quæ est altera pars compositi: cōpositū enim constat ex materia, & forma, cuius vsus est frequēs apud Aristotelē, qui formam rei vocat Speciem. Tertiò sumitur pro pulchritudine corporis, quæ quoddā accidens est. Porphyrius duas priores prætermisit, quia obscurę erant, tertiam explicuit, quia facilis est & similitudinem aliquam cum Specie Logica habet: vt enim rei pulchritudo ex debita partium compositione fit, ita Species ex Generis & Differentiæ recta vnione & coniunctione: quæ Species dicitur Logica, & secunda intentio.

Est prēterea notandum circa literam: aliquos textus habere, (Species Primi digna est Imperio) & ita legit Albertus, & Auerro. at Græcè habetur, prima seu præstās Species digna est Imperio: quasi pulchritudo corporis, animi virtutem arguat: vt dicit Arist. 1 Rheto. lineamenta corporis virtutis animi signa sunt.

Circa exemplū Porphyrij, quo triangulum assignat tanquam Speciem, & figuram, vt Genus: aliquid id esse falsum existimant, credentes figuram non esse Genus ad triangulum, quadrangulum & alias: quia per prius dicitur de vna, quam de altera, & quia ex triangulo reliquæ cōponuntur. Ammonius hic Porphyrium defendit: nos hoc prætermittimus, quia in secundo de Anima, vbi maior hoc examinandi offeretur occasio, differemus: interim id saltem supposuisse satis est.

Nota. 3. Qua ratione in definitionibus & de

Est tertio notandum. Circulus in aliqua definitione, vel demonstratione fit, quando per id, quod definitum est, definimus aliquid eorum, quæ in definitione sunt, vel per id quod probatum est, probamus iterum ea, quæ ad illius probationem assumpsimus: quod quidem vitium est, vt docet Arist. 1. Poste. cap. 3. quia sequitur aliquid esse notius se ipso. Nam si hoc, verbi gratia. A. definitur per B. seu probatur per B. notius est B. quia definitio est notior, & antecedens similiter notius est, quàm consequens: iterū si B. definitur per A. seu probatur per A. sequitur quòd A. est notius, quàm B. ergo A. est notius se ipso, quia est notius eo, q̄ ipso est notius. At quamuis hoc non liceat in alijs, in relatiuis licet vnum per alterum definire: quia iste defectus non committitur in his: relatiua enim sunt æque ignota per se sola: singula tamen ad alterum relatiuum comparata, sunt & fiunt notiora se ipsis, non ad aliud relatis: & innotescunt cum aliis sumptis: notius enim est relatiuum, pater, simul cum filio relatiuo sumptum, quàm ipsum per se: hoc autem non est inconueniens.

monstrationibus fiat circulus.

Est quarto notandum esse dubium circa definitionem primā Species est quæ ponitur sub Genere: videtur enim alijs competere, quā speciei: nam individuū ponitur sub Genere: aliqui subintelligunt vniuersale, alij prędicabile, asserantq; hoc debere intelligi de prædicatione immediata. Alber. & Caietanus hoc videntes non esse cautum, quia individuum Generis immediatè ponitur sub Genere, scilicet hoc animal est animal, nescio quid imaginantur scilicet q̄ Species est sub Genere, quantum ad ordinem positionis, & participationis, & totalis principationis, q̄ est dicere, Species est inferior per se Genere ordine naturali, & prędicādi, & iste est ordo positionis, & est inferior ordine participationis, quia Species in sua substātia participat Genus, Genus verò non Speciem. & Genus continet totam substantiam speciem: nā species cōstat ex Genere & Differētia: at Differētia in potētia cōtinetur sub Genere: & hoc est dicere Genus esse totale principiū speciei, & specié habere ordinem ad Genus totalis principationis q̄ non fit in individuo: quia individuatio est in materia & accidentibus, nō autem procedit à Genere sicut Differētia: & sic volunt isti doctores, illud (Sub) in definitione scilicet, Species est quę sub Genere ponitur, habere hos tres ordines: hæc optimè dicta sunt ab Alberto tract. 4 cap. 1. Sed profectò nescio an præterrem: cùm sensus sit alia ex parte clarissimus, & minus expositus cauillo, scilicet, Species est quæ ponitur sub Genere, tali positione secundum qualem Genus est Genus, & hoc nulli præter speciē competit.

Nota. 4

Nec similiter est curandum, cur Porphyrius dixit sub assignato Genere: volūt enim q̄ (sub assignato) idest, certo & determinato: quia vna Species ad vnum pertinet Genus: patet enim ibi significare illud verbum sub assignato genere, id est, definitio & descripto paulò ante: & hoc ipse declarat consequenter dicens, Genus assignantes, id est, definientes seu describentes.

Secunda pars Capitis de Specie.

TEXT. PLanum autem erit quod dicitur hoc modo, &c.

2. HAec est capitis secunda pars, qua Porphyrius manifestat hoc, q̄ dixerat de duplici Specie, & comparatione, & ad superiora & ad inferiora, describitque totum Prædicamentum, quo ista continentur.

Hæc autem pars in tres alias diuidi potest. In prima, ea quæ in quoque Prædicamento constituuntur, explicat, & differentiam assignat, & eorum similitudinem. In secunda, singula eorum definit, & exemplo quodam manifestat, ostendens in quo similitudo, & dissimilitudo exempli consistat. In tertia eorum numerum, & modum ea constituendi, & inter se prædicandi ordinem enarrat:

Nota 1. Quid sit Prædicamentū.

Circa primum est notandū, q̄ Prædicamentū, vt in præsenti sumitur, est quędam multorum Generum & Specierum ordinatio sub vnico supremo contento

rum: vt patet in exēplo, quod Porphyrius proponit de substantia: est enim quoddam commune, substantia scilicet, sub qua est corpus, sub corpore est corpus animatum, sub corpore animato est animal, sub animali animal rationale, sub animali rationali homo.

Nota. 2.

In quo exemplo duo sunt considerāda, alterum q̄ hic defectu nominum ponuntur vocabula cōposita, tamē illa cōsideranda sunt, tanquam simplicia, quorum loco ponuntur: alterum est, quod Porphyrius in ista ordinatione ponit animal rationale tanquā Genus hominis quia ipse existimabat cælos & Angelos esse animalia rationalia, sed ista sententia est error, nec eam recipit Christiana religio. Imò nec schola Peripatetica: animal rationale est solus homo: propterea istud genus est prætermittendum.

Nota. 3.

Est etiam aduertendū tertiò potuisse istam coordinationem in prædicatis accidentis constitui: quia verò notior est in substantijs, & prima, propterea in substantia fit exemplum.

Enarrat Porphyrius ea, quæ in hoc Prædicamento sunt. Sunt autem tria. Primum est generalissimum quoddā vnum Genus omnia alia complectēs: est etiam species vltima, & sunt inter media: verbi Gratia, Genus supremū substantia, Species vltima, homo: Genera intermedia, animal corpus, & reliqua. Hæc autem sic esse habent. Genus supremum non habet aliud genus supra se: propterea semper est Genus. Species vltima nō habet speciem sub se, propterea semper est species: at inter media vtrunque habent, & supra se Genus, & sub se Species: propterea habēt quæ habitudines, quia respectu superiorum sunt Species, respectu inferiorum Genera: at Genus supremum vnicā habet habitudinē, sicut Species vltima: vocat autem habitudinem, relationem mutuantem denominationem: vnde species vltima duas habet relationes, & ad superius, & inferius: sed vnica est habitudo, quia secundū vtranq; dici-

dicitur species. Hæc est prima pars huius secundæ partis.

TEXT. 3. DEterminant igitur generalissimũ Genus ita, &c.

HAc secunda parte describit Porphyrius horum singula: generalissimi autẽ duas ponit descriptiones. Prima est, generalissimum est quod cùm sit Genus non est Species. Secunda, Genera lissimum est genus, supra quod non est aliud genus.

Speciei autem ponit tres descriptiones. Prima est: species specialissima est quæ cùm sit species non est genus. Secunda cùm sit species, non diuiditur in species. Tertia species est, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero, in eo quod quid: Speciei verò subalternæ est descriptio, quæ cũ sit genus est species, & cũ sit species, est gen⁹ respectu diuersorũ.

Hanc prædicatorum seriem ex emplo familiari naturalis generationis manifestat: in generationibus enim datur vnum vltimum, vt verbi gratia Agamemnon, ante quem est pater scilicet Atrides: ante hunc Pelops: ante hunc Tantalus: ante hũc verò Iuppiter: sed discrimẽ est, nã plerunque ista ad vnum referũtur: at ista Genera prima & prædicaméta sunt plura, sunt enim decem suprema Genera, quæ ad vnum genus reduci nequeunt: nam si ad vnum reducerentur, hoc esset eus, quod non potest esse Genus, quia genus, vt constat, esse debet vniuocum, at ens secundum Aristot. 4. Meta. cap. 2. est analogum, quod hic Porphyrius vocat æquiuocum.

Nota. Circa quod est considerandũ, ista Genera dici generalissima superlatiuo gradu negatiuè sumpto, vt substantia est genus generalissimum, nõ quod sit cõmunior omnibus, sed quòd nihil illa sit cõmunius: eadem ratione singula aliorum generalissima, & suprema dicuntur.

TEXT. 4. DECEM igit generalissima sunt, &c.

HIc numerum eorum, quæ in Prædicamento collocãtur, constituit tali conclusione. Genera suprema decẽ tãtum sunt, specialissima verò plura sunt sed non infinita, at indiuidua infinita sunt. Hæc duo probat ex doctrina Platonis, quæ habetur in dialogo dicto, Sophista, Plato enim iubebat, vt quando ab aliquo generalissimo descenderemus ad inferiora, sisteremus in speciebus, non vltra procedentes: quia vltra speciem sola sunt indiuidua: hæc autem sunt infinita, propterea ad artem, & scientiam non spectant: ars enim & scientia certis limitibus continentur.

Hic nota, infinitum bifariam sumi: vno modo in actu, quo pacto si modò realiter infiniti simul homines existerẽt, diceretur numerus infinitus in actu: altero modo est infinitũ in potẽtia: & hoc in numeris apparet, quorũ augmentum nunquàm cesset, sed multis datis, adhuc plura dantur: quo pacto si mundus esset duraturus in æternum, cum hominẽ perpetua propagatione, vt existimauit Porphyrius, darentur infiniti homines, non quidem actu, sed potẽtia: quia nunquàm cessarent alij, & alij cõtinuè nasci, & esse. De hoc infinito est intelligendus Porphyrius, quãdo asserit indiuidua esse infinita, non quidem actu, sed potentia. At species vtroq, modo finitæ sunt, & actu, & potentia: quia semper sunt eædẽ species, licet non eadem indiuidua.

Nota. Infinitũ quotmodis capitur.

TEXT. DEscendentibus igitur ad specialissima necesse est, &c. 5.

HIc Porphyrius, quantum existimo, respõdet obiectioni, quã quis posset obijcere: si enim generalissima decẽ sunt, quare species tot sunt, & indiuidua infinita? respondet vniuersalia in se multa inferiora includere: ita, vt sub vna specie singularia innumera: sub vno genere, species multæ, & sub genere superiori multa inferiora compræhendantur: vniuersale enim est collectiuum, & quò magis vniuersale, magis est collectiuum: & particularia sunt plura, & quò magis particularia, plura sunt: & propterea superiora genera per differentias varias inuarias species multiplicantur.

Obiect.

Solutio.

Hic

Nota. Quotmodis aliquid dicatur magis collectiuè. Hic notandum est dupliciter aliquid posse dici magis collectiuũ, vt notat Cajetanus: priori modo id quod est magis vnum, quod dicitur magis collectiuum intensiuè, altero modo id quod plura cõpræhendit, & sic dicitur magis collectiuum extensiuè. Iuxta hoc intellige minus vniuersale esse magis collectiuum intensiuè, quia magis sunt vnum, quæ in minus vniuersali conueniunt, quàm quæ solum in magis vniuersali: at magis vniuersale est magis collectiuũ extensiuè, quia sub se plura continet, & sic loquitur Porphyrius.

TEXT. ASSIGNATO aũt genere & specie.

6. ORdinem prædicandi horum quæ in Prædicamento constituuntur, hic explicat, & ex his, quæ clarè & rectè dicit, ista conclusio potest colligi: scilicet superiora de inferioribus, & de his, de quibus dicũtur inferiora, prædicãtur, & æqualia de æqualibus: vnde Genus de speciebus & indiuiduis prædicatur: & genus superius de inferioribus generibus & horũ speciebus, & earũ indiuiduis: & tandẽ generalissimũ de omnibus inferioribus, nõ tamen è contra inferiora de superioribus prædicantur: hæc intellige de prædicatione ordinata & directa.

TEXT. Indiuiduum aũt dicitur Socrates, &c.

Pars tertia.

7. HAEC est tertia huius capitis pars in qua quid in diuiduum sit, & quotuplex, & quale indiuiduum dicatur, tractat. Est igitur indiuiduum, quod de vno prædicatur, vt diximus superius: triplex esse indiuiduum exemplo manifestat: est indiuiduum substantiæ determinatum, vt Petrus, Ioannes: & est indiuiduum ex suppositione, vt filius Petri, si vnicũ habeat filium: est etiam indiuiduum Accidẽtis, vt hoc album, & sub hoc potest esse indiuiduum ex demonstratione, scilicet ille homo, hoc animal.

Dicitur autem indiuiduum, eo quod collectio proprietatum quæ in vno sunt in altero esse non possit: & optimè dixit collectionem proprietatum, quia vnum Accidens vnius indiuidui nihil prohibet esse in altero: vt quòd sit ex eisdem parẽtibus natus, vel eodem loco, vel eodem tempore: at omnes simul, quæ in vno sunt, in altero esse nequeunt, sicut proprietates speciei, quæ omnibus sunt cõmunes.

7. Proprietates indiuidui.

Hæ autem proprietates indiuiduorũ ad septem plus minus reduci possunt, sub quibus omnes cõtinentur, quæ sunt, hæc: Forma, Figura, Locus, Tempus, Sanguis, Patria, Proprium q̃ nomen: per formã intellige temperiem: per figuram vultũ colorem q̃ corporis, & staturam, ac quãtitatem: per sanguinem cognationẽ, parentes, & reliqua.

Hoc loco Auerroes reprehendit Porphyrium, quia ista definitio indiuidui soli indiuiduo Accidentis videatur competere: & ita eius iudicio melius esset cum Aristot. 1. Periherm. cap. 5. dicere. Indiuiduum est, quod non prædicatur de multis. Sed jam de hoc quid sentiendum esset, quodq̃ Auerrois sententia non sit vsquequaque vera, latius diximus capit. de genere.

Dubiũ. Est vnicum dubium: nam habetur 7. Metaph. cap. 15. indiuiduum vel singularis non esse definitionem, neque scientiã, quomodo ergo hic definitur? Ad hoc dico indiuiduũ posse dupliciter cõsiderari: vno modo primæ intẽtionaliter, scilicet pro ipsa re, quæ est singularis secundum se, scilicet pro Petro, aut Paulo: & sic nullatenus potest definiri, Petrus enim non definitur: altero modo secundæ intentionaliter, scilicet pro re singulari, quatenus habet hãc proprietatem intellectus, q̃ de vno prædicetur, vel non posit in alia inferiora diuidi: & sic definiri potest, & in præsenti definitur à porphyrio.

Respon. Indiuid. duplex considerat.

TEXT. CONtinetur igitur indiuiduum sub specie, &c. 8.

PORphyrius ex his, quæ dixit, scilicet genus de speciebus, & speciem de indiuiduis prædicari, infert indiuiduũ sub specie, & speciẽ sub genere cõstitui. vnde species & ad genus refert, & ad indiui

dua,

dita, sed aliter ad vnum, aliter ad alterũ: ad Genus enim vt pars ipsius, ad indiuidua verò vt totum in ipsis: & ad explicandas has duas diuersas relationes, & respectus: diuerso loquendi modo est vsus, scilicet, Species est alterius, scilicet Generis, quia est eius pars: & Species est in aliis, scilicet indiuiduis, tanquàm totum in partibus. Tandem epilogat Porphyrius ea quæ dicta sunt.

Totũ est triplex. Est notandum totum esse triplex, vniuersale, definibile & integrale: vniuersale est superius respectu inferiorum, & inferiora dicuntur partes potentiales: totum definibile est definitũ respectu partium definitionis: totũ integrale est cõpositũ respectu partiũ integrantium & quantitatis, vt manuum, pedum, capitis.

Iuxta hoc intellige speciem esse totũ definibile respectu ipsius generis, & Genus partem: nam ex Genere, & Differentia fit Species, at Species est pars potentialis Generis, & ipsum Genus est totum vniuersale: & ita loquitur Porphyrius, scilicet Genus est totum vniuersale, & Species est ipsius pars potẽtialis, indiuiduorum verò est totum vniuersale. Hæc quãtum ad capitis interpretationem.

QVAESTIO VNICA.

An definitiones Speciei, & reliqua de specie, a Porphyrio recte tradita sint.

CIrca ea quę in capite hoc de Specie, & eius definitionibus dicta sunt, præcipuè aliquot difficultates erunt agitãdæ. Et primo obijciam nonnulla contra definitiones datas speciei, deinde contra alia.

1. Argu. Sit ergo primum argumentum. Species vt species est, est quoddam vniuersale, sed illæ definitiones non sunt de specie, vt vniuersale, ergo non sunt rectæ. Maior est nota. Minor probatur: quia vniuersale dicitur aliquid in ordine ad inferiora, sed Species relata ad Genus nõ sumitur nisi in ordine ad superius.

2. Secundò arguitur contra id, quod dicitur, vltimam definitionẽ soli Speciei specialissime cõpetere. Genus etiã prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid: ergo non soli speciei vltimæ competit illa definitio. Antecedens est notum, animal enim de Petro, & Paulo, & reliquis in eo quod quid prædicatur.

3. Tertiò. Illa definitio tertia non conuertitur cum Specie, ergo non est bona. Probatur antecedens: Sunt multæ species quæ de pluribus non prædicantur vt Sol, Phœnix, Mũdus: ergo non omnibus definitio competit: similiter sunt multa quæ prædicantur de pluribus numero, differentibus in eo quod quid, quæ tamẽ non sunt Species. Probatur. Punctus prædicatur de multis punctis, instans de multis instantibus, anima de multis animabus: hæc autem non sunt species, quia sub nullo genere sunt: punctus enim non est in Genere, nec alia, cum in Prædicamẽto non sint, sed reductiuè, ergo non sunt Species: aliter enim Species esset, quæ non est sub Genere, contra aliam definitionem.

4. Quartò. Petrus & Paulus & similiter alia indiuidua propriè non differunt numero, ergo Species nõ prædicatur de differentibus numero. Antecedens patet. Differre numero non potest, nisi quod est numerus, sed Petrus per se, & Paulus per se sunt vnum, quod non est numerus, sed numeri principium, ergo non differunt numero. Præterea quia sunt multæ Species, quæ nulla ratione de numero differentibus dicũtur, quia numerus pertinet ad quantitatem, indiuidua autem, & Species multæ sunt extra quantitatẽ.

5. Quintò. Argumentor contra quædã alia, quæ in capite continentur. Genus est prius Specie, vt superius probauimus: ergo Genus & Species non sunt relata. Patet consequentia, quia relata simul sunt natura, vt docet Arist. in Prædicamento ad aliquid.

6. Sextò. Id quod dicitur Genus inferius generalissimo, esse Genus subalternum. Contra. Esse subalternum, est esse sub altero, sed genus, vt sub altero est, non est genus, sed species: ergo est implicatio, & repugnantia in adiecto, dicere genus subalternum.

7. Septimò. Ista genera vocantur media. Contra. Medium participat naturã extremorum, vt color medius, scilicet, rubedo, vt videtur, constat ex albedine & nigredine: at genus non sit nec participat ex superiori & inferiori: ergo non est dicendum medium.

8. Octauò. Cõtra id quod dicitur, vniuersale esse collectiuum. Si ita esset, illa nomina essent collectiua, homo, animal, corpus, & tandem omnis terminus communis, sed hoc manifestè est falsum: ergo & antecedens illud est falsum, scilicet vniuersale est collectiuum.

Alia possent proponi argumenta, cõtra ea, quæ de specie dicuntur, quæ quia minoris momenti sunt, & partim ex his, quæ diximus in capite de Genere nota, prætermittuntur: hæc autem, quæ proposuimus, eiusmodi sunt, quorum solutio maximè speciei, naturam, & essentiam perfectamq; eius notitiam aperiat.

Circa primum ergo argumentum, Alpharabius & Auicenna in sua Logica. c. de specie, mouent dubium, an species, vt ad genus refertur, sit vniuersale. Auicenna videtur dubitare propter quod ab Alberto reprehenditur tractatu quarto cap. 1. asserit enim Albertus cum Alpharabio, speciem, vt ad Genus refertur, non esse vniuersale: cuius ratio est sortis. Species, vt ad genus refertur, est subiectum, nempè de qua genus prædicatur: sed vniuersale, vt vniuersale est prædicatum, est enim vniuersale vnũ in multis, & de multis: ergo vt species refert, nõ est vniuersale.

Ex hac doctrina infert Caietanus in præsenti. Cũ de natura specie vt species est, sit ad Genus, & species vt species nõ sit vniuersale, de natura speciei nõ est esse vniuersale, sed est proprietas & accidens, quod sequitur ipsam speciem. Atq; ita Porphyrius definiens speciem in ordine ad genus definit illam secundũ naturam: in ordine verò ad indiuidua definit per proprietatem: vnde secundũ Albertum & Caietanum speciei, vt ad genus refertur, accidit esse vniuersale.

Sed pace tantorum virorum dicam. Ista sententia non mihi videtur recipiẽda, quia prius est esse vniuersale, quam esse speciem: cum vniuersale sit communius. Imò, vt antea ostendimus, sit genus ad speciem, & alia Prædicabilia: ergo nõ accidit speciei. Sit præterea, quod me magis monet. Species est non solũ quod refertur ad genus, sed quod refertur immediatè ad genus: sed quod immediatè ad Genus refertur, est vniuersale, cũ genus, vt genus, immediate de singularibus non prædicetur, ergo species, vt ad genus refertur, est vniuersale, & de ratione talis est quod sit vniuersale.

Propterea dico. Species habet tria q. In specie sit vniuersale, quod sit species, & specialissima: tria sunt quòd sit vniuersale, habet in ordine ad inferiora, quod sit species in ordine ad superiora, ita tamen quod non sit vniuersale, non sit species: quòd verò sit specialissima respectu ad inferiora indiuidua de quibus immediatè prædicatur, atque ita species specialissima cõstituit secundum Prædicabile, & est species verè & vniuersale eius genus. Quòd si Albertus voluit dicere, quod illa species nõ dicitur vniuersale comparatione ad genus, sed ad inferiora, recipimus, si tamẽ velit dicere cum Caietano, quod nõ est de natura speciei, quæ ad genus refertur esse vniuersale falsum est, vt probaui, quia quod immediatè ad genus refertur, est vniuersale: ex quo patet tertia definitio Porphyrij, quæ est de specie, vt species specialissima est.

Distinctio. Dici etiam potest, vt arbitror, facilius & clarius, adhibita quadam distinctione quæ omnem videtur euacuare difficultatem. Vniuersale vt vniuersale, sicut antea ostensum fuit, dicit per se & intrinsecè esse in multis, & ex hac eius essentia, quia tale est, duas relationes, [illegible] prieta-

prietates consequitur: quarum altera est esse prædicabile, de multis: altera est esse subijcibile, secundum illa omnia multa, quæ in se continet: sicut è contra individuum habet duo, quę ipsum, vt tale est consequuntur: alterum, quod de vno tantùm prædicatur: alterum quod subijcitur vt vnum tantùm. Vnde fit, vt sicut aliud est prædicabile de multis, scilicet vniuersale, aliud prædicabile de vno scilicet singulare & individuum: ita subijcibile, alterum sit subijcibile vniuersale, alterũ subijcibile, sed singulare.

Dicendum igitur, Speciem vt Generi subijcitur esse subijcibile, sed tamen subijcibile vniuersale. Nam genus immediatè non de individuis, sed de speciebus vniuersalibus prædicatur: & ita ipsæ species, vt tales, subijcibilia vniuersalia sunt: similiter vt respicit inferiora, esse prædicabile vniuersale. sed si inferiora sint: vniuersalia quoque, esse genus subalternũ si individua tantùm, esse speciem specialissimam prædicabile scilicet de ijs tantùm: & ita tam secundum prædicationẽ, quã secundũ subijcibilitatẽ est vniuersale, scilicet prædicabile vniuersaliter, & subijcibile vniuersaliter: atq; ita per oés gradus, prædicabile genericum, & subijcibile genericum, & prædicabile specificum & subijcibile specificum, & prædicabile, ac subijcibile medium, scilicet subalternum.

Imò verò si quis subtilius consideret, vniuersale ex se & per se prius est, & abstrahit à prædicabili, & subijcibili, quatenus scilicet est in multis: siue prædicetur siue subijciatur, siue non, nec sub talibus rationibus concipiatur, sed secundũ intrinsecũ, vt est in multis: & ita ex se & per se diuidi potest intrinsecè pereſſe in multis, in his scilicet, aut in illis.

Quoddam itaque est genus generalissimum, si sit in omnibus quæ non conueniunt genere cũ alijs: est species, si est solum in his, quæ differũt tantùm tu nero: est subalternum, & altius, & minus altum pluribus vel paucioribus subse contentis. Quamobrem nec per prædicabile, nec per subijcibile constituitur intrinsecè vniuersale genus, vel species, sed per esse in multis, in istis, aut illis. Nam prædicari & subijci postea consequuntur. In quibus tota difficultas euacuata est.

Ad argumentum dicitur, quòd quamuis species à tali relatione ad genus non sit vniuersale, tamen taliter non posset referri nisi esset vniuersale propterea dũ ad genus definitur referri, esse vniuersale definitur. ad 1. arg.

Secundò respondetur, à tali relatione ad genus formaliter & intrinsecè non esse speciem, neq; vniuersale, sicut nec à relatione prædicabilitatis, sed ab eo quod est esse in multis, verum tanquã per duo propria, essentiam, illis duabus relationibus subijcibilitatis vniuersalis & prædicationis vniuersalis explicari. & merito: quia ad essentiam ambæ illæ pariter consequuntur.

Circa secundum, Auicenna suæ Logicæ cap. 9. volunt propter hoc argumentũ addendum seu intelligendum particulam exclusiuam, tantùm: vt sit sensus: Species est quæ prædicatur tantùm de pluribus differentibus numero: at genus prædicatur de his, & de differentibus species: quam sententiam recipit Caietanus. At quia posset fieri argumentum, genus prædicatur etiam tantum de differentibus numero, quia prædicatur de individuis quæ differunt numero, & de speciebus quæ etiam differunt numero, nam maior distinctio includit minorem, quæ enim differunt specie, differunt numero, licet non è contra.

Propterea alij dicunt differentibus solo numero vnde duas exclusiuas addũt. Species est, quæ prædicatur tantùm de pluribus differentibus numero tantùm.

Sed melius est cum Alberto dicere tractatu quarto ca. 1. in fine, hic fieri sermonẽ de prædicatione immediata: quãdo enim genus de individuis prædicatur, est mediata prædicatio, quia prius speciei & per specie individuis inest: at species immediatè ab individuis participatur. Nec est aliqua exclusio addenda, quia denominatio absoluta indicat præcipuũ denominatum: per differentia verò numero, singularia simpliciter intelliguntur. Ad 2.

Ad tertiũ respondet Boetius explicãs definitionem speciei, quæ ferè in fine capitis traditur: & ait, quòd dupliciter potest excusari Porphyrius. Primò, quia multo plures sunt species, quæ de numerosis individuis prædicantur, quã de vno: Porphyrius autem definiuit quę vt plurimum inuenitur. Secundò dicit, quòd intelligendus est Porphyrius de aptitudine & potestate, non actu illæ autem species quamuis actu de pluribus non prædicentur, potestate tamen prædicantur: & ista est melior solutio. Ad 3.

Dubi. Sed dubitabis & meritò, an sufficeret hoc ad genus, quòd in potentia de pluribus speciebus prædicetur, quod est dicere, si vnica esset actu species, an esset genus per hoc q; potestate de pluribus speciebus prædicaretur? Ad hoc respondet Boetius loco allegato, & paulo superius in eodẽ capite. Quòd nullatenus, sed necessario, vt genus sit, plures actu species requiruntur: quam sententiam ex professo sustinet Albertus, tractatu 4. cap. 6. & videtur doctrina Aristotelis 4. Topicorũ capit. 3. Horum ratio est: quia genus contrahitur ad speciem per differentiã, sed differentia non constituit nisi simul distinguens ab alijs, ergo genus non est in vna specie, sed pluribus.

Sol.

Nota. Gen' ccr plures for mas po stulet. Pro declaratione est notandum quod aliter se habet genus ad speciem, aliter species ad individua: natura enim generis est natura imperfecta, & incompleta, quæ perficitur per formã, sicut materia per formam perficitur, & sicut cera, quæ quid informe est in genere artificiatorũ, per formam autẽ perficitur. Præterea, sicut materia non per vnam formam perficitur quantum ad totam eius potentiã, sed per multas, ita nec generis natura per vnam differentiam solam habet perfici, sed per plures. & ex hac parte natura generis nõ potest existere perfecta in vnica specie, & inde cùm non sit natura genus nisi sit perfecta, hinc est, q; plures postulat genus species. At speciei natura in se est natura perfecta, nec ab individuis accidentibus perficitur, sed multiplicatur, in vno tamẽ perfecta manet: inde est, quod sufficit in individuum vnum, vt dicat manere Speciem, & sufficit quòd possit de alijs prædicari: quod in genere non est, quia in vna Specie non existit eius natura perfecta, & hæc doctrina est maximè consideranda. Huius sententiæ fuit idem Boet. in lib. de Diuisionibus, & D. Thomas distinct. 19. quæst. 4. artic. 2. lib. 1. sententiarum.

Ad secundam partem huius argumenti respondet Caietanus & benè, quod ad speciem duo sunt necessaria: & quod prædicetur de pluribus numero differentibus in quid, & quod sit natura perfecta scilicet pertinens ad lineã rectã prædicamenti sub aliquo genere, & hoc secundũ deest illis, puncto animæ, instanti, quia non sunt nisi partes naturæ perfectè cũ per se in Prædicamento non collocentur: dicentur autem species imperfectæ quæ propriè non sunt prædicabiles prædicatione prædicamentali.

Ad quartum respondet Boet. quòd in individua non dicuntur numero differre, quasi vnum individuum faciat distinctũ numerum ab alio, sed quasi dum numerantur differant: scilicet quando numeramus singularia, vnum distinctum ab alio facimus, nec sub eadem vnitate collocamus. Ad aliam partem respondeo admittendo esse alias species præter quãtitatem, tamen harum individua numero differunt per ordinem ad quantitatẽ: nam distinctio numerica accidentium, sumitur penes diuersitatẽ subiectorũ, in quibus est quantitas, vel habent ordinẽ ad quantitatem, hæc enim albedo differt ab illa, penes subiectum. Ad 4.

Ad quintum facilis est solutio. Genus enim & species possunt dupliciter consi- Ad 5.

derari,

derari, vno modo fundamentaliter secũdum naturas ipsas materialiter significatas: & sic natura generis est prior natura quàm speciei natura: si verò altero modo cõsiderentur formaliter, tunc sunt relata, nec vnum est altero prius, nõ enim dicitur genus, nisi sint species.

Ad 6. Ad sextum perinde est facilis solutio. Genus enim nõ dicitur sub alternũ, quia sub altero ponitur, sed quasi alternatim se habeat, vt modo supponatur alteri, modo superponatur alteri: modo sit genus, modo sit species.

Ad 7. Medium quib⁹mo dis capia tur. Ad septimũ respondeo, mediũ multis sumi modis: aliquando dicitur mediũ positiuè, scilicet quod æqualiter distãt ab extremis, vt punctus est mediũ in circulo, siue in linea: aliud est mediũ participatiuè, quod ex extremis conficitur: vt rubedo dicitur medius color inter albedinem & nigredinem: aliud est mediũ metaphoricũ, vel secundũ rationẽ, quo pacto dicitur Virtutem esse in medio: aliud est medium in prædicatione, quale est in præsenti, scilicet id quod de alio & de quo aliud prædicatur: vt animal dicitur mediũ inter viuẽs & hominẽ: hoc autem medium, in multis differt à medio ex participatione: in medio ex participatione extrema concurrunt per mistionem quandam accidentalem ad faciendum medium, vel per virtutẽ vtriuq; ex parte communicatã. Præterea, nulla est inter ea prædicatio, cũ nec mediũ ab extremis, nec extrema de medio prædicentur. Præterea tertiò, mediũ est posterius extremis cũ sit eorum effectus: at in medio prædicationis, non concurrũt extrema, non enim animal fit ex homine, & viuenti, sed viuens est de essentia & substantia animalis, & animal de substantia hominis.

Præterea, extremum superius de medio, & medium de extremo inferiori prædicatur: & tertio vnum extremum superius est natura prius medio, sed medium est prius natura altero extremo, vt viuẽs est prius natura animali, sed animal prius est natura, quàm homo.

Ad 8. Quotmodis multa in vnũ cõueniunt. Circa octauum argumentum, nota, aliqua multa tripliciter possunt in vnũ conuenire.

Primò, in vnum aliquod extrinsecum puta locum, finem, causam efficientem, vt plura grana congregari vno loco, & plures ciues vnica Vrbe, & plures homines ad aliquid agendum: & nomina significantia ista plura, secundum talẽ vnitatem dicuntur simpliciter collectiua, vt Ciuitas, Vrbs, Senatus.

Secundò, aliqua plura conueniunt in aliquod vnum intrinsecum, siue accidentale, siue substantiale, quod tamẽ nõ est in singulis per se perfectè, & totaliter: quo pacto plures partes domus conueniunt sub vnica forma, & plures partes totius sub vna forma totius, quæ tamen in singulis per se non est, vt Petrus, Ioannes, homo respectu animæ, & corporis: & talia nomina significantia plura sub ista vnitate nõ sunt dicẽda collectiua.

Tertiò, aliqua plura conueniunt sub aliqua forma intrinseca, quæ tamen est in omnibus & singulis per se: & alia nomina dicuntur vniuersalia, species, & genera, & reliqua, quæ de singulis diuisim prædicantur, quia forma, quam significãt, in singulis per se perfectè inuenitur: & de tali collectiuo hic loquitur Porphyrius, quod constat longè diuersum ab eo, quod simpliciter vocatur collectiuũ: hoc enim tertium non propriè collectiuum, sed vniuersale dicitur.

De Differentia.
CAP. III.

TEXT. 1. Differentia verò & communiter, & propriè, & proprijssimè dicitur. Nam cõmuniter quidem differre alterum ab altero dicitur, quod alteritate differt quocunque modo, vel à se ipso, vel ab alio. Differt enim Socrates à Platone alteritate, & ipse à se ipso, & puero existente & viro facto, & faciente aliquid vel quiescente: & semper

per in aliquo modo habendi se alteritatibus spectatur. Propriè autem differre alterum ab altero dicitur, quando inseparabili accidente alterũ ab altero differt. Inseparabile verò accidens est, vt cecitas oculorũ, aut nasi curuitas, aut cicatrix cũ ex vulnere occaluerit. Proprijssime autem differre alterum ab altero dicitur, quando specifica differentia differt: quemadmodum homo ab equo specifica differẽtia differt, rationalis qualitate. Vniuersaliter ergo omnis differẽtia addita alicui alteratum facit.

2. Sed eæ quidem, quæ & communiter & propriæ sunt, alteratũ faciunt, quæ verò proprijssimè, aliud. Quæ quidem igitur aliud faciunt, specificæ vocantur: illæ verò, quæ alteratum, simpliciter differẽtiæ. Animali enim adueniens rationalis differentia, aliud fecit: eius autem quod est moueri, alteratũ solũ à quiescente fecit. Quare illa quidem aliud, hæc verò alteratũ solũ fecit. Secundũ igitur aliud facientis differentias, diuisiones generum fiunt in species, & definitiones assignantur, quæ sunt ex genere & huiusmodi differentijs: secundum autem eas, quæ solum alteratum faciunt, alteritates solum consistunt, & aliquo modo se habentis permutationes.

3. A superioribus ergo rursus inchoanti dicendum, differentiarum alias quidẽ esse separabiles, alias verò inseparabiles. Moueri enim, & quiescere, & ægrum esse, & sanum esse, & quæcunque his proxima sunt, separabilia sunt: at verò aquilinum esse vel simum, vel rationale, vel irrationale inseparabilia sunt. Inseparabilium autem aliæ quidem sunt per se, aliæ verò per accidens. Nam, rationale per se ineſt homini, & mortale & disciplinæ esse susceptiuum: at verò aquilinum esse, vel simum per accidens, & non per se: Illæ igitur, quæ per se sunt, in substantiæ ratione accipiuntur, & faciunt aliud: illæ verò, quæ secundum accidens, nec in substantiæ ratione accipiuntur, nec faciunt aliud, sed alteratum. Quæ quidem igitur per se sunt, nõ suscipiunt magis & minus: quæ verò per accidens (etsi inseparabiles sint) intensionem accipiunt & remissionem. Nam neque genus aut magis & minus prædicatur de eo, cuius fuerit genus, neque generis differentiæ secundum quas diuiditur. Ipsæ enim sunt, quæ vnius cuiusq; rationẽ cõplent: esse autem vnicuiq; vnũ & idẽ, neq; intentione, neq; remissione suscipiens est: aquilinum autem esse, vel simum, vel coloratum, aliquo modo & intenditur & remittitur.

4. Cùm igitur tres species differentiæ cõsiderentur: & hæ quidem sint separabiles, illæ verò inseparabiles: & rursus inseparabilium hæ quidem sint per se, illæ verò per accidens: rursus earum, quæ per se sunt, differentiarum, aliæ quidem sunt secundum quas diuidimus genera in species, aliæ verò, secundum quas ea, quæ diuisa sunt specificantur: vt cũ per se differẽtiæ omnes huiusmodi animalis sint, animatum & sensitiuum, rationale & irrationale, mortale & immortale: animati quidem & sensitiui differentia constitutiua est (substantię animalis) est enim animal substantia animata sensitiua) mortalis vero & immortalis differentia, & rationalis & irrationalis diuisiuæ sunt animalis differentiæ, per eas enim genera in species diuidimus. Sed eæ quidem, quæ diuisiuè sunt differentiæ generũ cõpletiuæ fiunt, & constitutiuæ specierũ: diuiditur enim animal rationalis & irrationalis differentia, & rursus mortalis & immortalis differentia, sed rationalis & immortalis differentiæ constitutiuæ sunt hominis: rationalis verò & immortalis Dei: irrationalis autem & mortalis irrationalium animalium. Sic & supremæ substantiæ, cùm diuisiuæ sint animati & inanimati differentiæ, & sensitiui & insensitiui, animata quidem & sensitiua, iuxta substantiam sunt ptæ, animal persecerunt: animata verò & insensitiua persecerunt plantam. Quoniam ergo eædem aliquo modo quidem acceptæ sunt constitutiuæ, ali-

quo modo autem diuiſuæ, ſpecificè omnes vocantur.

5. Et his maximè opus eſt ad diuiſiones generum, & ad definitiones: ſed nō his, quæ ſecundum accidens inſeparabiles ſunt, neque etiam magis ijs, quæ ſunt ſeparabiles.

6. Quas etiam determinantes dicunt. Differentia eſt, qua abundat ſpecies à genere. Homo enim plus habet, quàm animal, rationale & mortale: animal enim nihil horū eſt. Nā vnde ſpecies haberent differentias? Neque verò omnes oppoſitas habet, quoniam idem ſimul habebit oppoſita. Sed, quemadmodum cenſent, poteſtate quidē habet omnes eorum, quæ ſub ſe ſunt, differentias, actu verò nullam: ac ſi neque ex ijs, quæ non ſunt, aliquid ſit: neque oppoſita circa idē erunt. Definiunt autem eam & hoc modo. Differentia eſt, quæ de pluribus & differentibus ſpecie in eo quod quale quid eſt, prædicatur. Rationale enim & mortale de homine prædicatum in eo quod quale quid eſt homo dicitur, ſed non in eo, quod quid eſt. Quid eſt enim homo? nobis interrogatis, conueniens dicere, animal: quale autē animal? inquiſitis, quod rationale & mortale eſt conuenienter aſſignabimus. Rebus enim ex materia & forma conſtantibus, vel ſecundū proportionē ad materiā & formā, conſtitutionē habentibus: quemadmodū ſtatua ex materia quidē eſt æra, ex forma autē figuraſic & homo cōmunis & ſpecialis ex materia quidem proportionaliter conſtat ex genere, ex forma autem differentia: totū autē hoc, animal rationale mortale, homo eſt, quemadmodū illic ſtatua. Deſcribunt aūt & hoc modo. Differētia eſt quod aptum natum eſt dinidere ea, quæ ſub eodem genere ſunt: Rationale enim & irrationale hominē & equum, quæ ſub eodē genere ſunt, quod eſt animal, diuidunt. Aſſignant autem & hoc modo. Differentia eſt, qua differunt, à ſe ſingula, nam & homo, & equus ſecundum genus non differunt, ſumus enim anima lia nos, & equi: ſed additum rationale diſiunxit nos ab illis: & rationales ſumus & nos, & Dij: ſed mortale oppoſitum diſiunxit nos ab illis. Exactius autē pertractantes ea, quæ ad differentiam pertinent, dicunt non quodlibet diuidentiū ea, quæ ſub eodem genere ſunt, eſſe differentiam, ſed quod ad eſſe conducit, & quod quid erat eſſe, & quod rei pars eſt. Neque enim quod aptum natum eſt nauigare, eſt hominis differentia, & ſi ſit propriū hominis. Dicere enim poſſumus animalium hæc quidem apta eſſe ad nauigandum, illa verò minimè, diuidentes hominem ab alijs: ſed aptum natum eſſe ad nauigandum, non eſt ſubſtantiæ completum nec eius pars, ſed aptitudo ſolū ipſius: ideirco quia non eſt talis differentia, quales ſunt, quæ ſpecificæ dicuntur differentiæ. Erunt ergo ſpecificæ differētiæ, quæcunque alterā faciunt ſpeciem, & quæcunque in eo quod quid erat eſſe accipiuntur. Et de differentia quidem tot ſufficiant.

Non oportet, vt benè dicit Boetius, hic quærere, quare differētia proprio, & accidenti anteponatur, cùm in dubiū reuocatum fuerit, an ſpeciei eſſet proponē da: eſt enim prædicatum eſſentiale, quod nec proprio, nec accidenti competit. Non autēm hic agimus de differentia cōcretè ſcilicet de ipſis, quæ differre dicuntur, ſed de ipſo principio & forma, per quam vnum ab altero differt: vt differētia ſit forma, per quam vnum ab altero differt. Nec agimus de illo principio, & forma ſecundum ſe, ſed vt per intellectū aſſumitur ad prædicandum de illo, cuius eſt differentia.

Hoc igitur caput in duas partes diuiditur: in priori ſunt quinque diuiſiones differentiæ, in poſteriori quinque definitiones: eſt autem prima diuiſio. Differētia triplex eſt, quædam communis, quædam propria, quædam proprijſſima.

Differētia communis eſt accidens ſe parabile, per quod vnum ab alio, vel à ſe aliqualiter differt, vt Petrus ſedens à nō ſedente. Diuiſ. 1.

ſedente, currens à quieſcente, ſenex à ſeipſo puero differunt.

Differentia propria eſt accidens inſeparabile, per quod vnum ab alio differt, vt cæſijs oculis differt ab eo, qui non eſt oculis cæſijs, illa oculorum affectione, & colore cæſo, quæ dicitur differentia propria: illa enim affectio non ſeparabitur à ſubiecto, dum ipſum fuerit.

Differentia proprijſſima eſt forma ſubſtantialis, per quam vnum ab alio differt, vt homo ab equo differt per rationale. Porphyrius ponit conuenientiam inter has, & diſcrimen, omnes enim tres hoc habent, quòd faciunt diuerſum vnū ab altero, ſed differūt, quod duæ primæ faciunt differre in accidenti, tertia verò in ſubſtantia: vnde illæ duæ primæ dicūtur tantùm facere, diuerſum, ſeu alteratum: tertia verò facit aliud, id eſt, diuerſum in ſubſtantia.

Nota. 1. Circa iſtam definitionem eſt primo notandū ex Auicenna hoc capite, quod acceptiones differentiæ aliter ſe habēt, quā acceptiones ſpeciei, & generis: iſtæ enim, generis ſcilicet & ſpeciei, nō omnes ſunt Logicæ, ſed tantùm tertia generis, & poſterior ſpeciei: at iſte tres acceptiones differentiæ omnes ad Logicum & Phyſicum ſpectant.

Nota. 2. Nota ſecundò cum Boetio, quod iſtæ duæ primæ differētiæ, ſcilicet prima, & ſecunda ſunt indiuiduorum, & ſingularium, iſta enim accidentia proprie ſunt ſingularium: at differentia tertia eſt ſpecierum & generum, id eſt, per quam ſpecies, & genera differunt, ſicut per illam differunt indiuidua: qua de cauſa illæ tres differentiæ ſuperius poſitæ, ſcilicet differentia numerica, ſpecifica, & generica ad has reducuntur: numerica enim ad duas priores, ſpecifica verò & generica ad tertiam.

Nota. 3. Differētia cur dicat communis & propria. Nota tertiò. Differentia prima dicitur cōmuniter dicta, iudicio meo, propterea cōmunis dicitur, quia ſit tale accidens, quod ſicut modò accidit vni extremo, quod per tale differt ab alio, ita viciſſim & alteri extremo poſſit alias accidere, verbi gratia, ſedens differt à ſtāte, accidenti, & differentia cōmuni, ſecundum quam poteſt etiam, & qui modo ſtat à ſedente differre, nā ſtans poteſt ſedere & qui ſedet aliquando ſtare: reliquæ dicuntur propriæ differentiæ, id eſt, peculiares vnuſcuiuſq;, quia quod ſemel per illas differt, ſemper per eas differt.

Differentiarum ergo alia quidē, &c. 2.

Ex diſcrimine ſuperius inter illas tres differētias aſſignato, Porphyrius infert diuiſionem ſecundam. Quædam differentiæ faciunt alteratum, id eſt diuerſitates in accidenti: quædam faciunt aliud, id eſt, diuerſam ſubſtantiam: ſub priori membro ſunt differentia prima, & ſecunda, ſcilicet cōmunis & propria: ſub poſteriori verò eſt tertia, ſcilicet proprijſſima: inter quas eſt duplex diſcrimen prius, differentiæ facientes alteratum dicuntur ſimpliciter & tantum differentiæ, at facientes aliud dicuntur differentiæ ſpecificæ, quod additum eſt perfectionis, explicans huius differentiæ ſpecificæ munus, quod explicat in poſteriori diſcrimine: nā definitiones quidditatiuæ & generum diuiſiones ſiunt per has ſpecificas differentias, & facientes aliud, non per illas ſecundum quas nō ſiunt niſi alterationes, & mutationes quædam accidentales. Diuiſ. 2.

Aſſuperioribus ergo rurſus inchoantibus. 3.

Rurſus in communi iterum tertiò diuidit differentias. Quædam ſunt differentiæ ſeparabiles, quædam inſeparabiles, ſeparabiles ſunt accidentia, quæ non conſtant, vt ſedere, currere, & ſub hoc membro, eſt differentia communis: inſeparabiles ſunt, quæ nūquam à re manente dimouentur, quales ſunt differentia propria, & proprijſſima. Diuiſ. 3.

Et hanc ſubdiuidit in inſeparabilem per accidens, qualis eſt propria, quæ accidens eſt quoddam inſeparabile, & inſeparabilem per ſe, qualis eſt proprijſſima quæ ad rei ſubſtantiam & naturam perti- Diuiſ. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

net: & hæc est quarta diuisio, quæ subdiuisio est potius vnius membri, tertiæ præcedentis. Constituit autem duplex discrimen inter has duas inseparabiles. Alterum, inseparabilis per Accidens facit diuersum in accidenti vt superius diximus: at inseparabilis per se facit aliud, idest diuersum in substantia. Alterum, differentia inseparabilis per accidēs suscipit magis & minus, id est, non æqualiter semper inest: nā aliquis homo est magis cæsius, quàm alius, & curuiori naso, quam alius: at inseparabilis per se non suscipit magis aut minus, vnus homo non est magis rationalis, quàm alius. Huius dat rationē, quia differentia pertinet ad esse, & natura rei: at esse & natura non suscipit magis in his, quàm in illis, aut minus: vnus enim non est magis homo, aut animal, quàm alius, nec magis corpus, quàm alius.

TEXT. *Cùm igitur tres species differentiæ considerentur.*

4. PORphyrius epilogat has diuisiones propositas, insinuans vnum consideratione dignum: videlicet species differentiæ esse solum tres illa primo loco constitutas: sed quia variæ sunt proprietates illarum, factę sunt rursus aliæ diuisiones secundū ea, quæ illæ habent: vnde eadem sunt prorsus numero membra diuidentia, scilicet illæ tres differentiæ, & inter has quædam inueniuntur facientes alteratum, quædam aliud, quędam separabiles, quędam inseparabiles, tam per se, quàm per accidens.

Diuis. 5. Postea verò Porphyrius differentiam inseparabilem per se, scilicet specificā, quinta diuisione subdiuidit, quædam, inquit, sunt alicuius generis diuisiuæ, id est, per quas genus diuiditur: quædam illius generis constitutiuę, id est, per quas genus illud constituitur: verbi gratia, animal habet has differentias, animatum, sensibile, rationale, irrationale, mortale, immortale: sed harum quædam sunt, per quas animal cōstituitur, scilicet duæ priores: animal enim est animatū, & sensibile corpus: per alias diuiditur, per rationale & irrationale, mortale, immortale. Inter has vnū est discrimen, nā per diuisiuas generis constituuntur species illius generis, non autem per constitutiuas: vt per rationale, mortale, iuxta opinionē Porphyrij constituitur homo, per rationale, immortale, simul cum animali, Deus: per irrationale verò mortale cōstituitur brutum. At verò, quamuis istæ constitutiuæ non faciant species, tamen si ad superius tale genus considerentur, tales differentiæ dicentur illius superioris diuisiuæ, & ipsius inferiorum, tanquàm speciei constitutiuę, vt animatum, & sensibile, sunt superiorum diuisiuæ, corpus enim per animatum & inanimatum diuiditur: & corpus animatum per sensibile, & insensibile, animatum autem, & sensibile, cum substantia faciunt animal: sicut insensibile cum animato facit plantam, vnde eędem differentiæ simul sunt & diuisiuæ, & constitutiuæ: sed inferiorum constitutiuæ, superiorum diuisiuę: quapropter omnis differentia specifica dici potest, quia constituit speciem aliquam siue subalternam, siue specialissimam.

Circa hoc: Nota istud exemplū esse falsum: non enim Deus est animal, nec corpus, nec aliquod est animal, quod sit immortale. Porphyrius loquitur, vt Philosophus Platonicus, vt superi' diximus. Nota. 1. Nō esse aliquod animal immortale.

Nota etiam genus generalissimū solum habere differentias diuisiuas, non constitutiuas: cum nullum supra se habeat genus, specialissimam verò solas habere differentias constitutiuas, quia sub se non habet inferiores species, in quas per differentias diuidatur. Nota. 2. Genera summatū habere differētias diuisiuas.

Nota similiter tertiò, si istæ differentiæ ad idem genus comparentur, aliæ distinctę sunt differentiæ diuisiuę, aliæ cōstitutiuæ: si verò ad diuersa comparētur, eadem potest esse differētia diuisiua & constitutiua, sed respectu diuersorū, superioris quidem diuisiua, inferioris verò constitutiua. Nota. 3.

Et

TEXT. ET His maximè opus est ad diuisiones generum, &c.

5. HIc Porphyrius duos vsus harū differentiarum specificarum ponit: prior est ad diuisiones generū faciendas, hæc enim præcipuè per tales differētias diuiduntur: posterior ad definitiones cōponendas ipsarum specierum: aliæ enim differentiæ per Accidens, tam separabiles, quā inseparabiles, nō sunt aptę ad præcipuas diuisiones, & definitiones, sed ad descriptiones, & diuisiones non essentiales, & minus præcipuas, cùm sint accidentia rei, nec de eius natura.

TEXT. DIfferentia est, qua abundat Species à genere.

6. HAec est posterior pars huius capitis, qua ponuntur aliquot ipsius differentiæ definitiones.

1. definitio differentię. Prima est proposita, scilicet, Differētia est, in qua species excedit genus: natura enim speciei ex genere & differentia constat: vnde plus includit in sua natura, quam genus: genus enim non includit in sua natura differentiam speciei, sicut ipsa species.

Dub. Posset tamen dubitare quis, vnde habet species differentiam? non enim à genere, quia in genere quomodo possunt esse plures differentiæ oppositæ? nō autem differentia potest esse ex nihilo: à quo ergo est? Sol. Respond. quod differentiæ sunt in genere, non actu, id est, non sunt de natura eius, sed in potentia, quia illo fiunt: sicut è cera extrahitur forma alicuius imaginis: & non est inconueniens, q̄ multæ differentiæ sint in genere in potētia, vt multæ figuræ cerę in potentia.

2. Secunda definitio est. Differentia est, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid: quod exemplo clarò ostenditur, vt enim res componuntur ex materia & forma, vel aliquo simili materiæ, vel aliquo simili formæ: vocat simile materiæ subiectum in rebus artificialibus, vt statua fit ex ære, vt materia, & figura tanquàm forma: dicit autem subiectum simile materiæ, quia propriè materia est pars compositi substantialis: ita, inquit, species, scilicet homo componitur ex genere tanquā ex materia, & ex differentia tanquam forma: vt ex hoc intelligamus, quod differētia est vel at qualitas, sicut forma.

Tertia definitio. Differentia est, per quam genus separatur, id est, diuiditur in ea quæ sub se sunt. 3.

Quarta verò differentia est, secundum quam vna species ab alia differt. At quia istæ duæ vltimæ videbantur insufficientes, cum essent aliqua, per quæ genus diuiditur, & vna species ab alia differt, scilicet accidentia propria: dicit differentiam non solum habere hoc, sed etiam esse de definitione & quidditate rei, & ipsius definitionis & quidditatis partem. 4.

Propterea addit quintam definitionem, exactam, scilicet, differentia est, qua vna species ab alia separatur, cū sit ipsius natura speciei pars. 5.

TEXT. QVæstiones, seu dubia quædā scitu digniora in caput de differētia, & præsertim circa eius definitionē recitè ne sit tradita?

Dub. 1. CIrcā hoc caput sunt aliquot dubia quæ à nobis breuiter erunt examinanda. Primū est. Cum Logicus nō tractat de rebus ipsis secundum se, sed vt intentionibus subsunt, cur hic Porphyrius de differētia ipsa realiter tractat, quod munus videtur esse Metaphysici, quod quidem tractat Aristo. 5 Meta. cap. 9.

Solutio. In hac re dicendum quòd differentię tres actus habent. Primus est diuidere, seu determinare genus ipsum. Secundus est, constituere naturam. Tertius est eam ab alijs distinguere. Isti tres dupliciter possunt considerari: vno modo fundamentaliter, vt in rebus ipsis sunt. Nam in rebus ipsis natura generica est determinata, & facta species per differentiæ naturam, & natura specifica ab alijs distincta: & tunc isti tres actus ad Metaphysicū pertinent, & considerare differentiā secundū istos Differentiæ triplex est munus.

actus in rebus. Altero modo possunt cõsiderari, vt per intellectum illi assumãtur & exercẽtur id est, quatenus genus ipsum abstrahentes per differẽtias diuidimus, & speciem ex genere cum differentia cõponimus, & per differentiam ab alijs separamus: & sic considerare differentiam est Logici: considerat enim differentiam, vt intentioni secundæ subsitat, & ex his procedit quidẽ quartus actus ipsius differentiæ, qui magis est Logici, scilicet prædicari de his, quæ per talem constituuntur differentiam, & hoc peculiariter hic considerat, scilicet vt est prædicabile. At quia omnia ista melius cõsiderantur & cognoscuntur in ipsis rebus, propterea Porphyrius miscet res ipsas: tamen intelligenda sunt omnia in ordine ad intentiones.

Dub. Dubitatur secundò. Videtur enim ista definitio diminuta, scilicet, prædicatur de pluribus specie differentibus in eo quod quale quid: cùm multis differentijs non competat, nam vltimæ differentiæ non prædicantur nisi de vnica specie.

1. opin. Circa hoc multiplex est dicẽdi modus. Fuit prima sententia Burlei in præcẽti loco: cùm duplex genus sit differentiarum: quædam genericæ, per quas genus constituitur: quædã sunt vltimæ, per quas vltima species, & specialissima componitur, inquit Burle. Sicut in capite de specie, quædam est data definitio, quæ soli specialissimæ competit, quædã aliæ pro vtraque specie: ita in hoc capite ista definitio est pro differentia generica, aliæ pro omnibus sunt.

2. opinio. Alia fuit sententia multorum asserentium, Porphyrium nõ meminisse in hoc capite, nisi solum differentiarum generi earum, quia vltimæ non sunt cognitæ à nobis: & hic modus dicendi non videtur abhorrere à doctrina S. Thom. 2. Post. lect. 13. qui idem docet super Aristot. scilicet non meminisse vltimarum, quia incognitæ sunt. Nec longè ab hac sententia distat Simpl. cap. 3. Ante prædicam. regula. 2. vbi refert Porphyriũ definisse differentiam, vt in plurimum.

Sed prima sententia Burle. non videtur mihi admodum rationabilis, quia cũ ratio præcipua differentiæ in hoc loco sit, vt prædicabile est, & id explicetur solũ in hac definitione, debuisset Porphyrius omnem differentiam definire, sicut fecit in capite de specie, vbi dedit definitionem conuenientem speciei, quæ est prædicabile. Secunda item sententia videtur Alberto tract. 5. cap. 6. non esse recipienda, quia cùm veritas sit, esse differentias vltimas, non debuit assignare definitionem Porphy. non conuenientem omnibus differentijs.

3. opin. Fuit tertia sententia aliorum, qui nullas esse differentias vltimas existimauerunt, sed omnes genericas, & communes & quòd duæ, aut tres simul iunctæ speciẽ vltimam componunt: vt mortale conuenit homini, & bruto, rationale homini & angelo secundũ Porphyrium: at rationale mortale soli homini: & hanc credidérũt esse sententiã Porphyrij, & videtur esse doctrina expressa Aristot. 2. Post. cap. 14. vbi asserit differentias singulas per se competere multis speciebus, tamen aliquæ simul iunctæ vnam rem componunt: & sic esse dandas definitiones, & 1. Top. c. 3. Problema differentiæ ad problema generis reducit. & 4 Top. c. 6. ponit discrimen inter genus & differentiam, quòd quamuis vtraque de pluribus prædicentur, tamen adhuc de pluribus genus, quàm differentia.

Conf. Circa hoc dico duo. Primũ mihi videtur ista sententia esse Porph. vt clarè patet in ipso capite: non enim aliter constituit species, quàm per multas differẽtias genericas. Dico secundò istam sententiã, q̃ non sint vltimæ differentiæ, esse manifestè contra Aristotelẽ, qui 7. Met. ca. 12. inquit, vltimas differentias cũ specie conuerti, & 1. de partibus animal. c. 2. dicit, aliquas species non habere nisi vnicam differentiã. Nec locus Aristotelis in oppositum probat quicquam, quia illic docet Aristoteles definitionẽ secundum

dum eas differentias, quæ inueniuntur: at vltimæ occultissimæ sunt, non tamen propterea sunt negãdæ: & in Topic. ipse clarè dicit differentiam, quæ generica est, cum genere esse ascribendã: vbi insinuat esse differentiã, quæ non est generica.

4. opin. Quarta opinio fuit Alber. tract. 5. c. 6. & Auicen. & Alphar. Dicunt enim quòd differentia duo habet, secundum quod est differentia: alterum est, Genus quinque, alterum, speciem constituere: q̃ verò constituant differentiæ determinatam & vltimam speciẽ, non habent in quantum differentiæ, sed in quantũ sunt quædam naturæ particulares non conuenientes pluribus speciebus. ex quo fit quòd propria ratio differentiæ inueniatur in genericis: nam vltima differentia habet aliquid mistum, quod non est differentiæ secundum se: & ita dicunt Porphyrium definisse differentiam secundũ ea, quæ per se habet, & ita non curauit vltimas definire.

Concl. Contra hoc dicit benè Caietanus, quod vltima differentia, licet habeat aliquid, quod non est differentiæ secundũ se, non tamen amittit ea, quæ sunt differentiæ secundum se: nam dimidit, & constituit, & propterea debuit definiri.

5. opin. Vnde est quinta sententia ipsius Caietani asserentis illic definiri omnes differentias etiam vltimas: & sensum definitionis esse negatiuum, scilicet differẽtia est, cui in quantum differentiæ nõ repugnat prædicari de pluribus specie differentibus: si enim repugnaret, nulla differentia prædicaretur de pluribus. Et hæc fuit sentẽtia Ibici asserentis, quod differentiæ vltimæ vt differentia est, nõ repugnat de pluribus speciebus dici: quod idem docuit Auicen. c. de communitatibus: vnde sententia Caietani non est noua & propria.

Concl. Sed quamuis ista sint probabilia, tamen existimo esse præter mentem Porphyrij, qui vltimas differentias non definiuit: siue quia credidit non esse, siue quia occultæ sunt.

Solutio. Propterea vniuersaliter posset sic differentia definiri. Differentia est, quæ prædicatur de specie, cuius est differentiæ, in quale quid.

Dub. 3. Dubitatur tertio. Quomodo differentia prædicetur in quale quid. Ad quo

Sol. oportebit aduertere, quòd qualitas non est aliud, quàm id per quod fit modus, & determinatio alicuius, quod ex se est indifferens & indeterminatum.

Determinatur aliquid trib⁹ modis. Potest autem aliquid tripliciter determinari. Vno modo, ad aliquem modum se habẽdi accidentalẽ, vt homo postquã est homo, est indifferẽs, vt sit albus vel niger, calidus, vel frigidus: & vniuersaliter omnis substantia postquã est, est indeterminata, vt sic, vel sic se habeat, & talis forma determinans in communi dicitur qualitas accidẽtalis. Secundò, aliquid est indifferẽs ad esse substãtiale, quo pacto materia est quædã substãtia indeterminata ex se, & imperfecta, ex qua multa fieri possunt, & determinatur per formam ipsũm, vt si sit forma ignis, fit ignis, si forma equi, fit equus, & talis forma dicit qualitas substãtialis. Tertiò, aliquid est indifferens, tanquàm aliquid confusum, & multa comprehendens, & per particulare determinatur, quo pacto se habet genus respectu differentiæ, vnde & differentia dicitur etiam qualitas substantialis: has qualitates posuit Aristoteles 5. Meta. capit. 14.

Nota. Est autẽ notandũ discrimẽ inter has, qualitas enim accidentalis, cũ eo quod determinat, nõ facit aliquã naturã, vt albedo determinat hominẽ, sed homo & albedo nõ faciũt vnicã naturam per se, sed tantũ compositum accidentale: at forma cũ materia facit vnicã naturã per se, scilicet vnicum compositum substantiale hominem, leonem, aut aliud quodcunque similiter differentia cum genere facit vnicam naturam specifi. m.

Quid distinctum ria & ge- Sed omissa qualitate accidentali inter has scilicet formam & materiam, differentiam & genus, est triplex discrimen

n. forma & differẽtia.

considerãdum. Primum materia vel forma per se non claudunt totam rei substantiã, sed materia dicit vnicam partẽ, forma alteram partem: at genus & differentia vnum quodque per se totam substantiã dicunt, & claudunt, verbi gratia animal totam substantiam compositam ex forma & materia dicit similiter rationale, sed cum discrimine: nam animal in homine dicit totam substantiam hominis secundum quod in ea est aliquid, in quo homo alijs animalibus est similis: at rationale dicit eandem hominis substãtiam, secundũ quin ea est aliquid, in quo ab alijs animalibus separatur & vniuersaliter genus dicit rem integram substantialem, vt in ea alijs speciebus assimulatur: at differentia dicit eã autem rei substantiam, vt in ea aliquid est, quo ab alijs separatur. Propter quod S. Thom. de Ente & Essentia cap. 3. dicit hominẽ seu speciem non componi ex genere & differentia, sicut ex duabus rebus, sed sicut ex re vt vt intellecta, & eadẽ realiter intellecta.

Secundum discernendum est, quid ex hoc inferatur, materia & forma, cùm singula rei substantiam non dicant, de composito prædicari nequeunt: nõ enim dicet homo est anima: homo est corpus, atque non differẽtia, ex singulis totã rei substantiã dicãt, per se de re prædicãtur, vt homo est animal, homo est rationale.

Tertiam, composita singula non participant totam materiæ substantiam, cũ ex alia parte materiæ fiat vnum, ex alia aliud: at singulæ species totũ genus participant, quantum ad eius substantiam, quæ per definitionem explicatur, vt homo per se, leo per se, capra per se, sunt participes integræ substantiæ animalis: sed non participant singulæ species totã generis potentiã, quia genus in potentia continet omnes species, suamet vna species non continet aliam.

Hinc patet quantum interfit inter genus & materiam, & differentiam & formam, quòd si genus dicitur materia, & Differentia forma, est ad similitudinem vt enim materia contrahitur, & forma contrahit, ita genus per differentiã contrahentem limitatur: vnde Differentia ipsa dicitur etiam qualitas.

Sed est maximè considerandum. Differentia potest dupliciter cõparari, & ad ipsum genus, quod determinat, & ad speciẽ, quã constituit: respectu enim generis est qualitas, sed extrinseca aliquo modo, quia nõ est de natura generis: vnde de genere prædicatur in quale, sed nõ essentiali: at speciei est qualitas essentialis, quia est pars naturæ eius: propterea de specie, in quale quid prædicatur, sicut anima est qualitas corporis, sed nõ est de essentia corporis, at hominis & cõpositi est pars, propterea dixit Porphyrius. Differentia dicit esse rei si speciei, & est pars eius substãtialis, id est, est intrinseca ei. Nota.

Dubitatur quartò breuiter, quomodo vltima differentia, cùm de vna specie prædicetur, sit vniuersale? Dico primò, secundum nos nullum dubium esse, qui diximus huius libri subiectum primum esse vniuersale, vt est in multis, & quia rationale est in multis, sicut & ipsa species, quam constituit, ideò esse verè, & propriè vniuersale: sed etiam si quis subiectum diceret esse Prædicabile, idẽ consequitur, cùm differentiam esse prædicabilem. Dub. 4. Solutio.

Dici etiam secundò posset, differentiam talem esse vniuersale, quia de subiecto vniuersali prædicatur, vnde & de cõtentis sub tali specie prædicabitur, tell cum distinctione quam species immediatè ac differentia mediate, scilicet per speciem ipsam prædicabitur.

Dubitatur quintò, quomodo Porphyrius vtitur differẽtijs primarijs, scilicet irrationale, immortale? Boetius existimauit tales differentias posse constitue respeciem: sed quia alias latiùs de hoc dicemus, interim dico absque vllo dubio sententiam Boetij esse contra Aristotelem cap. 1. de partibus animæ, vbi docet & probat oppositum. Boetius forsan sequitur Platonẽ, qui huius sententiæ fuit ratio Dub. 5.

ratio est clara cõtra eum, quia priuatio non est de essentia alicuius entis positiui & absoluti, quales sunt Species.

Solutio. Vnde dico, illas Differentias priuatiuas poni loco positiuarum: quod fit ob duplicem causam, quam tradit Aristo. 6. Top. cap. 3. vel quia Differentiæ aliquæ sunt occultæ, vel quia sunt multæ, quas enuntiare esset prolixum.

DE PROPRIO.

Cap. IIII.

TEXT. PRoprium verò quadrifariam diuidunt. Nam & id, quod soli alicui Speciei accidit, & si non omni, Proprium id dicitur: vt homini medicum esse vel geometram. Et quod accidit Speciei, etsi non soli, quemadmodum homini esse bipedẽ. Et hoc soli & omni, & aliquando: vt omni hominiin senectute canescere. Quantum autẽ id, in quo cõuenerunt & soli, & omni, & semper: quemadmodum homini esse risibile: nam & si non semper rideat, tamẽ risibilis dicitur: non quod rideat semper, sed quòd semper aptus natus sit vt rideat: hoc autem ei semper connaturale est, quemadmodum & equo hinnibile. Hæc autem & propriè Propria dicuntur, quoniam etiam conuertuntur. Si quod enim equus est, hinnibile est: & si quid hinnibile est, equus est.

SEquitur quartum prędicabile, scilicet Proprium quod meritò & accidenti præponitur: quia quãuis de rei substanti non sit, est tamen substantiæ & essentiæ rei proximum, ab ea, scilicet, immediatè emanans. In hoc igitur capite duo tantum continentur: alterum, quatuor sunt proprij acceptiones, alterum ipsius proprij Logici prædicabilis definitio.

1. Sumitur autem propriũ quatuor modis. Primò dicitur proprium prædicatũ aliquod accidentale, quod soli alicui speciei inest, nõ tamen omnibus indiuiduis illius speciei competit, sicut esse Grammaticum, Medicum, nõ nisi homini conueniunt, non tamen omni homini. Altero modo proprium dicitur prædicatum accidentale, quod omni indiuiduo alicuius Speciei, non tamen ei soli competit, quo posito homini est Proprium esse bipedem: omnis enim homo est biper, non tamen solus homo, quia alia aliqua animalia duos pedes habent. 2.

Tertium. Proprium est prædicatum etiam accidentale, quod omni indiuiduo alicuius speciei, & soli competit, tamen non semper, sed aliquo tempore, quo posito canescere est Proprium homini, omnis enim homo, & solus homo canescit, sed nõ semper, nisi in senectute: fit enim canities ex corruptione humidi, quod calor naturalis, quia modicus est, ex longa & continua actione nõ potest consumere, quod potissimum tempore senectutis fit, quando calor tenuis est potest etiam accidenti aliquo talis calor impediri ab actione, & tunc humidum corrumpetur, & fient cani, sunt etiã aliqui qui etiã senes tarde, aut nunquam canos habent, in quibus humidũ est subtile, & pingue, quod modicus calor potest consumere. 3. Canities quo nascatur.

Quarto modo dicitur Proprium, prædicatum accidentale, quod omni, & soli, & semper conuenit: & hoc propriè & simpliciter dicitur proprium, sicut risibile est proprium hominis, solus enim homo, & omnis homo, & semper est risibilis. Posset autem aliquis dubitare, nam non semper homo ridet. Respon. quamuis actus ridendi semper non insit, tamen aptitudo ad ridendum est semper propterea semper homo est risibilis, id est, aptum natura ad risum. Ex hoc infert proprietatẽ vnam proprij, scilicet, quod cõuertitur cum suo subiecto: valet enim homo est, ergo risibile est: risibile est, ergo homo est. Ex quibus potest componi integra definitio proprij, scilicet, Proprium est accidentale prædicatum, quod conuenit omni, & soli, & semper speciei, & conuertitur prædicatur de ea. 4. Definitio proprij.

Dubia

Dubia quædam scitu digna in caput de Proprio.

1. Proprium duobus modis sumitur.

CIrca hoc caput aduertendū est primò, Proprium dupliciter sumi: vno modo vt distinguitur cōtra improprium: quo pacto dicimus homo proprie significare vnum, improprie pictū, & sic in præsenti non consideratur: altero modo vt distinguitur contra commune, vt id sit Proprium alicui, quod non alijs præter ipsum competit: & sic in præsenti sumitur. Vbi considerandum quoque est, in omnibus his acceptionibus Proprij, semper loco Generis, sumi illud (accidit) id est, est prædicatum accidētale, id est, quod non est de natura rei, de qua prædicatur.

2. Proprium vt a Arist. distinguitur.

Est secundo aduertendum, quod Aristot. 1. Top. cap. 4. distinguit Proprium in absolutè proprium, & ad aliquid, & quādo. Proprium absolutè est (vt definit ipse) quod non indicat naturam rei, soli autē inest, & conuertim prædicatur. Prima particula est ad excludendū Genus, Definitionem, & Differentiam, quæ sunt natura rei, vel de natura rei: secūda particula ad excludendum Proprium secundo modo, & Accidens commune, quæ pluribus insunt: tertia particula ad excludenda propria primo & tertio modo, quæ soli Speciei insunt, tamen non conuertuntur. Proprium ad aliquid est, quod secundū se, commune est, tamen si subiectum, cui est, alijs comparetur, illi est Proprium, vt bipes absolutè homini non est proprium, tamen si homo ad equum comparetur, homini bipes est proprium. Proprium quando, est idem quod Porphyrius ponit, & quamuis non hi verbis de proprio, Porphyrius negerit, tamen omnia, quæ dicit, re ipsa sunt eadem cum Aristot. nam proprium, quarto modo, est absolutè proprium: & definitio hic assignata (vt dixi) est eadē cum illa Arist. Proprium autem tertio modo vocat Aristoteles, quando reliqua sunt ad aliquid: quāuis Proprium primo modo cūm sit individuorum, ab Aristotele sit prætermissum, qui ea, quæ vniuersaliter dicuntur, ibi quærebat.

3. Proprium vt sit vniuersale.

Dubitari etiam solet, an proprium sit dicendum Vniuersale? Aliquibus videtur dubium: quia non prædicatur de individuis, vt proprium est, mū mediatè: dico tamen esse vniuersale, & immediatum: vt enim vniuersale sic immediatū, sufficit quòd immediatè de vniuersali prædicatur: scilicet de Specie, sicut diximus de vltima Differentia superius, & quòd sit in multis sicut ipsa Species cui conuenit.

DE ACCIDENTE.
Capit. V.

ACcidēs autem est, quod adest & abest præter subiecti corruptionem. Diuiditur autem in duo: hoc enim ipsius separabile est, illud verò inseparabile: dormire quidem separabile accidens est: nigrum verò esse inseparabiliter corno & Aethiopi accidit. Potest enim intelligi & cornus albus, & Aethiops nitens candore præter subiecti corruptionem. Definiunt autem sic quoque. Accidens est quod cōtingit eidem inesse & nō inesse. Et quod neque Genus est, neq; Differentia, neque Species, neque proprium: semper autem est in subiecto subsistens. Omnibus autem determinatis quæ proposita sunt (dico autem Genere, Specie, Differentia, proprio, Accidente) dicendum est quæ eis cōmunia sunt, & quæ propria.

NOn est hic, quod in dubium vertamus, quare de Accidenti tractet Porphyrius cūm nullū supersit Prædicabile, cui anteponatur: & inter omnia sit maximè extra rei essentiam. In hoc igitur brevissimo capite sunt tres Accidentis definitiones, cum vnicā diuisione.

Prima definitio est. Accidens est, quod adest, & abest, præter subiecti corruptionem: ac si dicat, est prædicatum vniuersale, quod de subiecto ita affirmari, vel negari

negari potest, vt nec propter eius præsentiam, vel affirmationē, nec propter eius absentiam, vel negationem, natura subiecti destruatur, vt siue dicas, homo est albus, siue homo non est albus, non propterea homo corrumpitur.

Sequitur Accidentis diuisio. Duplex est Accidēs, quoddā est separabile, quod dam inseparabile: inseparabile, quod à subiecto separari non potest, vt albedo est Cygno inseparabilis: separabile, q̄ separari potest, vt sedere, currere. At quia quis posset obijcere Porphyrio, q̄ hæc diuisio videatur aduersari definitioni, si enim est Accidens inseparabile, nō ergo adest, & abest. Respon. quamuis re adesse & abesse non possit, intellectu tamen separatur: dum Aethiopem absque nigredine, & Cygnum absque albedine considerare possumus.

Secunda definitio est. Accidens est q̄ cōtingit eidem inesse, & non inesse. Ita magis explicat naturam Accidentis: nā adesse, & abesse, nō solùm Accidentibus, sed alijs cōpetit: at inesse est proprium Accidentis.

Tertia definitio est. Accidēs est, quod nec est Genus, nec species, nec Differentia, nec Proprium: semper autem est in substantia subsistens, id est, nunquam extra substantiam reperitur. Hæ duæ vltimæ definitiones sunt Arist. 1. Top. ca. 4.

Dubia quædam seu Quæstiones scitu dignores in caput de Accidenti, & eius definitiones.

Nota. Accidēs trib⁹ modis sumitur.

OMnia ferè, quæ in hoc capite cōtinentur, ab Auicēna repræhēduntur: at vt nos horū sensum perfectū teneamus, erit primo aduertendū, Accidēs tripliciter sumi: vno modo, vt distinguitur contra substantiā. vt omne ens, quod non est substantia est Accidens, quo pacto dicitur ens diuidi in substantiam & Accidens, & hoc aliqui vocant Accidēs nominale, quia, scilicet per nomē Accidētis significatur, & de illo in se dicitur, hoc est Accidens: altero modo latius sumitur pro omni eo, quod extra substantiam alterius est, siue sit subitantia, siue accidens, quo pacto homo est Accideus animalis, & Petrus hominis, in qua significatione Philosophi cōceduntillas esse prædicationes accidentales, animal est homo, homo est Petrus, & hoc vocāt Accidens verbale: quia non tā dicitur, homo est accidens animali, quam accidit animali: & de isto modo accidentis loquutus est Arist. 5. Met ca. 30.

Tertio, Accidens sumitur particularius pro vna parte accidentis primi modi accepti, quod dicebatur nominale: hoc enim diuiditur in cōmune & proprium: commune est, quod non fluit ex principijs essentialibus alicuius subiecti, respectu cuius dicitur cōmune. vt albedo respectu hominis: non enim ex natura hominis fluit albedo. Aliud est, quod ex subiecti natura fluit, & hoc illi dicitur Proprium, vt risibile homini: tunc autem signum erit fluere ex principijs essentialibus subiecti, quando nec illud sine subiecto, nec subiectum sine eo esse possunt: quandovero contrà non fluit, commune reputatur: illud ergo Accidens proprū facit quartum Prædicabile, communeve rò quintum prædicabile.

Quod sit signum aliquid ex principijs essentialibus subiecti fluere.

Ex quo sequitur Accidens, quod est quintum prædicabile, non esse Accidēs secundo modo, quia secundū illud fiunt prædicationes indirectę, quę nō sunt artis nec esse Accidens in vniuersum, vt distinguitur contra substantiam, quia hoc comprehendit proprium, & illud Prædicabile quintū: sed est Accidens commune quod non fluit ex principijs essentialibus subiecti de quo prædicatur, & hoc nō voluit aduertere Auicenna.

2. Accidēs trib⁹ modis considerat.

Est secundo notandum, Accidens tripliciter posse cōsiderari. Vno modo secundum q̄ in rebus est, & secundū suam essentiam & naturā, & sic ad Metaphy. pertinet. Altero modo secundum quod est in intellectu, & hoc respectu eorum, quæ sua sunt, id est, respectu inferiorum vel superiorum, vel Differentiarum, &

se

sic nec est quartum, nec quintũ prædicabile, sed aliqua sunt Genera, aliqua Species, & Differentiæ. Tertio modo vt ad subiectum comparantur, de quo prædicantur, & tunc Accidens proprium facit quartum, commune vero quintum Prædicabile: & hoc est considerandũ. Vnde Accidens non dicitur prædicatum Proprij, aut Accidẽtis, nisi respectu subiecti: & ita Porphyrius de istis duobus semper in ordine ad subiectum tradidit, nam respectu inferiorum, vel superiorum, Genera sunt, aut Species.

3. Dubium

Dubitatur contra primum definitionem, quid ibi loco Generis cõstituatur? In qua re oportet annotare, illa verba in prima definitione, dupliciter posse considerari. Vno modo primæ intentionaliter, scilicet adesse pro reali inhærẽtia Accidentis in subiecto: & abesse pro reali Accidentis separatione: & corruptionẽ subiecti, pro reali destructione: vt sit sensus, Accidens est, quod realiter subiecto inhæret, & non inhæret absque vlla reali subiecti corruptione: & iste sensus, quamuis sit verus, nũ est Logicus, qui res absolutè nõ considerat. Alter sensus est secundæ intentionaliter, vt adesse sit affirmari: abesse negari: subiecti corruptio sit repugnantia naturæ subiecti: vt sit sensus: Accidens est prædicatum vniuersale, quod & de subiecto affirmari, & negari potest absque vlla repugnantia naturæ subiecti: vt si quę dicas homo est albus, siue dicas, homo non est albus, nihil dicitur repugnans naturæ subiecti: & talis sensus est Logicus, & sic à multis intelligitur talis definitio: ita enim explicat Caietanus: & idem videtur Auerroes: & tunc loco Generis est illud prædicatum vniuersale, q̃ in multis alijs ponitur.

Solutio.

Ratio ante, quę mouet hos authores, vt existimẽt definitionẽ esse intelligendam in sensu secundæ intentionis, est, quia iste sensus est Logicus, & potest definitio sub eo explicari. Possumus etiã dicere, quòd sumitur prime intentionaliter, nec est inconueniens: quia cum Logica imitatur Metaphysicæ, potest aliquando ab ea aliqua petere: præsertim, quãdo clara & valdè nota sunt, sicut ista: hæc enim definitio potius admittere videtur sensum realem: nã si Porphyrius intenderet definire Logico modo, clarius id posset explicare, quàm explicauit.

Dubitatur, an tali definitione definiatur Accidens proprium: quibusdã enim videtur, quòd sic: quia si aliqua ratio id vetaret, esset, quia proprium abesse nõ potest: at eadem ratione inseparabile abesse non potest: quòd si dicas inseparabile intellectu separari, similiter & proprium separatur, vt enim corpus absque nigredine, ita homo absque risibilitate intelligi potest. Alijs visum est opposito modo, nec proprium, nec inseparabile hic definiri, sed tantum separabile, quia hoc solũ potest abesse. Sed hoc non videtur ad mentem Porphy. si enim Accidens separabile hic definiretur, oportuisset distinctionem præmittere definitioni, & non cõmittere vitium: prius enim distinguendum est q̃ quinq; eum, seu multiplex, quàm definiendum. Alijs cõmuniter vitium est, & hoc magis est ad mentem Porphy. vtrunque tantum Accidens commune definiri, sed ad argumentum non vno modo respõdetur.

4. Dubium Cuiusmodi accidens definiat prima definitione.

Albertus videtur dicere, q̃ hominem sine risibilitate intelligere possumus, at risibilitatẽ sine homine nullatenus: corpus verò absq; nigredine, & nigredinem absq; corpore possumus intelligere. Hæc doctrina vera est & certa, & est Arist. 7. Meta. c. 5. tamen non soluit dubiũ, nam Porphy. loquitur de separatione subiecti: dicit enim quòd Cygnum absque albedine possumus intelligere. Qua separatione, etiam hominem absque risibilitate possumus intelligere.

Caietanus aliter respõdet: distinguit de duplici separatione per intellectum: altera est simplex, qua vnum absq; alio intelligimus, altera est composita, qua vnum ab alio diuidentes, separamus: vt si quis intellectu componat, homo non est

Solutio.

est albus, dicit primã, simplici cognitione possumus subiectum absq; Proprio, & absque inseparabili æquè intelligere scilicet hominem absq; risibilitate, & corpus absq; nigredine. Secũdo, abstractione composita subiectum à Proprio separare non possumus, dicentes, homo non est risibilis: subiectum vero ab inseparabili possumus optimè separare dicentes, corpus non est niger. Quòd si dicas id nõ posse fieri, quia sicut prior est falsa, ita & posterior. Respon. tertiò, quòd posterior est falsa, non alia ratione, nisi quia ita non est in rebus: at prior est falsa, nõ solum quia ita non est, sed quia destruitur natura subiecti, cui repugnat, quòd non sit risibilis. Ista sententia est subtilis & vera, quamuis ad mentẽ Porphyrij existimo esse dicendum, subiectum inseparabilis posse intellectu coniungi cũ Accidenti opposito, scilicet Aethiopem album intelligere: nec erit composito implicans repugnantiam: & hoc manifestat ipsum Porphyrij exemplum: at subiectum cum opposita forma Proprij, nõ possumus intelligere, quia est implicatio, quamuis absque vllo Accidenti nudè possit intelligi: & hæc omnis abstractio fit absque aliqua compositione propositionis, sed per simplicem cognitionẽ eo modo, quo corpus album simplici cognitione cognoscere possumus. Hæc etiam sententia fuit Aegidij Romani. 1. Post. cap. 6 in fine tex. 18.

5. Dubium

Dubitatur circa secundam definitionem, an tantùm separabili Accidenti cõpetat? Respondeo, quòd ita existimauit Auerro. alij verò, inter quos Caietanus, credunt vtrunque tam separabile, quàm inseparabile: cuius ratio est firma, quia ista definitio est desumpta ab Arist. 1. Top. ca. 4. Sed Arist. vtrumque illic definit, quia ad Problema Accidẽtis, de quo illic tradebat, æqua est vtriusque Accidentis ratio.

Sed tunc insurgit argumentum, quia sunt multa accidentia, quę nõ adesse, & abesse possũt sine subiecti corruptione, vt lethales morbi, similiter mors, cõbustio, corruptio, & alia similia.

Ad ista respondet Albertus, mortem, combustionem, non esse Accidẽtia, sed destructiones substantiæ & priuationes. Caietanus respõdet, hãc, homo est mortuus, esse disparatam, sed veram propter ampliationem, quia sensum facit: homo qui est, vel fuit, est mortuus: imò, inquit, est per se causa Iris, quia causa, quod mortuus est, est quia fuit. Sed hoc videtur ridiculum, nam quid dicet ad hãc, domus est combusta? non enim causa, quia cõbusta est, est, quia fuit, & sunt aliæ innumeræ huiusmodi propositiones.

Solutio.

Propterea existimarem ita esse dicendum, subiectum febris esse hominẽ: tamen febris suæ præsentia non corrumpit hominem, imò dum febris est, homo est, & cũ homo non est, febris non est: imò si multam febris durat, homo etiam durat. Ad illud verò de morte, & combustione, & corruptione, crederem illarũ mutationum, in quibus substantia corrumpitur, subiectum non esse hominem nec lignum, quod comburitur, sed materiam ipsam: & hęc semper manet. similiter destructionis domus materia ipsa est subiectum, & hęc etiã manet, destructa domo: ista est sententia Burlei, super hoc caput: & videtur idem docere Ammonius in præsenti.

Dices, Si subiectum est materia, ergo prędicabuntur de materia, dicendo, materia est mortua, lapides sunt destructi, quod est falsum. Dico igitur quòd istæ mutationes inducunt alicuius præexistentis priuationem, vel alicuius quod non erat, positionem, & propter hoc de eodem prędicantur, dicendo, domus est combusta, quia priuatio est domus: homo est mortuus, quia homo non est, & cõtra, ignis est generatus quia ignis acquirit esse.

De his, quæ communia sunt quinque vniuersalibus.

Caput.

Caput. VI.

TEXT. COmmune quidem est omnibus de pluribus prædicari, quemadmodũ dictum est. Sed Genus quidẽ de omnibus sub se Speciebus & indiuiduis, & Differentia similiter. Species autem de ijs, quæ sub ipsa sunt indiuiduis. At verò Proprium & de Specie, cuius est Proprij, & de ijs, quæ sub Specie sunt indiuiduis. Accidens autẽ & de Speciebus & de indiuiduis. Namque animal de equo & boue prædicatur, quæ sunt Species, & de hoc equo, & de hoc boue, quæ sunt indiuidua: irrationale verò & de equo & boue, & de ijs, qui sunt particulares prædicatur. Species autem, vt homo, solum de ijs, qui sunt particulares homines, prædicatur. Proprij verò de Specie, cuius est proprium, & de ijs, quę sub Specie sunt indiuiduis: vt risibile de homine, & de ijs, qui sunt particulares. Nigrum autem & de Specie coruorum, & de ijs quæ sunt particulares, quod est Accidens inseparabile: & moueri de homine, & de equo, quod est Accidens separabile: sed principaliter quidem de indiuiduis, secũda ratione autem de ijs, quæ continent indiuidua.

POstquàm Porphyrius de singulis secundum se Prędicabilibus tractauit, ea ipsa inter se comparat: explicans, quibus inter se & conueniunt & differũt. Caput quidem hoc, vt est longissimum, ita est clarissimum, nec est expers vtilitatis: cũ magis prædicabilium naturæ, & proprietates, ex mutua comparatione clarescant. Ea igitur omnia, quę hic Porphyrius fusissimè tradit, in summã quandam brenem, & epilogum redigemus, si quid dignum occurrerit, adnotantes.

In hoc ergo capite fiunt decem collationes prædicabiliũ inter se, vnde in decem posset secari partes. In prima Genus cum Differentia confertur, & quantum ad ea, quę communia, & quantũ ad ea, quæ diuersa habent. In secunda confertur similiter Genus cum Specie. In tertia Genus cum proprio. In quarta Genus cum Accidenti. In quinta Differentia cum Specie. In sexta Differentia cũ Proprio. In septima Differentia cũ Accidenti. In octaua Species cum proprio. In nona Species cum Accidenti. In decima Proprium cum Accidẽti. Ac si quis rectè dispiciat, reperiet non posse esse plures istorum inter se vniuersalium cõparationes: nec enim oportuit multiplicare collationes Differentiæ cum Genere, nec posteriorũ cum superioribus: quia eædem sunt cum collationibus superiorum cum inferioribus.

Ante verò quàm vnum alteri cõferat, vnum omnibus commune ponit, scilicet de pluribus prędicari, Genus de Speciebus, & indiuiduis Specierũ: Differentia de suis Speciebus & Specierum indiuiduis: Species de suis indiuiduis: Proprij de specie, & eius indiuiduis: Accidens de Speciebus etiam, & de inuiduis.

Distinctio proprij hac cidente.

Hic nota pulchrum quoddã discrimen, quod inter proprium & Accidens assignat. Proprij enim per prius de Specie, & per posterius de indiuiduis dicitur: prius natura enim homo est risibilis, posterius Petrus est risibilis: at prius Petrus est albus, posterius homo est albus: Huius ratio est, quia proprium oritur immediatè tanquam ex causa, & principijs Speciei: at Accidens ex materia, & indiuidualibus principijs, quod docet Aristot. 10. Meta. ca. 12. homo, inquit, est albus, quia Callias est albus.

Dubium

Posses hic dubitare in his omnibus prędicationibus, an quando Genus de indiuiduis prędicatur, sit prędicatio Generis: & quando Differentia, & proprium similiter de indiuiduis, sit prædicatio Proprij, & prędicatio Differentiæ? Respondendum est, tales prędicationes esse Generis, & Proprij, & Differentiæ, nec valet, quia Species prędicatur de indiuiduis, ergo illa prędicãtur vt Species, hoc enim nihil est, quia Species in quid, immediatè de indiuiduis, Genus verò mediatè,

diatè, Proprij mediatè, & in quale prędicatur, similiter & Differentia: non dubium, quin principales prędicationes sint illæ, quæ per definitiones explicantur, vt Genus de Speciebus, Proprij de indiuiduis.

De his, in quibus Genus & Differentia conueniunt.

2. TEXT. COmmune autem est Generi, & differentiæ continentia Specierum. Continet enim Differentia Species, & si non tot, quot Genera. Rationale enim, & si non continet irrationalia, quemadmodũ animal, tamen continet hominẽ & Deũ, quę sunt Species. Et quęcunq; prędicantur de Genere vt Genus, & de ijs, quę sub ipso sunt speciebus, prędicãtur, & quęcunq; prædicantur de differentia vt differentia, & de ea, quę ex ipsa est, Specie prędicabuntur. Nam cũ Genus animal sit, nõ solum de eo prędicãtur vt Genus, substantia, & animatum, & sensibile, sed etiam de ijs, quę sunt sub animali, Speciebus omnibus prędicantur hęc, vsq; ad indiuidua. Cumq; Differentia sit rationale, prædicatur de ea vt Differentia, id quod est ratione vti: & non solum de eo quod est rationale, sed etiam de ijs, quæ sunt sub rationali, Speciebus prędicabitur, ratione vti.

Cõmune quoque est, perempto genere, vel Differentia simul perimi quã sub ipsis sunt. Quemadmodum enim, si non sit animal, non est equus, neque homo: ita si non sit rationale, nullum erit animal, quod vtatur ratione.

Dubium

DVbitabit meritò quis, cum Genus secuta fuerit Species, quare Genus prius cum Differentia, quàm cum Specie conferatur? ad quod facilè Respon.

Solutio.

id factum fuisse, quia hic erat naturę ordo, vt primò Genus, deinde Differentia, postmodum ex vtrisq; totum cõpositum, scilicet Species sequatur, vt supra diximus. Vel, quia plura sunt ea, quæ in comparatione Generis cum Differẽtia inueniuntur communia, cum in pluribus conueniant, & tamen differant minus, quàm quę in collatione cum Specie.

Sunt autem tria, in quibus cõueniunt. Primum, sicut genus de pluribus speciebus, ita & Differentia iuxta Porphyrij sententiã prędicatur: loquitur autem de diuisiua Differentia: propterea dicit, q̃ non de tot prędicatur, sicut Genus. Quid autem dicendũ sit de Differẽtia vltima, & quomodo Differentia dicatur prędicari de pluribus differentibus Specie, supra explicuimus. Auicenna quidẽ interpretatur, q̃ non repugnat Differentiæ de pluribus prędicari Speciebus: sed alij aliter, vt supra vidimus.

Secundò. Quidquid de Genere essentialiter prædicatur, etiam de specie prędicabitur: hoc idem de Differentia est intelligendum. Dixi (essentialiter) ad vitandas secundas intentiones: non enim valet, homo est rationalis, rationale est Differentia: ergo homo est Differentia.

Tertiò. Sicut perempto Genere, perimuntur eius Species, ita perempta Differentia perimuntur Species, quæ sub ea sunt: vt enim valet, non est animal: ergo non est homo: ita non est irrationale, ergo non est equus. Auicen. existimat hãc secundam esse omnibus vniuersalẽ conuenientiam: quod enim de Proprio, & Accidente realiter prędicatur, etiam de his, de quibus ea prędicantur, prædicabitur. Et id videtur approbare Alber. sed mihi non placet, dicitur enim, homo est albus, album est Accidens, non tamen dicitur homo est Accidens.

De differentijs inter Genus & Differentiam.

3. TEXT. PRoprium autem est generi de pluribus prædicari, quàm Differentia, & Species, & Proprium, & Accidens. Animal enim de homine & equo, & aue, & serpẽte prędicatur: quadrupes verò de solis quatuor pedes habentibus: homo verò de solis indiuiduis & hinni-

Universidad de Deusto
Biblioteca

himnibile de equo solum, & de ijs, qui sunt particulares & Accidens similiter de paucioribus. Oportet aũt Differẽtias accipere, quibus diuiditur genus, non eas quæ complent substantiam Generis, sed quæ sunt diuisuæ. Amplius, Genus cõtinet differẽtiam potestate (animalis enim hoc quidẽ rationale est, illud verò irrationale) Differentiæ verò non continent Genera. Amplius, Genera quidẽ priora sunt ijs, quæ sunt sub se positæ differentijs, propter quod simul quidẽ eas auferunt, nõ autem simul auferuntur ab ijs: sublato enim animali, aufertur rationale & irrationale. Differentiæ verò non amplius simul auferunt Genus: nam etsi omnes interimantur, tamen substantia animata sensitiua intelligitur, quæ est animal. Amplius, Genus quidẽ in eo quod quid est: Differentia verò in eo quod quale quid est, quemadmodum dictũ est, prædicatur. Amplius, Genus quidem vnũ est secundum vnamquãque Speciem, vt hominis id, quod est animal: Differẽtiæ vero plures sunt, vt rationale, mortale, mentis & disciplinæ perceptiuũ, quibus ab alijs animalibus differt. Et Genus quidem consimile est materiæ, formæ verò Differentia. Cùm autem sint & alia communia & propria Generis & Differentiæ, nunc istã sufficiant.

1. SEX sunt, quibus Genus à differentia differt. Primò, genus de pluribus, quã Differentia prædicatur, cùm Genus de oppositis Differentijs, ipsæ autem non de se inuicem prædicentur. Loquitur aũt de diuisuis Generis respectu eiusdẽ Generis: hæc est Arist. 4. Top. c. 6. Secundò
2. Genus potestate continet Differẽtiam non è contra, de hoc supra diximus. Tertiò, Genus est prius natura, Differentia,
3. sicut forma: est posterior ipsa materia, à quã educitur: Genus autem est, vt materia: hæc semper intellige, de diuisuis differentijs: vnde fit, vt sublato Genere, auferantur Differentiæ omnes, at sublatis Differentijs omnibus diuisuis, adhuc manet integra natura Generis, saltem per intellectum. Quartò, differunt in
4. modo prædicandi Genus enim in quid, differentia in quale quid prædicatur. Quintò. Vnius Speciei vnicũ Genus est
5. immediatum: at sub illo Genere multæ Differentiæ vnius Speciei: Genus hominis est animal, at rationale, mortale, Differentiæ: Ecce clarè docet Porphyrius, non esse Differentias vltimas, sed Species cõponi per multas Differentias cõmunes simul sumptas, aliter enim vnius Speciei esset vnicum proximum genus,
6. & vna vltima Differentia. Sextò differunt, in compositione enim Speciei Genus habet locum materiæ, Differentia verò locũ formæ, non quod sint materia aut forma, vt supra declarauimus.

De cõparatione Generis cum Specie.

4. GEnus enim & Species commune quidem habent de pluribus, quemad- TEXT.
modum dictum est, prædicari, sumatur autem species vt species solũ, sed non vt Genus, si fuerit idem Species & Genus. Commune autem hus est, & priora esse ijs, de quibus prædicantur. Et totũ quoddam esse vtrunque.

Differunt autem eo, quòd Genus quidem continet Species sub se: Species verò continentur, & continent Genera: de pluribus enim Genus, quã Species prædicatur. Amplius, Genera præiacere oportet, & informata specificis differentijs perspicere Species. Vnde & priora sunt naturaliter Genera, & simul interimentia, sed quę non simul interimantur, & Species quidẽ cùm sit, est & Genus omninò: Genus verò cùm sit, nõ omnino erit Species. Et Genera quidem vniuocè de speciebus prædicantur: Species verò de Generibus minimè. Amplius, Genera quidem abundant earum, quæ sub ipsis sunt specierum continentia: Species verò à Generibus abundant proprijs

prijs differentijs. Amplius, neq; Species fiet vnquã generalissima, neque Genus fiet vnquam specialissimum.

TRia sunt, quibus Genus, & Species conueniunt, hic autem sumitur species specialissima: aliter enim, inquit, esset idem Genus cum Specie. Primò est
1. commune supra positum, scilicet de pluribus prædicari. Secũdò sicut natura generis est prior naturaliter Specie, quia est ipsius principium, ita species, id est, natura, quæ dicitur Species, est naturaliter prior individuo: vt prius natura est animal quam homo, & homo, quàm Petrus. Tertiò sicut Genus est quoddam to-
3. tum continens Species, ita & Species totum continens individua. Sed hic nota, non eodem modo esse totũ Genus Speciei, sicut Species individuorum, nã Genus non continet totam quidditatẽ Speciei in actu, quia Species nõ solùm exgenere: sed etiam ex Differentia constat, at Species cõtinet totam naturã individui, si individua non habeant aliã essentiam, quàm essentiam, & definitionem, seu quidditatem, q̃ idem est, ipsius Speciei: nisi quis cũ Scoto vellet addere differentias intrinsecas individuantes, nã tunc eadem esset vtriusque ratio, quantum ad hoc, Generis & Speciei.

Genus & speciẽ nõ eodẽ modo totum infectiorũ dici.

2. Differunt aũt primò, q̃ Genus continet Speciẽ, Species aũt nõ continet Genus: hoc intellige quantum ad potestatem: Genus cõtinet Speciem, & omnia, quæ in potentia Speciei sunt scilicet individua: at Species cõtinet quidẽ Generis naturã, sed non potestatẽ, quia non cõprehendit omnia, quæ sub Genere cõtinẽtur: & hinc est, q̃ Genus de pluribus
2. quã species prædicetur. Secundò differũt, quod Genus est veluti materia, ex quo simul cũ Differentia fit Species. Ex quo
3. sequitur tertia differentia, q̃ Genus est prius natura specie, sicut prius est aurum, ex quo fit statua, quàm ipsa statua, & ex
4. hoc etiã sequitur quarta differentia, q̃ sublato Genere per intellectũ, aufertur species tamen ablatis speciebus, adhuc manet per intellectum integra natura Generis. Quinto differunt, q̃ Genus de Speciebus vniuocè prædicatur, nõ è contra Species de Genere. Hoc intellige nõ quòd Species æquiuocè de Genere prædicetur, sed quod non faciat prædicationem per se, & ordinatam, sed indirectam, & per accidens. Sextò Genus quã-
6. tum ad potestatem excedit singulas species per se, quia Genus in potentia continet omnes, at quantum ad actum Species excedit Genus in Differentia: nam Species in sua natura includit Differentiam, quę tamen non est in natura & essentia Generis, vti diximus. Septimò
7. differunt, quod nullum Genus potest fieri specialissima Species, nec vlla Species specialissima Genus. Hæc sunt, in quibus Species & Genus mutuo cõueniunt, & mutuo differunt.

De comparatione Generis cũ proprio.

5. GEneris autem & proprij commune quidem est sequi Species: si quid e- TEXT.
nim homo est, animal est: & si quid homo est, risibile est. Et æqualiter prædicari genus de Speciebus, & Proprium de ijs, quę illo participant individuis: æqualiter enim & homo & bos animal est, & Cato & Cicero risibile est. Cõmune aũt est etiã vniuocè prædicari Genus de proprijs Speciebus, & Proprium de eis, quorum est proprium.

Differunt autem quoniã Genus quidem prius est, posterius verò proprium oportet enim esse animal, de hinc dividi Differentijs & proprijs.

Et Genus quidem de pluribus speciebus prędicatur. Proprium verò de vna sola specie, cuius est proprium. Amplius, Proprium quidem conuertitur prædicatur de eo, cuius est proprium. Genus verò de nullo conuertitur prædicatur: nã neque si quid animal est, homo est. neq; si quid animal est, risibile est: si quid verò homo, est risibile est, & conuerso. Amplius, Proprium omni speciei inest, cuius est proprium,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& soli, & semper: Genus verò omni quidē speciei inest, cuius fuerit Genus, & semper, non autem soli. Amplius, propria quidem interempta, non simul interimunt Genera. Genera verò interempta simul interimunt Species, quarū sunt propria: quare & his, quorum sunt propria, interemptis, & ipsa simul interimuntur.

2. TRia sunt, quibus Genus & Proprium cōueniunt. Primum. Quemadmodum in bona consequentia ex Specie infertur Genus, ita & Proprium. Valet. n. est homo, ergo est animal: est homo, ergo est risibilis. Secundò sicut Genus de suis Speciebus non secundum magis & minus prædicatur, ita & Proprium: non enim homo est magis vel minus animal quàm alia Species, nec vnus homo magis risibilis, quàm alius. Tertiò, Sicut Genus, & definitio Generis de Specie prædicatur, dicēdo, homo est animal, & homo est substantia animata sensibilis; ita & Proprium, & definitio proprij de suo subiecto prædicatur.

obiectio. Contra hoc tamen potest esse obiectio. Proprium definitur per subiectum, ergo si definitio Proprij de subiecto prædicatur, esset tautologia: dicēdo, homo est homo aptus ad ridendum.

dilutio. Ad hoc Respon. Albertus tract. 8. cap. 6. quod Proprium potest dupliciter definiri: vno modo, secundum quod proprium est, & tunc per subiectum habet definiri: altero modo, vt est in suo prædicamento constitutum, & tunc aliter definietur, scilicet risibile est aptum ridere, & sic prædicatur. Hęc responsio nunc sufficiat, posset autem aliter sortasse responderi, sed extra limites Logicos egrederemur, cùm pertineat ad 7. Meta. cap. 5.

Ea autem, quibus differunt, sunt quinque. 1. Primò, Genus est prius natura Specie, de qua prædicatur, Proprium verò est posterius: Genus enim est principium Speciei: at Species est proprij principium. 2. Secundò, Genus de pluribus speciebus prædicatur, at Proprium de vna: hoc intellige quod semper Genus de pluribus prædicatur, Proprio autem nō repugnat de vna sola prædicari: nam aliquot sunt propria, quę de pluribus speciebus prædicantur, scilicet ea, quæ sunt Propria aliquorum subiectorum communium: mobile enim est passio, & Proprium corporis naturalis. Tertiò, Genus cum singulis 3 speciebus non prædicatur conuersim, at Proprium conuertitur cum specie, cuius est proprium. Quartò, Proprio inest soli Speciei suæ, omni, & semper: at Genus inest quidem omni, & semper, sed nō soli. Quintò Genus non interimitur per interemptionem & negationem speciei, vt diximus: non enim valet, non est homo, ergo nō est animal, at interēpta specie, interimitur Proprium, valet enim, non est homo, ergo non est risibile, non est equus, ergo non est hinnibile. 4. 5.

¶ De comparatione Generis cum Accidenti.

6. GEneri verò & accidenti commune est, de pluribus, quemadmodū dictum est prædicari, siue separabile illud Accidens sit, siue inseparabile: etenim moueri de pluribus, & nigrum de coruis, & de Aethiopibus, & aliquibus inanimatis prædicatur. TEXT.

Differt autē Genus ab Accidente, quoniam Genus ante Species est: Accidentia verò speciebus posteriora sunt: nā etsi inseparabile sumatur Accidens, tamen natura prius est illud, cui accidit quā accidens. Et Genera quidē quæ participant, æqualiter participant, Accidente verò non æqualiter: intensionem enim & remissionē suscipit Accidentiū participatio, Generum verò minimè. Et accidētia quidem in individuis principaliter subsistunt: Genera verò & Species naturaliter priora sunt individuis substantijs. Et Genera quidē in eo quod quid est prædicātur de ijs, quę sub ipsis sunt. Accidentia verò in eo quod quale aliquid est, vel quomodo se habeat vnū quodque: qualis enim est Aethiops interrogatus, dicet niger: & quemadmodum se Socrates habeat, dicet, quod sedet vel ambulat.

Genus igitur, quomodo ab alijs quatuor differat, dictum est. Contingit aūt etiam vnumquodque aliorum differre ab alijs quatuor: quare cùm quinq; quidem sint, vnumquodque autem ab alijs quatuor differat, quatere quinque, viginti sunt omnes differentiæ. Sed non ita se habet, sed semper deinceps enumeratis, & duobus quidem vna Differentia deficientibus (propterea quoniā iam sumpta est) tribus verò duabus, quatuor verò tribus, quinq; verò quatuor, decem omnes sunt Differētiæ, quatuor, tres, duę, vna. Genus enim quo differt à Differentia, & Specie, & Proprio, & Accidente, dictum est: quatuor igitur Differentię. Differentia verò, quo differt à Genere dictū est, quando quo differat Genus ab ea dicebatur: reliquū est igitur quo differat differentia à specie, Proprio & Accidente, dicere: & sunt tres. Rursus, Species quo quidem differat à Differētia dictum est, quando quo differt à Specie Differentia dicebatur: quo etiam differat Species à Genere dictum est, quādo quo differt genus à Specie dicebatur: reliquū est igitur, vt quo differat Species à proprio, & Accidente dicatur: duæ igitur sunt & hę differentiæ. Proprium autem quo differat ab Accidēte relinquetur: nam quo à specie, & Differentia, & Genere differat, prædictum est in illorum ad ipsum Differentijs. Quatuor igitur sumptis Generis ad alia differentijs, tribus vero differentiæ, duabus autem speciei, vna verò proprij ad accidens, decem erunt omnes: quarum quatuor quæ sunt Generis ad reliqua, superius demonstrauimus.

DIFFERENTIARVM QVINQVE vocum numerus.

Genus.	Species.	Differentia.	Proprium.	Accidens.
1.	1.	1.	1.	
	1.	1.	1.	
		1.	1.	
			1.	

Vnū inter alia, quę assignari possent est, in quo Genus cum accidenti conuenit, scilicet de pluribus prædicari: hoc autem tā accidenti separabili, quàm inseparabili inest. Quatuor autem sunt ea, 1. quibus differunt. Primò Genus est prius natura ipsa specie, at Accidens vtrunq; est posterius, tā separabile, quā inseparabile. Secundò, Genus non prædicatur se 2. cundū magis & minus, at Accidens suscipit magis & minus. Tertiò, Accidētia in 3. individuis subsistunt, at genera prius natura sunt in se, quàm in individuis, & speciebus. Quartò genus, prædicatur in quid, 4. at Accidens in quale, vel in quo modo se habet: si enim dicitur, qualis est homo. Resp. est albus: qualiter se habet? respō. sedet aut studet. Hic reddit rationē Porphyrius, quare non tradidit comparationē differentię ad Genus, nec tradit Proprij ad genus & speciem: inquit facta cōparatione superiorum cum posterioribus, non est necessaria rursus cōparatio posteriorum cum prioribus, quia eadem est, quod supra diximus.

De cōparatione differentiæ cū Specie.

TEXT. COmmune ergo Differentię & speciei est, æqualiter participari. Homine enim æqualiter participãt particulares homines, & rationalis Differentia. Commune etiam est & semper adesse ijs, quæ illis participant. Semper enim Socrates rationalis est & semper Socrates homo.

Proprium autem Differentię quidem est in eo, quod quale est prędicari: Speciei verò in eo quid quid est. Nam etsi homo velut quale quod accipiatur, non tamen simpliciter erit, quale, sed secundũ id, quod Genera adnenientes Differentiæ eum cõstituerunt. Amplius, Differentia quidẽ in pluribus sæpè speciebus cõsideratur, quemadmodum quadrupes in pluribus animalibus specie differentibus: Species verò in solis ijs, quę sub Specie sunt, individuis est. Amplius, Differentia prior est ea Specie, quę est secundum ipsam: simul enim ablatum rationale interimit hominẽ, homo verò interemptus non aufert rationale, cum sit Deus. Amplius, Differentia quidem cõponitur cum alia Differentia (rationale enim & mortale cõpositũ est in substantia hominis) Species verò Speciei non componitur, vt gignat aliam aliquam speciem: quædam enim equã cuidam asino permisceretur ad muli generationẽ: equa aũt simpliciter asino composita nunquã perficeret mulum.

1. DVo sunt, quibus Differentia cum Specie conuenit. Primò, neutra secundũ magis & minus, de suis prędicatur.
2. Secundò, sicut Species semper adest individuis, ita Differentia Speciei: ac si dicat, sicut non potest individuum sine specie intelligi, quia est natura eius, ita nec Species sine Differentia: vnde vtrique est cõmune, vt semper adsint suis subiectis, de quibus prędicantur. Vnde hic Albert. tractat. 8. c. 8. de propositionibus, quas vocant sempiternæ veritatis.
1. Differunt autem in quatuor. Primo, Differẽtia prędicatur in quale; Species in quid. Secundò, Differentia de pluribus Speciebus prædicatur, at Species scilicet specialissima, solum de pluribus individuis. Tertiò Differentia est prior natura Specie, cum sit vniuersalior: vbi videtur Porphyrius non cognouisse differentias vltimas: vnde Auicenna paulò seuerius inquit, hęc omnia à Porphyrio per ignorantiã fuisse dicta: sed tamen quo modo hęc intelligenda sint, & nũm cognouerit Porphy. vltimas Differẽtias specificas, atq; etiã Arist. superius satis diximus in capite de Differentia. Quartò, Multę differentię cõcurrunt ad vnã speciẽ, at multę Species nunquã ad vnius cõstitutionẽ. Ratio huius est Auic. quia vna Differentia habet se vt potentia respectu alterius, quę est velut actus, & hoc verũ habet de Differẽtijs subordinatis, quarum vna est sub altera, vt sensibile, & rationale secundũ veritatẽ: nã prior cõstituit Genus: quod est velut potẽtia: & materia, respectu posterioris Differentię.

Quod si obijcias duas Species aliquando ad tertiam cõcurrere, vt ex animãtibus specie diuersis tertium interim procreatur, sicut mulus ex equo & asina nascitur, & similiter alia. Resp. Alber. id esse in individuo, tamẽ ipsa natura vnius speciei non coniungitur cum altera ad tertiæ constitutionem, sed ista maiora sunt quàm locus præsens patiatur.

De comparatione Differentiæ cum Proprio.

TEXT. DIfferentia verò & Proprium cõmune quidẽ habent æqualiter participari ab ijs, quę illis participant, æqualiter enim rationalia, rationalia sunt & risibilia, risibilia sunt. Et semper & omni adesse cõmune vtrisque est: ersi enim currretur qui bipes est, tamen ad id, quod natum est semper, diceturr quoniam & risibile in eo, quod natum est habet semper, sed non in eo quod semper rideat.

Proprium aũt Differentię est, quòd hæc quidẽ de pluribus speciebus dicitur sæpè, vt rationale de Deo, & homine. Proprium verò dicitur de vna sola specie, cuius est proprium. Et differentia quidem illis est consequens, quorum est Differentia, sed non conuertitur: propria verò cõuertim prędicantur de ijs, quorũ sunt propria, propterea quòd conuertuntur.

2. DIfferentia & Proprium in duobus conueniunt, & in duobus differũt. Conueniunt primo, vt enim Differentia prædicatur æqualiter de suis Speciebus, non secundum magis & minus, ita & Proprium. Secundò, sicut Differentia vniuersaliter de suis Speciebus prædicatur, ita Proprium vniuersaliter de Specie, & eius individuis.
1. Differunt, quod Differentia de pluribus speciebus (eo modo, quo antea diximus) Propriũ de vna prędicatur. Secundò,
2. Differentia non conuertitur cũ Specie. Propriũ verò conuertitur.

¶ De comparatione Differentiæ cum Accidenti.

9. TEXT. DIfferentiæ aũté & Accidenti commune quidem est de pluribus dici. Cõmune verò est & ad ea, quæ sunt inseparabilia Accidẽtia, semper & omni adesse, bipes enim semper adest omni homini & omnibus cornis nigrum esse similiter.

Differunt autem, quoniã differẽtia quidem continet Species, & non continetur: cõtinet enim rationale Deũ & hominem: Accidentia verò aliquo quidem modo continent, eo quòd in pluribus sint: aliquo verò modo continentur, eo quòd non vnius accidentis susceptiua sint subiecta sed pluriũ. Et differentia quidẽ intensibilis est, & irremissibilis: Accidentia verò magis & minus suscipiũt. Et impermixtæ quidẽ sunt contrariæ differentiæ, mista verò nonnunquã sunt contraria Accidentia. Huiusmodi quidem cõmunitates & proprietates differentiæ, & cæterorum sunt. Species verò quo quidẽ differt à Genere, & differentia diffẽ est in eo, quod dicebamus, quo Genus differt à cæteris, & quo differentia differt à cæteris. Deinceps, quo differt à Proprio & Accidente, dicetur.

COnueniunt primo. Tã differentia quã Accidens de pluribus prędicãtur. 1.
Secundò, Sicut Differentia semper conuenit his, quibus est Differentia, ita Accidens inseparabile semper est. 2.
Differt autem primo, quòd Differentia semper prędicatur vniuersaliter de Speciebus & de omnibus individuis, at Accidens nõ vniuersaliter: albũ enim de homine, sed nõ de omni prędicatur. 1.
Secundò, Differentia nõ suscipit magis aut minus, at Accidens suscipit. 2.
Tertio contrariæ Differentiæ nõ simul miscentur, vt rationale & irrationale: at contraria Accidentia miscentur ex albo enim & nigro fieri possunt colores medij, vt rubrum, pallidum, &c. 3.

¶ De cõparatione Speciei cum Proprio & Accidenti. 10.

TEXT. SPeciei autẽ & Proprij commune quidem est, ad inuicem conuersim prædicari. Nam si quid homo est, risibile est: & si quid risibile est, homo est. Risibile verò q; secundum id, quod natũ est ridere sumendum, sæpe ãdictum est. Cõmune est quoq; & qualiter esse, æqualiter enim adsunt Species ijs, quæ illis participãt, & propria ipsorum sunt propria.

Differt autẽ species à ꝓprio, quoniã species quidẽ potest & aliorum Genus esse: Proprium verò aliarũ specierum esse ꝓpriũ impossibile est. Et species quidem ante subsistit, quàm propriũ: Propriũ verò posterius in Specie, oportet enim hominem esse, vt sit risibile. Amplius, Species quidẽ semper actu adest subiecto: Propriũ verò aliquando actu, potestate verò semper) homo enim semper actu est Socrates: nõ verò semper ridet, cuius natus sit semper vt sit risibilis. Amplius, quorũ termini sunt differẽtes, & ipsa sunt differentia. Est autẽ speciei quidem sub Gene-

re esse, & de pluribus & differentibus numero in eo q̃ quid est prędicari, & cætera huiusmodi: Proprij verò, & soli, & omni, & semper adesse.

Speciei verò & accidentis cõmune quidẽ est de pluribus prędicari. Raræ verò sunt aliæ cõmunitates, propterea, quòd quamplurimũ distant abinuicem accidens, & id cui accidit. Propria verò sunt vtriusque Speciei quidem in eo quod quid est prędicari de ijs, quorũ est Species, Accidentis autem in eo quod quale quiddã est, vel quomodo se habens est. Et vnãquanque subsłantiam vna quidem Species participare, pluribus autẽ accidentibus & separabilibus & inseparabilib⁹. Et Species quidem præintelliguntur accidentibus, etsi etiam sint inseparabilia (oportet enim esse subiectum, vt illi quidem accidat) accidentia vero posterioris Generis sunt, & aduentitiæ naturæ. Et Speciei quidẽ participatio æqualiter est: Accidentis verò etsi inseparabile sit, non æqualiter: æthiops enim æthiope habere posset colorem vel intensum, vel remissum secundũ nigredinem. Restat autẽ de Proprio & Accidente dicere: quoniam Proprium à Specie, & Differẽtia & Genere differt, dictum est.

1. IN duobus ista cõueniunt, Primo proprium & Species de se inuicem prædicantur. Secũdò, sicut Species æqualiter, & non secundum magis & minus de indiuiduis prędicatur, ita & Proprium.

1. Differunt autem primo, quòd species respectu vnius potest esse Species, respectu aliorũ Genus: loquitur aũt de subalterna: at propriũ semper respectu vnius speciei est proprium intelligẽdo adequatè & immediatè, quia Proprium ab vnico subiecto proximè fluit. Secũdo, Species est natura prior Proprio, Proprium aũt posterius. Tertiò, species semper dicit actum, ac Proprium aptitudinem: Vt risibile, flebile. Quartò, alia est definitio speciei, alia Proprij: hęc differentia ponitur, vt cognoscamus diuersam naturam esse Speciei, & Proprij.

Cum Accidenti verò conuenit in vno quòd de multis prædicatur. 1.

Sed differt. Primo, species in quid, Accidens in quale vel quo modo se habet, prędicatur. Secundo, vnicũ indiuiduum vnicã habet speciem, tamen multa Accidẽtia diuersa. Tertio, Species est prior Accidente. Quarto nõ suscipit magis aut minus: Accidens verò suscipit. 1. 2. 3. 4.

De comparatione Proprij & Accidentis.

COmmune autẽ proprio & inseparabili accidẽti est, quòd præter ea nunquã consistant illa, in quibus considerantur: quemadmodũ enim præter risibile nõ subsistit homo, ita nec præter nigredinẽ subsistit Aethiops. Et quemadmodũ semper & omni adest proprium: sic & inseparabile accidens. Differunt autem, quoniam proprium vni soli Speciei adest, quemadmodum risibile homini: inseparabile verò accidens, vt nigrum, non solum Aethiopi, sed etiã coruo adest, & carboni, & ebeno, & quibusdã alijs. Amplius, Proprium cõuersim prædicatur de eo, cuius est proprium, & æqualiter est inseparabile verò accidens cõuersim non prædicatur. Et propriorum quidem æqualis est participatio, accidentium verò vel magis vel minus. Sunt quidem aliæ communitates, vel proprietates ijs, quę dicta sunt. sed sufficiunt & hę ad discretionem eorũ communitatisq; traditionem. 12. TEXT.

PRoprium conuenit cum Accidenti inseparabili, vt subiectum cuius est Proprium vel Accidens non sit sine vtroque, cũ Accidenti vero vtroq; cõuenit, quia omnia in quali prædicantur.

Sed differunt, primò, quod Proprium soli cõuenit, non tamẽ vtrunq; Accidẽs. Secundo, Proprium conuertitur cũ Specie. Tertio, non suscipit magis & minus, Accidẽs verò nec conuertitur, nec æqualiter se habet, sed secũdũ magis & minus. 1. 2. 3.

IN

IN LIBRVM CATEGORIARVM ARISTOTELIS, QVAE prædicamenta dicuntur, Commentaria, vna cum quæstionibus.

Per Doctorem Franciscum Toletum societatis IESV.

¶ De quæ, quibusq; rebus actum sit.

POST Porphyrij introductionem, ipsius Aristotelis doctrinam, Deo authore, profiteri aggredimur: & quamuis multa, quæ ad ipsius opera, & modũ procedendi, & ordinem vniuersalem intelligendam pertinent, prętermittenda essent, ea tamen in præsenti, quę cõmodius alibi tractanda sunt, & modo nos nulla cogit necessitas explicare, relinquemus: idque solũ, quod operi huic nostro magis deseruit, trademus. Octo autẽ inter alia, quæ initio cuiuslibet libri tractari solent, præcipua delegimus, sunt aũt hæc. Primo propositum, seu finis quis sit, quæue intẽtio, aut institutum, quæ omnia idem sunt, secundo quę vtilitas, tertio quis ordo, quarto diuisio huius libri, quinto proportio ad alios, sexto via doctrinæ, septimo inscriptio libri, octauo eius auctor. Librorũ Topicorũ scopus

Circa primum, hęc tria specula bimur, Primum, quis finis peculiaris huius libri erit: secundo subiectum eius: tertio an ad Logicum, an potius ad Metaphysicũ pertineat talis cognitio. Logicæ totius qs sit finis.

De fine huius libri prædicamentorum.

Vt igitur ad primum deueniamus: finis ex duobus locis Aristotelis colligi potest. 1. ex. 1. Top. in principio vbi dicit, propositũ esse methodum tradere, per quã possimus de omni proposito probleмate syllogizare. Ex hoc hic finis Topicorũ colligitur, scilicet perfectè habere methodum ad cõsequendã rerũ opinionem, quæ per tales syllogismos Topicos fit. Alter locus est. 1. Priorum in principio, vbi, inquit, se intendere, quid demõstratio & scientia demonstratiua sit, tradere, ac si dicat, sinè esse cognoscere demonstrationem, per quã scientia acquiritur: ex vtroque autem loco colligi in vniuersum potest, finem totius ipsius Logicæ esse (vt dictũ antea fuit) cognoscere methodum, & viam sciendi, vel opinandi. Hæc autem via, seu methodus est tripartito diuisa in methodum definiendi, methodum diuidendi, & methodum argumentãdi: duo enim sunt, quæ de quaque re cognoscimus, rem ipsam, & rei proprietates, & accidentia: sed in re ipsa, tum essentiam, tum partes: igitur ad essentiæ rei cognitionem est definitio, ad partium cognitionem est diuisio, ad proprietates de re inquirendas est argumentatio, licet diuisio secundario ordinetur etiam ad definiendum, & ad argumentandum, & definitio quoq; ad argumentandum. Hic ergo est finis Logicæ, cognoscere methodum sciendi rem sic totam perfectè. Logicę finis quo modo obtineatur.

Hic autem finis non habetur nisi per tres actus, vt inquit Albertus, ordinare, cõponere, colligere. Ordinare est simplicia ipsa cognoscere, & sic cognoscere, vt vnumquodque qualiter in prędicando, & in subijciẽdo se habeat, cognoscamus: sunt enim varij prædicandi & subijciendi modi: multipliciter enim aliqua & prædicantur, & subijciuntur, secundum rerum multiplicitatẽ. Componere, est

ista ordinabilia adinuicem coniungere, siue dum definimus, siue dum enunciamus. Colligere est inferre, & vnū ex alio deducere. Hi tres actus, vt antea in diuisione Logices diximus, in Dialectica, seu Logica traduntur, & perficiuntur: sed primus in libro præsenti, qui tradit methodum, per quā vnumquodq; simplex ordinemus, & disponamus secundū suum modum prædicandi & subijciendi, ex quibus finis huius patet: est enim eius proximus finis cognitio omnium ordinabilium in prædicatione & subiectione: finis vltimus est: ad definitiones, & argumentationes, quæ non sine his constare possunt.

Categoriarū qs sit finis.

De subiecto libri prædicamentorum.

SEd de subiecto huius libri iam agendū. Nō est autem satis inter omnes cōstitutum, quod id sit, varia enim existunt placita sicut in vniuersum de totius Logicæ subiecto, & de libro Prædicabilium diximus. Alexan. & Simpl. existimant hic agi de vocibus simplicibus, quod colligūt ex capit. 2. sequenti: vbi dicit Aristoteles, quędam cum complexione, quędam sine complexione dicuntur: hoc autem videtur rebus conuenire non posse, sed vocibus.

1. opinio.

2. opinio

Alia fuit sententia Eustratij, & Auerr. & aliorum: hic agi de rebus, non autem de vocibus: ratio est ex Arist. ca. 2. huius, vbi diuidit ens in decem Prædicamenta: nō ergo Prædicamenta sunt de vocibus.

3. opinio

Tertia sententia fuit Porphyrij, vt videtur, & aliorum, qui nec de rebus, nec de vocibus, sed de conceptibus, existimārunt esse, scilicet de Generibus, & intentionibus secundis ab intellectu factis: cuius motiuum fuit, quod in huius fine Aristoteles dicit, scilicet, de Generibus hæc dicta sufficiant.

4. opinio

Quarta sententia fuit Ammonij, qui de vocibus hic tractari, vt per conceptus rerum significatiuæ sunt, asserit: vel de rebus vt mediis conceptibus per voces explicantur. Hoc etiam habet Boet. dū docet, hic agi de vocibus, vt rerum sunt significatiuæ. Nominales ad voces, & nomina; omnia referunt, vt solent. Hæc difficultas pendet ex alia, nimirum quid primo prędicetur, an termini, seu voces, an res ipsæ.

Existimo esse dicendum, res prędicari, enunciari, dici: voces verò, prædicare instrumentaliter, dicere, & enunciare: conceptus verò formaliter, intellectus effectiuè: verbi gratia si quæras, quid prędicatur, vt si petas, quę est causa effectiua prędicationis? est intellect⁹: si petas, Per quid prædicat formaliter? sunt notitiæ & conceptus: si petis instrumenta: voces dicam: at quid prædicatur? quid verò enunciatur? dicam res: res igitur prædicantur & enunciantur: vnde res sunt prędicatum, & subiectum passiuum, q. alij prædicari obiectiue vocant.

1. Funda. Res prędicātur.

Ex quo ad difficultatem illam respondeo, hic tractari primo & per se de rebus vocibus significatis, aut per cōceptus ex prebis: deinde secundario ipsos conceptus & vltimo tanquam externa quędam instrumēta prędicationum, voces ipsas: non tamen absolutè res, vel voces, vel conceptus hic considerantur, sed vt sunt ordinabiles secundum subiectionem, & prædicationem: subiectum igitur huius libri, vt optimè dixit Albertus: est simplex ordinabile per subiectionem, & prædicationem.

Respōsio ad quę-stionē, agi in categorijs p se de rebus.

An liber Prædicamentorum ad Logicum, an ad Metaphysicum potius pertineat.

¶ Sequitur, quod tertio fuit loco propositum, An iste liber ad Metaphysicum, vel potius ad Logicum pertineat? An aliqui viri docti ex Neotericis vehementer cōtendunt, nullatenus pertinere ad Logicum, sed ad Metaphysicum: quorū ratio fortissima hæc est. Hic liber totus est de rebus, at Logicus res non tractat, sed intentiones: ergo Logicus nō est hic liber. Ad hanc rationem potest respondere ex Alberto: hoc loco non tractari ista

1. opinio

2. opinio

ista entia, vt entia & naturæ sunt, hoc enim est munus Metaphysici, sed vt ordinabilia secundum subiectionem, & prædicationem, & hoc idem sustinet Burleus asserens, hic agi de rebus, vt subsistāt intentionibus. Quod si obijciatur, hic res secundum se tradi, vt patet in contextu. Respondetur cum Ioctio in præsenti, quod hic traduntur res, quia voces non plenè explicantur nisi præsupposita aliqua rerum cognitione: ita posset dici de intentionibus, quæ sine aliqua rerum cognitione perfectè non cognoscuntur.

Sed vt hoc ex propria radice eruam⁹, & veritas magis conitet, est aduertendū: quòd intellectus primo scientiam & cognitionē naturæ rei consequi affectat, tamen multipliciter ab hoc impeditur. Primò propter multitudinem naturarū rerum. Cùm enim innumeræ sint rerum naturæ, difficilè est cognoscere, ad quā harum, res, quam cognoscere studemus, pertineat: mens enim vagatur ad modū hinc inde inquirendo. Impeditur, secundò propter communionem, & coniunctionem multarum naturarum in vnum, cùm in vna re, vel subiecto, multæ concurrant naturæ, quas distinguere esset admodum difficile, vt in homine vno, coniunguntur substantia, & varia accidētia. Tertiò impeditur, quia non habet aquā viam, vel modum distinguendi, & cognoscendi rem. Contra hæc tria adhibuerunt Metaphysici per eorum scientiam remedium. Cōtra primum reduxerunt omnem multitudinem naturarum ad decem, vt nulla sit res finita, cuius natura sub vna ex his decem non comprehendatur. Contra secundum istas decē naturas ita distinxerunt, vt earum in rebus permistio intellectum non confunderet. Contra tertium, proprietates, & signa quædam ipsarum inuenerunt, per quæ dignoscerentur.

1. funda. Intellectū in cognitione naturæ rei multis modis impediri

2. funda. cū respōsione ad quęstionem.

Ex quibus non erit difficile rei propositæ naturā inuenire, quamus non in particulari statim. Hęc omnia Metaphysica sunt. Logicus autem ex his decem naturis decem modos prædicandi desumit fundatos in his decē modis entis, ad quos omnis modus prædicādi rei pertinet, & reliquos desumit secundarum intentionum respectus: vt quemadmodum ex cognitione Metaphysica rei naturā cognoscimus, ita ex modis his prædicandi, & alijs respectibus secundarum intentionum, primò vnumquemq; per se cognoscamus, & hinc postea singulas propositiones, & quæstiones consequamur, an sint genēris, an differentiæ, & qualis, an accidentis huius, vel alterius: & postremus secundum varia prædicata cognitiones, & cognoscendi modos definire, diuidere, argumentari. At verò quia, vt superius dixi, non possemus hos modos cognoscere, quin aliqua facilis, & totius rei cognitio præmitteretur, optima ratione & cōsilio. Aristoteles res ipsas proposuit, nō sicut Metaphysicus earum inquirens naturam, sed supponens, vt varios modos prædicandi & cognoscendi super eas res fundatos, elicere mus: quod ipse clarè ostendit, dū definiens per prædicationem præcipuè, & alijs similibus rationis respectibus definiunt. Semper enim substantiam per prædicationē explicat, & qualitatem dicit esse, secundum quam quales esse dicimur.

Vide Alex. 1. Topi. ca. 7. in fine.

Quomodo hic in Categorijs & in Metaphisica Aristoteles differat de reb⁹.

Vnde alia ratione hæc Metaphysicus, alia Logicus cōsiderant. Et iudicio meo hoc est euidens: nam in libris Topicorū, innumera loca argumentandi, sunt propositiones Metaphysicæ, scilicet, si quod magis videtur inesse, non inest, nec id, q. minus: contrariorum eadem est disciplina: & alia multa. Hæc tamen Logicus cōsiderat, non vt probet, sed vt declaret, & ex ijs modos ratiocinandi & argumentorum eliciat. Cur ergo non præsupponet hic aliquam rerum facilem cognitionem, vt innumeros prædicandi modos, & alios respectus intellectus colligat? Infertur igitur: Prædicamentorum doctrinam esse Logicam quantum ad modum hunc ea tractandi, consideran-

Universidad de Deusto
Biblioteca

do modos prædicandi,& alios respectus mentis in eis.

De vtilitate, ordine, diuisione, proportione, doctrinæ via, inscriptione & authore huius libri.

SEquitur,secundum de vtilitate. Hæc autem Prædicamentorum cognitio vtilis est,& ad definitiones quæ ex generibus,& differentijs constant,& ad diuisiones,quæ multipliciter fiunt,& ad demonstrationes,quæ de subiectis per definitiones proprietates ostendunt, & ad Topicos syllogismos, qui circa problemata varia sunt:quorum aliud est problema accidentis,aliud proprij,aliud generis,aliud definitionis. Hæc autem omnia exprædicamentis habentur.

Ordo est clarus, cum enim iste liber de simplicissimis tractet, ante alios est collocandus.

Diuisio est in tres partes, in quædam præludia necessaria ad ipsa prædicamẽta,quæ ante prædicamenta dicuntur: & in ipsa prædicamenta:& in quædam multis communia, quæ post prædicamenta dicuntur.

Proportio huius est,sicut partis ad totum,si ad totam logicam comparetur.

Circa aliud, scilicet doctrinæ viam, est cõsiderandũ apud Auerroë ista duo maximè distingui,scilicet ordo doctrinę & via doctrinæ. Via doctrinæ est modus & genus probandi rem. Ordo doctrinæ est,secundum quem in scientijs,quædam prius,quædam posterius traduntur:modo hic non traditur via scientifica, & demonstratiua doctrinæ,cum non demonstratione agatur,sed modo quodã potè disciplinæ, cùm processus definitione & diuisione fiat. Modus enim esse potest vel per demõstrationẽ, vel per definitionem,& diuisionẽ tantũ, cum sola eorum explicatione,vel leuiori eriã aliqua probatione,quã ipsa sit demonstratio. Hæc ergo prædicamenta,iuxta naturæ ordinem sunt collocata: modus autem est, quem diximus, non per demonstrationem,sed definiendo,diuidendo, & explicando,ac narrando singulorum propria & quandoque facili,& breui aliqua ratione id probando.

Ordo doctrinę & via doctrinæ, quomodo distinguuntur.

Circa inscriptionẽ, iste liber dicitur Categoriarum,& vt notant Ammonius & Porphyrius,& alij interpretes,Categoria non hic sumitur pro accusatione, quæ apud iudices,in foro fiebat,sed pro prædicato,vt sit sensus: liber decem prædicamentorum:Latini conuertunt,prædicamentorum. Prædicamentum autẽ aliquando sumitur pro ipso genere supremo,aliquando pro coordinatione integra multorum prædicatorum ab vltima specie vsque ad genus supremum inclusiuè:& sic est sensus,liber decem prædicamentorum,id est,decem supremorũ generum,vel coordinationum talium.

Categoriæ nomẽ quid hic significet.

Huius author est Aristoteles,vt volũt Themist.& Auer.licet Iamblicus, vt refert Boetius,velit esse Architæ,prædicamentorum inuentionem. Tamen hic liber Aristotelis est habendus.

De Æquiuocis, Vniuocis, Denominatiuis.

Caput primum.

TEXT.

AEquiuoca dicuntur,quorum nomẽ solum commune est, secundũ nomen substantiæ ratio diuersa,vt animal,& homo,&quod pictum est: horum enim solum nomen cõmune est, secundũ nomen verò substantiæ ratio diuersa. Si enim quis assignet quid sit eorum vtrunque quo animal est,propriam assignabit vtriusque rationem. Vniuoca verò dicuntur,quorũ & nomen commune est,& secundum nomen eadem substantiæ ratio,vt animal,& homo,atque bos,communi enim nomine horum vtrunque animal nuncupatur,& est ratio substantiæ eadem. Si quis enim assignet vtriusque rationem,quid vtrunque est quo animal est,eandem assignabit rationẽ. Denominatiua verò dicuntur, quæcunque ab aliquo differentia casu,secundum

cundum nomen habent appellationẽ: vt à grammatica grammaticus,& à fortitudine fortis.

Cur de his Anteprædicamentis prius egerit,& cur hoc ordine.

TOtus hic liber Græcè solum in capita quatuordecim est distributus,ac liber categoriarũ inscriptus:at Latini in tres diuiserunt partes,vt dictũ est,in anteprædicamenta,post prædicamenta,& prædicamenta.Prima pars est anteprædicamentorum,quæ nihil aliud sunt,quã quædam præambula vtilia, ad ipsorum prædicamentorum cognitionem:secunda pars est ipsorum prædicamentorum: tertia quorundam,quæ ipsa communiter consequuntur: & hæc post prædicamenta vocantur.

Anteprædicamẽt. quæ sint.

In his igitur anteprædicamentis cõtinentur tres definitiones, duæ regulæ, duæ diuisiones:vnde multi asserunt, anteprædicamenta esse tria,definitionem,diuisionem,& regulam:alij verò esse quinque,secundum ea,quæ definiuntur, diuiduntur,& quorum regulæ sunt,scilicet vniuoca,æquiuoca,denominatiua,subiectum,& prædicatum.

In hoc igitur capite tres definitiones continentur, cuius finem vt intelligamus aduertendum est, omnia decem prædicamenta tripliciter posse comparari,vt notat Albertus tract. 5. capit. 2. Primò,ad ipsum ens, cuius membra diuidentia sunt. Secundò, vnumquodque ad sua inferiora. Tertiò,primum prædicamentum ad nouem sequentia,vel nouem ad ipsum primum, quod est substãtia. Si ergo ad ens comparentur, in eo æquiuocationem quandam habent, cùm ens ad decem ista genera æquiuocè se habeat,vt superius dixit Porphyrius: si verò singula ad sua inferiora cõparentur, vniuocè de ijs prædicantur, cùm omne vniuersale vniuocè prædicetur. Tertiò, si nouem ad primũ comparentur, omnia de eo denominatiuè dicuntur.

Prædicamẽta tripliciter cõparari possunt.

Cùm igitur hæc tria in prædicamentis contineantur,meritò Aristoteles præmisit,quæ æquiuoca, quæ vniuoca,quæ denominatiua dicantur: incepit autem ab æquiuocis, quia prima comparatio ad ipsum ens, in quo æquiuocè conueniunt: est autem prima,quia ante omnia alia,ens in decem genera diuiditur, vel vt notat Ammonius,quia sunt æquiuoca simpliciora, quam vniuoca, cum æquiuoca solo nomine, at vniuoca re & nomine conueniant:definiuntur autem sic.

Æquiuoca dicuntur, quorum solum nomen commune est, secundum nomen verò substantiæ ratio diuersa.

1. fundam.

PRo cuius explicatione aduerte, res significatas,& voces pariter significantes dici vniuocas, & æquiuocas mutuo ordine:voces,vt res significãt,res, vt vocibus significantur,vniuocæ,vel æquiuocæ dicũtur.Solet autẽ à logicis hoc ita distinguhnam voces dicũtur vniuoca vel æquiuocantia,vel æquiuoca æquiuocantia:at res significatæ,vniuocata,vel æquiuocata: hic autem non voces,sed res vniuocę vel æquiuocæ definiuntur.

2. fundam. Tria requiruntur vt aliqua secundũ nomẽ sit æquiuoca

Aduerte præterea tria esse opus,vt aliqua secundum aliquod nomen sint æquiuoca. Primum quòd vniuocum nomẽ habeant,quando enim singula sua nomina varia habẽt,non æquiuoca,sed multiuoca dicentur. Secũdò,quod habeãt diuersas definitiones: si enim illa plura vniuocè habeant definitionem,non æquiuoca dicẽtur,vnde Petrus,& Paulus non æquiuoca sunt,quia vnicam habent definitionem. Tertiò,q̃ habeant distinctas definitiones secundum illud nomen, id est, quatenus per illud nomen significantur: in quo monemur esse plura habentia diuersas definitiones,quæ tamen in aliquo nomine sunt non æquiuoca,quia illas nõ habent,vt per tale nomen significãtur, verbi gratia:homo,& leo in hoc nomine animali,æquiuoca non sunt:quia licet distinctas habeant definitiones,nõ tamen secundum illud nomẽ: imò vt animal sunt,vnicam habent definitionẽ. Ex quo elicitur

elicitur aliquæ esse æquiuoca respectu alicuius nominis, non autem respectu alterius: quia secundum illud nomẽ diuersas habent definitiones, non autem secũdum hoc: verbi gratia canis latrabilis, & canis cælestis & marinus, in hoc nomine, canis, æquiuoca sunt, quia diuersas sub eo definitiones habent, nõ autẽ sub hoc nomine, corpus, quia vt corpora sunt, vnicam habent definitionem.

Explicatio definitionis æquiuocorum.

Hæc igitur tria ad æquiuoca necessaria significantur in definitione: primum in hoc, quorum nomen est commune secundum in hoc, ratio diuersa: tertium in illo verbo, secundum nomen: hoc exemplo, animalis ad hominem viuum, & pictum manifestatur, vbi secundum tale nomen diuersas assignat definitiones illorum.

Sed hæc iterum ipsa verba Aristotelis singula considerantes paulò diligentius scrutemur. In primis dicit [æquiuoca] non æquiuocum: quia vna res non habet diuersas definitiones sub vnico nomine, vnde nec æquiuoca dici potest. Dicitur [dicuntur,] non autem sunt quia verè in se res nec sunt vniuocę, nec æquiuocæ, nisi secundum voces, per quas significantur, vt notat Boetius. Propterea dicitur, dicuntur, Dicitur [nomen,] quod non accipitur vt distinguitur cõtra verbum, vt notat Ammonius, sed pro quâcũque dictione significatiua, quo pacto .1. lib. Perihe. c. 3. dicitur.

Quorum solum nomen commune.

Dicitur, [solum] vt dicit Ammon' ad excludendam definitionem, vt sit tantùs, habent commune solum nomẽ id est, nomen non autem definitionem, commune, id est, ex æquo conueniens multis. ratio, id est, definitio, vel aliqua descriptio non enim omnia definitionem habent quidditatiuam: sat est, si sit descriptio aliqua, vel notio, aut manifestatio [Substantiæ] non hic pro substantia distincta ab accidenti vsurpatur, sed pro re seu essentia, vt ratio substantiæ significet rei definitionem, & hoc optimo cõsilio ab Aristotele fuit positum, aliter enim omnia æquiuoca dicerentur vniuoca respectu eiusdem nominis: quia omnia habent vnam definitionem illius nominis, & vocis: quod Arist. cauẽs dixit, definitio substantiæ, id est, rei, nõ nominis.

Notã. Ratio quatuor modis intelligitur.

Notat Boet. quod ratio quadrupliciter accipitur: vno modo pro ratione, quę est in anima nostra, quæ est idem cum intellectu altero modo, pro ratione cõputationis, secũdum quam diximus, reddere rationem: tertiò, ratio naturæ, id est, similitudo, quæ est, inter id, quod producitur, & id, à quo producitur: quartò, pro eo accipitur, quod definitione, vel descriptione explicatur: hic in præsenti sumitur. Secundum nomen, additur propter tertium quod explicumus supra.

Vniuoca dicuntur, quorum nomen cõmune est, & secundum nomen est eadẽ substantiæ ratio.

HAec definitio ex his quæ in præcedenti dicta sunt, est facilis, eodem enim tenore verba procedunt: sed aliqua peculiarius hic explicabimus. Dubiũ.

Primum quare definit vniuoca pluraliter, cum constet res singulares esse vniocas respectu suorum nominum: est enim Petrus vniuocum nomen ad vnicum Petrũ, & alia similiter. iudicio meo, arbitrur ita esse respondendũ. Hic Arist. vniuocatio nẽ, & prædicationẽ in prædicatis considerare: & ea, quæ vniuocantur vel æquiuocantur secundum aliquod prædicatũ: cum autem vox singularis in prædicatione propria, vti diximus, prædicatum nõ sit, non hic ab Aristotele considerarur: non dubium tamen, quin talia nomina vniuoca sint censenda, si ad vnum significatum comparentur. Solutio.

Dubitatur, qua ratione nomen vniuocatis ipsis, & etiam in æquiuocatis asserat esse commune, cum commune sit vniuersale, quod in pluribus est, & de pluribus vniuoce prædicatur: at vnum nomen non est in pluribus rebus, nec nomen de æquiuocis rebus vniuocè prædicatur. 2. dubiũ.

Cõmune multis modis accipitur.

catur. Respondeo ex Ammo. & Boe. & Dexippo, commune multipliciter dici. Primò, quod in partes diuiditur & non commune manet, sed partes singulorum sunt: vt domus dicitur communis, quam multi habitant. Secundò, dicitur cõmune, quod in partes non diuiditur, sed vicissim in multorum vsus transit: quo pacto equus dicitur cõmunis. cuius vsus multorum est. Tertiò, cõmune dicitur, quod vsu, cuiusque sit proprii, tamẽ post vsum cõmune manet: quo pacto theatrũ dicitur commune: cum enim quis eo vtitur, illi est proprium: quãdo discedit in commune remittitur. Quartò, dicitur commune, quod totum vnico tempore in singulos venit: quo pacto dicitur vox communis, quia vnico tempore in singulorũ aures venit: & ita existimat Boet. & alij, hic nomen commune dici, sed illa communitas videtur esse non penes significatas res, sed ab extrinseco penes eos, ad quos vox peruenit: propterea dicerẽ hic vocari nomẽ commune, quod a multis rebus significatis participatur: hæc autem participatio non alia est, quàm significatio: rem enim nomine participare est, per id significari & repræsentari.

3. Dub.

Dubitatur præterea, quid est habere rationem eandem vel diuersam. Aliqui existimant, quòd habere rationem, est, quod definitio sit vna illorum, vel diuersa, secundum tale nomen, vtcunque sit, siue accidentalis, siue substantialis: vnde dicunt, homo & leo sunt vniuoca in hoc nomine, animal, quia participant nomen, & definitionem eandem, homo enim est animal, & leo est animal, & in quantũ animal, vnicam habent animi rationem.

Sed hoc est magna huius doctrinæ peruersio, quãuis Caietanus dicat, id esse Aristotele dignũ, sed profectò nihil magis ab eo alienum: nullum enim accidens de substantia secundum nomen, & rationem dicitur, vt ipse expressè dicit cap. de substantia: nõ ergo subiecta dicẽda sunt habere rationem prædicati accidentalis: vnde album nõ vniuocè de homine dicitur: habet enim suum modum dicendi, qui modus sequitur, scilicet denominatiuè: debent autem illa participare definitionem eandem, quæ sit illis intrinseca: ac propterea additur illud verbum, ratio substantiæ: illa autem definitio alibi respectu illorum, nominis est, nõ rei, & hoc est hic considerandum: non enim loquitur de omni vniuocatione, sed de propria, secundum quam vnum prædicamẽtum de alio non dicitur, sed de suis inferioribus eiusdem prædicamenti.

Denominatiua dicuntur, quæcunque ab aliquo sola differentia casu secundum nomen habent appellationem.

1. funda. Denominatiua sũt quódam modo media inter Homonyma & vniuoca.

EXplicat Aristoteles quæ denominatiua dicantur, & vt notat Simplicius & Aug. 1. tomo. cap. 4. suarum categoriarum quodammodo sunt media inter æquiuoca, & vniuoca. Vniuoca enim nomen & rem habent eandem; æquiuoca nomen solum, non rationem: denominatiua verò rationem nõ habẽt prorsus eandẽ, sicut vniuoca: nec prorsus diuersam, sicut æquiuoca: nomen autẽ, nec prorsus idem, nec prorsus diuersum: sicut album & albedo, eandem rem dicunt, sed non eodem modo: alterũ, vt est per se, alterum, vt est in subiecto: nomina nõ sunt prorsus idem, nec diuersum, sed habent quandam cadentiam & derivationẽ inter se, & hæc dicunt denominatiua.

2. funda. Denominatiua vt aliqua appellẽtur quatuor sint necessaria.

Sunt igitur quatuor necessaria, ex Ammonio, vt aliqua dicantur denominatiua. Primum, vt sit aliqua conuenientia rei, & rationis. Secundò, vt sit etiam aliqua diuersitas, quorum defectu homo & humanitas non dicuntur denominatiua: quia sunt eadem res: nec homo, & leo, quia ad inuicem non habent conuenientiam, scilicet quod leo sit aliquid hominis, vel homo aliquid leonis. Tertiò, & in nomine sit aliqua dissimilitudo. Quarto, quòd sit in nomine aliqua similitudo: quorum defectu, iustus & misericors, nõ sunt denominatiua, quia omninò sunt diuersa nomina: nec iustus & iustus, seu musica pro arte, & musica pro muliere, habente

bente artem: quia profus. sunt eadem nomina. Sunt ergo denominatiua, quæ neque omnia nò eandé rationem, nec omninò diuersam, nec omninò idem nomen, nec omninò diuersum habent.

Explicatio definitionis. Per hæc explicatur definitio Aristotelis: ilia sunt denominatiua, quæ ab aliquo habent nominis appellationem, id est, quæ sumunt nomen ab aliquo, & denominationem, seu nominantur ab aliquo, à quo casu, id est, transfiguratione aliqua vocis, differunt: quia scilicet denominatium & id à quo denominatur, in nomine conueniunt, & aliqua nominis mutatione differunt: vt album, albedo: iustus, iustitia. Hæc magis in quæstione sequenti examinabuntur.

Nota. Æquiuoca cur à categoriis reijciantur. Ex his definitionibus Aristotelis aliquot nobis vtilia colligere possumus. Primò, cum æquiuoca, vt æquiuoca, in nulla definitione communi conueniant, non habent genus, vt æquiuoca sunt, propterea à prædicamento excluduntur, nec enim sunt genus, nec species, quia hæc vnicam habent definitionem. Secundò docemur, omnia genera, & species, vniuocè prædicari, quia vnam habent rationem. Tertiò, omnia accidentia denominatiuè de substantia dici: nominat enim substantiam ab aliquo accidenti, à quo casu nominis differunt.

Quæstio vnica circa hoc idem.
Caput primum.

Num quæ ab Aristotele hic dicuntur, recte sint dicta?

Argumenta in contrarium. VT aliqua, quæ difficiliora in hoc capite videtur, nota fiant, & horũ exactior habeatur cognitio: oportet, vt aliquot argumenta breuiter proponamus, quorum solutione illa facilius consequemur: argumentum primum sit.

1. argu. Nomen non solum est vox ipsa, sed etiam significatio, est enim nomen vox significatiua: sed vox æquiuocorum nõ habet eandem significationem, vt notum est: ergo non est vnum nomen, sed plura: & sic æquiuoca non habent commune nomen, vel si vnum nomen habent, quare non dicentur vniuoca, id est, vnius vocis & nominis?

2. argu. Secundũ contra exemplũ Aristotelis. Homo viuus & pictus non sunt æquiuocè animal, sed analogicè, animal enim ad ea nõ est nomẽ æquiuocũ, sed analogũ: ergo exemplo falso vtitur, & diminutus est, cum de analogis non differat.

3. argu. Tertium. Præterea æquiuoca sunt plura, & plures habent definitiones, ergo nõ erant vnica definitione definienda.

4. argu. Quartũ. Illa definitio denominatiuorum vocibus conuenit, non rebus: ergo non rectum tenorem seruat Aristoteles, cum primò res æquiuocas & vniuocas definierit, postea transierit ad voces; antecedens patet, quia denominatiua dicuntur casu differẽtia, at casu differre, nominum est, non rerum.

Ad r. 1. Solut. Nomen quodlibet tria in se cõplectitur. Circa primum argumentũ. Albe. magn. tract. 1. huius c. 2. inquit, in nomine quolibet esse tria. Primũ se habet vt materia, scilicet sonus ipse, qui ore hominis fit. Secundum est forma: & hæc est talis illius soni configuratio, & articulatio, secundum quam varia est vox, homo, leo. capra, quam configurationem ab imponente ad significandum habet. Atq; hæc duo, inquit, sunt de natura nominis, quibus multiplicatis, nomen multiplicaretur. Tertium est ipsa significatio, & hæc non est forma nominis, sed actus secundus, id est, perfectio cõsequens, sicut motus animalis, qui sequitur ipsum animal: non tamen est ipsius forma, & hoc multiplicato, nõ multiplicat, nec variatur nomẽ: & per hoc respõdet ad argumentũ: æquiuoca enim habent vnũ nomẽ, cũ tale nomen sit eiusdem materiæ & formæ.

Ista sententia mihi non placet in hoc, quod asserit significationem, non esse formam nominis; sed configurationẽ: hoc enim videtur falsum, quod patet sic. Ablata significatione à voce, cetera manente eadem configuratione, non dicitur nomen ergo illa non est forma. Præterea potest

potest esse talis configuratio in voce, & quòd non sit nomen defectu significationis, vt patet in vocibus non significatiuis ergo significatio est forma. Præterea nomen vt nomen est, signum est: vt patet ex Arist. 1. Periherm. sed de natura signi est significare, ergo & de natura nominis, & ita existimo esse dicendum.

1. Solut. Ad Argumentum autem respondeo, quod in compositis ex materia, & forma, siue substantiali, siue accidentali, non est sumenda multitudo numerica penes formam, sed penes materiam, vt docet Aristot. 1. cæli. cap. 9. vndet licet in Petro multa, & varia accidentia sint, non plura, sed vnum ens est dicendum: ita similiter, licet multæ significationes sint: quia vnum est subiectum illarum; id est, vna vox, dicitur vnũ nomen, non plura, & hoc est obseruandum.

Ad replicã verò, qua argumẽtabatur, ergo dicentur æquiuoca vniuoca potius, quandoquidem vnum sit nomen: Dico ex Simp. in prologo, quod non dicuntur vniuoca solum, quia vnum habeant nomen: sed quia simul, & coniunctè, & inseparabiliter vnum nomen habeant, id est, illud nomen vniuocum simul res significat: & qua ratione vnam, eadem aliam, vt homo, omnes homines: nec potest cadere à significatione vnius, quin cadat, & mutetur à significatione aliorum: & hinc est, quod vnica impositione ea omnia significat. At æquiuoca habẽt quidem vnum nomen, sed non inseparabiliter, quando alia ratione vnum; alia, aliud significet: & potest à significãdo vno deponi, nec tamen cadat ab alterius significatione, & inde est, quod pluribus impositionibus æquiuoca ad significandum imponuntur: propter hanc separabilitatem dicuntur æquiuoca, id est, vocis æqualis.

Nota. Res multis modis se habent ad voces. Possumus autem hinc colligere, res multipliciter se habere ad voces. Quædã enim vnica definitione, & vnico nomine conueniũt, & hęc vniuoca latinè, synonyma græcè vocantur. Quædam ex oppositio multas definitiones, & multa nomina habent: vt homo & leo, respectu harum duarum vocum: hæc latinè diuersiuoca dici possunt, græcè heteronyma dicuntur. Quædam tertiò multas definitiones sub vno ieu habent nomine; ista latinè æquiuoca, græcè homonyma dicuntur. Quædam ex oppositio vnam definitionem varijs nominibus expressam habent, vt ensis, gladius, & hæc, multiuoca, græcè Polyonyma vocantur: quamuis, vt notat Simplicius, & ex Aristotele in poetica probat, hæc aliquando synonyma vocantur: deinde velut in medio denominatiua, græcè paronyma dicta, collocantur: quia hæc nec omninò idẽ; nec omninò diuersum nomen habent & definitionem.

Ad 2. Diuisio æquiuocorum & Analogorum. Circa secundum argumentum distinctionem æquiuocorum proponere oportebit: eorum vero naturam; quia aliter & obscurior est, alibi explanabimus: & quia facilior erit, si per voces, quam si per res explicetur, ipsas voces diuidemus: ac quidem diuisionẽ Ammonij & Boet. sequentes eam perficiemus. Æquiuocum duplex est, quoddam à fortuna, vel vt alij dicunt, à casu: quoddam à consilio. A fortuna est, quando vna imponitur ad plura significandum, nulla consideratione, sed casu quodam: vt aliquis Romæ imponit filio nomen Petri: aliquis etiam in Hispania imponit idẽ nomen: tunc talis vox illa plura significat, & est æquiuoca à casu. Æquiuocum à consilio est, quando consideratione, & ratione quadam, nomen ad plura significandum imponitur: & hoc duplex est, à consilio purè æquiuocum, & analogũ: purè æquiuocum à consilio est, quando vox plura significat, non propter ordinem aut similitudinem aliquam ipsarum rerum significatarum inter se, sed propter aliquid ex parte imponentis; vt quando aliquis imponit nomen filio suo Caroli, propter memoriam & recordationem parentum: qui tali nomine vocati sunt: tunc nomen Caroli est æquiuocum

cum

cum ad parentes, & ad filium à consilio, sed purè æquiuocũ, quia non significat sua significata propter ipsorum ordinẽ, vel similitudinem. Hoc inter alia duplex est à memoria, & à spe, pro diuersitate, scilicet eorum, quę mouẽt ad imponendũ nomẽ. Igitur à memoria est, quod modo prædiximus: à spe, quod imponitur ad plura significandum, propter aliquam boni expectationem, vt si quis puero imponat nomen Platonis, quia expectat futurum philosophum: vel nomen Petri, quia sperat futurum diuo Petro deditum.

Analogum verò est, quod plura significat, propter aliquem ordinem, vel similitudinem ipsorum, & hoc maximè est considerandum: non enim omne æquiuocum à consilio, analogum est: vt multi falsò existimant, cùm à memoria, & à spe sint æquiuoca à consilio, non autem analoga: illud nũt analogum est, q̃ multa, vt diximus, propter aliquem vnius ad alterum ordinem, vel similitudinem significat. Hoc autem est triplex, à similitudine, à causa, à proportionalitate. Analogum à similitudine est, quod multa propter similitudinem vnius ad alterum, q̃ principaliter se habet, significat, vt homo principaliter vnum significat, & pictum propter similitudinem, quam habet ad vnum. Hoc duplex est, quoddam à forma, quoddam ab actione. A forma dicitur, quando similitudo in forma consistit, vt homo, vinum, & pictum significat. Ab actione, quando similitudo in actione consistit, vt homines potentes seu duces vocantur Nerones, propter similes operationes cum operationibus Neronis regis. Analogum à causa est, q̃ multa significat propter ordinem & dependẽtiam ab vno quòd est illorum causa: q̃ si fuerit causa efficiens dicitur analogũ ab efficiente: si finalis, à fine, si verò fuerit materialis, à materia. Vnde triplex est analogum à causa: primum, ab efficienti, quod multa significat propter dependẽtiam ab vno, quod eorum est causa efficiens, verbi gratia, medicans, seu medicinale dicitur de Medico curante ægrotum, similiter de potione, & cibo, & emplastris, sed medicus dicitur medicans, tanquàm causa efficiens, reliqua catenus medicamẽta dicuntur, quatenus ab illa causa efficienti ordinata procedũt. Analogum à fine est, quando multa nomẽ significat propter ordinem ad aliquem finem, vt sanum dicitur de animali habente sanitatem: de vrina & medicina: sed de animali, tanquam de eo, in quo est sanitas: de reliquis, vt ad sanitatem ordinãtur: vrina, quia est signũ, medicina, quia est causa illius. Analogum à materia est, quod plura significat propter ordinem ad vnum, quod est, vt subiectum illorum: vt ens significat plura, accidentia & substantiam, sed accidentia ideò dicuntur entia, quia omnia ordinantur ad substantiam, tanquàm eorum subiectum.

Analogũ quid sit.

Hoc vnum est omnibus commune, q̃ maximè est considerandum, & memoriæ mandandum: q̃ hæc analoga à causa singula significant vnã formã, quæ principaliter & intrinsecè est in vno significatorum, & ab eadem reliqua extrinsecè denominantur, id est, per eius ordinem, verbi gratia, sanum significat vnam formam scilicet sanitatem, & dicitur de animali, vrina, & medicina sed de animali principaliter, tanquàm de eo, in quo sanitas est, de reliquis, extrinsecè, nã vrina non dicitur sana, quia in se habeat sanitatem, nec medicina sed ab illa sanitate animalis, illa dicuntur extrinsecè dicũtur sana: nã vrina, quia illius est signũ: alterũ, quia illius est causa. Similiter medicans intrinsecè de medico medente, de reliquis extrinsecè: & ens principaliter de substantia: & hoc vocauerunt Metaphysici, dici per prius, & posterius: de illo dicitur per prius, de quo intrinsecè: de illis per posterius, de quibus extrinsecò.

Analogũ proportionalitatis est, quod plura significat propter quandam significatorum proportionalitatẽ. Pro quo aduerte, quòd apud Arithmeticos illa duo vocabula differunt, ꝓportio & ꝓportionalitas. Proportio est habitudo inter duos numeros æquales, vel inæquales, vt habitudo quatuor ad duo, nã quatuor includunt bis duo. Proportionalitas est habitudo, seu potius similitudo duarũ proportionum, secundum quam diximus, sicut se habet quatuor ad duo, ita se habẽt sex ad tria: in vtroq; enim numerus maior bis includit minorem: propterea proportionalitas dicitur proportio proportionum, quæ inter quatuor (vt minimũ) formaliter terminos fit, duos ex vna parte, & duos ex altera.

Analogũ proportionalitatis quòd sit.

Hoc supposito sunt aliqui termini plura significantes propter talem proportionem, vt ridere de prato, & homine: ridet enim homo, ridet & pratũ, sed propter hanc proportionalitatem: vt enim risus se habet in homine, quia eius lætitiam ostendit, ita viriditas in prato, quia eius fœcunditatem ostendit huiusmodi sunt multa nomina, in quibus omnibus illud considerandum est, hæc nomina non significare illam similitudinem, aut proportionalitatem: sed res propter talem similitudinem.

Nota. Cùm igitur tot species æquiuocorum sint, in definitione illa Arist. conueniũt, quòd nomen est commune, & ratio diuersa: non tamen Aristoteles ea omnia distinguere curauit, quia negotio præsenti id erat inutile: nos autem declarauimus sequuti omnium ferè probatissimorum interpretum rationem, qui suis vijs hæc loco præsenti tractãrunt, quia vniuersaliorẽ cognitionem, quàm prædicamentorum doctrinam instituimus.

Ad 3. Ad tertiũ argumentũ, est solutio facilis. Æquiuoca enim, si vnumquodque per se sumatur, definiri nequeunt, scilicet canis, cũ suus significatis per se. Homo cũ suis, scilicet viuo & picto per se, & alia: at si omnia sub hac proprietate vniuersali considerentur, quòd æquiuoca sunt, definiri possunt. in hac enim vniuocè conueniunt, scilicet esse æquiuoca: & sub hac definiuntur in præsenti.

Circa quartũ argumentũ est considerandũ. Primò in denominatiuis concurrunt aliqua ex parte rerũ, aliqua ex parte vocũ: ex parte rei, concurrit vna forma, & id, quod talẽ formã participat, scilicet albedo, & subiectum ipsum albedinis, scilicet corpus: ex parte verò vocum concurrit nomen illius formæ, q̃ dicitur abstractum. & nomen participantis talẽ formam, quod dicitur connotatiuum, vt albedo, & album, iustitia, & iustum. Ad 4. 1. funda.

Aduerte quia potest esse, quod vnicã formam in re, multa variè participẽt: vt à sapientia, anima dicitur sapiens, & homo, & sermo, & operationes, quæ omnia aliquo modo sapientiã participãt, ita similiter in nomine ab vno multa deriuãtur, vt à sapientia, sapiens, sapienter, & sapientis, obliqua enim explicant variam participationem in re vnius formæ. 2. funda.

His suppositis. Nota res ipsas, id est, formam, & participantia talem formam dici denominatiua denominata, voces verò denominatiua denominãtia: nec est curanda admodum huius sermonis proprietas, dummodo res intelligatur: sic enim Logici loquuntur, græcè verò vocãt paronima, tam res, quàm nomina: sed nõ per se, sed ordine vnius ad alterum: sunt enim illæ res paronimæ, quæ cũ vna aliã participet, nomẽ habent consimile: quia in sola extremitate differunt eorum nomina. Similiter & nomina paronima, quæ cum consimilia sint, res huiusmodi se habentes significant. 3. funda.

Respon. ad quæstionem. Cùm ergò & res & voces sic paronima dicantur, sub iudice est, an in definitione res, vel nomina definiantur, ad quod videtur mihi esse respõdendũ. Primò neutrum, scilicet esse euidens, quia vtrisque potest definitio adaptari: si enim vocibꝰ adapretur, erit sic dicendum, paronima sunt nomina, quæ ab aliquo habent nominis appellationes, id est, ab aliquo deriuatione habent, scilicet vnum ab alio, à quo solo differunt casu. Si verò rebꝰ adapterur, erit hic sensus, paronima dicuntur res, quæ ab aliquo, scilicet ab aliqua 1. Conc.

forma, secundũ nomen habent appellatione, scilicet sic nomen & denominationes in voce sumũt, vt ab ea, scilicet eius nomine solo, differãt casu: ac si dicat, sunt res ita se secundum nomen habentes, cùm vna sit ab altera, quod illarum nomina solo casu differant.

3. cõclu. Dico secundò, nihil esse probabilius hic non voces, sed res, vt per voces significantur, definiri. Hoc præterquàm q̃ est sententia Ammonij, Boet. & aliorum consecutio ipsa verborum Aristot. id postulat, cùm dixerit: æquiuoca dicuntur, vninoca dicuntur, denominatiua dicuntur, eodem tenore: at illic res definiuntur, ergo & hic. Præterea quia dicit, [dicuntur] rerum autem est dici per voces, vocum autem dicere. Præterea, quia si voces definiat, non à fortitudine fortis descendit, vt dicit Aristoteles, sed potius à forte fortitudo: at in re fortitudo est forma, à qua fortis est.

Nota. Vt aliqua dicãtur paronima duo requirũtur. Est etiam præter hæc notandum, duo esse necessaria, vt aliqua paronima, seu denominatiua dicantur. Alterum q̃ forma, & id, quod formam participat, sint distinctæ naturæ, quod designat vt notat Albert. in hoc, quod dicit, quecunque ab aliquo: illa enim propositio inter ea distinctionem designat. Ex quo sequitur, q̃ nec species re spectu generũ, aut differentiarũ, nec individua respectu specierum denominationem habent: quia genera & differentiæ sunt de substãtia specierum, & species individuorum, tam in generibus substantiæ, quàm in generibus accidentium.


Nota: Triplex est denominationis. Est secundò notandum, non solùm ad denominationes est necessaria participatio in re, sed etiã in voce, & è contra. Vnde aliqui solẽt distinguere triplex denominationũ, in re tantũ, in voce tantum, in re & voce simul: in re, quando participatio quidem est in re, nõ autẽ est in nomine, vt virtus, & ipse homo qui eã participat, in voce tamen non est denominatio, quia in voce correspondent, virtus, & studiosus: alia sunt in voce sola, vt studiũ & studiosus, non enim in re, à studio dicitur studiosus, cũ aliud studium, aliud studiosum significet, studium enim diligẽtiam, studiosus virtutẽ prædictum significat: alia sunt, in re, & voce, quando est participatio in re, cum participatione vocis ad modum prædictum, vt albedo, album, & hæc sunt perfecta denominationis, seu paronima, quæ hic Aristoteles definit, alia enim secundum quid sunt.

De diuisione eorũ, quæ dicuntur & sunt. Cap. II.

TEXT. EOrum quæ dicuntur, alia quidẽ secundum complexionem dicuntur, alia verò sine complexione. Ea igitur quæ secundum complexionem dicuntur, sunt, vt homo currit, homo vincit: ea verò, quæ sine complexione dicuntur, sunt, vt homo, bos, currit, vincit.

Eorum quæ sunt, alia de subiecto aliquo dicuntur, in subiecto verò nullo sunt, vt homo de subiecto quidẽ dicitur quodam homine, in subiecto verò nullo est. Alia autem in subiecto quidem sunt, de subiecto autem nulla dicuntur. In subiecto verò esse dico, quod cum in aliquo sit, non sicut quædam pars, impossibile est esse sine eo in quo est: vt quædam grammatica in subiecto, quidẽ est in anima, de subiecto verò nulla dicitur: & hoc albũ in subiecto quidẽ est corpore: omnis enim color in corpore est: de subiecto autẽ nullo dicitur. Alia verò de subiecto dicũtur, & in subiecto sunt, vt scientia in subiecto quidẽ est in anima, de subiecto verò dicit, vt de grãmatica. Alia verò neq; in subiecto sunt, neq; de subiecto aliquo dicũtur: vt quidã homo, & quidã equus: nihil enim taliũ neq; in subiecto est, neque de subiecto aliquo dicitur. Simpliciter autẽ quæ sunt individua, & vnum numero, de subiecto nullo dicuntur: in subiecto autem nihil horũ aliqua prohibet esse: quæ dã enim grammatica in subiecto est, at de subiecto nullo dicitur.

Com-



Eorum, quæ dicuntur, alia quidem secundum complexionem dicuntur.

IN hoc capite cõtinentur duæ diuisiones, quibus velut quodã cõpendio cõtinentur decẽ sequentia prædicamenta, & adipsa eadẽ sunt præambulum quod dam necessarium, cum in his diuisionibus ex qualibus rebus, & quibus vocibus prædicamenta constent, doceamur.

Est igitur prior diuisio rerum, vt per vo ces significantur: scilicet, quædam sunt cõplexæ, quædã incõplexæ, quæ etiã potest vocibus adaptari, vt notat Ammon.

Imò secundum mentem Aristotelis magis est vocum, vt res significant: nam cap. 4. subdiuidens vocibus tribuit, & ita vult Simpl. & benè, licet Auerr. det rebus hanc diuisionem: nam quædam voces sunt complexæ, vt homo currit: quædam incõplexæ, vt homo, per se, & currit, per

se: in quibus obseruare oportet, vt in introductione diximus, non solũ vocũ multitudiné, sed significatã rẽ, cum enim Logicus nõ voces secundũ se, sed vt rerum significatiuæ sunt scrutetur, vt benè dixit Auic. nõ limitationé cõplexi, aut incõplexi secundũ vocẽ solã, sed præcipuè secundam rem, vnde posit esse complexũ aliquod in voce, quod Logicus iudicet incomplexũ, & è contra in voce incomplexum, quod complexum sit, vt illa Genera quæ apud Porph. cap. de Specie legimus: quæ incomplexa sunt, licet voce complexa appareant, vt corpus animatum, substantia corporea, consideremus igitur Aristotelis verba.

[Dicuntur.] Notat Ammon. verbum hoc, & rebus, & vocibus, & conceptibus posse adaptari, quãuis diuersimode: dicũtur enim res quasi per voces significẽtur, & manifestentur: dicũtur voces quia proferuntur, & pronunciantur: dicuntur cõceptus quasi enuncientur, & per eos propositiones mentales fiãt: ex quo fit quod ista diuisio rebus, vocibus, & conceptibus applicari possit: res enim cum complexione dicuntur, quãdo plures pluribus vocibus significatiuis manifestantur: res verò sine complexione dicuntur, quãdo singulæ per se singulis vocibus vel pluribus idem significantibus significantur. Voces verò vel conceptus cum cõplexione dicuntur, quãdo plures multa significantes & enũciantur, & proferuntur: sine complexione verò quando vni voci, & cõceptiui res significata respõdet: hic autẽ obserua, non esse complexionẽ aliquam in voce, & cõceptu, quia in aliqua cõnexio vocũ, aut conceptuũ compositio interueniat: nõ enim conceptus æquiuocis respondentes complexi sunt, sed absolutè plures: nec vox æquiuoca complexa quia non per modũ alicuius compositionis significat: nec pariter res, cum per talem modum non significantur.

[Secundum complexionem.] Dubitabis, quare præmisit complexa, cum incomplexa sint simpliciora? Respondet Ammo. & Simpl. cõplexa esse nobis notiora, quia sunt tota, & quãuis ordine doctrinæ præcedãt simplicia, hic tamẽ Arist. horũ doctrinã tradere nõ studet, sed solũ quandã diuisionẽ assignare, propterea notiora præmittit. Præterea etiam quia quando diuidimus intentione, & animo subdividendi, membrum subdividendũ posteriori loco collocamus, ita fecit Arist. quia incõplexa rursus in posteriori diuisione erat diuisurus, & similiter postea in decem prædicamenta.

[Currit, Vincit.] Notat Ammo. ideò Aristotelem vsum esse verbo tertiæ personæ, quia verba secundæ, & primæ magis apparẽt cõplexa in re, quia suppositũ habent determinatum, at verbum tertię minus, quia suppositum est indeterminatum. Sed verè complexa hæc etiam sunt re, quia semper est aliquid significatũ cui tribuatur illa actio, propterea melius est dicere, currere, vincere, quia hic significatur actio sine suppositо. Hæc sententia mihi nõ placet, est enim maximè cõsiderandũ nomen, vel vocẽ dici complexum penes rẽ, quam significat: nõ penes rẽ quã consignificat, vel cõnotat, aliter enim omnia connotatiua essent cõplexa cum significent formam per modum inhærentis subiecto: quod tamen est falsissimum, aliter enim non essent in prædicamento. Præterea Arist. 1. Periher. c. 3. inquit: Verbũ secundũ se dicta, nomina sunt & aliquid significãt si ergo per se potest sumi, ergo est incõplexũ: significat enim vnum aliquid, quamuis connotet aliud. Hic etiam oportet notare, quanuis exẽplum complexi sit propositio, non solum propositiones, sed alias etiam orationes esse complexas, per quas rerũ diuersitas significatur, vt equus albus, homo iustus, quæ etiam ad prædicamenta per se non pertinent, sicut nec propositiones.

Eorum quæ sunt. Diuisio II.

Eorum, quæ sunt, alia de subiecto dicũtur, alia verò in subiecto sunt.

HAec est posterior diuisio quæ quadrimẽbris est, virtute tñ continet duas diuisiones bimembras. Prior est, entium, quædam sunt substantiæ, quædam accidentia. Posterior, entium, tam substantiarum, quam accidentium, quædam sunt vniuersalia, vt homo, leo, animal color, albedo: quædã particularia, vt hic homo, hocanimal, hiccolor hęc albedo.

Nota. 1. Sub hac duplici diuisione continẽtur decem prędicamenta, tam genera suprema, quàm ea, quæ sub eis sunt nam primum prædicamentum est substantia, reliqua accidẽtia, similiter in quolibet prædicamento nõ aliud est per se, quàm vniuersalis natura, & particularis, siue substãtia, siue accidens. Aristoteles autem hæc sub quadrimembri diuisione est complexus, ne posteriorem diuisionem postea applicaret substantiæ per se, & accidenti per se, & diuisiones multiplicaret, dicendo substãtiarum aliæ vniuersales, & aliæ particulares, & similiter accidentium alia vniuersalia, alia particularia. Diuidũtur igitur ea, quæ sunt, in vniuersales substantias, & particulares substantias, in vniuersalia accidentia, & particularia accidentia.

Nota. 2. Non tamen his nominibus diuisit Aristoteles, nec hoc vtitur ordine & nõ sine ratione, vt postea dicemus, substantiam explicat per nõ esse in subiecto: accidẽs per esse in subiecto: vniuersale per dici de subiecto, particulare per non dici de subiecto. Vnde copulãdo vtrunq; scilicet substantiam cum vniuersali, vel particulari, similiter accidens, duplici vtitur modo, vt substantia vniuersalis non sit in subiecto, sed de subiecto dicatur.

Nota. 3. Formalis igitur diuisio Aristotelis est. Eorum, quæ sunt, quædã de subiecto dicuntur, in subiecto verò nõ sunt, scilicet vniuersalia substantiæ, homo, animal, quædã in subiecto sunt, sed de subiecto non dicuntur, scilicet particularia accidentia, hoc album, hęc grammatica: quędam & de subiecto dicuntur, & in subiecto sunt, scilicet vniuersalia accidẽtis, vt color, albedo: vltimò quędam nec in subiecto sunt, nec de subiecto dicuntur, scilicet particulares substantiæ, vt quidam homo, quoddam animal: & concludit, omnia individua hoc vnum cõmune habere, quod de subiecto non dicantur, quãuis eorum aliqua in subiecto sint, qualia sunt individua accidentis.

Dubia quædam scitu digniora circa diuisionem Arist. præcedentem.

1. opin. DVbitatur primò, quæ qualisue est ista diuisio? Solent aliqui, & nõ male respondere, sub hac diuisione duas cõcludi: altera est entiũ aliud substãtia, aliud accidẽs, & hæc est analogi in sua analogata, secũdũ enim sententiã Arist. 4. Met. c. 2. ens est analogum ad substantiã, & accidẽs: altera est: entiũ aliud vniuersale, aliud particulare, & est diuisio per accidentia, nam rei accidit esse vniuersalẽ per intellectum, per materiam verò fit in rebus particulare.

2. opin. Sed posset quis petere, ista diuisio, sic ab Aristotele expressa, quæ est? Albert. tractat. 1. capit. 5. respondet esse veluti generis in species: sed hoc non omnino placet, genus enim vnivocum est speciebus, ac nihil hic reperitur has membris vnivocum.

3. opin. Iudicio meo optimè respõdet Simplicius hanc non esse diuisionem, sed potius enumerationem quandam entium: si qua diuisio est, æquivoci est potius, vel analogi, quàm alterius.

Dub. 2. Dubitatur secundò, quare Aristoteles nõ vsus est his nominibus, scilicet substãtia, accidens, vniuersale, particulare? Respondet Simpl. id fecisse, vt magis rei naturam explicaret: explicuit autem dum eorũ tradidit descriptiones: vt enim magis manifestatur natura vniuersalis per dici de subiecto, quàm per nomen vniuersale: ita & natura substãtiæ, per non esse in subiecto, & alia similiter. Credẽte etiã id fuisse factum, quia talis loquendi modus, magis est propinquus ad prædicationis naturam explicandam.

Dub. 3. Dubitatur tertiò, quare substantiam vniuersalem accidẽti particulari coniunxit? Existimo id esse, quia videtur inuicẽ

contraponi substantia viuiuersalis cũ accidenti particulari, & accidens vniuersale cum substantia particulari, vt patet si eorum inspicias descriptiones, hoc idẽ dicit Simplic.

Dub. 4. Dubitatur quartò, quid vocat dici de subiecto breuiter respondetur, prædicari de subiecto est de aliquo sibi essentialiter inferiori prædicari, seu affirmari, quo pacto species de suis indiuiduis: & genus de speciebus similiter & differentiæ de suis prædicantur, & dicuntur tanquã de subiecto similiter accidẽtia de suis accidentibus: at quando accidens de substantia prædicatur, non sic de subiecto dicitur, id enim dicitur in subiecto esse, vt modò declarabimus: dici ergo de subiecto inest cuilibet prædicatorum, respectu horum inferiorum.

In subiecto verò esse dico quod cum in aliquo sit, non sicut quædam pars, impossibile est esse siue ee, in quo est.

HIS verbis Aristoteles explicat, & describit, quid sit esse in subiecto. quod accidentium est: & per hoc manifestabitur substantia, quæ non est in subiecto: per affirmationem enim intelligitur negatio.

Tres igitur assignat conditiones eius, quod est in subiecto, seu accidentis: prima quod est in aliquo: secunda quod nõ est in aliquo, sicut pars: tertia quod ab eo, in quo est, separari nequit.

Pro cuius declaratione oportet nosse, quot modis vnum in alio esse contingat. Boet. secutus Arist. 4. Phys. ca. 3. quẽ multi sequuntur, octo assignant modos: at quia iste numerus perfectus nõ est, cũ Aristoteles aliquos prætermiserit, quia illorũ nondũ erat tradita cognitio, vt dicit Simplicius, plures à nobis multiplicã di sunt cũ Ammonio & Simplicio. Vnde cum igitur modis aliquid in alio esse dicimus. Primò, vt pars in toto: dicimus enim manus est in corpore. Secundò vt totum in partibus: dicitur nanq; perfectio totius est in partibus, & ego in carne mea videbo saluatorẽ meũ. Tertiò, vt genus est in speciebus, vt animal in homine, & leone. Quartò vt species in suo genere. Quintò, vt forma in materia, anima in corpore. Sextò res in suo fine, vt auarus est in diuitijs totus. Septimò in mouente & efficiente, subditi sunt in manu regis. Octauò, in loco, vt sus in lyceo. Nonò vt in vase, vinũ in dolio. Decimò, in tẽpore vt Noe fuit tẽpore diluuij. Vndecimò vt accidens in subiecto, sicut calor inest corpori.

Et hoc definit in præsenti per illas tres conditiones supra positas, scilicet est in aliquo, non vt pars, & ab eo, in quo est, separari nequit. Quam descriptionem sic aliqui interpretãtur: inter quos sunt Doctores Louanienses, & Caiet. & alij, vt prima pars sit cõmunis omnibus modis, quibus aliquid est in aliquo: secunda sit differentia ad excludendas partes tam integrantes, vt manus, pedes, quàm essentiales, vt species, & genera, differentias: tertia ad excludenda illa, quæ sunt in loco, & causa mouente, & fine.

Dub. 2. Dubitatur autem contra hanc expositionẽ. Ac primò obijcitur, nam hoc pacto non excluditur modus: quo totũ est in partibus, cùm sit in aliquo, & non vt pars, & nõ possit à partibus separari. Præterea secundò, non excluditur forma, anima enim est in corpore, & nõ est eius pars, & ab eo non potest separatim existere loquendo de brutis, quorũ anima non possunt existere citra corpus. Tertiò præterea videtur definitio competere loco, & tempori, & cælo, quia nullum corpus à loco separari potest, nec à tempore, & non est pars loci, aut temporis, sed est in eis, ergo dicetur accidens. Tandem, Quartò, quia aliquod accidens videtur posse separari ab eo, in quo est, nã odor pomi manet in manu ei admota.

Solutio. Propter hæc existimo illam descriptionem sic esse intelligendam, quòd esse in aliquo nõ sumatur ita communiter, sed pro eo, quod est esse in aliqua re vna, nõ omninò extra esse ei', quo pacto albedo est in lacte, & vinum etiam est in dolio, quod quamuis in eo intrinsecè non sit, cum eo tamen coniunctum est & similiter alia, quo supposito facilè est ad argumenta respondere.

Ad. 1. Ad primum enim dicitur cum Simp. & Ammon. Totũ non dicitur esse in aliquo, quia non est in vna re, sed in multis, totũ enim est in pluribus partibus, potius ergo dicitur esse in aliquibus. Excluditur etiam modus existendi in fine, & causa mouente: quia quæ sic in eis existũt sunt prorsus eis extrinseca: pari ratione excluditur modus existendi in tempore vel excluditur cum loco, vt dicemus.

Ad. 2. Ad secundum dico: per illam particulam secundam excluditur quæcunq; pars integralis, seu essentialis, qualiter genera speciebus, & species indiuiduis insunt: & ita interpretatur Alber. tract. 1. cap. 5. mihi etiam videtur per hanc eandẽ particulam excludi modum, quo forma inest materiæ, quia licet non sit forma materiæ pars, est tamẽ ipsius compositi, quod cum ea per se constituit: hoc est enim discrimen inter formam respectu materiæ, & accidens respectu subiecti, quòd forma cum materia vnum ens facit per se, cuius est pars: ad accidens non cum subiecto facit vnum per se.

Ex quo non caret reprehensione Boe. qui modum existendi formæ in materia coniunxit, & miscuit, cum modo accidẽtis in subiecto, quod idem credidit Iamblicus, cuius sententia à Simpl. reprehẽditur: nec omninò mihi placet Simplic. qui per primam partem excludit formã: nam inquit, per aliquid, non intelligit Arist. nisi compositum ex materia, & forma: sed hoc videtur esse clarè contra eũ dẽ Arist. qui exẽpla non de cõpositis ponit: dicit enim, hæc grammatica est in anima, & color in corpore: propterea melius est dicere, q. forma est in materia vt pars nõ ipsius materiæ, sed ipsius cõpositi per se: at accidens nõ existit alicuius per se pars. Per tertiam particulam excluditur modus existendi in loco, & tempore, & vase, nam separabilia sunt.

Nec argumentum tertium quicquam valet, quia licet res à loco, & tempore in communi separari non possit, potest tamen existere sine hoc loco, & sine hoc tempore, in quo erat vt notat Boet. Ad. 3.

Ad. 4. Ad quartum respondent aliqui, quòd odor non separatur à pomo, sed nouus odor in manu producitur: sed hæc philosophia nou habet fundamentum. Boet. respondet ad hoc, q. Arist. nõ dixit, odor nõ potest separari ab eo, in quo erat, sed ab eo, in quo est: ac si dicat, non potest istud accidens esse sine isto subiecto, in quo est, vt intelligatur nunquã accidens posse esse sine subiecto aliquo, quãuis modo sit in hoc, modo in illo, at quãuis idẽ dicat Ammon. nõ mihi talis philosophia placet: nõ enim vnũ, & idẽ accidens permeat de subiecto in subiectũ propterea optimè dixit Simpl. q. nunquàm odor à suo subiecto separatur, sed cum partibus subtilibus substantiæ exhalatur, & defertur, cuius signum est quod cernamus pomum marcescere, & rugas contrahere ex contrectatione: sed de hoc alias.

Nota. 1. Ex quibus sequitur accidens esse in aliquo, id est, alicui substantiæ inexistere, non sicut partem illius, nec integrantẽ, nec essentialem, nec posse à subiecto separatum per se esse. Hoc intellige naturaliter, nam supernaturaliter manet accidens sine subiecto in venerando Altaris Sacramento.

Nota. 2. Sequitur & aliud esse subiectũ in quo, aliud subiectũ de quo: subiectum de quo, est quodcunq; inferius respectu sui superioris, scilicet indiuiduum specici, & species generis tam in substantijs, quã accidẽtibus: at subiectũ in quo, est sola substãtia respectu accidentium: vnde accidentia habent substantiam pro subiecto in quo, sua inferiora pro subiecto de quo, vocat autem subiectum de quo, subiectũ prædicationis: subiectum verò in quo, subiectum inhæsionis. Ammo. vocat subiectum ad subsistentiam, & subiectum ad prædicationem.

Nota. 3. Hic vnum aduerte, quod non dicitur, acci-

Universidad de Deusto Biblioteca

esse idem non posse esse sine subiecto, quia non potest à substantia separari. Potest enim separari, sunt enim multa accidentia separabilia: vt dicimus, sed dum separantur, corrumpuntur, hic autem dicimus, quòd sine subiecto non potest accidens per se separatum existere, sicut vinum à dolio & corpus à loco isto, & tempore, separatum existit.

Regulæ in prædicatis essentialibus. Cap. III.

QVando alterum de altero prædicatur, vt de subiecto, quæcunq; de eo quæ prædicantur licenter, omnia etiam de subiecto dicentur: vt homo, de homine quodam prædicatur, animal verò de homine, ergo & de quodam homine animal prædicabitur: quidam enim homo, & homo est, & animal.

Diuersorum generum & non subalternatim positorum differentiæ: vt animalis, & scientiæ animalis enim differentiæ sunt gressibile bipes, & volatile, & aquatile: scientiæ verò nulla earum est: neque enim scientia à scientia differt, in eo, quod bipes est. Subalternorum verò generum nihil prohibet eadem esse differentias: superiora enim de ijs, quæ sub ipsis sunt generibus, prædicantur quate quotcunque differentiæ prædicati fuerint, totidem & subiecti erunt.

1. funda. IN hoc capite continentur duæ regulæ maximè vtiles ad singula prædicamenta ordinanda in scientia quolibet enim prædicamento duo præcipuè sunt. Alterum est series quædam prædicatorum substantialium, à summo genere, per genera intermedia descendendo, vsque ad indiuidua quæ communiter dicitur recta linea prædicamentalis: & Ammon. profunditatem, prædicamenti vocat, per proportionem ad profunditatem corporum, qualis est ista series, substantia, corpus, viuens, animal, homo, quidam homo. Alterum sunt differentiæ oppositæ, per quas & genera superiora diuiduntur, & species constituuntur, & hæc dicuntur latera prædicamenti, quam Ammon. vocat latitudinem eadem proportione ad corpus, sicut corporeum, incorporeum, animatum, inanimatum, & reliquæ, quarum quædam faciunt vnum ordinem, quædam alium oppositum. Hæc igitur quæ isto capite continentur, his duobus deseruiunt.

Est prior regula maximè pro recta linea. Quando aliquod prædicatum de aliquo subiecto dicitur, tanquam de subiecto, quicquid de prædicato dicitur, etiam de subiecto dicetur, vt si homo de quodam homine dicitur, vt de subiecto, & animal de homine, & animal de quodam homine dicetur. Expositio regulæ.

Hæc regula ita est vera, vt varijs expositionibus, & singulis quidem in se veris locum dederit. 1. Alber. tract. 1. huius cap. 6. extendit regulam hanc in hùc sensum. Quando aliquid prædicatur de aliquo, prædicatione alicuius quinq; prædicabilium, quicquid de prædicato in quid prædicatur, prædicabitur & de subiecto: vocat enim prædicari de aliquo, vt de subiecto, prædicari prædicatione alicuius prædicabilis: vnde valet, homo est animal & animal est corpus, ergo homo est corp: similiter, Petrus est homo, homo est animal, etiam Petrus est animal: homo est rationalis, rationale est particeps, intellectus, homo etiam est particeps intellectus, nix est alba, album est coloratum: ergo nix est colorata, denique, quicquid in quid de tali prædicato dicitur, etiã de subiecto dicetur: sed dicit Ammon. non esse in vniuersum hoc verũ, homo enim est albus, & album est color, non tamen homo est color. Hæc sententia nõ fuit solius Alber. est enim Andronici, & aliorum, vt refert Simplic.

Auic. & Algaze. magis extendunt regulam dum asserunt etiam valere in negatione alicuius à prædicato, quando illud est contrarium prædicato, vt homo est animal, & animal nõ est insensibile, ergo homo nõ est insensibilis: homo est albus, album non est nigrum, ergo homo non est niger.

Burle. adhuc latius extendit etiam ad prædicata accidentalia: vt si homo est albus, & albus est musicus, homo est musicus, seruata tamen quantitate distributionis: & ne varietur suppositio dicẽdo, homo est animal, animal est genus, ergo homo est genus.

Alij tandem restringunt maximè ad solam lineam rectam prædicamentalem scilicet de prædicatis in quid, & hoc habet Ammon & Simpl. & Boet.

Ad hoc tamen dicendũ est cum Paulo Vene. Potest quidem extendi veritas regulæ ad ea, quę dicta sunt, tamen secũdum mentem Aristo. in præsenti hic est sensus, vt vocet, dici de subiecto, essentialiter prædicari, siue vt differentia, siue vt genus: ita vt si aliquid prædicatur de subiecto tanquam de eius substantia, quidquid de illo prædicato secũdum substantiam prædicatur, etiam de subiecti substantia sit: homo est animal, animal est corpus, erit etiam homo corpus: similiter animal est sensibile, homo etiã sensibile erit: ista est sententia Auerr. imò iudicio meo Arist qui cap. de substantia probat differentiam de individuis prædicari, quia prædicatur de specie, & allegat hanc regulã, ergo non est astringenda ad sola prædicata quidditatiua. Nec existimes, quod hic docet aliquẽ modũ arguendi, de primo ad vltimum, vt aliqui putant: sed est quædam regula prædicationibus prædicamentorũ deseruiens.

¶ *Regula secunda, verum non subalterna à subalternis distinguens.*

Diuersorum generum, & non subalternatim positorum.

1. Funda. Genera tribus modis dicuntur diuersa. Hæc est secunda regula bimẽbris: pro cuius declaratione est aduertendũ. Tripliciter plura genera dicuntur diuersa. Primò, quia sunt diuersorum prædicamentorum, vt animal, quod est de prædicamento substantiæ, & numerus, qui est de prædicamento quantitatis. Secundò dicuntur genera diuersa, quãdo ad idem pertinent prædicamentum, tamẽ vnum est sub altero, vt animal, viuens, corpus, omnia enim eiusdem prędicamẽti sunt, vnumque sub alio est scilicet scientia & habitus. Tertiò, quando sub eodem sunt prædicamento, & genere, tamen vnum non est sub altero, vt animal gressibile, animal volatile, vtrumque enim sub animali est, non tamen vnum sub altero: similiter, potentia & figura sunt, duo genera, vtrunq; sub qualitate, non tamen vnũ sub altero. Ista duo posteriora vocantur hic ab Arist genera subalternatim posita, scilicet quando vnum sub altero vel vtrunq; sub tertio collocatur, prima genera vocantur nõ subalternatim posita.

Est secundò aduertendum, quod supra diximus, capite de differentia. Differentiæ alicuius generis sunt in duplici differentia: quędam sunt cõstitutiuę illius, vt animatum, sensibile cõponunt animal: quædam diuisiuæ, vt rationale, & irrationale sunt diuisiuæ animalis: inter has est vnum discrimen, quod differentiæ constitutiuæ generis, omnes participantur à singulis speciebus illius generis: diuisiuæ verò non omnes, sed aliquæ ab vna specie, aliquæ ab alia: rationale enim ab homine, irrationale verò à bruto participatur: vnde fit, vt quando vnum genus sub altero ponitur, inferius participat omnes differentias cõstitutiuas superioris generis, non tamen omnes diuisiuas, vt animal participat differentias constitutiuas omnes viuentis, scilicet corporeum, animatum, vnum autem diuisiuũ, scilicet sensibile. viuens enim diuiditur per sensibile, & insensibile: animal autem est sensibile. 2. Funda. Differentiam aliã esse generis constitutiuam, aliam diuisiuam.

Est tertiò aduertendum, Quãdo duo genera sic se habent quod vnum sub altero non est, tamẽ vtrunque sub tertio, potest aliquando eadem differentia diuisiua esse vtriusq;: verbi gratia, animal volatile & animal gressibile sunt duo genera huiusmodi & tamen bipes est differentia 3. Funda.

rentia gressibilis,& etiam volatilis diuisiua: non tamen hoc semper fit, nam angelus,& corpus, sunt sub substantia, non tamen habent differentiam diuisiuam eandem. Hæc sententia est expresse Aristot. 6. Topic. cap. 3. loco. 41. at quando genera sunt diuersa primo modo, nullã differentiam,nec diuisiuam,nec constitutiuam participant.

Ex his patet regula Arist. Cuius prior pars est.

Diuersorum generum non subalternatim positorum.

Expositio regulæ. Scilicet quæ diuersorum sunt prædicatorum.

Diuersæ sunt Specie Differentiæ.

PEr quam docemur in diuersis prædicamentis diuersas esse omnes differentias, tam diuisiuas, quã constitutiuas, sicut sunt diuersa genera,& species, vt exẽplo manifestat: alijs enim differẽtijs diuiditur animal, alijs scientia: similiter & constituitur.

Nota. Hic autem est notandum mendòse legit [species] scilicet, diuersæ sunt species & differentiæ: debet enim legi, diuersæ sunt specie differentiæ: nã græcè in dativo legitur, τᾶ ἰδέᾳ. Vocat autem specie diuersas differẽtias, scilicet natura,& forma diuersas: nam, vt benè dicunt Simplicius & Ammon. aliquando diuersorum prædicamentorum sunt eædem differentiæ, sed non re, & natura, sed similitudine quadam,& proportione: vt enim dicimus animalium aliud esse habẽs pedes, ita etiam dicimus instrumentorum domus, alia habere pedes, vt tripus, lectum: sed istæ differentiæ natura sunt diuersæ: similitudinem autem & proportionẽ quandam habent: aliquando etiam nomine sunt eædem vt corporeum in substãtia, corporeum in quantitate, sed natura est diuersa. Alij græcè legerunt τᾶ ἰδέᾳ & vertunt, species. Sed quamuis sententia sit vera, tamẽ omnino est extra cõtextũ, & oẽs græci interpretãtur in ablatiuo.

Posterior pars regulæ est.

Generum subalternatim positorũ, nihil prohibet easdem esse differentias.

Hæc potest intelligi de generibus, quorum vnum est sub altero, & debet intelligi de constitutiuis omnibus,& aliqua diuisiua, vt dixi: & iste videtur sensus Arist. nam hoc probat, quia quæ dicuntur de superiori, dicuntur de inferiori: at de superiori constitutiuę per se dicuntur,& diuisiuę sub disiunctione, scilicet corpus est animatum vel inanimatum, vt vult Alber. dixit autem negatiuè. Nihil prohibet, iudicio meo, propterea q̃ non semper genus superius habet constitutiuas, quando est generalissimũ. Simpli. vult, quòd hæc prior pars, scilicet nihil prohibet diuersorum generum, &c. sit de generibus, quorum vtrunq; est sub tertio, quæ aliquando habent eandem diuisiuã sed non semper, vt dixi in tertio notabili seu fundamento.

Quod sequitur verò.

Sic de alijs, quorũ vnum est sub altero,

Hoc asserit, ait Simpl. propter illud verbum [nihil prohibet.] quod videtur non asserere semper differẽtias esse easdẽ, de cõstitutiuis verò semper est. Ista doctrina vera est, sed mihi videtur textui nõ posse adaptari: nã quòd sequitur, reddit causam præcedentis, scilicet propterea vnum genus expositis subalternatim habet differentias alterius, quia quę dicuntur de superiori, dicuntur de inferiori q̃ non valet, nisi de illis, quorũ vnũ est sub altero: dixit autem, nihil prohibet, propter causam assignatam superius.

¶ Incomplexorum in decem prædicamenta diuisio.
Caput. IIII.

EOrum, quę secundum nullam complexionem dicuntur, vnumquodq; aut substantiam significat, aut quantum, aut quale, aut ad aliquid, aut vbi, aut quando, aut situm esse, aut habere, aut agere, aut pati. Est autem substantia quidem vt in figura dicatur, vt homo, equus. Quantum autem, vt bicubitum, cubitum, tricubitum. Quale, vt albũ, grammaticũ. Ad aliquid, vt duplum, dimidium, maius. Vbi verò, in foro, in lyceo. Quando autem, vt heri, superiori anno. Situm verò esse, vt iacet, sedet. Habere autem, vt calceatũ esse armatum esse. Agere verò, vt secare, vrere. Pati, vt secari, vri. Singula igitur eorum quæ dicta sunt, ipsa quidẽ secundum se in nulla affirmatione dicuntur, vel negatione: horum autem ad se inuicem cõplexione affirmatio, vel negatio fit. Omnis enim affirmatio, aut negatio videtur vel vera, vel falsa esse: eorũ aũt, quę secundũ nullã complexionem dicuntur, nullũ neq; verum, neque falsum est, vt homo, albũ, currit, vincit.

Nota. Hic Arist. incomplexa in decem genera suprema distinguit: nec mireris, quod voces diuidat & rerũ exempla ponat: hic enim non absolutè, & per se de vocibus agitur, de rebus enim præcipuè, quæ per voces explicãtur est intẽtio, propterea voces in ordine ad res, primo diuidit, postea rerũ exempla ponit.

Expositio text. Diuiditur ergo ens reale simplex, q̃ voce incomplexa significatur, in decem genera, quorũ primum est substantia, vt homo, animal,& reliqua, quę manifesta in ipso capite sunt: horũ singula probat Arist. non esse propositiones, quãuis ex eis possint fieri propositiones, quia nullum per se significat verè aut falsè, quod est proprium propositionum: qui enim dicit substantiam per se, quantitatẽ per se, qualitatem per se,& reliqua, nihil dicit verum aut falsum: quamuis vnum alteri componendo, vel ea quę sunt in vno quoque inter se coniungendo, propositiones quis posset facere.

Nota. Multæ possent hic graues,& difficiles quæstiones moueri, scilicet, An ens vniuocum esset ad ista decẽ genera? an plura sint prædicamenta quã decẽ? quali distinctione inter se distinguantur? an res spirituales ad prædicamenta referantur an cõcreta potius, quàm abstracta collocentur in prædicamento? & alia huiusmodi quæ prętermisto, quia harum maiorem partẽ, in particulari prædicamentorum enarratione discutiã: alia post ipsorum traditionem differã: reliqua, quæ materiam transcendunt, in proprio locum reseruabo, interim verò aliqua de ipso ente in cõmuni breuiter adnotabimus, quantum hoc loco satis est.

QVÆSTIO PRIMA.
Quod ens non sit genus nec vniuocum, sed analogum ad decem prædicamenta, ex sententia Aristotelis.

PRimũ, ens nec esse genus, nec vniuocum ad decẽ ista genera, sed analogum. Vnde diuisio nõ est generis in species, nec vniuoci in vniuocata, sed analogi in analogata.

In primis ens non est genus: hoc enim docet clarè Arist. 3. Meta. cap. 3. tex. 10. huius ratio est cõsideranda. Pro qua est notandũ, quod genus habet differẽtias, per quas diuiditur, & determinatur ad species: hęc autem est natura generis,& differentiæ, quod de natura generis nõ est differentia, sicut nec de natura differentiæ est genus, animal enim vt animal non est rationale, nec irrationale, vt rationale non est animal: alias vnum non cõtraheret alterum: semper enim contrahens est diuersum à cõtracto, sicut forma est alia à materia, & animal alia à corpore. Ex his est argumẽtũ Arist. si ens esset genus, per aliquã differentiã limitaretur ad inferiora, sed nulla talis potest esse, ergo nõ est genus. Minor probatur, quia differentia, vt talis, differt à genere at nihil potest esse differentia, quod nõ sit ens, quia ens est tam latum, vt quicquid aliquid est, ens sit. Secundò nec est ens vniuocum ad decem genera: hęc est Arist. 4. Meta. cap. 2. & probatur. Vniuocum dicit aliquam naturam cõmunem multis, sed decem prædicamenta non cõueniunt in aliqua vna natura communi, vt

vt expresse dicitur 12. Meta. cap. 4. & præterea, si conuenirent in tali natura, differentijs different, at nulla potest esse talis differentia entis, vt diximus, ergo nõ vniuocè de illis prædicatur: ex quibus sequitur decem prædicamenta esse decem genera, & naturas supremas, quę in nulla natura superiori conueniunt, propter ea quod se ipsis differunt, & simplices naturæ, & nõ compositæ ex genere, & differentia sunt, quod docet expresse Arist. 8. Meta. ca. 6. tex. 16. & dicũtur primo diuersa, quia in nullo conueniant, vt dicit. 10. Meta. ca. 5. tex. 11. conuenientia enim in ente est communitas nominis seu conceptus formalis, non rei. Tertiò, Ens est Analogum ad decem ista genera: hoc est Aristot. 4. Meta. cap. 2.

Entis analogia in quo sit posita.

In quo autem eius analogia cõsistat, non est facilè determinare. Est reuocandum in memoriam id, quod supra diximus, scilicet Analogum à causa significare vnum intrinsecè, reliqua verò extrinsecè in ordine ad illud, vt sanum dicitur animal habens sanitatem, à qua vrina dicitur sana, quia eius est signum: medicina sana, quia ipsius est causa: ita ens ipsum per se substantiam dicit, reliqua eatenus sunt entia, quatenus ad substantiã referuntur, & aliquid ipsius sunt: quantitas enim dicitur eas, quia est mẽsura substantiæ, qualitas, quia modus substãtię: & reliqua similiter, quod pulchrè docuit Arist. 4. Meta. ca. 2. in principio, cuius verba sunt. Ens multipliciter dicitur, sed totum ad vnum principium: quędã enim quoniam substantiæ, entia dicũtur: quędam quoniam passiones substantiæ, quędam: quoniam via ad substantiã, aut corruptiones, aut priuationes, aut qualitates, aut effectiua, aut generatiua substantiæ, hæc Arist. & hoc est, quod dicitolet, ens per prius dicitur de substantia, per posterius de accidenti: sed an ista analogia sit causæ efficientis, aut finalis, aut materialis, aut formalis, non est Logici discutere, sed Metaphysici. cuius est perfectè naturam entis inuestigare.

Secunda pars de Prædicamentis.

Capit. V.

¶ De substantia.

TEXT.

1. SVbstantia autem est, quæ propriè, & principaliter, & maximè dicitur, quę neque de subiecto aliquo dicitur, neq; in subiecto aliquo est: vt quidam homo, & quidam equus.

2. Secundæ autem substãtię dicuntur species, in quibus eæ, quæ principaliter substantiæ dicuntur, insunt: & hæ quidem, & harum specierum genera, vt quidam homo in specie quidem est in homine, genus verò speciei animal. Secundæ igitur hæ substantiæ dicuntur: vt est homo, atque animal.

3. Manifestum est autem ex ijs, quę dicta sunt, quòd eorum, quę de subiecto dicuntur, necesse est & nomẽ & rationem de subiecto prædicari: vt homò de subiecto quodam homine dicitur, prædicatur etiam & nomen: hominẽ enim de quodã homine prædicabis, & ratio quoque hominis de quodam homine prædicabitur: quidam enim homo & homo est, & animal: quare & nomen & ratio de subiecto prædicabitur. Eorum verò, quę in subiecto sunt, in plurimis quidem neq; nomẽ, neque ratio prædicatur de subiecto: in aliquibus autem nomen quidem nihil prohibet prædicari aliquando de subiecto, rationem verò impossibile est, vt album cum in subiecto sit corpore, prędicatur de subiecto: dicitur enim corpus album, ratio verò albi nunquam de corpore prędicabitur.

4. Alia verò omnia aut de subiectis dicuntur primis substantijs, aut in subiectis eis sunt. Hoc autem manifestũ est ex ijs, quæ per singula proponũtur, vt animal de homine prædicatur: ergo & de quodam homine animal prędicabitur: nã si de nullo quorundã hominum, neque omninò de homine. Rursus, color in corpore est, ergo & in quodam corpore. Nam, si non in aliquo esset singulorum, nec omninò in corpore. Quare alia omnia aut de subiectis primis dicuntur substãtijs, aut in subiectis eis sunt.

Non ergo existentibus primis substantijs, impossibile est aliquid aliorum esse.

5. Secundarum verò substantiarum, magis substantia est species, quàm genus: propinquior enim est primæ substantię. Si quis enim assignet primã substantiam quid est, euidentius & conuenientius assignabit speciem, quàm genus assignãs, vt hominem quendam aliquis assignãs, manifestius assignabit hominem, quàm animal assignans: illud enim proprium magis cuiusdam hominis, hoc autẽ communius: & cum quendam arborem assignauerit, manifestius assignabit assignãdo arborem quara plantam. Amplius, primæ substantię, ideò quòd alijs omnibus subijciuntur, & omnia alia vel de ipsis prædicantur, vel in ipsis sunt, propter hoc maximè substantiæ primæ dicũtur. Quemadmodum autẽ primæ substantiæ ad alia omnia se habent, sic & species ad genus se habet, subijcitur enim species generi, genera enim de speciebus prędicantur: species autem cum generibus nõ conuertuntur. Quare & ex his species genere magis substantia est.

6. Ipsarum verò specierum, quęcunque non sunt genera, nihil magis alterum altero substãtia est: nihil enim familiarius assignabis de quodam homine, hominẽ assignando, quàm de quodã equo, equũ. Similiter autem & in primis substantijs nihil magis alterum altero substãtia est: nihil enim magis quidam homo substãtia est, quàm quidam bos. Meritò igitur post primas substantias sola aliorum omnium species, & genera secundæ substantiæ dicuntur. Sola enim hęc eorum, quę prędicantur, primam substantiã indicant: quendam enim hominẽ si quis assignauerit quid est, speciem quidem quàm genus assignando, familiarius demonstrabit: & manifestius faciet hominem assignando, quàm animal: aliorum verò omnium quidquid assignauerit quis, assignabit extrancè: velut album, aut currit, aut aliud quodcunq; talium assignans. Quare meritò hæ solę aliorum secundæ substantiæ dicuntur. Amplius, primæ substantiæ, eo quòd alijs omnibus subijciuntur, & omnia alia de illis prædicantur, vel in ipsis sunt, proprijssimę substantiæ dicuntur: sicut autem primę substantiæ ad alia omnia se habent, ita genera & species primarum substantiarum ad reliqua omnia se habẽt: de his enim reliqua omnia prędicãtur: quendam. n. hominẽ dices grammaticum esse: ergo & hominem, & animal grammaticũ dices: similiter autem & in alijs.

7. Commune autem omni substãtię est in subiecto non esse. Prima nanq; substantia nec in subiecto est, nec de subiecto aliquo dicitur. Secũdarum verò substantiarum constat quidem etiam sic, q nulla est in subiecto: homo enim de subiecto quidem quodam homine dicitur, in subiecto verò non est: neque enim in quodam homine homo est: similiter autem & animal de subiecto quidem dicitur quodam homine: non est autem animal in quodam homine. Amplius, eorũ quę in subiecto sunt, nomen quidem de subiecto aliquando nihil prohibet prędicari, rationem verò impossibile est: secundarum verò substantiarum de subiecto & ratio prędicatur, & nomen: rationem enim hominis de quodã homine prędicabis, & animalis similiter: quare non erit eorum substantia, quę sunt in subiecto. Non est autem proprium substantiæ hoc: sed & differentia eorũ est, quæ non sunt in subiecto: bipes enim & gressibile de subiecto quidẽ quodã homine dicitur, in subiecto verò non est, neque enim in homine est bipes, neq; gressibile. Ratio quoque differentiæ de illo prædicatur, de quo cunq; ipsa differẽtia dicitur: velut si gressibile de homine prędicat, & ratio gressibilis de homine prędicabitur: est enim homo gressibilis. 8.

Non conturbent autem nos substantiarum partes, quę ita sunt in toto, quasi in

Universidad de Deusto
Biblioteca

in subiecto sint: ne fortè coganmur eas non esse substantias confiteri: nõ enim ita ea quę sunt in subiecto dicebantur, quasi vt partes inessent alicui.

Inest autem substantijs & differentijs omnia vniuocè prædicari. Omnia enim quæ ab his prædicata sunt, aut de individuis prædicantur, aut de speciebus: à prima namque substantia nulla est prædicatio: de nullo enim subiecto dicitur. Secundarum verò substantiarum species quidem de individuo prædicatur: genus verò & de speciebus, & de individuis: similiter autem & differentiæ & de speciebus, & de individuis prędicantur. Et rationem quoque suscipiunt primę substãtiæ species, & genera, & species generit: quæcunque enim de prędicato dicuntur, eadem & de subiecto dicentur. Similiter autem rationem differentiarum suscipiunt & species, & individua, vniuoca autẽ erant, quorũ & nomen cõmune est, & ratio eadem. Quare omnia, quæ à substantijs & differentijs sunt, vniuocè prędicantur.

10. Omnis autem substantia videtur hoc aliquid significare. In primis igitur substantijs indubitabile, & verum est, quòd hoc aliquid significãt, individuum enim & vnum numero est quod significatur. In secundis verò substantijs videtur quidem similiter appellationis figura hoc aliquid significare, quando quis dixerit hominem vel animal: non tamen verũ est, sed magis quale aliquid significant: neq; enim vnum est quod subiectum est, quẽadmodum prima substantia: sed de multis homo dicitur, & animal. Non autem simpliciter quale quid significat, quẽadmodum album (aliud enim aliud significat album, quã qualitatem) at species & genus circa substantiam qualitatem determinant, qualem enim quandam substantiam significant, plus autem in genere determinatio sit, quam in specie: dicẽs enim animal, plus cõplectitur, quam qui hominem.

11. Inest autem substantijs nihil illis esse contrarium. Primę enim substantię quid erit contrarium, vt cuidam homini, vel cuidã animali? at verò nec homini, nec animali aliquid est contrarium. Non est autem hoc substantiæ proprium: sed etiã multorum aliorum vt quantitati: bicubito enim vel tricubito nihil est contrarium, at verò nec decem, nec alicui taliũ. Nisi fortè quis multum pauco dicat esse contrarium, vel magnum paruo, determinatorum verò quantorum nullũ vlli est contrarium.

12. Videtur autem substantia non suscipere magis & minus. Dico autem, non q̃ substantia non est à substantia magis & minus substantia (hoc enim dictum est quod est) sed quod vnaquæque substãtia hoc ipsum quod est, non dicitur magis & minus, vt si est eadem substantia homo, nõ erit magis & minus homo, neq. ipse seipso, neque alter altero, non enim est alter altero magis homo: sicut est album alterum altero magis & minus albũ: & bonum alterum altero magis & minus bonum: sed & ipsum seipso magis & minus dicitur, vt corpus cum sit album, magis nunc album esse dicetur quàm prius: & cum calidum sit, magis & minus calidum dicitur, substantia verò non dicitur magis neque minus: nihil enim homo magis nunc homo, quàm prius dicitur: neque aliorum quicquam, quæcunq; substantiæ sunt. Quapropter non recipiet substantia magis & minus.

13. Maximè verò propriũ substantiæ esse videtur, cum vnum & idem numero sit, contrariorum susceptiuum esse, quale in alijs quidem non habet quisquã, quod proferat tale, quæcunque non sunt substantiæ: quod cum sit vnum numero, susceptibile contrariorum sit, velut color, qui est vnus & idem numero, non dicitur albus & niger, neq; eadem actio & vna numero praua & studiosa: similiter autẽ & in alijs, quęcunq; non sunt substantiæ. Substantia verò, cum vnũ & idẽ numero sit, susceptiua contrariorũ est, vt quidam homo cum vnus & idẽ sit, aliquando qui dem

dem albus, aliquando sit niger, & calidus & frigidus, & pranus & studiosus. in alijs autem nullis aliquid tale videtur. Nisi quis forsitan instet, dicens orationem & opinionem contrariorum esse susceptibilia: eadem enim oratio vera, & falsa videtur esse, velut si vera sit oratio, sedere quempiam, eo surgente ipsa eadem falsa erit: similiter autem & de opinione: si quis enim verum putet aliquem sedere, surgente eo, falso putabit, eandem de ipso opinionem habens. Sed si quis & hoc suscipiat, tamen modo differt. Nam ea, quę in substantijs sunt, ipsa quidem mutata susceptibilia sunt contrariorum, frigidum enim ex calido factum mutatur (alteratur enim) & nigrum ex albo, & studiosum ex pravo: similiter autem & in alijs vnumquodque eorum mutationem suscipiens, susceptibile contrariorum est. Oratio autem & opinio, ipsa quidem immobilia omninò perseuerãt: cum verò res mouetur, contraria circa ipsa fiunt: oratio namque eius quòd sedeat aliquis, permanet eadem: cum verò res mota sit aliquando quidem vera, aliquando autem falsa dicitur, similiter autem est in opinione. Quapropter saltem modò proprium substantiæ est, vt secundum mutationem sui ipsius susceptibilis sit contrariorum. Si quis autem recipiat etiam hæc, orationem & opinionem susceptibilia esse contrariorum, nõ est hoc verum. Oratio nãque & opinio, non eo quòd ipsa aliquid recipiant, contrariorum susceptibilia esse dicũtur: sed eo quòd circa alterũ aliqua passio facta sit: nam eo quod res est, aut non est, eo etiam oratio vera vel falsa esse dicitur, non eo quòd ipsa susceptibilis sit contrariorum, simpliciter enim à nullo, neque oratio, neque opinio mouetur, quapropter non erunt susceptibilia contrariorum, cum nulla contrarij sit passio in eis facta. Verum substãtia, eo quòd ipsa contraria recipiat, hoc susceptibilis esse cõtrariorum dicitur: languorem enim & sanitatem suscipit, & candorem & nigre dinem: & vnumquodque talium ipsa suscipiendo cõtrariorum susceptibilis esse dicitur. Quare proprium erit substantiæ hoc, cum vnum & idem numero sit secundum suiipsius mutationem, susceptibilem contrariorum esse. De substãtia quidem hæc dicta sint.

¶ Cur de substantia prius egerit Aristot. quid per substantiam intelligat, quotque modis sumatur.

Meritò Arist. prius de substantia, quã de alio quouis genere tradidit: est enim substãtia, in qua omnia alia insunt, at ipse sisteutantur, tanquam in subiecto, propterea de ea tanquam de communi omnium subiecto oportuit primo loco tractari. Præterea, quia est prior natura alijs, vt docet Aristot. 7 Meta. cap. 1. substantia enim in sua natura à nullo dependet accidẽti, at omnia accidentia ab ea dependent, ab ea igitur incepit tanquam de priori: hęc duplex ratio est Ammo. & Boet. Substantia cur primo loco explicetur.

Sed quæ sit ista substantia, de qua modo est sermo, nõ est facile explicare: prætermissis igitur diuersis multorum diuisionibus substantiæ, quæ nõ mihi plenè videntur rem attingere, sic mihi apparet esse distinguendum.

Substantia primo modo sumitur, pro essentia cuiusq; rei, quæcũq; sit, siue eius, quæ substantia dicitur, siue accidentis, quo pacto in definitionibus superioribus vsurpabatur de vniuocis, & æquiuocis. Diuisio substantiæ.

Secundo modo pro eo omni, quod nõ est in subiecto, & hoc modo est quoddã eius distinctũ contra accidens, & sic tripliciter sumitur. Vno modo pro simplici quadã substãtia separata à materia, quales sunt angeli, quæ intelligentiæ dicuntur, & Deus glorioſus, & hanc substantiã ponit. 12. Meta. ca. 2. Secundo dicitur substantia ens sensibile, ita vt omnia entia sensibilia, & partes eorũ dicãtur substantię, & sic manus est substãtia, & pes, & corpus, anima, forma, materia, cõpositum, hoc modo sumit. 5. Met. c. 8. in principio.

Tertio

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tertio modo strictius sumitur substãtia, pro composito sensibili singulari, & ipsius prædicatis in quid, quo pacto. 5. Meta. ca. 8. in fine sumitur, & sic nec pes, nec manus, nec anima, nec corpus substantia dicuntur, sed individua ipsa composita, & eorum prædicata, in quid: hoc igitur modo sumitur in præsenti: & notum est, Aristotelem in præsenti per primã substantiam intelligere compositum singulare, per secundas verò substantias ipsa prædicata in quid compositorum.

Sunt ergo quatuor gradus substantię. Primus essentia cuiusque rei. Secundus substantia immaterialis. Tertius substantia sensibilis in communi, vt ad composita, & omnes partes, & prædicata se extendit. Quartus pro composito, & prædicatis in quid ipsius sumpta substantia: & sic secundum mentem Arist. in primam & secundam dividitur.

Nota. Subsistię non à duplici modo proprietate. Est prætera adnotandum, quod substãtia dicitur à duplici proprietate. Prior est subsistere accidentibus, & esse subiectũ in quo: altera est, subsistare superioribus, & esse subiectum de quo. Prior est communis omni substãtię, scilicet singulari, & speciei, & generi supremo, omnia enim hęc subsistant accidentibus: at posterior omnibus inest, præter generalissimam, quæ nullius est subiectum de quo, cũ non habeat superius vninocum essentiale. His breuiter adnotatis, ad ipsius textus interpretationem accedamus.

Substantia autẽ, quæ propriè, & principaliter, & maximè dicitur.

Diuisione posita, qua substantiam in primam & secundam distribuit: pergit nunc Arist. ipsam primam describere, hoc modo: quæ nec de subiecto aliquo dicitur, nec in subiecto aliquo est. Prior pars denotat eius singularitatem: secunda pars eius esse, scilicet nõ esse accidens sed substantiam, est enim idem, ac si dicat substantia singularis est, vltimũ subiectum de quo alia dicuntur, & in quo alia sunt.

1. Nota. Hic noscere oportet, quare Arist. primam hanc substantiam propriè, principaliter, & maximè substantiam vocauerit. Propriè potest vno modo dici, cõtra id, quod impropriè est, & sic vsurpat multi, inter quos Alber. tract. 2. ca. 2. ad differentiam substantiæ, quę sumitur pro essentia cuiusque, scilicet accidentis, & substantiæ, sic enim impropriè accidens dicitur substantia: at S. Tho. opus. 48. ca. 3. sumit, & benè, propriè, quasi per se, & nõ per aliud, nec ab illa: prima enim substantia per se substat accidentibus, reliqua verò per primã: eò enim homo est albus quia quidam homo est albus: dicitur principaliter substantia, quia omnia accidentia per prius insunt ei, & ipsa est, quæ subsistit, secũdæ verò in ea subsistũt. Dicitur maximè substantia, quia substat omnibus, est enim subiectum non solùm accidentium, sed de quo omnia alia superiora prędicantur.

Oportet secũdo noscere ex Ammon. quòd duplici ex causa negatiuè definimus. Prior est propter maximam rei perfectionem, qua excedit alia omnia illius generis, nec tamen ipsa in se manifesta est: quo pacto Deum describimus dicentes, nec esse leonem, nec animal, nec corpus, nec angelum, sed his aliquid præstantius. Posterior est propter imperfectionem tantã rei, quæ à cæteris in illo genere superatur: quo pacto dicitur materia prima non est ignis, non est aqua, nõ est leo, non est planta, non est aliquod cõpositum, est enim his omnibus imperfectior substantia: ista aũt descriptio primę substantię est propter perfectionem in suo genere, ipsa enim est, quę in substandi ratione cuncta excedit. Nota. 2. Definit aliquid negatiuè duplici causa.

Quamuis autem istę definitiones per negationem dentur, non tamen est intelligendum esse puras negationes, sed habent aliquid secum positionis: prima enim substantia est quędam sensibilis natura, quæ nec de subiecto dicitur, nec in subiecto aliquo est. Nota. 3.

Secundæ autem substantiæ dicuntur species.

Descri-

Describit, quæ secundæ substantiæ dicãtur, eosque dicit species, & genera esse harum primarum, scilicet in quibus hæ primæ substantię insunt. Dicit autem, in quibus primæ insunt, ne decipiamur existimantes omnes species, & genera substantias secũdas esse, non enim sunt, nisi solum illæ species, & genera, quæ de primis, tanquam de subiecto prędicantur.

Dubium Hic posset statim dubium suboriri, quomodo si prima substãtia in nullo subiecto est, dicitur inesse in speciebus? Ad

Solutio. quòd facilè respondeo, quando primæ substantiæ in superioribus insunt, non in sunt, vt in subiecto, hic enim est modus existendi accidentis, qui nulli substantię competit, at dicuntur inesse in superioribus tanquam in quadam vniuersali forma compræhendente, & concludente multa.

Manifestum autem ex his.

Hic Arist. ostendit qualiter secundæ substantiæ se habeant ad primas: & similiter, qualiter reliqua accidentia, quorũ est subiectum dicitque, ex his, quæ capite. 2. precedenti dicta sunt, esse manifestum, has secundas prędicari secundum nomen & rationem de primis, cùm dicantur de eis tanquam de subiecto: at dici de subiecto est essentialiter prædicari, quando non solùm nomen rei, sed etiam definitio competit subiecto: quidam enim homo est homo. & est etiam animal rationale. at accidentia non sic ad primam substantiam se habent, sed multa nec secundũ nomen, nec secundũ rationem, id est, definitionem prædicantur: aliqua verò secundum nomen prędicantur quidem nulla tamen secundum rationem. Illa, quę nec secundũ nomen, nec secundum rationem prędicantur, sunt, vt omnes ferè dicunt, abstracta accidentium, quorum nomina, & definitiones de substantia non prędicantur: nec enim dices, homo est albedo, nec homo est color disgregatiuus visus.

Sed licet hoc verum sit, melius videtur cum Ammonio dicendum, ista quæ nec secundum nomen prędicantur, esse alia quæ accidentia, quibus nullũ est nomen impositum ad substantiam denominandam, vt virtus est in anima, à qua non dicitur virtuosa, & huiusmodi sunt alia multa. Ea verò, quæ secundum nomen prædicantur, sunt concreta, quæ de substantia prædicari valent.

Contra hoc, dubiũ posset occurrere: Dubiũ. 1.
non enim videtur solum nomen in accidentibus prędicari, cùm etiam definitio secundum illud nomen prędicetur, dicitur enim homo est albus, & homo est co- Solutio.
loratum disgregatiuum visus, quę est definitio albi. Ad hoc respõ. Alber. tract. 2. huius cap. 3. Definitio quidem concreti accidentis prędicatur de subiecto, sed non vt definitio. i. quę explicet naturam subiecti: hoc est autem prędicari secundum rationem de aliquo, quod definitio sit essentialis ei, de quo dicitur, at definitio albi æquè extrinsecè prędicatur de homine, sicut ipsum nomen albi. Hic autem debes aduertere, accidentia & secũdas substantias comparari ad primam, de qua accidentia nulla secundũ rationem prædicãtur: nã si accidentia ad sua inferiora conferentur, absque dubio de eis secundũ nomen & rationẽ, tam concreta, quàm abstracta prædicantur: vt enim ista est essentialis, homo est animal, ita & ista, album est coloratum, & albedo est color, vt dicitur. 1. Top. cap. 7.

Alia verò omnia aut de subiectis dicuntur.

Facta collatione secundarũ substantiarum, & accidentium ad primam substantiam, quantũ ad prædicationẽ, modò ea, quantum ad dependentiam à prima substantia comparat, eorumque dependentiam quasi æqualem ponit, scilicet quòd tam secundæ substãtiæ omnes, quàm accidentia à prima substantia dependent: licet cum discrimine: substãtię enim secundæ dependent, quia de ea, vt de subiecto dicuntur: accidẽtia, quia in ea, vt in subiecto sunt: q manifestat, nã homo de quodã homine dicitur & ani-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mal de homine, ergo de quodam homine: aliter enim de quodã non diceretur, cùm non sit homo separatus: similiter accidens, color enim est in corpore, ergo & in quodam corpore: ex quibus infert. Cùm ita omnia à prima dependeant, sublatis primis, nihil aliorum, sine secundarum substantiarum siue accidentium remanebit.

Dubium. Dubitatur primo. Hoc enim videtur expresse contradicere Porphyrio ca. vltimo, vbi dicit omnibus indiuiduis sublatis, nõ aufertur species, nec ablatis speciebus omnibus auferetur genus. Et præterea, quia videtur argumentum fieri à negatione inferioris ad negationem superiorum: qui est ineptus modus argumentandi, cùm superius sit prius.

Solutio. Respon. cum Alberto tract. 2. cap. 4. naturæ istæ genericæ, & specificæ, quæ sunt secundæ substantiæ, dupliciter possunt considerari: vno modo secundum talem naturę gradum, quem dicunt, vt animal, secundum naturam sensitiuam: homo secundum naturam humanam, & reliqua. Secundò possunt considerari secundum vltimam perfectionem suam, quę est existere, & habere esse extra intellectũ: hęc autem existentia est singularium, vnde tales naturę non existunt perfectæ, nisi in singularibus, secundum se enim nõ sunt existentes nisi per intellectũ. Hinc patet responsio, corruptis singularibus istis substantiæ, quæ dicuntur primæ substantiæ, manent quidem genera & species, secundum suã peculiarẽ naturam, sed imperfectè, quia non sunt nisi per intellectum, & hoc dicebat Porphyrius: tamen quoad suam perfectionem vltimam, scilicet existentiam non manent, nulla enim illarum existet citra primam substantiam singularem.

Natura generis & speciei duobus modis potest considerari.

Ad argumentum respondet Albert. benè, non esse argumentũ à negatione inferioris, sed talis modus argumentandi à destructione omnium primarũ substantiarum tenet, per locum à sufficienti partium enumeratione.

Secundarum verò substantiarum magis est substantia species. 5.

Tres substantiarũ cõparationes Arist. facit: primam, inter secundas substãtias scilicet specierum cũ generibus: secundã inter ipsas species æquales, quarũ vna nõ est genus: tertiã, inter primas substãtias: statuit ergo, primo inter secũdas, magis est substãtia species, quã genus. Hanc duplicis ratione patefacit, & probat: prior sumitur ex priori significatione substantiæ scilicet pro prædicato in quid ipsarũ primarũ substantiarum, argumentũ huiusmodi potest proponi: Substantia dicitur prędicatũ in quid primæ, ergo quòd magis in quid prędicatur: magis erit substantia: sed species est magis quid indiuidui, quã genus, ergo illa est magis substantia. Probat minorem: si quis enim quærat de quodam homine, quid est: distinctius respondetur per speciem, scilicet est homo, quam animal: & ratio est clara, quia homo dicit rationale, quod non dicit animal: & semper inferiora plura habent, quàm superiora, quia superaddunt differentias. Sed nota vnum, quod dixit, distinctius respõderi per speciem, confusius per genus: vt intelligas, genus & superiora includere etiam omnia, quæ sunt in inferioribus, sed in potẽtia & confusè: inferiora verò distinctè, & in actu perfectius autem est actu continere, quàm potentia: & distinctè continere, quàm confusè.

Obijcies. Species non continet distinctè naturã, cùm id sit minus definitionis. Dico, quòd species si ad definitionẽ comparetur, confusum dicitur, at ad genus quod distinctum est, propterea Aristoteles dicit distinctius responderi per speciem, quam per genus. Posterior ratio est. Eò prima substantia maximè substãtia dicitur, quia omnibus subsłat, & substantijs secundis, & accidẽtibus, sed post primam pluribus subsłat species, quam genus, quia & subsłat omnibus, quibus genus, & ipsi generi, ergo erit magis substantia. 1. dubiũ.

Hic

2. Dubiũ. Hic fortè dubitabis, quare cũ species magis sit substantia, quã genus, & genus inferius quàm superius, non multiplicantur substantiæ, vt species sit secunda, genus tertia, & superius quarta vsque ad generalissimum. Pro hoc aduerte, q. ratio primę substantiæ hæc est, quod sit vltimum subiectum, de quo omnia alia prędicantur, & in quo omnia alia sunt: ratio verò secundæ substantiæ est, esse prædicatum in quid primæ: & omniũ aliorum esse subiectum in quo, scilicet accidẽtiũ. Cùm igitur hæc sit ratio substantię secũdæ, quod postea magis, vel minus, sit in quid, pluribus, vel paucioribus subsłet, cum hanc rationem non mutet, nõ multiplicabit substantias secundas, vt albedo vt quatuor, albedo vt octo eiusdẽ speciei sunt, quia iste excessus non mutat rationem albedinis: magis enim & minus sub eadẽ ratione nõ variant speciem.

Solutio.

6. *Ipsarum verò specierum quæcunque non sunt genera, &c.*

Hic fit comparatio inter ipsas species inter se, & non sumit inæquales species: nam si vna genus est, altera non: quę genus est, minus est substantia, quam altera. Sed cõferũtur species æquales sub eodem genere, & sic dicitur, vna nõ est magis substantia, quam altera: quod probat: non enim magis in quid vna species de suo indiuiduo prædicatur, quam altera de suo. Ita enim benè respõdetur per hominem, si quęratur, quid est quidam homo, quã per equum, si quęratur de quodam equo. Vltimò comparantur primę substantiæ inter se, eadem ratione vna non est magis substantia, quàm altera. Ex his colligit rationem, quare secundę substantiæ dicantur substantiæ, non autem accidentia. Ad quod dicit illas vocari substantias propter duo. Primò quia dicuntur in quid de prima. Secundò quia substant omnibus accidentibus: alia verò prædicata non sunt de natura primarum, nec subsłant alijs.

Dubiũ. 1. Dubitatur primo. Substantia secũda, nempè, species & genera, sunt priora indiuiduis: ergo dicenda erant potius substantiæ primę, & indiuidua secundę. Respon. dupliciter. Primò, secundum Boet. Quamuis illę naturæ generum & specierum sint priores, tamen indiuidua sunt primo cognita, quia sensibus subsłãt: propterea primo est nomen eis subsłantiæ impositum: ac ideo primę sustantiæ dicuntur. Secundò respõ. ex Alber. tract. 2. cap. 3. quòd istæ naturæ dupliciter possunt cõsiderari: vno modo secundum se, & vt ipsorum indiuiduorum principia sunt, & sic priores sunt: altero modo, vt prędicata quędam substantialia sunt, scilicet, genera & species, & sic posteriora sunt: vniuersale enim posterius est: & cũ sic in præsenti cõsiderentur, meritò secũdę substantię dicuntur, quia posteriores sunt, scilicet ab ipsis primis abstractę. Solutio.

Communes autem omni substantiæ, &c. 7.

Hæc est posterior pars huius capitis, in qua Arist. postquam quid prima, & secunda substantia, & quo modo inter se, & adinuicem se habeant, explicuit, quasdam ipsius substantię proprietates assignat, quę locũ descriptionis cuiusdã habẽt: nõ enim ista generalissima aliter definiri queunt. Est igitur prima proprietas. Omni substantię conuenit, nõ esse in subiecto: hanc dupliciter manifestat, primo in ipsis primis, & secundis inductione quadam, ex earum descriptionibus. Nam prima est, quæ neque est in subiecto, nec de subiecto aliquo dicitur. Secunda, quę dicitur de subiecto, sed non est in subiecto. Secundò probat de ipsis secundis, quia maior est in his difficultas, cùm per se non existant. Ea, quę in subiecto sunt, non prędicantur secundũ rationem: at omnes secundæ substãtiæ secũdum nomen, & rationem prędicantur, ergo in subiecto nõ sunt. Subdit, hoc non solùm substantijs, sed etiam differentijs commune esse: cùm enim hæ secundum nomen & rationem prædicentur, in subiecto non sunt.

Posset quis dubitare. Cùm hoc sit proprium substantijs, quare vocatur cõmu- 1. Dubiũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nè? Respon. cum Ammonio. Proprium duo habet: & conuenit soli, & conuenit omni: igitur respectu eorum, quibus omnibus competit, commune est, vt cõmune est omni homini esse risibilem, licet aliorum collatione sit proprium. Ita in præsenti, omni substantiæ cõmune hoc est, sed illi proprium, quia non inest accidentibus.

1. Dubiũ. Dubitatur secundò. Nam videtur asserere differentias non esse substantias: dicit enim non solùm hoc substantiæ proprium esse, sed etiam differentijs, vbi differentiam à ratione substantiæ separare videtur. Dico breuiter ad hoc (postea enim in quæstione quadam circa hoc caput, latius hoc disputabitur) quod differentia quoad rem ipsam substantia est, quoad modum verò, est veluti accidens, quia se habet ad modum qualitatis, vt suprà diximus: genus verò & species, & prima substantia & quoad rem, & quoad modum vt substantia sunt: nam genus, & species in quid prædicantur. Cũ autem hic de substantia non solùm quoad rem, sed quoad modum etiam tractetur, quia modus prædicandi simul attenditur, differentia non reputatur simpliciter substantia.

Solutio.

8. *Neque verò nos substantiarum partes.*

Hæc secundum Ammonium, & Simplicium, continuantur cum præcedentibus, vt sermo sit de differentijs, quæ cùm partes sint, possent alicui videri nõ esse, substantiæ: quod removet Aristo. dicens esse substantias: quia in subiecto esse, nõ est esse in aliquo, vt illius partẽ, sed esse in aliquo, non tanquam partem: at differentia est pars speciei, propterea accidens non est. Boet. verò, & Alber. hoc intelligunt de partibus integrantibus, & de materia & forma, quas aliquis posset existimare non esse substantias: cũ nulla eorũ fuerit habita ratio. Hoc removet Aristoteles dicens esse substantiam, non autem accidens: quia accidẽs non inest tanquam pars, & vtraq; est congrua expositio.

Nota. Est tamen notandum duplex differimẽ inter partes has, & accidentia. Primo hę partes componũt vnicam naturam, aut vnum totum per se, vt materia cum forma vnam facit naturã, & manus, caput, ac reliqua, vnicum faciunt totum: at accidentia nec inter se, nec cum subiecto vnicam rem, aut totum per se faciunt. Secundò partes istæ integrantes, & nomẽ, & rationem, à toto, in quo sunt, accipiũt: manus enim à toto abscissa non est simpliciter manus, nec caput, similiter ratio partis est, secũdum quam suum exercet munus, & officium: at partes extra totum suum munus non habent, ergo non habent suam rationem & formam extra totum: Accidens verò separatũ, & suum nomen, & suam retinet rationem, & formam: albedo enim separata, ita est albedo sicut ea quæ in subiecto est.

9. *Inest autem substantijs, & differentijs.*

Hæc est secunda proprietas substantiarum, quę etiam differentijs competit, vt omnes de primis vniuocè prædicentur. Probatur. Quæcunque secundũ nomen & rationem prædicantur, vniuocè prædicantur, sed secundæ substantiæ secundum nomen & rationem, similiter & differentiæ prædicantur, ergo vniuocè. Huius rationis primo loco secundi morem suum ponit minorem, posteriori verò maiorem. Hic breuiter nota, differentias non habere propriã definitionem quidditatiuam, cum ex genere, & differentia non componantur, ac propterea simplices conceptus dicuntur: habẽt tamen quandam descriptionem, per quam illarum natura explicatur, & secundum hanc de prima substantia prædicantur.

Differentię nõ habent propriã definitionẽ.

10. *Omnis autem substantia videtur hoc aliquid significare.*

Hæc est tertia proprietas. Omnis substãtia videtur hoc aliquid significare: sed non significat, nam secunda quale quid potius significat. Est aduertendum, quòd hoc aliquid, dicitur natura prius subsistẽs, & nullo modo in alio: qualia sola esse singularia

Quid nã dicatur hoc aliquid.

gularia substãtiæ, credidit Arist. Plato verò, vt diximus, existimabat naturas vniuersales per se subsistere extra singularia, propterea eas hoc aliquid opinabatur: Aristoteles verò non, nisi in ipsis singularibus existere, ita tamen, vt sint eorum essentia: ob id vt intelligemus has naturas vniuersales non per se existere, sed in singularibus, vocat qualitates: at ne decipiamur, existimantes sic esse in singularibus, vt eorum sint accidentia, cũ sint ipsorum substantia, vocat qualitates substantiales. Inde est, quod nomina primarum substantiarum, hoc aliquid significant: at nomina secundatũ quale quid: dicit tamen, quod videntur significare hoc aliquid figura appellationis, id est, modo significandi nominis, quod cum absolutũ sit, significat rem illam per modum subsistentis, cum tamen verè per se non subsistat nisi in singularibus.

11. *Inest autem substantijs, nihil illis esse contrarium.*

Hæc est quarta proprietas substãtiæ, scilicet, Substantiæ, nec primæ, nec secundæ quicquã est contrarium: hoc autem non solis substantijs, sed etiam quantitatibus inest, quibus nihil est contrarium: vt enim homini, animali, Petro, nihil est contrarium ita ternario, bicubito, nihil est contrarium. At quia posset quis obijcere, magnum & paruum sunt quãtitates tamen vnum alteri cõtrarium est. Resp. quamuis admittatur id, scilicet illa esse quantitates, quod reliquit tractandũ in prędicamento quantitatis, tamen hoc saltem est certum, quantitatibus determinatis nihil esse contrarium: vocat autem quantitates determinatas, ipsas species quantitatis, vt est ternarius, quaternarius, linea, corpus, quę contraria non habent: magnum & paruum sunt indeterminata, cum modo vni speciei, modo alteri infinit: similiter. quia quod magnũ est, alterius collatione paruum sit: nec est certa ratio, in qua magnitudo, vel parũitas consistat.

Quantitas quæ dicat determinata quę in determinata.

1. Dub. Dubitatur primo. Quomodo substantia non habeat contrariũ, ignis enim & aqua contraria sunt, & tamen sunt substantiæ. Prętera omne, quod corrumpitur, à contrario corrumpitur, at substãtiæ corrumpuntur: ergo à contrarijs suis. Prętera, quia ita distant inter se homo, & leo, sicut calidum & frigidum, sed hæc sunt contraria: ergo & illa.

Fundam. Pro huius difficultatis dissolutione oportebit considerare, quę dicantur contraria. Tria autem necessaria sunt, vt aliquę nam qua dicantur contraria. Primùm, quòd dicantur sub eodem sint genere, quæ enim sub diuersis generibus, vel prędicamentis sunt, non contraria, sed diuersa dicuntur. Secundò, quod sint formæ positiuę, quãdo enim alterũ primatium quid est, non dicuntur contraria, propter quod cæcitas, & visus cõtraria non sunt: hęc tamẽ duo non sufficiunt, nam homo & equus hæc duo habent, non tamen contraria sunt. Est tertium necessarium, quod mutuo inter se pugnent, & agant circà idem subiectum, à quo vnum vicissitudine quadam alterum expellat, vt calorã manu expellit frigiditatem. Ista autem actio fit secũdum ipsas formas, vel ea, ex quibus sunt, vt calor secundum se pugnat contra frigiditatem: & albedo, & nigredo agunt per qualitates ex quibus intrinsecè fiũt.

Respõsio ad dubiũ. Ex his facilè erit respondere, Ignis enim & aqua secundum se, & substantiam suam non sunt contraria, sed secundum qualitates, quas habent scilicet, caloręm, & frigiditatem, quibus mutuo puguant inter se. Similiter ad secundum, quod corrumpitur non corrumpitur nisi per qualitates contrarias, ex quibus cõstat. Ad tertium dicitur, non quæcunque, etsi diuersa inter se sint, contraria dici, sed ea, quibus illa tria insunt: hæc autem reperiuntur in calido, & frigido, non autem in homine, & equo: propterea illa sunt contraria, non autem hęc. Hæc sufficiant, reliqua enim sunt physica & Metaphysica.

Videtur autem substantia non suscipere magis.

Proponit quintam proprietatem substantiarum, omnium scilicet, non suscipere magis, aut minus: non enim vnus homo est magis homo, quam alius, nec quam ipsemet, sicut vnum est magis album, aut calidum, quam aliud, aut quam ipsummet erat in alio tempore. Hanc proprietatem cum præcedenti Aristo. non probat, quia sunt alterius scientiæ, hic autem supponuntur, vt Logicus habeat aliquem effectum, per quem vtcunque ascendat ad cognitionē substantiæ. Hęc autem proprietas etiam inest quātitati, non enim quantitas suscipit magis, vel minus: semper enim ista coniuncta sunt, suscipere magis vel minus, & habere cōtrarium.

Dub. 1. Posset quis obijcere. Superius dictum est, vnam alia magis substantiā esse: quomodo dicitur, nō suscipere magis, aut minus? Respondet Aristoteles substantiam

Solutio. dupliciter posse cōsiderari. Vno modo, vt subsłat, & aliorum est subiectum, & sic superius dictū fuit, suscipere magis, vna enim pluribus subijcitur, quàm alia: Altero modo consideratur secundē se ipsam, & naturam propriam: & sic in præsenti asseritur, non suscipere magis, non enim homo in se, animal in se, magis, aut minus patitur.

13. *Maximè verò proprium substantiæ esse videtur.*

Vltima proprietas est. Substantia vna numero, scilicet individua & singularis est susceptiua cōtrariorum, id est, recipit in se contraria, non simal, sed modo nū, modo alterum: vt vnus, & idem homo, modo calidus, modo frigidus, modo albus, modo niger est. Dicit autem, quod vna numero, & singularis substantia recipit contraria, nam accidens vnum genere contraria habet, vt color in cōmuni album continet, & nigrum: sed nō vnus & idem color singularis albus est, & niger. Hæc proprietas est maximę substantiæ propria, non enim vlli accidenti cōpetit, sed soli substantiæ. Obijcit autem contra hoc Aristoteles: nā videtur, hoc etiam posse accidenti cōpetere, nā ista eadem propositio, Petrus sedet, Petro sedente, est vera, eadē, Petro surgēte, est falsa: verum autem & falsum contraria sunt: similiter & opinio qua cogito Petrum sedere, modo est vera, modo falsa. Resp. Arist. hoc discriminis esse: nā substantia recipit contraria in se ipsa, & ipsamet mutatur ex vno in aliud in se ipsa: at propositio, & opinio quādo modo vera, modo falsa dicitur, nō recipit aliquā mutationem in se, sed ab extrinseco ab eo, quòd res mutatur vel sic est, aut non est, dicitur vera, aut falsa. Si quis enim existimet propositionem in se mutari, falsum putat: vnde saltem hoc modo, scilicet per mutationem in se cōtraria suscipere soli inest substantiæ, & ipsius est maximè proprium.

QVAESTIO PRIMA.

De diuisione substantiæ ac primo qualis ea sit diuisio substantiæ in primam & secundam.

AEquum est, vt ea, quę caput exponentes adnotauimus, maiori examine, & diligentia perpendamus. Et primum differendū occurrit de diuisione substantiæ, in primam, & secundam. Deinde, quod sit genus generalissimum in prædicamento substantiæ. Tertio de tota ipsius prædicamenti diuisione, seu coordinatione.

Argumēta in contrarium.

Igitur primo videamus, qualis sit illa diuisio substantiæ, in primam, & secundam. Obijcitur ergo primo contra eam. Vel est diuisio generis in species, vel totius in partes, vel æquinoci in æquinocata: nō enim apparet, an sit aliqua ex alijs diuisionum modis: sed quod nulla ex supra dictis sit, probatur. Primo, nō est generis in species, quia species inter se nō sic se habent, quod vna sit in alia, nec q vna corrupta, corrumpatur alia: at secundæ substantiæ sunt in primis, & destructis primis destruuntur secundæ: ergo non sunt species.

Secundò, nec est totius in partes: nā partes totius, vt docet Arist. 2 lib. de partibus anima. c. 1. sunt in duplici differentia: quędam similares, quę dicuntur homogeneæ, quia inter se, & cū toto, sunt eiusdem rationis, & nominis: vt partes vnius ossis quarū singulę os sunt, & rationem ossis habent: & partes carnis: & partes aquæ. Aliæ sunt partes dissimilares, quę eterogeneæ dicūtur, quę eandem cū toto rationē & nomen nō habēt: vt manus, caput, pes: quæ neq; inter se, nec cū toto idem habent nomen, & rationem. Hæc igitur diuisio non est totius in partes similares, quia partes similares, vt dictum est, idē prorsus nomen & rationem inter se cum toto habent: at prima substantia, & secunda diuersum nomen, & diuersam habent definitionem. Nec est in partes dissimilares: nā cum totum in partes has diuiditur, vna non continet aliam: at prima continet secundā. Præterea totum partibus dissimilibus nomē non impertit: at prima substantia & secunda, dicuntur substantia: caput verò, aut manus, non dicitur animal.

Præterea, nec est æquinoci diuisio in æquinocata, quàm Simplic. & Porphy. & Boet. non diuisionem, sed enumerationē censent esse dicendam. Probatur q non sit talis. Æquinocatis nihil præter nomen est cōmune: at hic nō solum est cōmune nomen, cùm omnibus sit cōmune substantijs, nō esse in subiecto: ergo non est diuisio æquinoci.

1. opinio Propter hoc multiplex argumentum, Ammo. existimat non esse aliquam diuisionem ex prędictis, imò nullam esse diuisionem, sed quendam ordinem enumeratorū: sicut qui numerat principia orationis, dicit: primæ sunt litterę, secundę syllabæ, tertię dictiones: & sicut qui numerat discumbentes, iste est primus, ille est secundus: ita hęc est quædam enumeratio constitutorum in prędicamento substantię.

2. opinio Fuit secunda sententia Alber. tract. 1. huius. c. 3. quem sequitur Caietanus, qui sustinet diuisionem hāc esse analogi, in analogata. Illud enim est analogū, quod per prius vni, quā alteri inest: at esse substantiam prius primę, quę maximè substantia est, quàm secundę inest.

3. opinio Tertia sententia fuit doctorum Louanienſium. Dicunt enim, diuisionem esse accidentis in accidentia, sicut qui diceret, alborum, aliud dulce, aliud qui frigidum, aliud amarum: ita substantiarum, id est, eorum, quę substant, & sunt subiecta, quoddam est vniuersale, scilicet secunda substantia: quoddam particulare, sicut prima substantia.

4. opinio Quarta sententia fuit Burlei, in præsenti, hāc esse diuisionem subiecti in accidentia: sicut animalium, aliud album, aliud nigrum, aliud medio colore se habens: ita natura per se, & nō in alio stans: alia est vniuersalis, alia particularis: accidit enim naturę, quòd sit vniuersale, vel particulare.

5. opinio. Vltima sententia est quorundam neotericorum, hanc esse diuisionem generis in species.

Circa huius determinationem proponā aliquot fundamenta, quę vice etiā conclusionum esse poterunt, quibus propositę quæstioni satisfaciemus.

Primum fundam. substātia sensibilis est triplex: Sit primum fundamentū. Triplex est substantia seu sibilis, vt docetur. 2. de anima cap. 1. & 7. Met. c. 3 quędam materia, quædam forma, quędam cōpositum: vt in animali, corpus est materia, anima forma, totum ipsum est compositum, similiter in alijs.

Ex hac triplici substantia, dubium est, quę hic ab Arist. consideretur. Boethus Græcus, quem refert Simplicius hoc capite supra. prima verba, existimant hic Arist. considerare compositum, & materiā. Ratio eius erat: quia illa descriptio primę substātię non soli individuo, sed etiam materię cōpetit: hęc enim nec est in subiecto, nec dicitur de subiecto: forma verò, q erat in materia, credidit an

numerandam inter illa, quæ sunt in subiecto, velut accidentia.

At Simpli. Porphy. Ammon. Boet. & Arabes solam cõpositam substãtiam hic inter primas, & secundas collocant, substantia enim vtraq; composita est. Quorum ratio est, quia hic agit de substantia sensibili, nota, & manifesta: at materia est obscurissima, nec satis de ea cõstabat. Posset etiã secũdo dici, q hic tractat de substantia, vt subijcitur in prædicationibus, tam accidentalibus, quam substãtialibus, at talis est composita, nõ enim subijcitur, nec prædicatur, secundum prædicationẽ prædicamenti, nisi compositum.

Nec argumentum Boæthi quicquam valet: in illa enim definitione est assumendum id, quod notum est & propriè substat: sed id est compositum, & natura perfecta sensibilis, quę nec est in subiecto, nec dicitur de subiecto. Hoc igitur compositum dupliciter sumitur, vno modo in particulari: scilicet hic homo, hęc planta, hoc animal, & talia sunt primæ substantiæ: altero modo in vniuersali, homo, planta, animal, & hæc dicuntur secundæ substantiæ.

a. Funda. Vnicum cõpositũ vnicãtantũm habere formam & materiã.

Secundum fundamentũ est. Vnicum compositum non habet nisi vnicam formam, & materiam: habet tamen plurimas operationes, & proprietates cõmunicatas, & procedẽtes abilla forma: verbi gratia, homo est per se, est quantus, viuit, mouetur, augetur, nutritur, sentit, discurrit: similiter & reliqua: inter has quædam reperiuntur cõmunissimæ, quę non solum illi rei, sed multis insunt: quędam minus communes: quædam adhuc minus: & tandem quædam illi soli conuenientes: verbi gratia, esse per se non soli homini, sed omnibus ineſt substantijs: viuere, augeri, nõ omnibus, sed plantis: sentire, non plantis, sed animalibus: at discurrere, soli homini: sed hæc adhuc omnibus individuis humanis cõueniunt: at quędam alię sunt quę huic vni soli, non alteri insunt: vt illæ conditiones individuantes, de quibus superius diximus.

Ex hoc patet quasdam esse rei operationes, seu proprietates, quibus cum alijs rebus cõmunicat. quasdam, quibus ab eis differt: verbi gratia, in hoc, quod est, per se esse, communicant substantię illę inferiores cum intelligẽtijs: sed differũt in quantitate: in hac autem communicat homo cũ lapidibus inanimatis, sed differt in nutritione, & vita, in qua cum plantis conuenit: à quibus per sensum differt: in sensu cũ brutis participat, sed differt per rationem.

Philosophi cur eandem rẽ varijs nominibus significent.

Hoc suppositio, philosophi cõsiderantes vnicã rem tot habere operationes: varijs nominibus eam significant: quorũ singula talem rem significant: vt in ea peculiaris quędam operatio inuenitur: verbi gratia, quia homo, per se stat, dicitus est substantia: quia quantitatem habet, corpus: quia nutritur, vinex, quia sentit, animal: quia ratiocinatur, homo. Omnia autem hæc nomina in vno vnicã tantum naturam in eo significant, sed non eadem ratione, sed secundũ diuersas operationes in eo inuentas: nõ quod talia nomina operationes ipsas significent, (significãt enim rem ipsam, & eius substantiam) sed sunt imposita ad significandam substantiam ex diuersis operationibus, & proprietatib', quę in ea sunt: vt inferius dicemus.

Sed hic est summoperè aduertẽdum: cũ quędã operationes sint, quibus multa conueniant: quædam, quibus differant, alijs tamen conueniant: nomina, quę à talibus operationibus sumuntur, etiam aliquibus conuenient, & erunt communia: alia etiam differentia, & quibusdam peculiaria: verbi gratia, animal dicitur omne quod sentit: rationale, quod solũ discurrit, viuens, quod nutritur. Vnde omnia huiusmodi communia sunt, quia substantiam nõ vnius rei solius, sed multarum significant: & illæ sunt secundæ substantiæ: inter quas, quędam sunt genera, quædam species, quędam differentiæ: genera sunt illa, quæ sumuntur ab operationibus pluribus rebus specie di-

stinctis, conuenientibus, secundum quod eis conueniunt. Differentiæ quæ sumuntur ab operationibus, quibus quędam ab alijs differunt. Species quæ sumuntur ab vtrisq; & his, quibus differunt, & his, quibus conueniunt: species enim genus, & differentiam continet.

3. funda. Nomina à proprietate imposita sæpè ipsam rem non proprietatẽ significant.

Sit tertium fundamentum ex S. Tho. 1. p. q. 13. ar. 8. & q. 18. ar. 2. Sæpè nomina significant aliquam rem, & imponuntur ad significandum ab aliqua rei proprietate, quam non significant. Vnde aliud est, quod significant, aliud, à quo imponũtur ad significandum: verbi gratia, lapis significat rem talem, ad quam significãdam fuit impositum, ab hac proprietate quod læ dat pedem, non tamen tale nomen hanc significat proprietatem, sed rem illã, quæ substantia est: ita sit in hoc nomine substãtia, significat enim quandam essentiam & naturam, quæ per se est, id est, non in subiecto: non q nomen hoc talem significet proprietatem, sed illam naturam absolutè significat, licèt ab hac proprietate fuerit impositum: at quia de ista natura secundum se loqui nõ possumus, quia occulta est, per hanc proprietatem manifestamus per se esse, siue substare: & dicimus substantiam esse naturam, cui hoc ineſt, quod per se sit, id est non in subiecto.

Hæc autem potest dupliciter cõsiderari. Vno modo primeintentionaliter pro per se esse, vt substantia sit natura, quæ per se est, & tunc dicitur sumi prime intentionaliter. Altero modo, secunde intentionaliter: vt per se esse, seu substare, idem sit, quod esse subiectũ: & tunc substantia dicitur secundeintentionaliter: & vtroque modo adhuc dupliciter: primo, pro natura quacunque, quæ substat, tam simplici, quàm cõposita, altero modo, pro natura composita, quæ substat, vt hic sumitur apud Aristotelem.

Concl. 1. Diuisio prima substãtiæ est analogi in analogata.

His suppositis vnica conclusione: respondemus. Quòd omnes illæ sententiæ veræ sint, varia cõsideratione, tũ diuisi, tum membrorum diuidentium, sicut eas supra explicuimus, tamen ad mentẽ Arist. placet sententia Alberti: hic enim considerat substantia, id est, natura cõposita sub his proprietatibus, per se esse, quæ est prime intẽtionalis & subijci, quæ secundeintentionalis, hæc autem talis, substantiæ per prius ineſt primæ, quę per se maximè est, & maximè substat: per posterius autẽ secundæ substantiæ cõpetit: & ita erit diuisio analogi in analogata.

QVAESTIO II.

Quod sit genus generalissimum in prædicamento substantiæ, & an complectatur Angelos & Deum.

1. opin.

DVbitabis, quod sit genus generalissimum in hoc prædicamento? Qui existimant Angelos esse in hoc prædicamento, ponunt substantiam pro generalissimo complectentem corpoream naturam, & spiritualem.

2. opinio

Qui verò eos à prædicamento reijciunt, ponunt corpus, siue substantiam compositam: igitur aliqui putant saltem secundum sententiam Aristotelis intelligentias in prædicamento non poni: hic enim ex sententia Ammonij, Simplicij, Boetij, Porphirij, & aliquorũ aliorum, solùm tractat de substãtia composita sensibili.

Secundò. Præterea si essent in prædicamento, essent ex genere & differẽtia, cùm vel tanquàm prima substantia, vel tanquàm secunda essent collocandæ: at secundum sententiam Aristotelis, vt videtur, intelligentiæ simplices sunt, & actus puri. & Metaphys. text. 16. vnde docet Auerr. 2. cæli, comment. 49. quæ habent genus & differentiam, esse composita ex materia & forma.

Tertiò, Si essent in prædicamẽto, substarent accidentibus: at secundum Aristotelem, nulli substant accidenti, vt ait in Metaphysicis: ergo non sunt substãtiæ prædicamentales: & sic Auerro. 12. Metaphys. commenta. 25. distinguit substantiam: quædam enim habet accidens, vt sensibilis: quædam caret accidenti,

denti, vt intellectualis.

Quartò. Præterea, 12. Metaph. c. 5. assignans principia prædicamenti substantiæ, tanquam principia omniù aliorum, prædicamentorum, ea ponit, materiam formam, priuationem, à quibus intelligentiæ remotæ sunt.

Quintò. Aristo. 10. Metaphy. text. 26. ait: Corruptibile & incorruptibile differunt genere. Cùm ergo intelligétiæ sint incorruptibiles, videtur nullum genꝰ eis posse esse commune cum corruptibilibꝰ rebus.

Sextò. Eodem libro. 10. text: 12. Diuersa, ait, genera sunt, quæ differunt materia, nec habét mutuã transmutationem vel quorum alia prædicamenti figura.

Septimò. Arist. 9. Metaphysi. textu. 17. Aeterna, ait, carent potentia: sed genus est quid potentiale, ergo genus nõ est in æternis.

1. concl. Angeli in Categoria substãtiæ collocãtur.

At hæc sententia est falsa, & cõtraria, vera, nempe Angelos, seu intelligentias in prædicamento substantiæ collocari, & eos ex genere & differentia compositos esse, & accidentibus substare, præterquam gloriosum Deũ, qui nulli accidenti subiectus, totius compositionis est expers: vnde genus generalissimum erit, Substãtia complectens corporea, & incorporea.

Fund.

Hæc autem substantia, ne decipiaris, non est illa, quæ in primam & secundam diuiditur, sed est vnum genus inter secũdas substantias. Vnde Substantia dupliciter capitur. Vno modo, pro perfecta natura, quæ subsistit per se, & subiectũ est: & hæc diuiditur in primam & secundam: inter secundas est vna, quę est genus generalissimum, quæ etiam vocatur substãtia. Altero modo, pro natura perfecta per se, quæ est primum prædicabile, & principium eorum omnium, quæ tali linea continentur. Non dixi naturam cõpositam, sed perfectã, vt includerem intelligentias, quæ non sunt cõpositæ, saltem) compositione physica.

Probatio cõcl. 1. argu.

Quòd autem intelligentiæ, seu Angeli in prædicamento ponantur, asserunt prim. D. Thom. 1. parte, q. 50. art. 2. ad primum ponens eos compositos ex genere & differentia. Item Simplicius ad Calcé Anteprædicamentorum: Idem Simplicius ad initium prædicamenti substãtiæ, soluens argumentũ Plotini aduersus Aristotelem, quod fecerat in primo tractatu de Generibus entis, cap. 1. & 2. & idem Plotinus eandé tribuit sententiam Aristoteli, eisdem capitibus. Item Alexander, vt refert idem Simplicius, in expositione prædicamenti substantiæ. Item Themistius in initio. 3. Physic.

Et probatur his Aristotelis testimonijs & rationibus. prim. Aristot. in. 1. Physicorum, tex. 13. argumentatur cõtra Parmenidem, qui dicebat, dari vnum tantũ, ens immobile, & incorruptibile, & argumentantur hoc pacto: Si est vnum, ergo est in aliquo prædicamentorum: quoniã omne ens est in aliquo prædicamentorũ loquitur autem de ente incorruptibili. vbi vide Simplicium, Themistiũ, & Philoponum. 2. argu.

Idem Aristotel. 1. de anima ait, Quærentem quid sit anima, debere prius inquirere, in quo sit genere: includit autem rationalem, vt videre est in textu 7. & ita in. 2. de anima. textu. 3. cõcludit animam esse in prædicamento. Substantiæ, & tamen est incorruptibilis & spiritualis. Item si excluderentur intelligentiæ, maximè, quia incorruptibiles, propter illum textum Aristotelis, corruptibile & incorruptibile differunt genere. Sed hæc ratio nulla est, nam etiam quantitas secundum ipsos contrarium opinantes, Auerroem, & alios, est incorruptibilis, & tamé ponitur in prædicamento. Item cælum, astra, sol, luna, & dæmonia sunt in prædicamento substantiæ, vt ait Aristoteles in. 5. Metaphysic. textu. 15. & septimo Metaphysic. textu. 5. & octauo Metaphysic. textu. 1. & in his omnibus locis, vide Alexandrum. Item materia prima, vt videre est in secundo de anima. text. 2. & octauo Metaphysic. tex. 3. Item idem Aristoteles aliquoties diuidit substã- 3. argu. 4. argu.

stantiam in sensibilem & insensibilem, vt in duodecimo Metaphysico. textu. 5. agit autem de substantia prædicamentali, vt videre est in text. 2. de qua etiam dixerat in. 8. Metaphysi. tex. 1. esse in hoc prædicamento Substantiæ: quod paulò antea distinxerat ab alijs: esse, inquam, quasdam substantias concessas ab omnibus, & manifestas, quasdam non concessas: has autem non concessas, intelligit spirituales, immobiles, & incorruptibiles vt videre est in. 6. Metaphy. text. 2. & in. 7. Metaphysic. text. 5. & 6. Et in octauo Metaphysic. & alijs etiam locis. Tandem in 12. Metap. text. 5. ait, substantias esse tres vnam sensibilem corruptibilem: aliã sensibilem sempiternam: aliã immobilem: de qua disputat in toto postea libro. quę rens quid sit, num Mathematica entia, num formæ seu Ideæ, num intelligentiæ quas vltimas, reiectis aliis, concludit dari in tex. 41. quærens deinde earum numerum vsque ad textum 49. 5. argum.

Rationib. etiam sic probatur. Primò, quia hęc est essentialis prædicatio, orbis lunæ intelligentia est intelligentia, et intelligentia Martis, &c. ergo est prædicatio generis de specie, vel de indiuiduis: non est autem analogum nomen intelligentia, sicut ens, quia non conuenit ratio intelligentiæ, vt intelligentia vni prius intelligentiæ: & per illam primam, alijs. sicut ens, quod conuenit primo & simpliciter substantiæ, & alijs in ordine ad substantiam: ergo si est essentialis illa prædicatio, & superioris de inferiori, & non analogi, erit generis de specie, vel specici de indiuiduo: si ergo sunt sub genere, & specie: ergo sunt in prædicamẽto. Confirmatius fit, quia quotie seũq; aliqua multa participant aliquo vno sine dependentia vnius ab alio, non tollitur vniuocatio. sic est in Angelis, licet enim habeant ordinem nobilitatis non tamẽ causalitatis, quia nõ sunt inuicẽ causæ. 6. argum.

Secundò. Intelligentiæ possunt definiri definitione essentiali: ergo cõstant genere et differẽtia: atque ita esse in prædicaméto: vt definitio verbi gratia, erit vnius intelligentiæ, hæc est intelligẽtia talis, puta motrix infimi cæli, vel secundi, vel tertij: nã conueniunt in hoc, quòd sunt intelligentiæ: & præterea differunt essentialiter inter se, quia vna non est altera. neque vna æque perfecta essentialiter atque altera, vbi autem est conueniẽtia essentialis, & differentia essentialis, ibi est genus & differentia. 7. argum.

Tertiò. Ex operationibus colligimus, rerũ essentias, vt antea dictũ est ex Arist. sed vbi videmus operationes naturales, communes rebus, ibi colligimus substantiam communẽ, quæ est principium talium operationum, vt v. g. ex vegetatione colligimus in omnibus quæ vegetantur, substantiæ quoddã genus commune, scilicet viuẽs: ratione cuius, primò & per se illa operatio cõueniat. Et rursus, cùm naturales operationes rerũ proprias videmus, in quibus differunt: colligimus essentialẽ inter eos differentiã, quæ talis sit operationis causa principiũ et origo. Iã verò in intelligentijs deprehendimus naturales operationes cõmunes, videlicet intelligere, & mouere, & præterea differẽtes, videlicet tale intelligere, singularũ propriũ. nam haud dubiẽ etiã secundum Aristotelem vna melius altera intelligit, & mouet hunc, vel illum orbem ergo necessariò conuincitur istis respondere substantiam genericam essentialẽ, & differentias essentiales, vnde istæ operationes primò, & per se nascantur. Confirmatius idem fit, quia accidentia Angelorum sunt vniuoca formaliter accidẽtibus intellectus nostri: sunt enim intellectiones, volitiones, qualitates: ergo & substantia ipsorum erit vniuoca cũ substantia istorum inferiorum. 8. argum.

Quartò. Intelligentiæ habent aliquã potentiam, quia acceperunt esse à Deo, & inæquale esse, quibus vt ait Arist. lib. de cẽlo, cõmunicatũ est esse his clarius, illis obscurius. 9.

Quintò. Item non sunt omne ens, nec perfectissimum ens: ergo habent in sua essen- 10.

essentia entis negationem, & maiorem, & minorem, per quæ differunt etiam intrinsecè, & mouent motæ: imò hodie vno motu, cras alio, atque alio: sed quæ habent potentiam, & actum, non sunt omnino simplicissima: ergo sunt composita, saltem ex actu & potentia essentiali: sed quæ talia sunt, collocantur sub genere: ergo &c. sed quia hæc Logicæ captum transcendunt, ita sint satis. Nūc ad argumēta cōtrariæ opinionis respōdeamus.

Ad. 1. Ad primum, negamus Aristotelem solum tractare de substantia sensibili: imò definitiones tam primæ, quam secundæ substantiæ, & communia & propria substantiæ, conuenerunt suo gradu etiam intelligentijs.

Ad. 2. Ad secundum cū Aristoteles ait, esse actus puros, & simplices, intelligit respectu compositionis physicæ: quia sunt separatæ à materia, & sine compositione materiæ, & corporis denique omnis expertes: non autem excludit compositionem Metaphysicam ex genere & differētia: nec sequitur, sunt simplices & puri actus, ergo carent omni genere, & differentia: quia quamuis sint puri, tamen nō sunt purissimi, nec simplicissimi: sed alij sunt puriores alijs, & simpliciores: quod manifestè asserunt Aristoteles loco illo citato. lib. Cæli. cùm aiebat, alijs communicatum est esse, his clarius, illis obscurius.

Ad Auerrois dictum, dicimus esse falsum, si vt iacet, intelligatur: nisi velit dicere, quæ habet genus, & differentiam, esse composita ex aliquo, tanquam materia, & aliquo, tanquam forma, vel illa esse cōposita ex materia & forma metaphy.

Ad. 3. Ad tertium respondemus secundum, Aristotelem nō suscipere, accidētia corruptiua, sed benè perfectiua: vt cælum, lumen. Item manifestum est, non posse Aristotelem intelligere de omni accidēti, nam suscipiunt haud dubiè respectus varios ad se inuicem, & ad orbem, & ad motum, ac ad effectus suos, quos faciunt, vel in se, vt subordinatæ sunt causæ, vel in alijs: & secundum nos etiam mutātur: sed intelligit de accidentibus solum absolutis, vel de corruptmis.

Ad quartum respondemus, Aristote- Ad 4.
lem non ibi tradere principia intelligētiarum, nec locum ibi fuisse, vt de eis ageret, sed postea. in lib. 12. Egisse autem primo de substantiæ sensibilis principijs quia hæc apparet maximè substantia nobis: vt ipse ait. 1. de anima ca. 1. vt per sensibilem posset substantiam ex motu insensibilem inuestigare, vbi corpora magis substantiam vocat, quàm incorporea &. 7. Meta. ca. 2. dum ait corpora esse manifestissimè substantias, ac meritò de his primò egit, vt per sensibilē. &c. vide sensum Arist. ac de his hactenus.

Ad quintum variæ illius loci Aristote- Ad 5.
lis extant expositiones, quarum singulæ satisfaciunt argumento. Igitur primo respondeo cum diuo Thoma ibidem, intelligere Aristotelem genus physicū, id est, materiam, cùm, ait. Incorruptibile & corruptibile differunt genere atq; ita differūt genere, id est, materia. Secūdò Caietanus respondet primo capite, de analogia nominum, ac dicit differre genere physico, id est, secundum esse perfectius, non absolutè secundum rationē importatam à genere, id est, perfectius ibi esse genus, quam hic, non tamen nullum ibi esse genus. Tertiò illis verbis, corruptibile & incorruptibile differunt genere, vt videtur, hoc solum vult Aristoteles, ac si quis diceret, alterabile & inalterabile differunt genere Generabile & ingenerabile differunt genere. id est, cōtinēt sub se diuersorum prædicamentorum, & generū diuersorū, res: quia aliquæ res sunt incorruptibiles in substantia, in quantitate, in qualitate, ac similiter aliquæ corruptibiles in substantia, qualitate, &c. Quartò, tandem si quis rectè consideret, probabile admodum est, ibi Aristotelem, per genus intelligere speciem Hic enim erat eius scopus. Nam tex. 24. & 25. proximè præcedētibus, dixerat differentiam specificam fieri per contrarietatem

tatem. Deinde in hoc tex. 26. quærit. An corruptibile, & incorruptibile faciāt differentiam specificam: & dicit facere specificiem, quòd sint vel essentiæ, vel fluant ex essentia. Quare ait, Plato errabat, quia hominem corruptibilem eiusdē speciei ponebat cum Idæa, cùm differāt nō solùm specie, sed etiam genere, homo enim est sub animali, idææ verò sub incorruptibile: atque ita solùm hoc haberetur ex eo loco, specie differre, ex fine & scopo, ac progressu disputationis Aristotelis.

Ad 6. Ad sextum respondeo, non solùm vel le Aristot. illa esse diuersa genera, quæ nō habēt materiam communē, vel quę non habent transmutationem: alias homo, & equus differunt genere, quia non transmutantur: & alia, quæ habent materiam communem non differrent genere vt quantitas & qualitas, quod est falsum. & exemplum Aristotelis, de ijs, quæ differunt prædicamenti figura, non ideò allatum ab eo fuit, quasi nulla alia genere differrent: sed quia id erat manifestissimum: & ita id, exempli vnius solius causa allatum fuit.

Ad 7. Ad septimum respondeo. Carent potentia physica, & de ea ibi intelligit Aristoteles, non autem de potentia metaphysica, qualis est generis: nam hanc habent, vt ostendimus. Erit ergo genus generalissimum prædicamenti substantiæ, substantia finita, complectens corpoream & incorpoream, ita vt solus Deus benedictus simplicissimus excludatur nec contineatur in prædicamento. De quo tamen nunc pauca quoque breuiter dicamus.

QVAESTIO III.

An Deus sit in prædicamento

Deū non esse in prædicamēto.

DE intelligentijs seu Angelis vidimus esse in prædicamento de Deo verò, quamuis aliqui eum in prædicamento collocent, vt Gregorius de Arimino & alij, tamen dicendum est, non esse in prædicamento tam secundum veritatem, quàm secundū Aristotelē, & ita opinatur D. Thom. 1. part. q. 3. ar. 5. & 1. sententiarum distin. 8. q. 4. ar. 3 de potentia q. 6 art. 3. Item Albertus tractatu primo prædicamentorum cap. 7. & plerique alij.

Idq; his testimonijs, & rationibus breuiter probari potest. 1. Arist. 5 Metaphy. tex. 15. numerans acceptiones substātiæ non ponit Deum: & 3. Physicorum text. 3. cum distinxisset secundum Alexandrū & Themistium, duplex ens, vnum actu, vt est Deus, aliud actu & potentia, hoc diuisit in decem prædicamenta: & ratione facilè ostenditur: quia Deus est quid illimitatum, at omnis species est limitata per differentiam: ergo &c. Secundò. Ité, esse, est quidditatiuum Deo: ergo vel ipsum ens est genus Dei contra philosophum. 3 Metaph. tex. 10. vel nullū aliud, quia ens supereminet omnibus. Tertiò, Deus est purus actus, at quidquid est sub genere habet actum admistum potentiæ: ergo Deus non est sub genere. Quartò, Item quicquid est sub genere & specie est compositū ex genere & differentia, & ex perfectibili & perficiente: at Deus est simplicissimus & incompositus, nec potest perfici ab aliquo, nec habet aliquid perfectibile in sua essentia, esset enim quædam imperfectio in Deo, sed omnia quæ habet in se sunt inuitè perfectum mò verò sunt vna sola infinita & simplicissima perfectio: ergo nō est compositus ex genere & differentia: atque de his ista sufficiant, sunt enim altioris speculationis.

QVAESTIO IIII.

De diuisione, seu coordinatione eorum, quæ in prædicamento substantiæ continentur.

PRo cognitione harum substantiarum, solent aliquot tabellas assignare, quibus ea, quæ in hoc prædicamento ponuntur, clarius perspiciantur: id etiam singulis sit prædicamentis

camentis: quod etiam si Logico non cõueniat, cum talis rerum cognitio scientiarum sit aliarum: tamen vt ad alias scientias non prorsus ignarus accedat, & magis suorum cognitio rerum cognitione innotescat, velut exempla quædam, ea proponemus, non omnia particulariter exquisiteque indagantes, sed vniuersali quodam modo, reliqua proposito loco concedentes. Præmittamus ergo rerum distinctionem, postea tabellam ordinare, non erit difficile.

Diuisio rerũ prima.

Erit igitur prima diuisio, Substantiæ finitæ, quædam est corporea, quædam incorporea: hic diuiditur substantia perfecta, ad excludendas partes, & finita, ad excludendum gloriosum Deum, qui cũ infinitus sit, nullo continetur prædicamento: sed est supra omne ens: & totius entis principium. Substantia incorporea facit quoddam genus, quod dicitur spiritus: sub quo sunt innumeræ species angelorum excedentium numerum specierũ sensibilium, quorum natura in particulari occulta nobis est. Substantia corporea facit aliud genus, quod dicitur corpus, scilicet cõpositum ex materia & forma: sub quo omnia ista inferiora sensibilia continentur.

2. diuisio

Secunda diuisio, Corporum, quædam sunt animata, quædam inanimata: Corpus inanimatum facit vnum genus, sub quo omnia vitæ expertia continentur: vt elementa, lapides, liquores, & alia quæ dicemus. Corpus animatum constituit genus, quod dicitur viuens, sub quo sunt omnia, quæ habent animam, vt plantæ, animalia.

3. diuisio.

Tertia diuisio, Viuentium, quædam sensibilia, quædam insensibilia: viuens sensibile facit animal, viuens insensibile plantam constituit.

4. diuis.

Quarta diuisio, Plantarum, quædam est arbor, quædam frutex, quædam herba, radix: arbor, vt populus, alenus, pyrus: frutex, vt genista, myrthus, arundo, arbustum: herba, vt borrago, menta, thymus, radix, vt allium, carpe, rapa.

5. diuis.

Quinta diuisio, Animalium quoddam rationale, vt homo: quoddam irrationale, vt brutum. Sexta, Brutorum, quoddam aquatile, sub quo sunt varia piscium genera: volatile, sub quo varia auium genera, terrenum. Septima. Terrenorum, quoddam gressibile, vt equus, leo, quoddam reptibile, sub quo variæ serpentum species. Octaua. Corporis inanimati, quoddam simplex, quoddã mistum: simplex, quod ex pluribus corporibus non fit mistum, quod ex corporibus, scilicet elemẽtis fit. Nona. Simplicium, quædam incorruptibilia, vt omnes cæli, & planetæ: quædam corruptibilia, vt elementa, ignis, aqua, terra, aër. Decima mistorum, quoddam imperfectum, quod non ex omnibus elementis fit nec durabile est, vt nix glacies, venti fulgur, iris, nubes: quoddã perfectum, quod cõstans est. Vndecima, Perfecti mixti, quoddam lapis, gemma, pyropus, smaragdus: quoddam in metallum, vt argentum, aurum, plumbũ, quoddam est genus liquorum, vt aquæ stillatæ, gummi, sulphur.

6. diuis.

7. diuis.

8. diuis.

9. diuis.

10. diuis.

11. diuis.

Multæ sunt aliæ species, & genera sub his contenta, quæ persequi esset extra modum Logicæ limites excedere, propterea relinquuntur. Nec me præterit, aliquos credidisse, cælos esse animatos: aliquos metalla inter viuentia adscripsisse: aliquos animalium, & plantarũ medium assignasse, quæ græcè zoophyta, latinè ancipitis generis dicuntur, qualiũ meminit Simplicius: in præsenti tamen illa sint communiter dicta, reliqua examinare, non est loci præsentis.

QVAESTIO V.

De quibusdam aliis, quæ prioribus capitibus continentur, nunc recte ab Aristotele dicta sint.

POstquàm ea, quæ generaliter ad prædicamentũ hoc spectant, examinauimus: nempe de substantiæ diuisione, genere eius generalissimo, & eiusdem prædicamenti coordinatione, superest, vt quædam, quæ in ipso capite continentur, particularius

examinemus. Est autem primum argumẽtum. Quidam homo, quidam equus, prædicantur de multis, ergo non debuit Aristoteles hæc numerare inter primas substantias: antecedens est notum. Petrus enim est quidam homo: Paulus est quidam homo, & reliqui.

Argumẽta in cõtrarium. 1. argu.

1. funda.

Circa hoc argumentum est primò notandum, ista quinque partim esse idẽ, partim verò non: scilicet singulare, indiuiduum, prima substantia, suppositũ, persona, sunt quidem aliquo modo idem, quia omnia nomina sunt rei vnius nõ habentis sub se aliqua inferiora, differũt tamen, nam duo priora sunt communia accidentibus, & substantijs: accidẽtia enim dicuntur indiuidua, & singularia: pariter & substantiæ, dicuntur tamen indiuidua quatenus sub se inferiora non habent in quæ diuidantur, vt hæc albedo, hic homo, singularia autem respectu vniuersalis sub quo continentur. Illa tria posteriora in substantijs solis inueniuntur, quamuis persona non nisi in rationali natura. Prima substantia dicitur substantia singularis, vt accidentibus subsilat primo: dicitur suppositum, vt per se subsistit: dicitur persona, vt subsistit in natura aliqua intellectuali: non enim brutum dicitur persona, sed Petrus, Ioannes: quod enim in alijs substantijs dicitur suppositũ hoc in rationalibus, & intellectualibus dicitur persona.

2. funda.

Est secundò notãdum: sicut species addit genus addit differentiã, ita prima substãtia addit ad speciẽ existentiã: verbi gratia, homo supra animal habet in actu rationale: quidam verò homo super homines habet existentiam: nõ enim existunt nisi singularia: hoc autem vel illud singulare, scilicet Petrus, Ioannes superexistẽtiam addunt talia accidentia, & tales proprietates.

Respõsio ad argu.

Ex his Respon. ad argumentum, quod quidam homo prædicatur de multis, sed non tanquã de subiecto: vt enim de subiecto prædicetur, debet prædicare aliquam naturam, quæ sit de essentia inferiorum, at quidam homo non prædicat naturam de indiuiduis, sed ipsam eandem indeterminatè, sicut qui diceret, Petrus est Petrus Paulus, Paulus est Petrus vel Paulus: constat hoc complexum prædicatum non prædicare aliquã naturam superiorem, sed idẽ indeterminatè: ita se habet quidã homo ad ea, de quibus prædicatur, est tamen prima substantia, quia de nullo subiecto dicitur. De indiuiduo vago vide Caietanum cap. de specie, & Albertum, tract. 3. prædicab. cap 4. tu tamen obserua hęc, quę dicta sunt.

2. argu.

Est secundum argumentum. Differentia est de essentia speciei sicut genus, similiter de essentia indiuidui, ergo debuit computari inter secundas substantias.

1. funda. Quadrupliciter aliquid continetur in prædicamẽto.

Circa hoc diligenter aduerte, q. aliquid in aliquo prædicamento quadrupliciter continetur. Primò directè, scilicet illud, quod in recta linea est, vel vt prima substãtia, vel vt genus, vel vt species. Secundò indirectè, quod etiam si secundũ se in linea non constituatur, tamen assumitur cum aliquo, quod in linea ponitur quomodo differentiæ indirectè ad prædicamentum spectant: quia ad constitutionem specierum, quæ in recta linea sunt, assumuntur. Tertiò aliquid pertinet ad prædicamentum reductiuè, quod licet in linea non sit, nec cum his, quæ in linea sunt, assumatur, tamen est principium eorum, quę in linea sunt: vt materia & forma, quæ sunt principia speciei: partes integrantes, quę sunt principia indiuiduorum: similiter punctus principiũ linearum, quę pertinẽt ad quantitatem: & vnitas, quæ est principium numerorũ ista reductiuè sunt in prædicamento eius, cuius principia sunt. Quartò aliquid pertinet ad prædicamentum per accidens, quod cum non sit aliquid ex prædictis, est tamen aliqua via ad ipsa: quomodo generatio, & corruptio ad substantiam pertinent, quia via ad substantiam sunt: & alteratio ad qualitatem, & denique motus refertur ad prædicamentum eius, ad quod est motus seu mutatio, ex qui-

quibus patet, quo modo ad prædicamentum differentiæ pertineant, scilicet indirecte, seu ad latus lineæ directæ prædicamentalis.

1. dubiū. 1. opin. Sed adhuc manet dubium, quare in linea non sint. Simplicius proponit hanc difficultatem: sunt enim difficile intellectu apud antiquos, quæ esset natura differentiæ substantialis: quidam enim existimabant esse accidens inseparabile, quidam esse substantiam ipse Simplic. credit esse medium quoddam inter accidēs & substantiam: sicut quædā naturæ sunt media inter viuentia, scilicet plantas, & animalia, quæ dicuntur Zoophyta.

2 opin. Triplicē esse substantiā. At Boetius, & benè distinguit triplicem substantiam. Quædam, ait, est secūdum rem, sed non secundum modum, & hæ sunt differentiæ, quæ re vera substantiæ sunt, tamen modum prædicandi habent accidentalem: & aliqua ex parte officium habent accidentis, scilicet genus determinare, & modificare. Alia est substantia secundum modum, sed non secūdum rem: vt accidētia in abstracto sumpta, quæ cùm re accidentia sint, per se significant, & separata cōsiderantur. Quædam est substantia secundum rem & modum, & ista est in recta linea: ista doctrina est bona, sed ad hoc est dubium, quare

Solutio. non sit in recta linea. Propterea existimo esse dicendum, quòd differentia, vt differentia, duo habet, scilicet diuidere genus, & species constituere, vt speciei constitutiua est, cum ipsa specie iam assumitur: at vt diuisiua est, in recta linea esse non potest, quia cum ea, quæ in prædicamento sunt, sub genere per se continentur: differentia per se non habet genus, quia, vt diximus, genus in sua natura non includit differentias, per quas diuidi tur nec differentiæ claudunt essentialiter genus: vnum enim est extra essentiā alterius, propterea super se genus nō habentes, ad latera generis collocantur, tanquàm illius diuisiuæ, per quas genus in varias species descendit. Vide Albert. tract. 2. huius ca. 6. qui de hoc tractat.

2. dubiū. Dubitabis, qualiter differentia de altera prædicetur, scilicet cum dicitur rationale est animale. Dicunter ad hoc Respon.

Solutio. esse quidem prædicationem vē, non tamen essentialem, sed velut accidentalem: non enim rationale, vt rationale, in sua natura habet sensibile, cum nec habeat animal: sed conceditur propter identitatem subiecti, & rei, scilicet quod est rationale, est sensibile, idem in alijs huiusmodi. Scio Albertum existimasse, illas esse prædicationes quidditatiuas: alios essentiales mediatas: sed hoc mihi magis placet: quamuis illud non careat magna probabilitate.

3 argu. Est tertium argumentum. Videtur enim expresse contradicere sibi Aristoteles, hic enim fatetur individuum maxime substantiam: & speciem magis substātiam, quàm genus, at. 8. Met. c. 1. tex. 2. magis, ait, substātia genus, quam species est & vniuersale, quam singulare.

Fundamentum & resp. ad argum. Circa hoc aduerte, quòd quadrupliciter apud Arist. inuenitur aliquid magis substantiam dici. Primo, perfectior, & nobilior substantia dicitur magis substātia, quo pacto 2. Meta. c. 1. Intelligentiæ censent maximè entia, cum sint aliorum omnium principa. Secundò magis substātia dicitur notior nobis substātia: quo pacto 2. de Anima. cap. 1. corpora magis substantiam vocat, quàm incorporea, & 3. Metaphy. cap. 5. elementa vocat maxime substantiam: quod explicat in 7 Metaphy. capit. 2. dum dicit corpora esse manifestissime substantias. Tertiò dicitur magis substantia ab hac proprietate, quę est subitare, vt illa sit magis substantia, quæ pluribus subijcitur: & sic loquitur in præsenti, & 7. Metaphy. cap. 3. Quartò magis substantia dicitur illa, quæ in sua natura habet intensionē, secundum quā inuenitur maior, quàm erat. Pro declaratione aduerte: calorem, qui est in manu, dupliciter posse crescere: vno modo, si intendatur, & dilatet per brachium, & totū corpus: & tunc dicitur extensiuè maior, quàm erat: altero modo, si in eadem manu fortior fiat, & augmentum sumat: & tunc dicitur maior intensiuè, & hoc propriè dicitur suscipere magis & minus: ita possumus intelligere de substantia, scilicet homine: potest augeri, secundū quantitatē, & sic crescit, & dilatatur, & fit homo maior: altero modo, quòd natura humana in seipsa sumat augmentum: vt modo dicatur magis homo, quam erat: & hoc est suscipere magis intensiuè, quod impossibile est substātiæ: & sic sumitur in posteriori parte capitis, quādo dicitur quod substātia nō suscipit magis & minus. Per hæc possunt solui aliqua, quæ videbantur in locis Arist. contra dictionē & obscuritatem adducere.

Dubiū. Species perfectior est substātia ipso genere & individuo. Posset quis dubitare. Vtra est magis substātia, id est, perfectior, species, an genus? Resp. Natura specifica perfectior est natura generica: ratio huius est, id enim est perfectius, quod plus habere actus & entitatis: at natura specifica est magis in actu, cū includat differentiā, quæ est extra naturā generis. Sed vtra natura perfectior, species, an individuū? dico perfectior est natura specifica, est enim tota natura individuorum: nec addunt substantiam, vel essentiam, individua supra speciē, sed existentiam, vel subsistentiā, vt diximus, & accidentia. Præterea, quia perfectius est, quod secundum se est, quā quod per participationem est: at individua participant naturā specificam, ergo ipsa secūdum se est perfectior. Præterea quia hæc est incorruptibilis. Sed vt raper fectio substantia, compositum, an sua forma? Alex. 7. meta. com. 15 & Simpl. 1. Physi. com. 70. meritò credunt compositum, cū totum sit, esse perfectius forma, quæ pars est. Et sufficiat hæc responsio modò, nam omnes hæ tres quæstiones sunt Metaphysicæ.

QVAESTIO VI.

De quibusdam aliis circa posteriorem partem capitis scilicet de proprietatibus & communitatibus substantiæ.

1. funda. Circa has sex substantiæ proprietates, est aduertēdum primo nō omnes æqualiter se habere ad substantiam ipsam: tres enim illarum, scilicet prima, nō esse in subiecto: quarta non habere contrariū: & quinta non suscipere magis, vel minus, conueniunt omni substantiæ, sed non solis: nā prima differentijs: quarta verò & quinta, etiam quantitati insunt: illarum aūt tertia, scilicet hoc aliquid significare: & sexta, susceptiuam esse contrariorum, solis insunt, sed non omnibus substantijs, sed tantùm primis: quamuis si illa tertia sit, videri significare hoc aliquid omnibus etiam inesse: at secunda, scilicet vniuocè de primis prædicari, nec omnibus, nec solis conuenit, cùm primus non insint, competatque differentijs.

2. funda. Est secundò aduertendum, quod secūda & tertia, nō rebus absolutè, sed vocibus vel conceptibus, vt rerum sunt significatiua conueniunt: non enim res in se prædicantur, nisi per intellectum conceptæ, & verbo expressę: nec significare hoc aliquid vel quale, rerū est, sed vocum illarum significatiuarum, & conceptuū: aliæ verò quatuor rebus ipsis absolutè insunt, quarum tres primæ sunt negatiuæ, scilicet non esse in subiecto, non habere contrarium, non suscipere magis: vltima verò est affirmatiua, scilicet suscipere contraria.

Argu in cōtrariū. Ex his suppositis se offert primum argumentum: Nulla ferè ex his proprietatibus est absolutè propria, ergo frustra ab Aristotele traduntur. Secundò cōtra tertiam. Si secundæ substantiæ quale quid significant, ergo in quale prædicantur, non ergo erunt genera, aut species, quæ prædicantur in quid. Tertiò differentię diuidentes genera, rē ipsa substantia sunt, quando genera sunt substantiæ: sed differentiæ omnes sunt contrariæ, ergo substantiæ aliquid est contrarium. Quartò mulęę sunt substantiæ, quę nō suscipiunt cōtraria, ergo id nō est maximè proprium substantiæ. Probatur antecedens, ignis

enim est calidus, & nullo modo potest suscipere contrariã frigiditatẽ: similiter cygnus albus non mutatur secundum nigredinem: & cæli denique non suscipiunt contraria, quia sunt impossibiles.

Ad.1. Ad primum breuiter respon. descriptiones nõ solùm ex propriis simplicib. colligi, sed ex pluribus communibus ad propriatis, quorum singula quamuis per se alijs insint, simul tamen iuncta soli illi rei. Dicitur etiam secũdò, multa ex his esse propria quarto modo, si in genere fiat sermo ad hunc modum, substantiæ conuenit, vt & ipsa, & ipsius differẽtię in subiecto nõ sint: substantiæ conuenit, vt ipsius genera, species & differentiæ de prima vniuocè prædicentur, similiter substantiæ inest: videri significare hoc aliquid, & vt ipsius individua contrariorum sint susceptiua.

Ad.2. Ad secundum respon. aliud esse significare quale quid, aliud, prædicari in quale quid. Alb. tract. 2. c. 8. existimat significare quale quid esse significare quandã naturam, quæ componitur ex eo, quod se habet, vt quid, & ex eo, quod se habet, vt quale, scilicet ex genere, & differentia: sed mihi hoc non placet, nã hoc pacto generalissimum non posset significare quale quid, cũ naturam quandã simplicem, non cõpositã ex genere, & differentia significet: propterea dicendum, q. significare quale quid, est significare quãdam substantiam, quæ in se nõ est, sed in alijs: ita tamen est in alijs, vt sit de eorũ substantia: sed quia naturã, quæ in alijs existit, significat, degenerat à perfecta ratione substantiæ, quæ per se existit: at quia in alijs est, non vt in subiecto, distat à natura accidentis: propterea talis natura dicitur, quale quid, & nomen eius dicitur significare quale quid, at prædicari in quale quid, est, tale esse prædicatũ per quod respondeamus ad quæstionem factam per quale illius, de quo prædicatur & talis est differentia, non autem genus, aut species. Dices, quare differẽtia est huiusmodi? Dico, quia differẽtia habet munus accidentis, scilicet determinare aliquod extrinsecum: ita differentia extrinsecè quodammodo genus contrahit quia est extra naturam generis ei aduenies.

Dubitatur, quid est, vt ait, quòd nomina secundarum substantiarum videantur hoc aliquid significare? Resp. aliqui, quia per ea aliquãdo de suppositis loquimur, dicẽtes, homo venit, animal currit. Sed non placet hoc, quia ex Arist. 1. Top. cap. 6. habemus, quod non solũ per substantiã id fit, sed per accidentia: dicimus enim, voca sedentem, musicus venit, dicẽdum ergo est, vt supra, videntur enim significare hoc aliquid figura appellationis, id est, modo significandi ipsarum vocum, quæ absolutè sunt: vt enim absoluta nomina primarum substantiarum significant, etiam & nomina secundarum. Dubit.

Ad tertium facilè Respon. q. aliquando contrarietas sumitur largè, vt patet ex. 10. Meta. c. 6. & 7. pro quatuorq; oppositione, & diuersitate sub eodem genere, & sic differentiæ sunt contrariæ, & formæ, & priuationes: altero modo propriè cõtrarietas pro ea, de qua superius locuti sumus, & sic in præsenti differentiæ, sicut nec substantia, habent contrarium. Ad.3.

Ad quartum Respon. Aristotelẽ non dixisse vnam numero substantiam esse susceptiuam omnium contrariorum, sed tantũ contrariorum. Vnde dico, licet cygnus non recipiat nigredinem, recipit tamen alia contraria, frigiditatẽ scilicet & calorẽ: similiter ignis licet nõ recipiat frigiditatem recipit motus contrarios, sursum naturaliter, & violẽter deorsum: idem dicendum de cælis: non recipiunt illa quidem contraria corruptibilia, tamen recipiunt motus contrarios, secundum partes, quibus modo ad ortum, modo ad occasum mouentur, modo delationes, modo accessiones habent, & alios passiones huiusmodi. Ad.4.

Sed posset esse dubium de sacratissimo altaris sacramento, vbi nõ est panis, sed corpus Christi & hostia potest calefieri, & frigefieri, vbi calor & frigiditas nõ in corpore Christi, sed in quantitate, quę erat panis, recipiuntur: ecce ergo quo modo quãtitas, quæ est accidẽs, susceptibilis est contrariorum. Dico id non esse nisi substantiæ propriũ: quod si illa quantitas hoc habet, id ei euenit, vt locũ substãtiæ tenet, quod fit maximo miraculo, & potentia Dei infinita: nos modo id, q. naturaliter est, consideramus: præsertim secundum Aristotelem qui nec id cognouit. Dubiũ.

De quantitate.

Cap. VI.

TEXT. 5 QVantitatum autem aliud quidem est discretum, aliud autem continuum: & aliud quidem ex habentibus positionem ad se inuicem in ipsis partibus constat: aliud autem ex non habẽtibus positionem. Est autem discretũ quidem, vt numerus, & oratio: continuum verò, vt linea, superficies, corpus: amplius autem præter hæc locus, & tempus.

6 Partium etenim numeri nullus est communis terminus, ad quem copulantur partes eius, vt quinque, si sunt denarij partes, ad nullum terminum communem copulantur quinque & quinque, sed semper discreta sunt: & tria, & septem ad nullum communẽ terminum copulantur, neque omninò habeas in numero communem terminum, partium accipere, sed semper discretæ sunt: quapropter numerus quidem discretorum est. Similiter autem & oratio: quod etenim quantum est oratio, manifestũ est mẽsuratur. n. syllaba breui, & longa: dico autem cum voce orationem factam: ad nullum enim communem terminum partitiuæ eius copulantur: non enim est communis terminus, ad quem syllabæ copulentur: sed vnaquæque diuisa est, ipsa secundum seipsam.

7 Linea verò continua est: est enim

4 Amplius autem, alia quidem constant ex partibus, quæ in eis sunt, positionem habentibus ad se inuicem: alia autem ex non habentibus positionem, vt lineæ quidem partes positionem habent ad se inuicem, singulæ nanque earum sitæ sunt alicubi: & habeas, vnde distinctè sumas, & assignes, vbi singulæ sitæ sint in plano, & ad quam partem reliquarum copulantur. Similiter autem & partes plani positionem habent aliquam: similiter namque assignaretur vnaquæq; vbi iacet: & quæ copulantur ad se inuicem, sed & solidi partes similiter, & loci. In numero autem non poterit quisquam ostendere, quemadmodum partes eius positionem aliquam habent ad se inuicem, aut vbi iacent, aut quæ partes ad se inuicem connectuntur. Neque ex, quæ temporis sunt, nihil enim permanent partes temporis: quod autem non est permanens, quomodo positionem aliquam habebit? Sed magis ordinem quendam dices habere: cò, quòd aliud quidem prius sit temporis, aliud

Universidad de Deusto
Biblioteca

verò posterius. Sed & in numero similiter, eò quòd prius numeratur vno, quàm duo, & duo, quàm tria, & sic habebunt aliquem ordinem: positionē verò non omninò accipies. Sed & oratio similiter, nulla enim remanet partium, sed dictum est, simul & non est hoc amplius assumere: qua propter non erit nulla positio partium eius si quidem permanet. Igitur alia ex habentibus positionē partibus constāt: alia ex non habentibus positionem.

5. Propriè autē quanta hæc dicuntur sola, quæ dicta sunt: alia verò omnia secundū accidens, ad hæc enim aspicientes & alia dicimus quanta, vt multū dicitur album, eò quod superficies multa sit, & actio longa, eo quòd tempus multū sit, & motus multus. Neque enim horum singulum per se quantum dicitur: vt si quis assignet quanta actio est, tempore definet annū, vel sic aliquo modo assignans: & albū quantū quid sit assignans, superficie definiet: quanta enim fuerit superficies, tantū albū esse diceret, quare sola propriè secundum se ipsa dicerentur quanta quæ dicta sunt: aliorum verò nihil per se, sed si fortè per accidens.

6. Amplius, quanto nihil est contrariū. In definitis enim manifestum est quod nihil est contrarium vt bicubito vel tricubito, vel superficiei, vel alicui talium, nihil enim illis est contrarium. Nisi quis fortè dicat multū pauco esse contrarium, vel magnum paruo. Horum autem nihil est quantum, sed magis eorum, quæ sunt ad aliquid, nihil enim ipsum per se ipsum magnum vel paruum dicitur: sed eo quod alterum refertur: vt mons quidē paruus dicitur, milium verò magnū: quod hoc ijs, quæ sunt sui generis maius sit, illud verò ijs quæ sui sunt generis, minus: ergo ad alterum est eorum relatio. Nam si per seipsum magnum vel paruum diceretur, nunquàm mons quidem aliquando paruus, milium verò magnum diceretur. Rursus in vico quidem plures homines esse dicemus Athenis verò paucos, cùm sint illis multo plures & in domo quidem multos, in theatro verò paucos, cùm sint plures. Amplius, bicubitum quidem & tricubitum; & vnumquodque talium, quantum significat magnum verò vel paruum non significat quantum, sed magis ad aliquid: quoniam ad alterū consideratur & magnum & paruum, quare manifestum est, quod ipsa sunt eorum quæ ad aliquid.

Amplius, siue aliquis ponat quanta esse hæc siue non ponat, nihil est in illis contrarium: quod enim non potest fieri per se ipsum, sed ad alterum refertur, quomodo huic aliquid erit contrarium? Amplius autem, si sunt magnum & paruum contraria, cōtinget idē simul contraria suscipere, & ea ipsa sibimet esse contraria: contingit enim ad hoc simul idē paruum esse & magnum, est enim quidem paruū, ad aliud verò id ipsum magnū, quare idē & paruum & magnum eodem tempore esse continget: quare simul contraria suscipere. Sed nihil est quod videatur simul contraria suscipere posse, vt in subſtantia quidem: susceptibilia enim contrariorum esse videtur: sed nullus simul sanus est & æger, neque albus & niger, neque aliud simul contraria suscipiet. Et eadem si bijpsis contingit esse contraria: nam si est magnum paruo contrariū, ipsum autem idem simul est magnū & paruum: ipsum sibi erit contrarium: sed impossibile est aliquid sibijpsi esse cōtrarium: non est igitur magnum paruo contrarium, neque multum pauco. Quare nisi & eorum quæ ad aliquid hæc quid dicat, sed quanti, nihil contrarium habebunt.

8. Maximè autem circa locum esse videtur contrarietas quanti, sursum enim ei quod est deorsum contrarium ponunt: locum qui in medio est deorsum

deorsum dicentes, eo quòd plurima distantia est medij ad mundi terminos. Videntur autem & aliorum contrariorum ab his afferre definitiones: quæ etiam plurimum à se inuicem distant, eorum quæ sunt sub eodem genere, contraria esse definiunt.

9. Non videtur autem quantum suscipere magis & minus: vt bicubitū, neque enim alterum altero magis bicubitū: neque in numero: vt tria quàm quinque nihil magis quinque aut tria dicuntur, neque quinque, quàm tria, nec tempus alterum altero magis tempus dicitur, nec in nullo eorum, quæ dicta sunt omninò, magis & minus dicitur. Quare quantum non suscipit magis & minus. Proprium autem maximè quāti est, quòd æquale & inæquale dicitur, vnumquodque enim eorum quæ dicta sunt quantorum, æquale & inæquale dicitur: vt corpus, æquale & inæquale dicitur, & numerus & tempus, æquale & inæquale dicitur, similiter autem & in alijs, quæ dicta sunt, vnūquodque æquale & inæquale dicitur. In cæteris verò quæcunque quāta oō sunt, non prorsus videbitur æquale & inæquale dici. vt dispositio æqualis & inæqualis non omninò dicitur, sed magis similis & dissimilis, & albus æquale & inæquale non omninò dicitur, sed simile vel dissimile. Quare quanti maximè sit proprium, æquale & inæquale dici.

Cur post substantiam de quantitate prius egerit, quàm de qualitate.

POsset quis non immerito dubitare, cur post substantiam statim de quantitate, postposita qualitate, dixerit: cū Architas, qui primus fertur prædicamentorum author, statim post substantiam qualitatem tulerit aggressus, vt refert Simplicius. Imò videtur ratio illi fauere: primò, quia substantiæ incorporeæ, quæ præcipuæ substantiæ sunt, per qualitates potius, quàm per quantitatem innotescant. Secundo, quia cùm duplex sit in composito substantia, materia nempe & forma, nobilior multo est hæc, vt docet Arist. 1. Physic. c. 9. at forma est causa qualitatis, sicut quantitas à materia habetur. Ergo vt dignior præponenda erat qualitas. Certiō, quia qualitas magis videtur conuenire cū spiritualibus, quam quantitas, cùm qualitas secundum se sit indiuisibilis, non enim dividitur per se qualitas, nisi per accidens ad subiecti diuisionem.

Aristoteles verò his non obstantibus, optimis rationibus quantitatem reliquis omnibus anteposuit: cuius multiplex potest assignari causa. Primò cùm Aristonicus, quia in prædicamento substantiæ in duabus proprietatibus pateat ratio quantitatem substantiæ, sunt ergo æquum, vt ipsius cognitionem non differret. Secundò, quia, inquit, dum erat substantiam in primam, & secundam: at primum, & secundum ad numerum spectant, qui quantitas est. Sed hæc non est admodum valida ratio. Tertia ipsius est, quia prior est materia quàm forma: at quantitas sequitur materiam, qualitas verò formam, ergo prior est quantitas. Boet. his adijcit etiam alias tres causas. Primò nam rem immediatius sequitur quantitas, statim enim vt res est, vna est atq; vnum ad quantitatem refertur. Præterea secundo, supposito Aristotele solam substantiam cō ponam in prædicamēto collocasse, ita vt secundum ipsum vt quidem volunt, corpus esset generalissimum genus, hunc sic Boetius. Prima passio, & proprietas, quæ à substantia composita, scilicet corpore fluat, vt corpus est, est quantitas, hæc ergo anteponenda fuit. Architas autem supponebat res incorporeas esse in prædicamēto: & sic superiores rationes procedebāt ad verō Aristoteles, non recipit: tamen hæc ratio non conuincit simpliciter, nisi secundum illorum opinionem: nam vt antea diximus, etiam secundum Arist. sententiam, incorporeæ substantiæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt in prædicamento. Tertio, inquit Boet. quia magnam habet quantitas cũ substantia similitudinem, cùm nec habeat contrariũ, nec recipiat magis, imò addere ta, quòd est aliquo modo recepti-
ua contrarietatũ, cũ per ipsam, vt per medium quod dam reliqua accidentia substantiæ in hæreantur. non enim esset corpus album, nigrum, calidum, moueretur, & reliqua, nisi haberet quantitatem. Simplicius addit aliam rationẽ, scilicet quia est adeò quantitas substantiæ coniuncta, vt mutatione facta in quãtitate, fiat etiam mutatio in substantia: non enim augmentatio fit, nisi addita aliqua de nouo substantia.

Quæ sit autem aliud est discretum, &c.

1. CAput hoc duas partes continet: in priori sunt tres diuisiones quantitatis, in posteriori, tres ipsius proprietates: prima diuisio virtualiter continetur in principio, formaliter verò in medio capitis. Dupliciter enim aliquid, per se, & per accidens quantũ per accidens vocatur id, quod quantitate participat, quantũ per se, est ipsamet quantitas. Secunda diuisio. Quãti per se, alterũ est continuũ, alterũ discretum: quanti cõtinui quinque sunt species, linea, superficies, corpus, tẽpus, locus: linea vocatur longitudo sola corporis, prætermissa latitudine, & profunditate, cuius lineæ extrema dicuntur puncta: superficies est latitudo extrema alicuius corporis: corpus verò dicitur profunditas ipsius substantiæ: horum cognitio pãtet ex Geometria. discreta verò quantitas numerus, & oratio sunt.

Partium etenim numerinullus, &c. communis terminus, &c.

2. HIC Arist. probat numerũ & orationem ad discretum genus pertinere, probat, & numerũ & discreta quantitas. possumus autẽ ex istis probationibus sumere horum definitiones. Continua quantitas est, cuius partes vnico cõmuni termino copulantur. vocat autem terminũ partium communem, id quod singularum partẽ terminat, vt vnum idemque etiã alterã partẽ terminet: vnde neutrius partis est proprius terminus, verbi gratia, duæ medietates lineæ continuantur vnico puncto medio, quod punctũ & vnius, & alterius partis extremũ est: per hoc patet, quid sit, non habere partes copulatas termino communi.

Hoc supposito, probat de numero esse quantitatem discretam. Partes numeri non coniunguntur aliquo communi termino, ergo numerus est de genere discretorũ. probatur antecedens, nã quinque, & quinque, quæ sunt partes denarij, nullo termino communi continuantur: eum omnes vnitates separatæ sint inter se.

Probat secundò, de oratione, & explicat se nõ loqui de quacunque oratione, nam ea, quæ in mente est, non est quantitas sed de ea solum, quæ est in voce, loquitur: probatque duo, & quòd sit quantitas, & quod sit discreta, primò quòd sit quantitas quod non probauit de numero, quia id erat per se notum, in oratione autem id obscurum est: probat autẽ sic. Orationi insunt passiones quantitatis, scilicet quòd sit longa, & quòd sit brevis, ergo etiam ipsa est ratio quantitatis. Probat secundò, quòd sit discreta: partes enim eius, scilicet syllabæ, sicut vnitates in numero nullo communi termino copulantur.

Linea verò continuum est, est enim sumere, &c.

3. PRobat modo de quantitatibus continuis, non autem probat, quòd quantitates sint, quia id patet, sed q̃ continuæ sint. Primo de linea, partes enim lineæ communi termino copulantur, scilicet puncto: partes etiam superficiei lineæ, sicut partes corporis superficies iunguntur. Similiter de tempore, præteritum enim & futurum, quæ partes sunt temporis, præsenti copulantur. De loco probat sic, locati partes copulantur aliquo termino, ergo etiam ipsius loci partes: singulæ enim loci partes correspondẽt locati partibus: vt ergo est pars in locato, seu terminus continuans eius partes: ita correspõdet terminus in loco coniungens partes loci. vocat autem Aristoteles terminum loci & locati eundem, non quod idẽ sit numero, sed proportione, id est, per correspondentiam: vt sicut pars loci correspondet parti locati, ita similiter terminus communis partium loci correspondet & opponitur termino communi partium locati.

Amplius autem alia quidem constant ex partibus, &c.

4. Positio quid sit. HIc ponitur alia diuisio quantitatis quædam constat ex partibus habentibus positionem, quædam ex partibus non habentibus positionem. Pro cuius declaratione aduerte, quòd positio est habitudo corporis ad locum, in quo est: secundũ quã dicitur esse in loco, quod est habere positionẽ: non enim aliud est habere positionem, quàm in loco esse: habere autem partes positionem habẽtes, est habere partes in loco: non autem sic sumitur in præsenti, vt existimauit Ammonius, affirmans numerum habere partes positionem habentes, quia partes numeri, quæ corporum vnitates sunt, in loco sint: at sine dubio non benè consideranit, cum Aristoteles expresse asserat numerum carere partibus positionem habentibus.

Propterea notandum est, aliud esse habere partes positionem habentes, aliud habere partes positionum habentes inter se. illud enim est, vt dixi, habere partes loco inexistentes, & de hoc nihil modo curat Aristoteles: at habere partes positionem inter se habentes, est tales habere partes, vt vna sit velut alterius locus, & vna sit in altera, quomodo dicimus digitum esse in manu, & manum in brachio: & non solum hoc, sed q̃ possimus designare hanc in illa, & illã in illa, & q̃ hæc est ante, illa retro, illa sursum, & hæc deorsum: huius positionis hic meminit Aristoteles, à qua longè distãt partes numeri, vt dicemus.

Nota. Tria necessaria.

Vt autem partes quantitatis alicuius hanc habeant positionem, tria sunt necessaria. Primò, q̃ sint in aliquo continuo, id est, in subiecto: & hoc vocat alicui sunt vbi esse, non quòd sit in loco, vt credidit partes in Porphyrium in suis interrogationibus nã ter se habẽt eo modo locus non haberet positionẽ, beãt positionẽ. cum locus non sit in loco: sed quòd illæ partes sint in subiecto aliquo, vt dicit Albert. tractat. 8. cap. 6. Et secundò q̃ sit continuum tale subiectum. Tertiò quòd partes sint permanentes. Tria ergo partes hæ debent habere, existentiam in subiecto, continuationem, & permanentiam.

Defectu continuationis, numerus caret partibus habentibus positionem, nõ enim dices, hæc pars numeri est ante, illa retrò, hæc vnitas est in illa: defectu permanentiæ, tempus non habet partes huiusmodi: defectu vtriusque oratio, quæ est discreta, & successiua. Nota.

Sunt ergo quatuor quantitates positionem habentes, linea, superficies, corpus, locus: tres, non habentes: tempus, numerus, & oratio: dicit tamen Aristoteles in his tribus inuenirì quidem ordinem secundum quem vna pars præcedit alterã, præcedit enim tempus tempus, & numerus numerum, & syllaba syllabam: sed nulla est partium positio.

Proprie autem quanta dicuntur, quæ dicta sunt, &c.

5. HAec est illa diuisio, quã Aristoteles superius insinuauit, quantum quod dã per se, quoddã per accidẽs per se quãtum sunt ipsæ species quãtitatis enumeratæ: quantum per accidens est id, quod non quãtum à se est, sed quia quantitatẽ participat, vt actio, quæ dicitur longa à tempore, quo fit, & motus longus, à loco. Hæc sunt quanta per accidens. Sed dubitare posset aliquis, quare hæc sit diuisio quanti, cùm in nullo prædicamento alio huiusmodi fiat diuisio: hoc posterius in disputatione elucidabimus.

Quanto nihil est contrarium, &c.

6. POsterior capitis pars est ista, in qua tria accidẽtia quãtitatis explicãtur: primũ est, Quãtitas non habet contra-

rium, cuius meminerat etiam in prædicamento substantiæ: sed modò obijcit idem, quod illic obiecit, magnum enim & parvum, multa & pauca ad quantitatem spectant: tamen vnum alteri contrarium videtur.

Ad hoc respondet Aristoteles dupliciter. Primò, illa non esse de genere quantitatis, sed alterius prædicamenti, quod dicitur ad aliud: probat hoc dupliciter. Primò. Omne quantum, in seipso, quantum est: at magnum & parvum, multa, & pauca non in se, sed ad aliud dicuntur, ergo non sunt quantitates: maiorem non exprimit, sed minorem cum conclusione minore explicat exemplo, & probat. Primò, nam milium non dicitur magnum nisi comparatum ad alia grana eiusdem speciei: & mons dicitur parvus relatus ad alios montes maiores. Idem de multis, & paucis dicit. Probat autem minorem: si enim magnum & parvum absolutè dicerentur, & non relatione ad aliud, nunquam mons esset parvus, nec milium magnum dicere contingeret.

Secunda ratio est sumpta à significatione vocabuli, vt dicit Simplicius, magnum enim, parvum, & reliqua similia nõ quantitatem, sed excessum potius quantitatis ad aliud significant, ergo ea non sunt quantitates: loquitur autem de magno, & parvo, quæ ad quantitatem cõtinuam spectare videntur: de multis verò & paucis, quæ ad discretam.

2. *Sive aliquis ponat quantitatem esse hæc, &c.*

POsterior responsio est. Quibuis admitteretur illa esse quantitates: nullo tamen modo admittendum est cõtraria esse: hoc probat triplici ratione. Prima, nam contraria sunt naturæ absolutæ, & per se, at magnum, & parvum, & reliqua huiusmodi nõ sunt ad se, sed ad aliud: ergo non sunt contraria. Secũda, cõtraria nõ sunt simul: hoc enim repugnat, substantia enim est quidem contrariorum susceptiua, sed non simul: nõ enim quis simul est sanus, & æger, aut ista simul sunt: idé enim est magnum, & parvum: ergo non sunt contraria. Loquitur autem hic de contrarietate propriè dicta, vt superius diximus. Tertia si magnum, & parvum contraria dicerentur, vnum, & idem sibi ipsi contrarium esset, cùm sit idem magnum & parvum: ad id omninò impossibile est, ergo contraria propriè non sint.

Maximè autem circa locum videtur esse contrarietas, &c.

2. OBijcit 2. Aristoteles adhuc circa idem. Locus est vna ex speciebus quantitatis & contrarium habet: omnes enim locũ loco contrarium ponunt, scilicet locũ deorsum, qui est in medio, id est centro mundi, contrariari loco sursum: qui est in cœli cõcauitate: enim loca maximè distant, imò in definitione contrariorum dicitur contraria maximè distare, & talis distantia est per proportionẽ dicta, à distantia locorum, ergo loca sunt contraria. Ad hoc nihil respondet, non quia approbet loco esse contrarium: non enim dicit, locus habet, sed videtur habere, vt notat Simplicius, sed forsan, quia non erat locus illud elucidandi, cũ quid locus sit, non esset compertum.

Quantitas aliqua duobus modis consideratur. Possumus tamen respondere. Dupliciter aliqua quantitas cõsiderari, vt dicit Simpl. Primò vt quædã quantitas est, & in ratione quantitatis. Alterò modo, vt adiuncta, & cõmixta est cũ qualitate, vel alia ratione alterius generis: verbi gratia, linea vel linea est, vel vt curua, aut recta est: hæ enim sunt qualitates, scilicet rectitudo, & curuitas. Similiter superficies, vt superficies est, vel vt aspera, leuis de est, quæ qualitas sunt. Similiter tẽpus, vt tẽpus est, vel vt importat lumen, aut tenebras: secundũ quæ dicuntur dies & nox, tunc respondetur, quantitati in ratione quantitatis nihil est contrariũ: at ratione qualitatis adiunctæ contrarium habet, vt in exemplis patet.

Per hoc similiter respondetur de loco: locus enim potest cõsiderari in ratione quantitatis, & tunc non est aliud, quàm superficies cõtinens aliquod corpus, cui nullum est contrarium, altero modo, vt dicit certum situm, & certam distantiam à centro, & partibus mundi, & sic dicitur vbi, quod est aliud prædicamentum, & tunc patitur contrarium, vt probat argumentum, non tamen vt ad quantitatem spectat.

9. *Non videtur autem quantitas suscipere magis, &c.*

Constituitur secunda proprietas quãtitatis, quæ est, non suscipere magis, vel minus: hæc enim maximè cõiuncta sunt, habere contrarium, & suscipere magis vel minus. ita vt quę contraria non habeant, magis vel minus non suscipiant, cum intentio, vel remissio cõtrariorum milione proueniat. Tertia proprietas est, quantitas dicitur æqualis, vel inæqualis: hæc est autem omninò propria quantitatis, vt quoties aliquid æquale, vel inæquale sentiamus, illic quantitatẽ esse iudicemus, dummodo hæc sumãtur proprie: nam aliquando vna albedo alteri æqualis dicitur, vel inæqualis: & vnus calor alteri, sed id abusiuè & impropriè: albedines enim, calores, vel qualitates, nõ æquales, vel inæquales, sed similes, vel dissimiles dicendæ sunt: illud enim maximè quantitati est proprium. Hæc de quãtitate circa Aristotelis verborum interpretationem.

QVAESTIO PRIMA.

An quantitas sit genus ad continuum & discretum, & qua ratione.

QVæuis omnia fere, quę in hoc capite peti possunt & petũtur, præter eam cognitionem, quã facilem, & communem Arist. in præsenti tradidit, Physica & Metaphysica sunt, nec intellectu facilia: eorum tamẽ cognitio maximè est vtilis, cùm plurimum Logicæ intentiones rerum ipsarum cognitione innotescant: propterea non parum videri debet, si pro veritate Logicæ explicanda, aliquid misceamus de rerum speculatione.

Est igitur prima difficultas circa diuisionem primam capitis, An diuisum scilicet quantitas, sit genus, vel potius analogum quoddam. Simplicius existimat, quantitatem esse quoddam genus, quod potest diuidi, & per continuũ, & per discretum, tanquam per differentias adæquatè diuidentes & similiter potest iterum diuidi per habere partes positionẽ habentes, & non positionem habẽtes, tanquam per alias duas differentias etiã adæquatas; sed sub alia ratione est vna diuisio, sub alia verò altera: sicut qui animal primo per rationale, & irrationale diuideret, & iterum, inquit, idẽ animal per mortale & immortale secaret. Ista opinio. Simpl. quantũ ad priorem partem, scilicet, priorem diuisionẽ, esse generis per differentias, est Alber. tract. de quantitate, ca. 1. & est communis sententia: quantum verò ad posteriorem, est contra cõmunem: communiter enim tenetur, illam diuisionem quãtitatis in habentem positionem, & non habentem, esse subiecti in accidentia: sicut animalium, aliud album, aliud nigrum, aliud medio modo se habens.

Argumẽtum contrarium. 1. Argu.

At circa priorem diuisionem nõ modica difficultas est, quo modo quantitas sit genus ad continuam, & discretã, sunt enim valida argumenta in contrarium. Primum, Nullum genus, denominatiuè prædicatur de sua specie, vt docet Arist. 4. Top. cap. 1. & ratio est manifesta, cùm genus secundum nomen, & rationẽ prædicetur: quod non faciunt ea, quæ denominatiuè prædicantur: at quantitas de suis speciebus prædicatur denominatiuè, cum in concreto etiam prædicetur: dicitur enim linea est quantitas & quanta: longitudo est longa: numerus est quãtitas, & quantus, ergo non est genus, vel si est, restat dubium, quare tales prædicationes non fiunt in alijs generibus, non enim dicimus, albedo est alba, calor est qualitas, & qualis.

2. Argu. Secundò. Vnius generis vna species nõ fit ex altera: at numerus fit ex continuo,

cum ex diuisione cõtinui fiat, & resultet
3. Arg. numerus, vt docet Arist. 3. Physic. Tertio Species vna nõ prædicatur denominatiue de alia specie eiusdẽ generis, at numerus de linea prædicatur denominatiuè, ergo non sunt species. & per consequens quantitas non est genus: minor probatur, dicimus enim linea est numerata.

4. Arg. Quarto. Continua & discreta quantitas nõ conueniunt in vnica ratione communi, ergo non habent aliquod idẽ genus. Probatur antecedens, quia talis ratio, vel est, q̃ vtraque sit diuisibilis, vel quod vtraq; sit mẽsura: non prior, quia diuisibilitas prius inest continuo, vt diximus: nõ posterior, quia ratio mẽsuræ prius inest discreto, cum non mensuremus nisi per vnitatem, eam multiplicando, & faciendo numerum, ergo nõ est vna ratio vtrique communis & generica.

1. opinio. Propter hęc inter asserentes quãtitatem esse genus non conuenit. Alb. enim tracta. de quantitate ca. 1. existimat hic considerari quantitatem, vt est mẽsura quędam substantiæ, non autem vt est ratio diuisibilitatis, quod etiam sequitur Caiet. & S. Thom. opusculo 48. cap. 2. & ferè est cõmunis sententia: quorũ ratio est, quia Arist. distinguit species quantitatis, vt sunt mensuræ substantiæ, nam quantum ad diuisibilitatem non differunt locus, & superficies, cum locus sit superficies vltima corporis continentis. Patet autem eandem esse diuisionem locis, & superficiei, tanẽ in ratione mensuræ differunt: nam locus est mensura extrinseca locati: cũ ipsi non inhereat: superficies autem est mensura intrinseca, scilicet inhærens corpori, cuius est mensura.

2. opinio At verò Burle. & alij asserunt, hic cõsiderari quantitatem, vt est diuisibilitatis ratio, & sub hac ratione est genus quoddam ad continuum & discretam: cuius ratio est, quia vnius rationis mensuræ est pure analogum, cum mensura primò competat vocali, & numero, & non continuo, nisi in ratione vnitatis, scilicet quatenus assumimus aliquã quantitatem cõtinuam in ratione vnitatis, vt ea metiamur alia omnia: vt docet Aristo. 10. Metaphysi. cap. 2. Hoc autem argumentum maximè molestum est authoribus oppositæ factionis, à quo subducere se nequeunt: non minus tamen illorum argumentum est his difficile, ita vt rei veritas non satis apud hos, vel illos innotescat. Dabimus operam, Deo fauente, vt breuiter, & clarè rem ipsam aperiamus, & dilucidemus, id quod deceptionis causa potest esse, manifestantes sequentibus fundamentis.

1. funda. Quantitaté duobus modis accipi. Primum fundamentum. Quantitas dupliciter accipitur. Vno modo pro quãtitate corporum, secundũ quam ipsa corpora extensa sunt, vel numerari possunt: & hæc dicitur quantitas molis, quę in rebus spiritualibus nõ inuenitur, & de hac sermo est in præsenti loco. Altero modo accipitur quantitas pro certo gradu virtutis, & essentiæ, quę vnumquodque participat, secundum quã dicimus, magnus est dominus & infinitus, nõ quidem corporis quantitate, sed in essentia & virtute: dicimus etiam creatura est finita: & talis quantitas reperitur etiam in spiritualibus, de qua nõ loquimur modo, & hæc dicitur quantitas virtutis.

Hinc fit, quod etiam æquale & inæquale dupliciter accipiuntur, semel vt à quãtitate primo modo sumuntur: & sic res spirituales non dicuntur æquales, vel inæquales. vt à quantitate secundo modo sumuntur: & sic omnia, quæ sunt adinuicẽ æqualia, vel inæqualia dici possunt: dicimus enim, filius est æqualis patri secundũ diuinitatem: nullus angelus æqualis est Deo, & hoc dixit Arist. in fine capitis, dum docuit non multũ æqualitatis, vel inæqualitatis reperiri in alijs.

Numerus duplex est, Quod dicimus de quãtitate cõtinua, dicendum etiam est de discreta: numerus enim duplex est, vnus qui reperitur in spiritualibus, etiam secundũ quem dicimus, tres sunt personæ, & vnus Deus: Millia millium angelorum ministrant ei.

ei. Dicimus etiam tria puncta, tres albedines, & talis numerus vocatur transcendentalis, de quo in præsenti non fit sermo. Alter est numerus, qui solum in rebus corporeis inuenitur, & ille prædicamentalis est, de quo hic agimus. Patet igitur sermonem in præsenti fieri de quãtitate continua, & discreta vt in rebus, & subiectis corporeis est.

Quid sit quãtum. Hęc autem quantitas ab Aristot. 5. Meta. ca. 13. sic definitur in cõcreto. Quãtum est quod est diuisibile in ea, quæ insunt, quorum vtrumque, aut vnumquodq; vnum quid aptum est esse: id est, quantũ est subiectum aliquod habens partes quarum singulæ per se esse possunt, & rationem quanti sortiri: verbi gratia, lignum diuidi potest in partes, quæ singulæ continuæ sunt, & per se esse possunt: similiter numerus in vnitates, quæ singulæ per se esse possunt, diuiditur: vnde patet lõgè alias esse partes à quantitate prouenientes, quàm quæ ab alijs rebus omnibus proiciscuntur: partes enim potentiales non sunt alicuius subiecti, sed alicuius superioris prædicati partes: similiter & differentiæ. Accidentia verò & potentiæ sunt quidẽ subiecti vnius, aliquando partes, sed singula per se esse nõ possunt, nec sunt vnũ subiectũ: nec similiter materia & forma: at partes quãtitatis sic alicuius subiecti, & vnius rei sunt, vt singulæ per se vnum quid faciant: & hoc valdè nota.

2. Funda. Quãtitas quæuam' suo attribuat subiecto. Sit secundum fundamentum. Quantitas multa tribuit subiecto suo. Primò enim ante omnia, dat partes tales, quales dixi in primo fundamento, quod est dicere, ratio qua subiectum tales partes habet, est quantitas: si partes fuerint extensionis, est quantitas continua: si numerationis, discreta: & hæc est prima ratio quantitatis, esse formalem rationẽ partium illarum.

Quę passiones à quãtitatis fluant natura. Ab hac quantitatis natura fluunt quędã passiones propriæ. Prima, esse diuisibilem, ex eo enim, q̃ aliquis partes habet, diuisibile esse cõsequitur. Similiter sequitur secũda, esse finitum, vel infinitũ. Tertia esse æquale, vel inæquale alteri. Quarta esse mẽsurabile. Omnes hę quatuor rationes sunt proprię passiones fluentes ex illa natura prima quantitatis: & subiecta recipiunt omnia illa quinque à quantitate: quarum passionum natura, numerus, & ordo, sufficienter in Metaph. tradentur, Deo adiuante.

Interim tamen aduerte vnum diligenter, Quod quantitas omnia illa quinque tribuit suo subiecto formaliter, id est, est forma quędam, qua subiectum habet partes, & est diuisibile, est finitum, æquale, & mensurabile: vt enim albedine corpus formaliter est albũ: ita corpus à quãtitate est quantũ, id est, partes habet, finitum & mensurabile est: & hoc significãt illa verba, quantitas est ratio partiũ, est ratio diuisibilitatis, est ratio mensuræ.

3. Funda. Ex his sit tertium fundamentum, à quo ferè natura & intelligentia non solũ quãtitatis, sed aliorum multorum pendet. Aliud est id, quo mẽsuramus, aliud quod mensuramus: aliud id, ratione cuius aliquid mẽsuratur, vel mensurari potest. In primis, vt à noto incipiamus, id, q̃ mensuramus est corpus, vel res corporea, tã continua, quàm discreta: id verò, ratione cuius illa mensurantur, vel mensurabilia sunt, est quantitas: volo dicere, forma, à qua corpus habet, quod mensuretur, est quantitas, nisi enim quantitatem haberet, mensurari non posset, quod superius dicebamus, est ratio mensuræ formalis: id autẽ, quo mẽsuramus, est quoddam quantum quo vtimur, vt indiuisibili quodã ad mensurãdas alias quantitates, vt vtimur vlna, vtimur modio, tanquam vno quodã, per cuius multiplicationem alia quãta mensurantur: vnde ista, ppriè dicenda sunt mensura: illa verò quæ subiectum est mensurabile, non mensura, sed mensurabilitas est quędam, seu dicatur mensura passiua & formalis, & altera mensura actiua & instrumentalis.

Vtrunque quidem quantitas subiecto cõmunicat formaliter: est enim ratio, qua corpus, vel subiectum est mensura

mensu-

mensurans, & qua mensurabile etiã est, sed magno discrimine: nam non omnis quantitas est mensura mensurans, non enim mensuramus nisi quadã parte quãtitatis determinata eam multiplicãtes: at omnis quantitas est ratio mensurabilitatis. Prꝛterea esse mensuram mensurantem magis competit varitati, quæ est principium numeri, vt argumentũ superius probabat: at mensurabilitatis ratio omnibus quantitatibus ex æquo inest.

4. funda. Sit quartũ fundamentum. Ista omnia, quꝛ diximus per prius ipsi quantitati insunt, ipsa etiam est partes habens per se, vt patet in lineis, superficiebus per se cõsideratis: & in tempore, cuius partes sunt aliꝛ à partibus subiecti. Similiter ipsa quantitas est diuisibilis, mensurabilis secundũ se, vt paret in sanctissimo Sacramento altaris. Secundario verò hoc tribuit subiecto & substantiæ: nam diuisibilitatem, & mensurabilitatem, & reliqua, substantia à quantitate habet. Tertiò quod maxime notorium est, quantitas hæc tribuit alijs accidentibus, nam accidentia habent partes diuisibilitatem & cætera à quantitate, vt patet in albedine, quæ tanta est, quanta superficies, cui inest, quod nullum accidens habet. Quãtitas igitur primo illa habet in se. Secundo substantiæ communicat. Tertio alijs accidentibus.

Quãtitas cur de se ipsa & in abstracto & in cõcreto dicatur.

Hinc est, quòd de se ipsa suscipit prædicationem abstracti & concreti, dicendo linea est quanta, & quãtitas: quod nõ fit in alijs accidentibus. Similiter distinguitur duplex quantum, per se, & per accidens: per se est ipsa quantitas, per accidens sunt accidentia illa, quæ quantitatem participant, quæ diuinctio in alijs accidẽtibus nõest. Sequitur etiam optimè Arist. tractasse quantum in concreto, vt legitur græce; quanta aliud, continuum, &c. vt intelligamus eandem esse in hoc peculiari prædicamento prædicationem abstracti & concreti. Hꝛ sunt, ex quibus non mediocris quantitatis cognitio haberi potest, & quæ non passim inueniuntur: cætera Metaphysica relinquantur. Respon. ergo ad quæstionem sequentibus conclusionibus.

Prima conclusio. Quantitas, vt est ratio partium, est quoddã genus. cuius differentiæ sunt, continuum & discretum: quantitas enim continua est magnitudo, discreta verò multitudo, quꝛ sunt duo genera eius subalterna, varias sub se species includentia. Hæc conclusio hoc vnico argumento patet, Quãtitas secundum talem rationem prædicatur in quid de pluribus suis speciebus, ergo est genus: consequentia est certa, & antecedens manifestum. 1. Conclu

Secunda conclusio. Habere positionem, vel non habere, quantitatis differentiꝛ non sunt, vt existimat Simpl. sed passiones. Probatur vnico argumento. Si essent differentiꝛ, non posset quantitas cõtinua abstrahi à positione: at per intellectũ superficies sine vlla positione cõsideratur, cum intelligatur abstracta à loco, & subiecto, ergo illa positio non est eius differentia, cũ species absque sua cõponẽte differentia intelligi nequeat. Hic autem aduerte, quod non est idem, quantitatem continuam esse, & positionem habere, cũ quantitas aliqua continua non eam habeat, scilicet tempus: nec similiter esse discretum, & non habere positionem, cũ etiam continua aliqua non habeat. Vnde sic ista se habẽt, scilicet continuum & habens positionem, quod omne habens positionem est continuum, non tamen omne continuũ habet positionem: at discretum, & nõ habens positionem sic se habent, quod omne discretum est non habens positionem, at non omne non habens positionem est discretum. 2. Cõclu

Tertia conclusio. Quantitas ista quꝛ ratio partium est, cõsideratur in præsenti, vt sub tali ratione est genus generalissimum omnes has species cõtinens. Ista conclusio iudicio meo est manifesta ex ipso cõtextu Aristot. in quo continuum, & discretum, sub quibus sunt omnes speciꝛ 3. Cõclu.

ciꝛ quantitatis, non aliter definiuntur, quàm per ipsas partes, quꝛ copulantur, vel non copulantur termino, communi. Prꝛterea, quia Logicus cõsiderat intentiones secundas, quæ in primis fundantur: at ratio generis quantitatis nõ fundatur in mensuræ ratione, quia hæc est passio, non natura generica: ratio autẽ, quæ genus est, est quantitas, vt ratio partiũ est. Prꝛterea, quia tota ratio & argumentum illorum inualidum est: dicunt enim aliter non posse distingui species quantitatis, quàm in ratione mensurꝛ hoc autem inualidũ est, sic enim optimè distingui possunt, & distinguuntur. Linea est ratio partium secundũ longitudinem in continuo: superficies ratio partium secundum latitudinem: corpus ratio partium secundum profunditatem: tempus ratio partium successiuarum in cõtinuo: locus est ratio partium continentiũ aliquid: numerus ratio partium discretarum: oratio ratio partium discretarum cum successione. & hæc valdè obserua.

Ad. 1. Respondetur igitur per hæc ad argumenta quatuor supra posita, quibus probabatur, quãtitatem non esse genus. Ad primum respondent Burleus & Scotus, q. 17. Linea, superficies, & quælibet alia quantitatis species, dupliciter potest cõsiderari. Vno modo, vt est in subiecto; & simul cum subiecto sumitur & tunc prædicatur genꝰ de illis denominatiuè, quia cũ subiecto sumuntur. Altero modo considerantur in abstracto absq; subiecto: & sic species quãtitatis sunt, & tunc falsum esset, dicere, linea est quanta: ista rẽspõsio non placet, quia linea non dicit subiectum magis quàm albedo: vt ergo de albedine nunquam dicitur, quòd est qualis, ita nec de linea dicetur illa ratione. Prꝛterea, quia subiectum non per lineã, sed per linearum explicatur. Propterea aliter dicendum est, nempe illam prædicationem concreti de abstracto nõ esse denominatiuam, sed essentialem in re, licet modus quidam denominatiuus sit, id quod fit propter peculiarem rationẽ, quæ in quantitate reperitur, vt explicui in quarto fundamento.

Ad secundum respon. quòd ex vna speciꝛ in communi altera nõ fit: nulla enim species in sua ratione, & natura admittit aliam speciem sibi coæqualem: tamen ex individuo vnius speciꝛ non pugnat, vt materialiter fiat individuum alterius speciꝛ: vt enim ex aqua fit ignis, aqua tamen non manente, ita ex continuo fit discretum, continuo tamen non manente: nec hoc est inconueniens vllum. Ad. 2.

Ad tertium respon. quod linea nõ dicitur numerata à numero denominatiuè, quia numerus in ea sit, sed dicitur numerata ab actu intellectus, per quem numeramus: numerare enim opus est rationis & intellectus.

Ad quartum est maximè notanda solutio: negatur enim maior: ratio enim generica, in qua omnis quantitas cõuenit, est habere partes eiusdem rationis, vt supra diximus: negatur etiam minor, imò ratio diuisibilitatis vnius cè competit continuo & discreto, non autem vni per prius, alteri per posterius. Verũ est, quòd ex diuisione continui aliquando resultat, & sic numerus, tamen non semper: nec ex natura numeri est, fieri ex continuo, constituto autem numero, & continuo, vnumquodque per se diuisibile est, & non vnũ per alterum. Ad illud de mensura, fuit magna sine dubio in hoc apud scriptores ambiguitas: nam ratio mensuræ, scilicet mensurantis per prius differẽto conuenit, vti diximus: & sic est ratio analoga: at ratio mensurę passiuæ, id est qua subiectum mensurabile est, vniuoca est omni quantitati: & hæc sufficiant. Satisfacio me aliqua ex parte breuè in verbis & obscurum in his fuisse tamen mediocriter auditori versato, & diligenti manifesta ista erit, cuius rationem semper in his habeo, præsertim quia viua voce ista exponenda à magistro sunt.

QVAESTIO II.

Circa reliqua, quæ in hoc capite continentur, aut ex dicta sunt ab Aristot.

Quia

Argumẽta in contrarium.

QVia multa sunt in hoc capite, quæ intelligentia, & examine aliquo indigent, particularius à nobis tractanda sunt, & disputatione elucidanda.

1. Argu. Est igitur primum argumentum contra ordinem procedendi Aristotelis & ipsius modum. Vnumquodq; vniuocum prius per definitionem, quã per diuisionem notificandum est: sed quantitas est genus vniuocum, ergo à definitione oportebat exordiri, non à diuisione, vt fecit Aristoteles.

2. Argu. Secundò. Aristoteles in diuisione prę posuit continuum discreto, ergo male postea in tractatu discretum prępositi continuo.

3. Argu. Tertiò. Nihil in vno prædicamento collocatum cõstitui debet in altero: sed corpus est in prędicamento substantiæ: ergo nullo modo corpus potest esse species substantię, & quantitatis.

4. Argu. Quartò. Videtur doctrina ista nõ consonare doctrinæ eiusdem Aristi. 5. Meta. ca. 13. ibi enim inter quantitates tũ numerat locum, nec orationem, & inter quantitates per accidens, ponit tẽpus, & motum at hic & locum, & orationem, & tempus inter quantitates per se constituit, motus autem non meminit.

5. Argu. Quintò. Videtur, quòd nullo modo oratio quantitas sit: nã vel accipitur pro oratione vocali, mentali, vel scripta: sed oratio scripta est potius substantia materialiter, formaliter verò, scilicet vt significatiua est, est relatio, vel qualitas: mẽtalis autem, quę in intellectu est, est quæstitas, cum in intellectu non sit quãtitas: vocalis autem, si materialiter sumatur, est aer verberatus, qui substãtia est: si formaliter, est ipsum significare, quod non est quãtitas: ergo nullo modo oratio est quãtitas: & hoc admisso, quod esset quantitas, non esset ponenda inter discretas, sed inter cõtinuas: vnica enim syllaba cõtinua est, & motu continuo profertur.

6. Argu. Sextò. Magnitudo, multitudo sunt quãtitatis species subalternæ, & longitudo etiam est quædam species ipsius: ergo magnum, multa, longũ, species sunt quantitatis, & non pertinent ad prædicamentum ad aliquid.

7. Argu. Septimò. Vnitas & punctum ad quantitatem spectant, vt patet, tamen nõ sunt sub aliqua specie exasignatis: ergo diminuta doctrina hæc videtur.

8. Argu. Octauo. Multa etiã alia videntur prętermissa, quę tamen quantitates sunt, vt graue, leue, omnia etiam pondera, omnes mensuræ, uncia, libra, modius, gomor & reliqua huiusmodi, quę non apparet in alio prędicamento esse cõstituenda, quàm in isto, quorum tamen Aristoteles nullatenus meminit. Ista argumenta à nobis soluenda ordine sunt: ex quorum solutionibus perfecta prædicamenti huius cognitio dependet.

1. Solut. Ad. 1. Ad primum argumentum respondet Alber. tract. de quãtitate. c. 1. hic cõsiderari quantitatem, vt mensura est: cũ autem alia sit ratio mensurę in continuis, alia in discretis: nec eiusdem rationis sit vna in omnibus mensuræ ratio: non definitione, sed diuisione vsus est. Hæc responsio non satisfacit. Primò, quia, vt superius diximus, hic quantitas in sua ratione prima consideratur, scilicet vt est ratio partium. Secundò, quia si non est vna ratio mensuræ in continuo, & discreto, non esset genus, nec hic tanquam genus consideraretur, quod videtur falsum: q. si est ratio vna, quamuis communissima, hæc potius definienda erat.

2. Solut. Doctores Louanienses dicunt, id factũ fuisse, quia generalissima non habẽt definitionem propriam constantem ex genere, & differentia, cum sint suprema genera. Sed hoc non placet, quia eadẽ ratione nullum aliud definiret, at definit ad aliquid, & qualitatem. Prętereà, quia generalissima habent descriptionem: modo vt superius diximus, & declarauimus Arist. 5. Meta. ca. 13. quantum ipsum descripsit ante diuisionem.

3. Solut. Propterea existimo dicendum esse, Aristo. non tradere hic rerum cognitionem

distinctam, nisi quantum sufficit Logico pro rerũ coordinatione, & pro prædicationibus, & ipsarum partibus perfectè intelligendis: & quia ipsum quantum, est maximè notum, vt potè maximè prę omnibus alijs sensatum, nulla circa id vsus est descriptione, sicut in alijs fecit, quæ non subsunt sensibus in vniuersum.

Possumus tamen facilè eius definitionem assignare, sicut & ipsius speciorum: hę enim definitiones specierum ex Aristotelis verbis deducũtur. Potest autem quãtitas in communi per suas proprietates describi: quantitas est ratio partium, vel quæ per se partes habet: quãtitas est ratio mensuræ substantiæ: quantitas est ratio diuisibilitatis in partes eiusdem rationis: similiter est forma, secundũ quam æquale, vel inæquale aliquid dicitur, quã titas verò continua est quantitas, cuius partes termino cõmuni copulantur: discreta verò est, cuius partes termino communi non copulantur: linea est cõtinua quantitas cuius partes in puncto copulãtur primo: superficies cuius partes in lineã copulãtur: corpus cuius partes superficie copulantur: locus est superficies vltima corporis continentis: tempus est continua quãtitas successiua, cuius partes instãti copulantur: numerus est cõtinuorum permanentiũ mensura discreta: oratio est successiuorum mensura discreta.

Quãtitatis descriptio.

1. Solut. Ad. 2. Ad secundum respondent aliqui, continuam quantitatem in ratione diuisibilitatis priorem esse discreta, ex diuisione enim cõtinui resultat numerus: at in ratione mensurę priorem esse discretã, nõ enim mensuramus nisi quãtitate aliqua continua sumpta tanquam vnitate, cuius multiplicatione mensuramus: vt vtimur vlna, grano, palmo, multiplicatis ad mensurandũ: & hoc consilio ductus Aristoteles prius continuum posuit in diuisione, in declaratione verò discretum posuit. Hæc ratio non mihi displicet.

2. Solut. Aliter etiã respõdet Alber. tract. isto. ca. 1. & benè. Quantitas enim continua notior est, quia magis composita, at discreta simplicior est, id est, prior est: nam discreta quantitas nullam habet positionem, at inter continuas inuenitur positio: ac propterea Aristoteles tali ordine vsus est, vt vnum & alterum exprimeret. Hęc doctrina est vera, & Aristotelis ipsius. 1. Post. ca. 23. Arithmeticam simpliciorem Geometria existimat, & 1. Metaphy. cap. 2. ob id, quòd illa sit de discreta quantitate, hęc de continua.

Ad. 3. Corpus tribus modis sumitur. Ad tertium respondetur. Corpus tripliciter sumitur, est enim æquiuocũ. Primo pro toto composito substantiali, ex materia & forma constituto, quo pacto dicimus, Angelus non est corpus: plantæ verò, animalia, lapides sunt cõrpora, & sic corpus est vnum genus substantiæ, de quo supra diximus esse generalissimum. Secundo modo sumitur cõrpus pro altera parte viuentis, quo pacto dicimus, animal conflare ex anima, & corpore: & sic non est genus, nec prædicatum de speciebus vllis: sed ponitur reductiuè in prędicamento substantię, sicuti pars. Tertio modo sumitur pro quantitate quadam, scilicet profunditate, quę est accidens corporum substãtię, & isto modo est species huius prędicamenti: nec hoc est vllum inconueniens, quòd vnum secundum diuersas rationes aduersa pertineat prędicamenta.

1. Solut. Ad. 4. Ad quartũ non est facilis solutio. Quidam enim dicunt, has quãtitates, scilicet locum, tempus, orationẽ dupliciter posse considerari: vno modo, vt sunt rationes diuisibilitatis, sed in ratione diuisionis, & sic ab Arist. cõsiderantur in. 5. Meta. & tunc locus non est species distincta à superficie, cum eadẽ sit superficiei, & loci diuiso: similiter nec oratio à numero distinguitur: tempus autem & motus sunt diuisibilia ad diuisionẽ spatij. per quod fit motus, id est, quãtitates per accidens sunt: hoc igitur fuit in causa, quo minus Aristoteles locum & orationem non posuerit, tempus autẽ & motũ inter quantitates per accidẽs assignauerit. Possunt tãm en

tamen secundo considerari in ratione mensuræ, & tunc locus est quantitas per se distincta à superficie, quia locus est mẽsura corporum separabilium à se: similiter & oratio à numero distinguitur, cum oratio sit mensura sonorum discretorũ: tempus etiam est per se quantitas, cũ sit motus mensura: motus autem semper est quantus per accidens in ratione diuisionis: quia diuiditur per aliud, scilicet spatium: & in ratione mẽsuræ, quia mensuratur per tempus. Cum igitur hic consideretur quantitas, vt est mensura, optimè ponũtur eius species aliter, quàm in Metaphysica, in qua considerãtur quantitas, vt est ratio diuisibilitatis.

Ista solutio non est spernẽda, est enim insignium virorũ: tamen mihi in hoc nõ placet, nam esse mensurã est passio quantitatis ipsius, fluens ab eius natura: sed talibus speciebus prædictis non inest per se quantitatis ratio secundum eos, ergo nec inerit passio: à quo enim per se remouetur natura, remouebitur etiam & passio: & præterea, quia diximus hic etiã naturã ipsam quantitatis considerari.

2. Solut. Burl. ad hoc dicit, locum non esse speciem per se quantitatis illo modo: nã locus denotat duo, superficiem de materiali, & continentiam de formali: materialiter ergo non differt à superficie: formaliter verò non est quantitas, quia cõtinentia quantitas non est: ac propterea ab Arist. non numeratur in 5. Meta. hic verò locus ponitur inter quãtitates, quia Aristoteles, loquitur vulgariter, & secundum opinionem celebriorem. Omnes autem antiqui locum inter quantitates constituebant: & hoc videtur docere Auer. 5. Met. com. 18. Hæc sententia fuit Alber. tract. isto, c. 5. vbi locum explicat esse illud spatium totum, longum, latum, profundum, quod est inter latera corporis continentis, vt antiqui credebant. 4. Physic. imò vulgus modo ita existimat. Hoc tamen impugnat illic Aristoteles, & secundum veritatem ostendit, locum esse superficiem vltimam corporis continentis: hoc etiam videtur docere Simplicius: & Doctores Louanienses asserunt locum secundum Arist. non esse quantitatem distinctam à superficie: hic autẽ fuisse locutum iuxta receptam sui temporis, & communem opinionem.

Dicit secundo Burl. motũ esse quantitatem per se, sicut tempus etiam in ratione diuisionis: fuisse autem prætermissum ab Aristotele, non quia non esset, sed quia non curauit omnes species enarrare.

Dicit tertio, in Metaphysica tempus, & motum dici quanta per accidens, non quòd non sint per se quãtitates, sed quia ab alio (scilicet à spatio & mobili recipiunt esse quantitates, sed recipiunt ab eis effectiuè solum, in se tamen quantitates formaliter sunt.

De oratione autem dicit quarto, esse etiam per se quantitatem à numero distinctam.

Ista sententia Burlei, in hoc quòd cõcedit motum esse quãtitatem per se, est Alberti Magni tract. isto, ca. 10. & Iambli. vt refert in præsenti Simpl. Dicunt enim motum duo dicere, & fluxum, & formam aliquam, cuius est fluxus: & quòd successio quantum ad fluxum, est quantitas, quantum ad formã, non: sed aliquãdo est qualitas, aliquando vbi, aliquãdo quantitas, secundum quod fluxus potest esse in qualitate, vel vbi, vel quantitate: ac propterea hic nõ numerat inter quãtitates, quia totum eius esse non est quantitas, nec vnius est generis.

At Porphyrius in. 2. interro. & Ammo. credunt motum secundum suam naturã non esse quantitatem: sed esse quantum per accidens, sicut substantia est quanta per accidens. Ad locum Meta. Respon. illic Alex. Aristotelem solum tractare de quantitate permanente, propterea ista prætermisit.

3. Solut. Sed in hac difficultate ne confusio infit audienti, quantum pro captu logico exigitur, existimo ita dicendum. Primo omnes has species hic numeratas esse quan-

quantitates per se: & hæc est communis opinio, non solum in ratione mensuræ, sed etiam in ratione partium, & diuisibilitatis, vt superius diximus.

Tempus duobus modis diuiditur. Dico secundò, tempus dupliciter posse diuidi. Vno modo secundũ partes successionis, scilicet præsens, præteritum, futurum, & secundum hanc diuisibilitatis rationẽ est quantitas per se, & ita hic cõsideratur. Altero modo diuiditur secundum spatium per quod mobile tẽpus efficiens mouetur: & secundum hanc diuisibilitatẽ est quantitas per accidens, vt dicitur in Metaphysic. considerare autem tẽpus secundum suas partes ad Physicũ spectat, & id notius est: propterea in Metaphysica non inter quantitates per se constituitur, sicut in Logica.

Dico Tertio orationẽ sub numero cõprehensam fuisse illic: non enim ibi loquitur de numero particulariter, vt distinguitur ab oratione, sed vt numerus est idem quod multitudo, vt ibidem interpretatur Auerroes.

Dico Quarto, locum etiam sub superficie contineri, ibi enim cõsiderat superficiem in communi, vt includit superficiem ambientem, & terminantem: hic autem loquitur particulariter de superficie terminante.

Motus nõ est per se quantitas. Dico vltimo, motum non esse quantitatẽ per se, vt benè dicit Ammo. & Porphyr. quia motus, vt motus, est solũ actus quidam imperfectus, vt suo loco tractabitur. Hæc omnia obserua, quia existimo Aristoteli, & veritati maximè esse cõformia.

Ad. 5. Ad quintum est insignis difficultas de intellectu orationis, quid sit. Omissis aliorum sententijs, dicam, quæ in hoc diligenter excogitaui, idque declarabo sequentibus fundamentis.

1. Funda. Aduerte igitur primo, quod sonus est quoddam accidens, & qualitas effecta in aere ex collisione duorũ corporũ. Vox autẽ est, non omnis sonus, sed illæ tantũ qui efficitur in aere ex collisione quarundam corporis partiũ, scilicet linguæ, palati, dentium, &c. est autem vna vox, quæ vnica fit percussione, plures autẽ voces, quæ pluribus fiunt percussionibus, sicut sunt syllabæ, quælibet enim syllaba vnica fit percussione, plures autem pluribus. Oratio autẽ est aggregatio ex multis vocibus syllabarum, vt dominus: vnde omnis oratio est discontinua, & discreta.

Vox cuiusmodi fit sonus.

2. Funda. Discretionem esse duplicem. Aduerte Secũdo, Discretio duplex est: quædam subiecti, vt albedo lactis, & albedo nigri sunt discreta, quia duob⁹ insunt discretis subiectis: altera est discretio formæ, sicut quando duo insunt vni subiecto, tamen vnum alteri idem non est: sicut albedo & dulcedo lactis. Oratio igitur discreta est, non quidẽ subiecto, quia in eodem aere omnes syllabarum percussiones recipiuntur, sed discretæ formæ: nec similiter est discreta in tempore cæli, quia vnico tempore simul duo possunt loqui, quorum sermones simul tempore & subiecto sunt, formæ tamen discretæ sunt.

3. Funda. In voce tria possunt considerari. Aduerte tertio, In ista voce possumus tria considerare. Id q̃ est eius essentia, scilicet id, ratione cuius est sonus. Secũdò, aliquid quod se habet, vt qualitas eius, scilicet q̃ sit acuta, grauis, sonora, rauca. Tertio, est quædam extensio, & velut corpulentia ipsius vocis, secũdum quàm vox magna, brevis, æqualis, inæqualis dicitur: & hæc est vocis quantitas, quæ dicitur tempus vocis: vnde quando audis syllabas habere tempus, non intelligas de tempore, q̃ dicitur dies, annus, &c. sed de ista intrinseca extensione & vocis dilatatione, quæ maior est in vna, quàm in altera, secundum quòd brevis vna, altera longa dicitur.

4. Funda. Quid sit oratio. Aduerte Quarto. Oratio dicitur iste numerus horum temporum syllabarum successiuarum, & discretarum: sed maximè cõsidera, quod non solùm oratio est multitudo temporum horum, sed superaddit temporum diuersitatem, & ordinem: vnde alia oratio est populus prosa bore, alia pro ciuitate: nã illa est ex prima longa, & hæc ex prima brevi, simili-

ter alia est species orationis dominus, alia domini. In summa, hęc oratio cõtinet omnia carmina, & carminum genera, & omnes pedes carminum, quæ nõ solum diuersa sunt in multitudine syllabarum, sed præcipuè ordine, & quantitate: vnde musicæ, in recto spondæus est, cum ex vtraq; longa constet: at in recto sin-

Sub oratiõe quæ species est quãtitatis quæ simplicibus conti neantur.

gulari trochęus est, q̃a posterior est breuis, & sic de reliquis. Hęc oratio est iudicio meo numerus musicus, & harmonicus, de quo musica speculatur.

Ex his sequitur, hic multo aliter orationem quàm in libro Periher. sumi: hic enim pro vna etiã dictione vocabi, illic pro pluribus. Præterea in præsenti impertinens est, quod significet, nam etiam si nõ significet, oratio dicitur: illic autem est necessaria vocũ significatio. Præterea in præsenti oratio non est ipsa vox, sed quantitas ipsarum vocum & dictionum, in lib. verò Periher. oratio est ipsa vox significatiua, ac propterea hic Arist. dixit, oratio, quæ in voce fit: quasi non sit vox, sed vocis quantitas.

Oratio nõ aliter hic atq; in lib. Periher. mi. considerari.

Solutio.

Per hæc patet solutio ad argumẽtum. Ad replicam dico. Quãuis syllaba sit per se continua, tamen quia syllaba non per se, sed cum dictione ordinatur, non facit quantitatis per se speciem, sed cũ oratione, quæ discreta est: aut dicendũ est syllabam esse vnitatem in oratione, sicut est vnitas in numero arithmetico.

Ad sextum. Respõ. magnitudinem, lõgitudinem, & multitudinem, aliquando sumi absolutè pro ipsis quantitatibus, vt magnitudo idem sit, quod quãtitas continua, præsertim permanens, quo pacto sumitur. 1. cęli. cap. 1. longitudo idẽ, quod linea: multitudo discreta quantitas: & tunc magnitudo non opponitur paruitati, nec multitudo paucitati, nec brevitati longitudo: vnusquisq; enim continuũ magnum est, longum est: & numerus quilibet est multa. Altero modo sumũtur ista respectiuè, vt vnum respectu alterius dicatur, & sic opponuntur, tunc enim sunt ad aliquid. nec est inconueniens, quod res in vno prędicamento collocetur, passio verò in alio: vt enim homo est in prędicamento substantiæ, risibilitas autẽ in qualitate: ita quantitas est in vno prędicamento, illæ autem passiones eius, magnum, paruum, æquale, & reliqua in prædicamento ad aliquid sunt.

Ad septimum est facilis solutio ex his, quę diximus in prędicamento substãtię: vnitas enim, & punctum ad quãtitatem pertinent, reductiuè tamen, tanquã principia quantitatis: vnitas enim est principium discretæ, punctus cõtinuæ permanentis.

Ad octauum dico omes mensũras ad hoc prędicamentũ pertinere, nõ secundum relationem, per quam ad mensurata referuntur, vt dicit Simpli. sed secundum id, quod mensurant, quod quãtitas est: & sic sub his speciebus continentur: quędam enim sub loco, qui per modum vasis contentiui mensurat: quędam sub linea, quę per modũ longitudinis: quędã sub numero, qui per modum multiplicationis solum. Ex his omnibus cuilibet facillimum erit istas species ordinare in tabula aliqua: aduertãtq; singula dicterũ esse genera continentia multa sub se: numerus enim multas numerorum species: oratio similiter varias species, & genera continet: idẽ de linea, quæ multas mensuras continet: similiter & de alijs. Hæc de quantitate.

Quomodo omnes mensurę ad quantitatem pertineant.

Possent quidẽ multa alia dici, sed hæc sufficiant, ne extra modum limites Logicos transgrediamur, Logicum agentes. Vide Simpl. de grauitate, an sit quãtitas, vt vult Architas.

Debit, quæ ad aliquid dicuntur. Caput. VII.

TEXT. 1.

AD aliquid verò talia dicuntur, quę cunque hęc ipsa quæ sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum, vt maius hoc ipsum, quod est alterius dicitur: a quo enim maius dicitur, & duplum alterius dicitur hoc ipsum quod est: alicuius enim duplum

duplum dicitur, similiter autem & alia quæcunque huiusmodi sunt.

2. At verò sunt etiam & hæc ad aliquid: vt habitus, dispositio, sensus, scientia positio, hęc enim omnia, quę dicta sunt, hoc ipsum quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterũ, & non aliud quiddam: habitus enim alicuius habitus esse dicitur, & scientia, alicuius scientia, & positio alicuius positio: & alia quoque similiter.

3. Ad aliquid igitur sunt, quæcunq; hæc ipsa quæ sunt, aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum, vt mõs magnus dicitur ad alterũ: magnus enim mons dicitur ad aliquid, & simile alicui simile, & cætera talia similiter ad aliquid dicuntur. Sunt autem & accubitus, & status, & sessio positiones quædã, positiones vero ad aliquid sunt: iacere autẽ & stare vel sedere, ipsa quidem nõ sunt positiones: denominatiuè verò dicũtur ab ijs, quæ dictę sunt, positionibus.

4. Inest autem & contrarietas in ijs, quę sunt ad aliquid, vt virtus vitio contrariũ, cum sit vtrunq; eorum vt aliquid: & scientia ignorantiæ. Non autem omnibus ijs, quæ sunt ad aliquid, insunt contraria. Duplici enim nihil est contrarium, neq; triplici, neque vlli talium.

5. Videntur autem & magis & minus ea quæ ad aliquid sunt, suscipere, simile enim & dissimile magis & minus dicitur: & æquale & inæquale magis & minus dicitur, cum vtrunque sit ad aliquid, simile enim alicui simile dicitur, & inæquale alicui inæquale. Non autem omnia quæ sunt ad aliquid suscipiũt magis & minus, duplum enim non dicitur magis & minus duplum, nec aliquid talium.

6. Omnia autem quę sunt ad aliquid, ad conuertentia dicuntur, vt seruus domini seruus: & dominus serui dominus esse dicitur: & duplum dimidij duplum: & dimidium dupli dimidium, & maius minore maius, & minus maiore minus: similiter autẽ & in alijs: Sed casu aliquotiens differunt secundum locutionem, vt scientia scibilis scientia dicitur: & scibile scientia scibile, & sensus sensibilis sensus: & sensibile sensu sensibile.

7. At verò aliquotiens nõ videbitur conuenienter ad q̃ dicitur assignetur, si peccet is qui assignat, vt ala si assignetur auis, non conuertitur, vt sit auis alæ. Non enim prius conuenienter assignatũ est ala auis, neq; enim quatenus auis est, eatenus ala ipsius dicitur: sed eò quòd alata est, multorum enim & aliorum alę sunt, quę nõ sunt aues. Quare si assignetur cõuenienter, conuertitur, vt ala alati ala est: & alatum ala alatum.

8. Aliquotiens autem fortè & nomen fingere necesse erit: sinon fuerit nomẽ impositũ ad q̃ conuenienter assignetur: vt remus si assignetur nauigij, non est assignatio cõueniens, neque enim eo q̃ nauigium est, eo ipsius remus dicitur sunt enim nauigia, quorũ remi nõ sunt: quare non cõuertitur: nauigium enim nõ dicitur remi nauigium. Sed fortè cõuenientior assignatio erit, si sic quodãmodo assignetur: remus remigatæ rei remus est, aut quomodocunq; aliter nomen. n. nõ est positũ. & conuertitur si conuenienter assignetur: remigatũ enim remo remigatũ est. Similiter autẽ & in alijs: vt caput cõueniẽtius assignabitur capitati caput, quã si animalis assignetur: neq; enim eo q̃ est animal, caput habet, multa enim animalia sunt capita non habentia.

9. Sic autẽ fortasse facillimè quis sumet, quibus posita non sunt nomina, si ab ijs quę prima sunt, & ijs ad quę cõuertũtur, nomina ponãtur: vt in ijs quæ prędicta sunt, ab ala alatum, à remo remigatum. Omnia igitur quę ad aliquid dicuntur, si cõuenienter assignentur, ad conuertentia dicũtur, quoniã si ad quodlibet aliud assignantur, & non ad id, ad quod dicuntur, non conuertuntur.

10. Dico autẽ, quoniam neq; eorum quę in confesso ad conuertẽtia dicuntur, & nomina eis posita sunt, nihil conuertitur, si ad aliquid eorũ quę sunt accidentia assignentur, & non ad id ad q̃ dicuntur, vt

seruus, si non domini assignetur, sed hominis vel bipedis, vel cuiuscunque taliũ, non conuertitur, neq; enim dici potest, homo est serui homo: non enim conueniens est assignatio. Amplius, si quidem cõuenienter assignetur ad quod dicitur, omnibus alijs sublatis, quæcunq; accidẽtia sunt, relicto autẽ solo illo ad quod assignatũ est cõuenienter, semper ad ipsum dicetur, vt si seruus ad dominum dicitur, circunscriptis omnibus, quæ accidentia sunt domino, vt esse bipedẽ, vel scientiæ susceptibilem, vel hominem, relicto verò solo quod dominus est, semper seruus ad ipsum dicetur, seruus enim domini seruus dicitur. Si autẽ nõ conuenienter ad id, ad quod dicitur, assignetur: circunscriptis omnibus alijs, relicto autem eo solo, ad quod assignatum est, non dicetur ad ipsum: assignetur enim seruus hominis, & ala auis, & circunscribatur ab homine esse dominũ, non sanè amplius seruus ad hominẽ dicetur: cum enim dominus non sit, neq; seruus est: similiter & de aue, si admittur eam alatam esse: nõ enim amplius erit ala ad aliquid, cùm enim nõ sit alatum, nec ala erit alicuius. Quare oportet assignare ad id, ad quod conuenienter dicitur. Et si sit nomen positum, facilis erit assignatio: si autẽ non sit, fortasse necessarium erit nomen fingere: si autẽ sic assignentur, manifestum est: quoniam omnia quę ad aliquid sunt, ad conuertentia dicuntur.

11. Videntur autem ipsa ad aliquid simul esse natura: & in plurimis quidẽ verum est: in aliquibus verò non verum: simul enim duplum & dimidium sunt: & cũ sit dimidium, duplum est: & cùm sit dominus, seruus est: & cum sit seruus, dominus est: similiter autem his & alia. Simul autem hæc auferunt se se inuicem: si enim non sit duplum, non erit dimidium: & si non sit dimidiũ, non erit duplum: similiter autẽ & in alijs, quæcunque talia sunt.

12. Non autem in omnibus his, quæ ad aliquid, verum videtur esse simul natura: scibile enim scientia prius videbitur esse: nanq; in pluribus præexistentibus rebus scientias accipimus: in paucis enim vel nullo quisquam hoc perspiciet simul cũ scibili scientiã esse factam. Amplius, scibile sublatum simul aufert scientiã: scientia verò simul non aufert scibile, nam si scibile non sit, nõ erit scientia, nullius enim erit scientia: scientia verò si nõ sit, nihil prohibet esse scibile, vt circuli quadratura si est scibilis, scientia quidẽ eius nondũ est, ipsa verò scibilis est. Amplius, animal ut quidẽ sublato non erit scientia, scibilium verò plurima esse contingit.

13. Similiter autem his sese habẽt ea quę de sensu sunt: sensibile enim prius quam sensus esse videtur, sublatũ enim sensibile simul aufert sensum: sensus verò sensibile non simul aufert, sensus enim circa corpus & in corpore sunt, sensibile autẽ sublato, aufertur & corp': sensibile enim corpus est. Cùm aũt corpus non sit, aufertur & sensus, quare simul aufert sensibile sensum: sensus verò sensibile non simul aufert: sublato enim animali, sensus quidem aufertur sensibile aũt erit corpus: vt calidum, dulce, amarum, & omnia alia quæcunq; sunt sensibilia. Amplius, sensus quidem simul cum sensitiuo sit: simul enim fit animal, & sensus: sensibile verò ante animal, aut sensum est. Ignis enim, & aqua, & alia huiusmodi, ex quibus ipsum animal cõstat, ante sunt, quã animal omnino sit, aut sensus: quare prius sensibile quã sensus esse videbitur.

14. Habet aũt dubitationem, vtrum nulla substantia ad aliquid dicatur, quemadmodũ videtur, si hoc contingat secundũ quasdam secundas substantias. Nam in primis substantijs verum est, nam neque tota, neq; partes primarum substantiarum dicuntur ad aliquid. Nam quidã homo non dicitur alicuius quidam homo. neq; quidam bos, alicuius quidã bos. Similiter aũt & partes: quędam enim manus non dicitur alicuius quędam manus, sed alicuius manus. & quoddam caput nõ dicitur alicuius quoddã caput, sed alicuius caput. Similiter autem & in secundis

substantijs, atq; hoc quidẽ in pluribus, vt homo non dicitur alicuius homo, nec bos alicuius bos, nec lignũ alicuius lignũ, sed alicuius possessio dicitur: in huiusmodi ergo manifestum est, quoniam nõ sunt ad aliquid. In aliquibus verò secũdis substãtijs habet dubitationem, vt caput alicuius caput dicitur, & manus alicuius dicitur manus, & singula huiusmodi. quare hæc fortasse ad aliquid esse videbuntur. Si igitur sufficienter eorum quę sunt ad aliquid, definitio assignata est, aut omnino difficile, aut impossibile est ostendere quòd nulla substantia eorum quæ sunt ad aliquid dicitur.

15. Si autẽ non sufficienter, sed sunt ad aliquid, quib' hoc ipsum est esse, ad aliquid quodam modo se habere, fortasse aliquid cõtra ista dicetur. Prior verò definitio sequitur quidẽ omnia ea, quę sunt ad aliquid, nõ tamen in ipsis idẽ est cum eo quod esse ad aliquid, ipsa quæ sunt, aliorum dicantur. Ex his autem manifestum est, quod si quis aliquid eorum quæ sunt ad aliquid, definitè sciet, & illud ad quod dicitur, definitè sciturus est. Manifestum igitur & ex ipsis est: si enim nouit aliquis hoc, quod aliquid est (est autem esse ijs, quę ad aliquid sunt, idem ac ad aliquid aliquo modo se habere) & illud nouit, ad quod hoc aliquo modo se habet. Si enim non nouit omnino ad quod hoc aliquo modo se habet, neque si ad aliquid hoc aliquo modo se habet noscet. Sed & in singulis palam hoc est, vt si quid nouit quis definitè quod duplum est: & cuius duplum est, mox definitè nouit: si enim nullius definitorum nouit ipsum duplũ esse, neq; si sit duplum omnino nouit. Similiter autẽ & hoc aliquid si nouit quis quod melius est, & quo melius est statim definitè necessarium est nosse. Propter hęc autem nõ indefinitè hoc cognoscet, quòd hoc est peiore melius: suspicio enim hęc est, non scientia: non enim adhuc sciet exactè quod est peiore melius: si enim sic accidit, nihil est deterius ipso. Quapropter palam est q. necessarium est, si

nouerit quis aliquod relatiuorũ definitè, & id ad quod definitè, necesse est nosse.

16. Caput verò, & manus, & eorum singula, quæ substantia sunt, ea ipsa quæ sunt scirì definitè possunt: ad quod verò dicãtur non est necessarium scire: cuius enim hoc caput, vel cuius hæc manus sit, nõ est scire definitè: quare non erunt hæc ad aliquid. Si verò non sunt hæc eorum quę sunt ad aliquid, verum erit dicere quòd nulla substantia eorum est quæ sunt ad aliquid. Fortasse autẽ difficile sit de eiusmodi rebus vehementer asserere, nisi ea sæpe pertractata sunt: dubitasse autẽ de horum vnoquoque non est inutile.

Cur potius de prædicamento ad aliquid, quàm de qualitate egerit?

NOn parua primo se nobis offert difficultas, cur prędicamentũ hoc qualitati anteponatur, ratio enim dubitandi est: prius est rẽ esse in se, quàm ad aliud comparari, sed qualitas conuenit rei secundũ se, relatio verò vt alteri comparatur, ergo prior est qualitas secundũ naturam: imo Aristot. ipse 5. Meta. c 14 quale præposuit, & in diuisione horum prædicamentorum præcedenti. Architas illa ratione motus, vt refert Simpli. quale anteposuit ipsi prædicamento ad aliquid.

Duplex ordo est in Categorijs.

Circa hoc aduerte ex Simplicio in his prędicamentis, quòd duplex est ordo, quidam naturæ, & essentiæ, secundũ quem vnum in suo esse, & natura alterum præcedit: alter est ordo doctrinæ, secũdum quem vnius cognitio, & doctrina prius traditur cognitiõe alterius, & vnũ prius, alterum posterius docemur.

Hoc suppositio Doctores Louanienses, dicunt hic non ordinem naturæ, sed doctrinæ solum seruari, secundum quẽ illa semper prætermittenda sunt, quæ magis priorum cognitioni necessaria sunt, siue priora sint, siue posteriora. Constat autem post quantitatem magis necessariam esse relatiuorum cognitionẽ, cum in prædicamento quantitatis longa fa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cta fuerit mentio eorum, scilicet de magno, & paruo, & reliquis, quæ ad aliquid dicuntur. Quam rationem etiam tradit Ammon. huius ordinis, quo ad aliquid præponitur qualitati.

At Simpl. Porph. & Boet. etiam ordinem naturæ cum ordine doctrinę seruari insinuant secundum Arist. quia substantia corporea prius est quanta, quàm qualis, cum quantitas sit eius passio prima, sed ad quantitatem immediatè sequitur esse magnum, vel paruum, æquale, inæquale, quæ omnia ad aliquid sunt: prius ergo est ad aliquid ipso quali: nec obstat aliquas relationes, & habitudines esse posteriores qualitatibus, scilicet illas, quę ex qualitatibus oriuntur: sat est à toto genere, quòd natura ipsius ad aliquid in aliquibus præcedat qualitatem, non autem qualitas vlla antecedat quãtitatem: prior igitur natura est relatio, similiter & doctrina propter rationem dictam prius.

1. *Ad aliquid verò talia dicuntur quæcunque hoc ipsum, quod sunt aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad aliud, &c.*

Caput istud in tres partes diuiditur. Prima continet definitionem quãdam eorum, quę ad aliquid sunt, & ipsius explicationem: quæ definitio communis erat tempore Aristotelis, imò ipsius Platonis, vt vult Alber. & Boet. quamuis id neget Simplicius. Secunda cõtinet quatuor proprietates, quæ secundum talem definitionem consequuntur. Tertia proponit vnum absurdum, quod iuxta talẽ definitionẽ sequitur, & ea reiecta aliam ponit, quæ maximè relatis conuenit. Similiter quandam ipsorum infert proprietatem.

Nota. Attẽde autem has definitiones generalissimorum, vt sæpè dixi, non esse proprias definitiones, cum genere & differentia careant, sed descriptiones, quædam sunt, per quas rem magis manifestã facimus per ea, quæ clariora sunt.

Nota. Aduerte igitur, accidẽtis duplex esse genus. Quoddam inest subiecto absque alterius subiecti dependẽtia, vt albedo inest niui, calor igni, superficies corpori absq; alterius vllius ordine, & habitudine, & hoc accidens absolutum dicitur. Quoddam accidẽs inest alicui subiecto cum dependentia alterius subiecti accidentis: vt paternitas inest vni homini, dependenter tamen ab alio, cui inest filiatio, simile inest huic albedini, dependenter tamen ab altera albedine, cui in est etiam illa similitudo: tale igitur accidens dicitur respectiuum, & ad aliquid, cuius natura hæc est, vt non insit vnum alteri, quin etiam alterum ei correspondens, alteri simul insit. Accidentis duplex genus reperiri.

Ex quo collige rationem tituli huius prædicamenti, dicitur enim in plurali, de his, quę sunt ad aliquid, & semper Aristote. in capite pluraliter loquitur: cuius ratio est, vt notat Ammon. & Albert. tract. isto. cap. 3. quia nunquam ista singula consistunt, sed semper bina, vnum ad alterum. Nec propter hoc negamus, quin singulariter possit proferri, vt notat Simpli. dici enim potest, pater est ad aliquid, & duplum est ad aliquid: sed ad insinuandam horum naturam, quæ sine multitudine esse non potest, pluraliter loquimur. Nota.

Per hæc itaque manifestatur Aristotelis descriptio. Illa sunt ad aliquid, quorum hoc ipsum, quot sunt, id est, quorum natura, & substantia est, ad aliud dici, & referri: at quia variè vnum ad alterũ dicitur, aliquando per habitudinem genitiui, vt pater est filij pater, aliquãdo per habitudinem datiui, simile est alicui simili: simile: vel ablatiui, maius est minore maius: aliquando id fit per accusatiuum, aliquando cum præpositione, aliquando sine illa, vt dicit Simpl. Propterea dicit Aristoteles aliorum dicuntur, vel quomodolibet aliter ad aliud scilicet dicũtur. Hæc est omnium explicatio communis descriptionis huius.

Ponit Aristoteles exemplа per varios casus. Maius, inquit, aliquo maius est. duplum

plum etiam alterius duplum est: & alia similiter quæ adinuicem conferuntur. Hæc græce genitiui habitudinem explicant: quamuis latinè sint casus varij.

2. *At verò sunt etiam & hæc ad aliquid, &c.*

Prosequitur Aristoteles exempla proponere eorum, quæ ad aliquid sunt, ponit autem ista, quę sequuntur, scilicet habitum, dispositionẽ, scientiam, sensum, positionem: in quibus notabis hæc quatuor prima ad obiectum referri. Si enim habitus est, alicuius obiecti habitus, est similiter & dispositio: differunt enim hoc solo habitus & dispositio, quòd habitus inhæret subiecto, à quo difficilè remoueri potest: dispositio est, quæ facilè remouetur: similiter scientia, & sensus, alicuius obiecti scientia, & sensus sunt: positio autem refertur & ad subiectum, & ad locum: est enim positio habitudo corporis ad locum.

Dubiũ. 1. Dubitabis, vt quid Arist. non continuauit hęc exempla prioribus, sed quadam interruptione vsus est, dicens, (sunt etiã & hęc ad aliquid) Respõdet Ammo. id factum fuisse propter duo. Alterũ est, quia priora exempla erãt habitudinis genitiui, quibus explicatur illa definitionis pars, aliorum dicuntur: nunc autem ista sunt habitudinis aliorum casuum, quibus explicatur illa altera pars, vel quomodo libet aliter ad aliud. Alterum est, quod etiam notat Simpli. ista quę ad aliquid dicũtur, oriuntur ex multis prædicamentis: quædam ex quantitate, vt duplum, maius: quędam ex qualitate, vt scientia, habitus: quędam ex situ, vt positio, & cubatio: & quia exempla priora erant de his, quę quantitatem consequuntur, posteriora verò de his, quę qualitatem, & alia sequuntur, ideo distinxit, & interruptione illa vsus est. Sed potest huius tertia ratio non spernenda adhiberi, quòd ista definitio Aristote. non est ipsius, sed communis, quam ipse est postea reiectus: suscipit tamen eam modo explicandam, quia tunc passim circunferebatur: ac propterea multa secundum hanc infert, & dicit, quę non tanquam vera, sed tanquã absurda ex tali definitione promanantia recipienda sunt: id, quod doctè aduertit Ammo. est autem vnum ex his, quod subiunxit, ac si dicat: si ad aliquid sunt, quę aliorum dicuntur, ista ad aliquid sunt, scilicet habitus, dispositio, & reliqua, quæ tamen verè ad aliquid nõ sunt, cum sint aliorum prædicamentorum: ac propterea secundum talem definitionem probat esse ad aliquid, dum dicit ista dici ad aliud, & non aliud quiddã, id est, nõ habent aliud quicquam, quàm ad aliud dici: sed horum veritas postea examinanda est.

Solutio.

Ad aliquid igitur sunt, quæcunque hoc ipsum quod sunt, &c. 3.

Ex manifestatione superiori per exẽpla infert definitionem eandem, velut aliqua ratione probatam: infert etiam eam, vt aliis exemplis habitudines aliorum casuum exprimentibus, declaret: magnum enim ad aliquid dicitur, & simile & reliqua: subiunxit etiam accubitum, stationem, & sessionem esse ad aliquid, & probat, quia sunt positiones, positio verò ad aliquid est: at ipsorum concreta, scilicet sedere, stare, non sunt ad aliquid.

Dubitabis, quare id dicit Aristoteles de concretis. Respondent Ammonius & Simplicius, quia concreta sunt alterius prædicamenti, scilicet situs, abstracta verò huius: & posset quis decipi, existimans etiam ista poni in hoc prædicamẽto, cũ eorum abstracta collocentur. Notanter vnum isti doctores maximè aduertendũ, non semper abstractũ, & eius concretum ad idem pertinere prędicamẽtum, nam locus & tempus sunt in quantitate, tamẽ esse in loco est aliud prædicamentum, vbi: & esse in tempore, est aliud, scilicet quando, quæ duo prędicamenta sunt denominatiua abillis. Dubiũ. 2. Concretũ & abstractum non semper ad eandẽ pertinent Categoriam.

Dubitabis quare statio, sessio, ad aliquid sunt, non autem sedere, & stare. Dubium. 2.

Respõdent etiam isti doctores, quia abstracta non includunt subiectum ipsum, sed tantum habitudinem ad illud dicit, quæ ad aliquid est: at ipsa concreta non habitudinem, sed subiectũ ipsum, & substantiam dicunt. Hæc omnia intellige iuxta definitionem assignatam: an enim ista sint secundum definitionem exactã Aristotelis, quam in fine tradit, postea examinabimus.

Inest autẽ contrarietas in his, quæ sunt ad aliquid, &c.

Hęc est secunda pars capitis, in qua ea, quæ huic prędicamento insunt, Aristoteles ponit, & enarrat: incipit autem à cõmunibus: hæc enim est doctrina, quã ipsemet docet 1 physi. cap. 7. vt primum communia, deinde propria tradantur. Conuenit igitur his, quę ad aliquid sunt, habere contraria: hoc autem exemplis manifestat, virtus enim vitio, & ignorantiæ scientia contraria est: ac hoc, inquit, non omnibus, quæ ad aliquid sunt, inest: duplum enim non habet contrarium, nec dimidium, & tamen ista ad aliquid sunt.

Dubiũ. 1. Posset quis non immeritò obijcere: superius enim in quantitate dixit Aristo. magnum & parum non esse contraria, quia sunt ad aliquid: quo igitur modo hic docet, ea, quæ ad aliquid sunt, esse contraria? nec potest dici, hic loqui de cõtrarietate largè, vt cõplectitur quamcunque oppositionem, sic enim non diceret, aliqua non habere contrarium, cum constet, omnia quę ad aliquid sunt, relatiuè oppont: loquitur ergo de contrarietate propria, de qua in alijs prædicamentis loquutus est.

Solutio. Aduerte, illos respectus, qui ad aliquid sunt, semper esse simul cum alijs accidentibus, absolutis, à quibus procedunt: vt similitudo est cum qualitate, magnum cum quãtitate, &c. Vnde dupliciter possunt considerari: vno modo, secundum illos respectus puros, & vt ad aliquid sunt, & tunc non habent contrarium, & hoc est, quod dixit capit. de Quantitate: altero modo secundum illud accidens, cui copulantur, quod fundamentum vocatur, & tunc si illud habuerit contrarium, dicetur istud habere contrarium si verò non habuerit, dicetur istud non habere: & quia non omnia accidentia in quibus ad aliquid fundantur, contraria habent, ideo dicit aliqua habere, nempe ex illis, quæ in qualitate fundantur: aliqua verò non habere, scilicet illa quæ in quantitate innituntur: ita docet Simpl. & Ammo. & benè: cuius signũ est, quòd quando cõtraria assignat, non ponit correlatiua: vt scientia non contrariatur scibili, sed ignorantiæ: virtus non contrariatur ei, cuius virtus est, sed vitio, non ergo vt ad inuicem referuntur, contrarietatem habent, sed vt secundum se & in fundamento sumuntur.

Dubitabis, quomodo in hoc prædicamento scientiam, virtutem, & alia collocet cum tamẽ hæc in quarto prędicamẽto constituantur. Respondet Ammo. nõ id ex propria sententia fecisse, sed simulanter ad labefactandã illam definitionem, ex qua sequebatur, ista in hoc prędicamẽto esse. At verò aliter respõ. Simpli. & Boe. in præsenti, & Alb. tract. isto ca. 4. quod maximè notandũ est, asserunt enim, ista & in hoc prædicamento, & in alijs esse, nõ est enim inconueniens, quod vna res secundum varias rationes, & considerationes, ad varia pertineat prędicamenta: scientia enim, ignorantia, virtus & reliqua, vt secundum se sumuntur, & subiectum ipsum perficiunt, & disponũt, qualitates sunt, & ad quartum prædicamentum pertinent: at vt ad obiectũ suũ referuntur secundum tales habitudines, & respectus in prędicamento isto collocantur: sed harum opinionum iudicium postea in disputatione proferetur. Dub. 2. Solutio.

Videntur autem magis & minus ea, quæ ad aliquid sunt, suscipere, &c.

Hęc est secunda ipsius ad aliquid proprietas, scilicet suscipere magis, & minus,

minus, quam exemplari inductione manifestat, simile enim, & dissimile, æquale, & inæquale ad aliquid sunt, tamen suscipiunt magis & minus: vnum enim alio magis est simile, & magis dissimile: æquale, vel inæquale, magis vel minus.

Hic aduerte, quando audis, ista esse ad aliquid, ne intelligas ista esse ad aliquid adinuicem: aliud enim est, esse ad aliquid, seu quod alij vocãt, relatiua, & esse ad aliquid ad se inuicem, quod alij vocãt correlatiua: relatiua enim, seu ad aliquid dicuntur plura, quorum singula ad aliud dicuntur, non tamen vnum ad alterum inter se: vt pater, duplum, simile, relatiua sunt, seu ad aliquid, quia dicuntur ad aliud, non quidem inter se, sed singula ad suum proprium terminum: pater enim ad filium, duplum ad subduplum, simile ad simile: correlatiua verò, seu ad aliquid ad inuicem dicuntur, quorum vnum ad alterum dicitur, sicut pater, & filius sunt correlatiua, per ista intelliges exempla numerata esse relatiuorum, sed non correlatiuorum.

QVAESTIO.

An relatio suscipiat magis & minus.

Dub- DVbitatur, an suscipere magis, vel minus, competat relatis, ratione fundamenti, sicut habere contraria: in ratione naturæ propriæ, ita vero in quantum ad aliquid sunt, magis, vel minus suscipiãt. Hoc dubium est principale, & dignum consideratione, prius tamen sunt explicanda verba, quæ post ista sequuntur, inquit enim Aristoteles non omnibus hoc inesse relatis, duplũ enim magis vel minus nõ recipit.

2. opinio Ad dubium igitur respondet Albert. tract. isto c. 5 Simpl. Ammon. & Boetius, & tandem est sententia communis, relatiua suscipere magis, vel minus, nõ suã ratione, sed fundamẽti: quod si eis obijcias, aliqua fundamenta non suscipere contraria, vt quãtitas, in qua æquale, vel inæquale fundantur, nõ suscipit magis vel minus, ipsum tamen æquale, & inæquale magis suscipiunt: Ad hoc non eodem modo respondent: Boet. enim & Simpl. dicunt æquale, & inæquale esse passiones quasdam, & qualitates ipsius quantitatis: & quantitas secundũ se non suscipit magis, vel minus, sed secundum has qualitates: & iudicio meo, isti doctores hoc sibi volunt, quod relatio non est, quæ magis, vel minus denominatur, sed quãtitas per has relationes, quæ qualitates ipsius sunt quantum enim vnum est magis vel minus inæquale alteri.

Ista opinio non absolnit dubium, nec respondet quæstioni, nam eodem modo qualitas non suscipit magis vel minus, sed subiectum per eam: vnum enim est magis alteri simile subiecto per albedinem, & tamen hoc non obstante, asserimũs, qualitati à se, & non à subiecto conuenire suscipere magis: esset ergo idẽ dicendum de relatione.

Albert. tract. isto c. 5 aliter respõdet, 2. opin. dicit enim quantitatẽ aliquo modo suscipere magis, vel minus: vna enim maior, altera minor est, & hoc sufficit, vt ab ea relatio æqualis vel inæqualis suscipiat magis vel minus.

Sed nec hoc plenè satisfacit, nam cũ magis & minus in relatione sit intẽsiuè, & maius & minus in quantitate sit extensiuè, videtur non relationi à fundamento, sed à se, id inesse.

Ammonius aliter etiam respondet: in 3. opinio quit, æquale, vel inæquale non suscipere propriè magis vel minus, sed impropriè, & abusiuè: quod enim propriè magis & minus suscipit, cũ suo contrario miscetur, vt albũ, quo magis est enim nigro mistum, minus est album, quo verò minus, magis est album: & æquale, & inæquale non miscentur illo modo: æquale enim nihil habet inæqualitatis, nec inæquale aliquid participat æqualitatis, cũ æqualitas cõsistat in indiuisibili, à quo recedere est non amplius esse æquale: & inæquale nihil participat æqualitatis, dum inæquale manet: impropriè tamen est, illud magis

gis & minus, quomodo æquale etiam vocamus, quod non multum distat ab æqualitate propria. Hæc ex Ammonio.

4. opin. At si hoc altiùs cõsideramus, inuenie mus Architam, vt refert Simpl. existimasse, suscipere magis vel minus, inesse ipsis relatis, vt relata sunt, & non ratione fundamenti: vnde Architas ipse nõ assignauit illud, scilicet habere contraria in his quæ ad aliquid sunt: posuit tamen hanc proprietatem, scilicet suscipere magis: illa enim proprietas non relatis à se, sed à fundamento inerat: hæc verò ipsis secundum se competit.

Et hæc opinio probatur argumento iudicio meo, satis conuincenti. Si nõ suscipit relatio magis vel minus, nisi ratione fundamenti, sequitur, quoties fundamentum suscipit magis, & ipsa relatio suscipiet magis, & quoties fundamentũ suscipit minus, & ipsa relatio suscipiet minus: & quoties fundamentũ nec magis, nec minus est susceptiuum, nec ipsa relatio suscipiet: sed videmus totum oppositum, patet: Sint duo alba, vnum intẽsum vt octo, alterum intensum vt quatuor: ista sunt similia, tunc sumo similitudinẽ illius, quod est vt octo, & pono quod albedo remittatur, & fiat vt septẽ, tunc similitudo est maior, & illud magis simile: & si fiat vt sex, magis erit simile: & si fiat vt quatuor, multo similius. Præterea sint duo alba vt quatuor. ista sunt maximè similia: augeatur, & intendatur vnũ, & fiat, vt quinque, tunc minus erunt similia, & quò magis vnũ intenditur, tantò in eo minus existet similitudo. Præterea æquale, & inæquale, magis suscipiunt, tamen non ratione fundamenti, quia fundamentum vel non suscipit. vel multo aliter suscipit, scilicet extensiuè, inæquale verò intensiuè suscipit.

Respon. ad dubium. Propterea existimo esse dicendũ: Dupliciter posse intelligi relationem suscipere magis vel minus, ratione fundamenti. Vno modo, vt non habeat aliam intensionẽ, nec suscipiat magis vel minus aliter, quã suum fundamentũ: sicut non habet contraria, nisi contraria fundamenti: ita, vt nõ illa relationi, sed fundamento contraria sint, vt aliqui intelligunt: & iste sensus est falsissimus, vt argumenta superiora euidenter probant. Alterο modo, quod non suscipiant magis vel minus, per solam sui mutationem, sicut qualitates, scilicet, albedo, nigredo, & alia, quæ sola sui mutatione intenduntur: at ista intendãtur, & remittantur per mutationem fundamẽti aliquã, licet nõ sit aptum suscipere magis vel minus, sicut in quantitate, vbi est maius & minus, sit magis vel minus, æqualis vel inæqualis, ex mutatione quantitatis: quia vel augetur, vel minuitur: & iste sensus est verissimus, & intentus ab Archita, & Metaphysico dignus.

Patet igitur relationes in se, & secundũ se, magis vel minus suscipere, non tamen sine aliqua subiecti, seu potius fundamẽti mutatione, & variatione, nec ista est sicut prima communitas suscipiendi contraria: & hoc doctè aduertit Caietanus, & est maximè memoriæ mandandum.

Dub. 2. Dubitatur, Si relatiua suscipiunt magis vel minus, secundum se, & non secundum fundamentum, quæ igitur relatiua non suscipient magis vel minus? ad hoc dico, relatiua quæ uis in se magis & minus recipiant, non tamen id fit. nisi aliqua fundamenti variatione comitante.

Solut. Sunt autẽ quædam accidentia relatiua, quæ non ex tali fundamento procedunt, sed ex fundamẽto vnico modo inuariabili se habente, vt duplum, triplum, & alia, quę ex quãtitatibus sic se habẽtibus consequuntur, scilicet quod vna alteram, bis aut ter adæquatè contineat: & tales non suscipiũt magis nec minus: qua variato fundamẽto ab illa vniformitate, destruitur relatio. Quædam alia procedunt ex fundamento, sed non vno modo, & inuariabili se habẽte, vt similitudo ex duob⁹ albis vtcunque se habentibus fluit: & inæquale ex quantitate: & ista variato fundamento magis vel minus recipiunt.

Dub. 3. Dubitatur præterea: nam hoc pacto æqua-

æquale non susciperet magis nec minus, quia æqualitas oritur inter duas quantitates indiuisibili modo se habentes, ità vt neutra ab altera excedatur, nec excedat. Respõdeo nõ hic in tanto rigore sumi æquale, sed abusiuè, vt etiã quod accedit ad prorsus æquale, dicatur æquale, & q̃ magis accedit, magis æquale.

6. *Omnia autem quæ sunt ad aliquid ad conuertentiam dicuntur, &c.*

Hæc est tertia proprietas relatiuorũ, scilicet correlatiua dici ad conuertentiã: & diutius immoratur in ista, quam in alijs, facitq; quatuor. Primo eam exẽplis explicat. Secundo ostẽdit, quo modo in ea contingat errare. Tertiò adhibet remedium contra errorem. Quartò docet canonem obseruandi, quando ad cõuertentiam dicantur.

Notab. Aduerte igitur, nõ hic de conuertentia duorum terminorum æqualium, qua ab vno ad alterum valet illatio, agi, quã aliqui vocãt conuertibilitatẽ, vt notat Alber. tract. isto. c. 6. nec similiter de cõuertentia duarum propositionum, qua ab vna ad alteram, transmutatis extremis, licet argumentari, quæ conuersio vocatur: sed est sermo de mutua illatione qua correlatiua se ita habent, non vt vnum de alio prædicetur, sed vt vnũ per habitudinem ad alterum exprimatur, & ad inuicem conferantur: quod exemplis manifestat Aristot. seruus est heri seruus. & herus est serui herus: duplum est dimidij duplum, dimidium est dupli dimidium. Notatque Arist. vnum in ista conuertentia, qua mutis correlatiuorum habitudo mutua fit, tamen non semper secundum locutionem esse eosdẽ casus: aliquando enim vnum per genitiuum, alterum verò altero casu refertur, vt scientia est scibilis obiecti scientia scibile autem est scientia scibile, vel per scientiã sensus est sensibilis rei sensus, sensibilis verò res est sensu, vel per sensum sensibilis: idem in multis alijs euenit.

At verò aliquoties non videbitur conuerti, &c.

Hæc est secunda particula, in qua docet istam conuertentiam mutuam deficere, quãdo nõ est conueniẽs correlatiuorum assignatio, id est, quando vnum alterius non est, proprium correlatiuũ: exemplo manifestatur, ala, & auis, non ad conuertentiam dicuntur mutuo, quãuis enim verum sit, auis est ala auis, non tamen ala est alicuius auis ala, quia multa habent alas, quæ tamen aues nõ sunt: hæc autem conuertẽtia non fit, quia nõ sunt correlatiua vera, hæc enim sunt, ala & alatum, & tũc est conuertentia, ala est alati ala, & alatum est ala alatum: nam vespæ, & apes, & formicæ alatæ sunt, nõ tamen aues sunt: patet ergo quoties conueniens assignatio fit, correlatiua dici ad conuertentiam. 7.

Aliquoties autem fortè & nomen fingere necesse erit, &c. 8.

Hæc est tertia particula, in qua docet remedium ad conuertentiam faciendã: multoties enim non potest fieri ista nominum correlatiuorũ assignatio, & accõmodatio, ratione defectus nominum, quia vnum correlatiuum habet quidem nomẽ, sed nõ alterũ: verbi gratia, remus, & triremis: triremis enim remo triremis est, non tamen è contra, remus est triremis remus, cũ alia à triremibus remos habeant: tunc autẽ vult Arist. vt in tali nominum defectu ad conuertentiã assignãdam, nomen fingamus, quo aptè correlatiuũ explicetur, vt remus est remi triremis. Similiter, inquit, caput, & animal, nõ cõuertuntur: non enim animal est capite animal, cũ animalia sint caput nõ habẽtia, vt vermes, conchylia, caneri: licebit ergo fingere capitatũ, & tunc conuertentur, caput est capitati caput: capitatũ est capite capitatum. Aduertè græcè nõ remus est, sed pedalion, quod est clauus, seu gubernaculum, quo nauis gubernatur: Boet. verò transtulit remum, vt simili vteretur exemplo in latina lingua, sed nihil refert.

Sic autem fortasse facillimè quis fu-mit, &c.

Tra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tradit regulam, qua modus nomina fingendi ostenditur. Inquit, ab illo nomine, cuius correlatiuum assignandum est, esse sumendũ denominatiuum comprehendens omnia, quæ illud nomen participant. Verbi gratia, volo assignare correlatiuum capitis, quod nõ est impositũ, tunc à capite sumendum est denominatiuum, scilicet capitatũ, quod omnia ea, quæ capite prædita sunt comprehdat: idem in alijs obseruandum est: ex quo infert, omnia ad aliquid dici ad conuertentiam, si eorum fiat conueniens assignatio. Hæc omnia exempla vult Ammon. non esse ex propria sententia, sed ex alienа ad repellendam illorum definitionẽ, ex qua ista sunt ad aliquid, caput, manus, clauis, quæ tamen subtilantiæ sunt: & probat Ammon. ista verè non esse ad aliquid, quia eorum, quæ ad aliquid sunt, vno destructo alterum non consili, at manus, caput, & reliqua abscissa ab eo, cuius sunt, & dicitur manus, & caput. Sed posset responderi Ammõ. ista æquinocè iã dici caput & manus, vt docet Arist. 2. de anima. c. 1. & lib. 1. de partibus. c. 1. de hoc tamen dicetur postea.

10. *Dicè autem neque verum, quæ indubitanter, &c.*

Hæc est quarta particula, in qua Aristoteles, ostendit non solùm nõ heri cõuertentiam, quando defectu impositionis nominum non fit conueniens correlatiuorum assignatio, sed etiam non fieri, quando etiã si nomina imposita sint, tamen non assumitur nomen, talem habitudinem explicãs: verbi gratia. Si quis dicat pater est, ergo hominis pater est, non valet, non quia nomen correlatiui deficiat, sed quod non assumatur: illud nomen, secundum quod verè est relatio scilicet pater est filij pater in quo docemur in conuertentia non solum correlatiua, sed etiam nomina ipsa talem correlationem significantia esse sumẽda, quæ si sumãtur, in omnibus erit conuertẽtia.

Nota. Subiungitq; rationem ad obseruandũ an fuerit recta correlatiui assignatio. Pro cuius declaratione, aduerte, quod sicut in re vna multæ aliæ coniunguntur, ita etiam varijs, vnum, & idem, nominibus significatur. Singula autem illud significant ab vnica speciali ratione, & forma, quæ in illo est, idem enim dicitur homo animal, album, pater, legens & reliqua. Ex quo sequitur, quod vnum correlatiuum posset multis nominibus assignari, ductis ab ijs, quæ in eo sunt: verbi gratia, pater est filij pater, & si filius est homo, hominis pater, colorati pater, studẽtis pater, tamen nõ omnia illa explicant rationem, secundũ quam refertur pater, nisi filius: & propterea ab Arist. omnia illa, accidentia vocantur, nõ quòd omnia accidentia sint, sed quòd accidant, & nõ sint de natura relatiui.

Canon autem est hic ad cognoscendum quod si verè inter illa correlatiuũ: obseruandũ est, an si omnia alia remouerẽtur, & illud solum superesset, dicere tur adhuc ad aliquid, & esset cõuertẽtia: quando enim id fit, est correlatiuũ, quando verò non correlatiuum non est: verbi gratia, pater est filij pater: si volumus ergo cognoscere, an filius sit verè correlatiuum, obseruare oportet, an remoto à filio, quod sit homo, quod sit albꝰ, quod sit bipes, manente hoc, quod filius sit, ad huc pater conuerteretur: & quia ita est, est verum correlatiuum, tamen pater est hominis pater, & homo non est correlatiuum: quia remotis omnibus alijs ab homine, scilicet quòd sit filius albus, & reliqua, non conuerteretur pater. Hæc, exẽplo, de domino & de alia manifestat Aristoteles.

11. *Videtur autem ad aliquid simul esse natura, &c.*

Hæc est quarta proprietas eorũ, quæ sunt ad aliquid, vt sint simul natura, & vnum absque altero minimè possit existere, vt duplum non est sine subduplo, nec pater sine filio. Aduerte ex Aristot. cap. 13. horum prædicamentorum duo esse necessaria, vt aliqua sint simul natura. Alterum, vt ab vno ad alterum mutua

tua sit consequentia, quantum ad eorũ existentiam: vt si pater est, est etiam filius. Alterũ, vt neutrum sit causa alteri*: defectu prioris, homo, & animal nõ sunt simul natura: nec vniuersaliter inferius & superius: defectu verò posterioris, sol, & lux non sunt simul natura, quia sol est causa lucis, vtraque tamen hæc in correlatiuis obseruantur, valet enim, ab vno ad alterum: & vnum alterius non est causa.

Dubiũ. Dubitatur: Pater & filius, causa & effectus sunt correlatiua, tamen vnum est ante alterũ, & vnum est causa alterius: pater enim est ante filium, & causa est causa effectus: ergo non sunt simul natura.

Duoque dã in relatis reperiri. Pro hoc nota, duo esse in his quæ ad aliquid sunt: alterum est ipsa forma relationis, secundum quam ad aliud sunt, alterũ ipsum fundamentum, & subiectum, cui talis relatio ineſt, & ipsum denominat. Igitur secundum relationis formam nullum relatiuum antecedit suum correlatiuum nec eius est causa: non enim est prior relatio paternitatis, nec prius aliquid dicitur pater, quam relatio filiationis, & quã aliquid dicatur filius, nec similiter vnum est alterius causa, cum sit mutua vtrinsq; dependentia à se inuicẽ: & hoc est quod hic docet Aristot. At secundum fundamentum, & subiectum nihil vetat, quòd vnum sit prius altero, & causa eius, vt argumentum probat, ille enim homo qui patet dicitur, ante cesit hominem, qui filius est. Similiter & res, quæ est causa, præcessit rem, quæ est effectus, non tamen prius fuit pater, & prius fuit causa, quàm fuerit filius, & quàm fuerit effectus: ita docet Ammon. & benè, & Albertus tract. isto. c. 7. inquit relatiua esse simul natura id est, formam relationis: nam secundũ naturam eorum, quæ referuntur nõ sunt simul. Simpl. cum Archita asserit, relatiua esse ad inuicem sibi causas, vt pater est causa. vt sit filius, & filius causa vt sit pater: tamen diximus iam ex Arist. correlatiuorum vnum non esse alterius causam, quamuis & illud sit probabile.

12. *Non autem in omnibus relatiuis verum videtur, &c.*

Hanc correlatiuorum proprietatem non vniuersalé esse contendit, manifestatq; duplici instãtia, aliqua correlatiua nõ esse simul natura. Primò in scientia, & scibili, quæ correlatiua sunt, tamẽ scibile est prius sciẽtia q̃ probat dupliciter. Primò, quia à rebus ipsis præexistentibus scientiæ acceptæ sunt, ergo res scibiles præcesserunt scientias. Secũdò, scibili ablato auferetur scientia, & scientia ablata non tollitur scibile, ergo nõ sunt simul. Consequentia est certa, ex hoc, quod diximus, simul natura esse simul existẽtia. Antecedens dupliciter probatur. Primò q̃ ablato scibili auferatur sciẽtia: sciẽtia non potest esse sine obiecto, sed ablato scibili auferetur obiectũ, ergo sine scibili non est scientia. Secundò verò q̃ ablata scientia non auferatur scibile, patet primò, quia multa scibilia sunt, quorũ scientia nondum est inuẽta: quadratura enim circuli apud Geometras scibilis est, tamẽ nondum eius est scientia. Præterea sciẽtia auferri potest ablato homine, in quo est scientia: sed etiam si homo nõ esset, manerent multæ res scibiles: non ergo scientia aufert scibile, & sic simul natura non sunt.

Dub. Circa hoc aduerte verba Aristotelis, inquit enim: A rebus ipsis iam existentibus scientias accepimus, in paucis enim aut in nullis res scibilis, & scientia simul sunt. Posset esse dubium de sensu horum verborum. Boet. inquit hic loqui Arist. de scientia, qua res impossibiles & imaginarias cognoscimus, hæc enim cognitio simul est cum re cognita, nec sunt res scibilis ante scientiam: sed quia illæ scientiæ sunt raræ, & impropriæ, propterea dixit (in paucis aut in nullis) Hæc ratio est etiam Ammon. & Simpl.

Aliam etiam huius declarationẽ affert Ammon. & Alber. tract. isto. c. 7. pro quo aduerte id, quod in quæstione quadã proœmiali diximus, scientias esse in duplici genere. Quædam sunt speculatiuæ,

per

Universidad de Deusto
Biblioteca

per quas solum res cognoscimus, & hæ sunt posteriores rebus, quia à rebus sumptæ sunt. Quædam aliæ sunt scientiæ practicæ, per quas non solum res cognoscimus, sed etiam eas operamur: & istæ sunt priores rebus scibilibus, cùm sint ipsarum causæ: propter has, inquit Ammo. & Alber. dixit Aristo. in paucis scientiam, & scibile esse simul: at quia aliquo modo in practicis etiam res præcesserunt, propterea dicit (in nullis.)

Sed dices, Scientia practica prior est rescibili, non ergo est scientia & scibile simul hic sunt. Respondent, sumendũ esse scibile per intellectũ, ac si dicat, simul fuit scientia: verbi gratia, scãni, cum ipso scamno faciendo cognito. Aliam huius interpretationẽ addit Simplicius, hic loqui de scientia intelligentiarum, quæ simul est cum ipso scibili, quælibet enim se cognoscit tanquam scibile: quæ cum paucæ sint, & à multis negatæ, propterea dicit (in paucis aut in nullis.) Quælibet harum interpretationum est bona, sed non parua in hoc, & sequenti exemplo est difficultas, quam in disputatione elucidabimus.

13. *Similiter his sese habent ea, quæ de sensu sunt, &c.*

Altera instantia manifestat Arist. nõ omnia correlatiua simul esse: hæc autẽ est de sensu, & sensibili, quæ correlatiua sunt, tamẽ simul non sunt. Probatur. Sensibili ablato sensus aufertur, sed sensu ablato, non aufertur sensibile: ergo nõ sunt simul, sed vnum est altero prius. Loquitur autem hic de sensibili passimè, pro eo quod sentiri potest.

Notab. Sensus omnes in corpore tanquã subiecto existere.

Probatur antecedens dupliciter. Procuius declaratione aduerte, sensus esse in corpore, vt in subiecto, visus enim est in oculo, auditus in aure, & reliqui in corpore subiectãtur, & circa corpus sunt tanquã circa obiectũ, quod enim sentimus, corpus est, vnde & corpus est sensibile. Sẽ sunt tamẽ quãuis in corpore vt in subiecto sint, non tamẽ in quocunq; sed in corpore animalis: quãuis corpus, quod sentitur, sic nõ solum animal, sed etiam alia omnia, vnde corpus quod sentit, animal est, corpus sensibile, id est, quod sentitur, & animal, & alia corpora sunt.

Est modo primum argumentũ. Ablato sensibili aufertur quodcunq; corpus, & animal: sed ablato animali aufertur sensus, ergo de primo ad vltimum, ablato sensibili aufertur sensus, non tamen è contra. ablato sensu aufertur sensibile: nã ablato animali, aufertur sensus, tamẽ ablato animali, non propterea auferuntur reliqua corpora, quæ sensibilia sunt. Vis huius rationis hæc est. Ablato superiore aufertur inferius, & eius proprietas, non tamen ablato inferiori aufertur superius cum proprietate, sed sensus est passio animalis, quod est inferius corpore, cuius corporis passio est sensibile: ergo ablato animali cũ sensu nõ aufertur corpus cũ sensibili, his verò ablatis, auferuntur illa, ergo non sunt simul. Posterior ratio est. Sensus non est, nisi quãdo animal est, sed ante animal, sunt illa, ex quibus animal fit, scilicet elementa, quæ sensibilia sunt, ergo sensibile est prius sensu.

Habet autem dubitationem, vtrum nulla substantia ad aliquid dicatur, &c. 14.

Illa est tertia capitis pars, in qua Aristoteles mouet dubium quoddã ad ostendendam insufficientiã definitionis prioris. Dubium autem est: vtrum nulla substantia sit ad aliquid. Circa quod diuidit substantiam quadrupliciter, in primam & secundam, in partes primæ, & in partes secundæ substantiæ: verbi gratia, homo, quidam homo, caput, quoddam caput quo supposito docet primas substantias, & earum partes ad aliquid non dici non enim dicimus, quidam homo, est alicuius quidam homo, nec quoddam caput, dicitur alicuius quoddam caput: sed tantùm alicuius caput. Similiter id etiã manifestum est in secundis substantijs: homo enim non dicitur alicuius homo, nisi per modum possessionis: quo pacto dicitur, equus alicuius est equus: sed tũc non refertur vt substantia, sed vt res possessa: at de partibus substantiarum, secũdum est ambiguum: nam videntur ad aliquid dici, caput enim alicuius est caput, & manus alicui' est manus. Ad quod respondet Aristot. secundum definitionem præcedentem sequi, illas esse ad aliquid necessario, cum ad aliud dicantur: quod tamen absurdum iudicat cum tales partes substantiæ sint, vt superius dictum est.

15. *Si autem non sufficienter, sed sunt ad aliquid, &c.*

Hic suam definitionem proponit, secundum quam nulla substantia ad aliquid est, definitio verò talis est: ad aliquid sunt, quibus hoc ipsum est esse ad aliquid aliquo modo se habere, id est, quorum natura est ad aliquid, aliquo modo se habere.

Discrimen posterioris & prioris definitionis relatorũ.

Est autem discrimen inter hanc, & illam definitionem: hæc enim dicit naturã eorum quæ ad aliquid sunt, esse ad aliud se habere: illa autẽ dicit, ad aliquid esse, quæ dicuntur ad aliud. Possunt autẽ multa ad aliud dici, & cũ alio conferri, quæ tamen non secundum naturam suã sunt ad aliud: possumus enim hominem cum alio conferre, homo tamen secundum naturam suam ad aliud nõ est: quæ igitur verè ad aliquid sunt, secundũ naturam ad aliud sunt: cum igitur partes substantiarum secundum suam naturã substantiæ sint, & ad aliud non sint, non pertinent ad aliquid.

Ex qua definitione Arist. vnicũ corollarium infert, scilicet vnum relatiuũ definitè non posse cognosci, quin alterum correlatiuũ definitè cognoscatur: quod dupliciter probat. Primo, ratione, ex definitione sumpta: nã natura eorum, quæ ad aliquid sunt, est ad aliud: ergo non cognoscitur natura talis, quin cognoscatur illud etiam aliud, ad quod refertur. Probat secundo inductione explari, vt de duplo, & alijs: si quis enim cognoscat determinatè aliquod duplum, & determinatè cognoscet dimidiũ, cuius est duplũ. Similiter si quis cognoscit aliud esse melius determinatè, necesse esse cognoscat id quod eo deterius est. Nec satis est, ad cognoscendũ, hoc esse melius, cognoscere aliquid deterius esse in cõmuni, & indeterminatè: sed cognoscere debet certo hoc ipso esse deterius. Potest enim esse q; aliquid sit deterius, sed non illo deterius. Propterea si determinatè hoc melius esse cognoscere debemus: oportet, vt id determinatè, quod illo deterius est cognoscamus. Nec sufficit cognoscere deterius in communi, ilta enim est cognitio confusa, & opinio: potest enim esse aliquid deterius, sed non illo.

Dubitatur, quid est definitè cognoscere relatiuum? Auer. Alber. & S. Tho. existimant definitè cognoscere, esse, cognoscere per definitionem quidditatiuam, vt sit sensus, qui quidditatiuè vnum relatiuum cognoscit, & correlatiuum necesse est quidditatiuè cognoscat: hæc doctrina vera est, sed non admodum ad mentem Aristotelis. Dubiũ. 1. opin.

Potius dicendum est cum Boet. definitè cognoscere, esse determinatè & particulariter cognoscere: verbi gratia, duplũ dupliciter cõsideratur. Vno modo in communi, vt duplum est, & tunc qui duplum cognoscit, satis est cognoscat dimidium in communi. Altero modo potest cognosci duplum aliquod particulare, scilicet hoc duplũ, quod est octo ad quatuor: & tunc vt cognoscamus octo esse duplum, quod est determinatè cognoscere & definitè, nõ satis est cognoscere dimidium in communi, sed quatuor esse huius dimidium: & vt vtamur exemplo Aristot. quod nõ benè à multis intelligitur. Vt maius, seu melius determinatè cognoscatur, scilicet, hoc melius, nõ satis est cognoscere deterius in communi, nam ex cognitione deterioris in communi scilicet aliquid est deterius, non cognoscitur hoc esse melius, nisi cognitione incerta, & opinatiua. Oportet enim cognoscam' definitè illud deterius quod illo meliori est deterius: aliter enim posset cognosci deterius in communi, & si nullum sit in parti- 2. opin.

particulari deterius illo, profectò illud non dicetur melius. Hanc interpretationem valde considera.

16. *Caput verò & manus & eorum singula, &c.*

Ex hac proprietate relatiuorũ, necessario colligit partes substãtiæ ad aliquid non esse. Patet, nã manum, & caput definitè cognoscere possumus, vt tamen nõ cognoscamus particulariter & distinctè ea, quorum tales partes sunt: possumus enim caput animalis cuiusdam caput esse cognoscere, vt illud animal tamẽ non cognoscamus præsertim quãdo caput videtur, occulto animalis corpore, vel cũ animalis species incognita est, tũc enim caput etiam vniuersaliter cognoscitur ignorata specie illa, cuius caput est.

Ex quo dissoluitur dubium, scilicet nullam substantiam esse ad aliquid. At quia illa definitio prior communiter recepta erat: hæc autem nouiter inducta, non probata, inquit Arist. difficile esse in his maximè obscuris, & receptis quicquã asserere absque probatione: tamẽ saltẽ recipiatur ista per modũ dubitationis: non enim parũ est vtile in istis benè dubitasse, atque hæc circa textus interpretationem.

QVAESTIO I.
Vtrum ad aliquid sit speciale genus entis.

POst textus interpretationẽ, vt moris est, ea, quæ grauiora dubia sunt, & quę magis naturã, eorũ quæ consideramus, aperiunt, tractabimus. Ac primò circa ipsum ad aliquid. Posterius circa dubia ex verbis Arist. & sensũ procedentia, versabimur.

Est igitur prima quæstio. An sicut substantia est quoddam entis genus ab omnibus [illegible] distinctũ, & similiter quantitas est aliud genus, qualitas, & reliqua, ita sit ipsum ad aliquid, de quo diximus.

Argumẽta in cõtrarium.

Videbitur autem genus aliquod non esse, propter rationes sequẽtes. Prima, id quod nunquã per se sumitur, sed cũ varijs, imò omnibus rerum naturis coniunctũ, & commixtum, non facit per se vnũ genus, sed huiusmodi est ad aliquid: ergo nõ est vnũ distinctũ ab alijs genus: maior est nota, cũ consequentia: minor probatur, quia relatio modò est cũ quãtitatibus, vt æquale, magnũ, duplũ: modò cum qualitatibus, vt simile, dissimile: modò cũ actionibus, vt pater, causa: modo cum alijs, ergo nunquã per se est. Secundò, Id quod nõ est in rebus, sed solũ habet esse per intellectus operationẽ, nõ pertinet ad genus aliquod entis, quia hic considerantur entia re lia, quæ habẽt esse præter operationẽ intellectus, vt substãtia, quantitas, & reliqua. At ipsum ad aliquid nõ est in rebus, nisi per operationẽ intellectus: ergo nõ est inter ea, quæ sunt genera entis. Minor patet, quia similitudo, æqualitas, & reliqua, nõ videtur aliud habere esse, quàm per operationẽ intellectus cognoscentis, & vnum alteri comparantis. Tertiò. Omne quod est, vel est subiectum, quod est substantia. vel est in subiecto, quod est accides: sed ad aliquid nec est subiectũ, cùm non sit substantia, nec est in subiecto, cum relatio, vt relatio non sit in alio esse, sed ad aliud esse: ergo nec accidens, nec substantia, & ita non est entis genus. Quartò. Genus omne habet differentias, species, & genera subalterna: sed illud ad aliquid hæc non habet, ergo non videtur esse genus: nec enim apparent species, nec differentiæ, nec has explicat Aristot, non ergo est genus aliquod entis peculiare distinctum ab alijs.

1. argu.

2. argu.

3. argu.

4. argu.

1. opin.

Circa hanc difficultatẽ fuit antiquorum opinio ante Aristotelẽ, & Platonẽ, cuius meminit Auer. 5. Met. com. 20. quã Alb. c. 1. huius tract. adscribit Zenoni. Hi existimabant, ad aliquid non esse peculiare aliquod genus, sed multis mistum & ex varijs congestum, quorum rationes superius aliqua ex parte in principio proposuimus. Altera fuit opinio Ari. & Platonis, & reliquorum omniũ, ad aliquid esse

2. opin.

esse vnum quoddam genus ab alijs omnibus distinctum & diuersum.

1. funda.

Pro horum declaratione ne per ignota procedamus, erit primum fundamentum hoc. Quemadmodum ab hac intrinseca proprietate, quæ est per se esse, omnis substãtia in vniuersum dicitur substãtia: ita similiter ab hac intrinseca proprietate, scilicet esse in subiecto, quæ dicitur inhærentia, omne accidens dicitur accidens: & sicut omnis substantia per se est, ita omne accidens in subiecto est & inhæret. Accidentia tamen dupliciter inhærent, & in subiecto sunt: quædam insunt in subiecto, ita vt non ordinent subiectũ ad aliquid aliud extra ipsum subiectum: vt albedo, & quantitas, insunt subiecto, non tamẽ vt ipsum ordinent ad aliquid extra se: & ista accidentia dicuntur purè absoluta. Quædam alia insunt in subiecto, ita vt ipsum per se ordinẽt ad aliquid aliud extra ipsum, vt scientia inest animæ, vt cognoscat per eam res alias similiter potentia visiua inest oculo, vt ipse oculus alia extra se videat: & ista accidẽtia dicuntur relatiua.

Accidentia dupliciter inhærent subiecto.

Accidẽtia relatiua duplicia sunt.

Hæc autem sunt in duplici differentia. Quædam enim sic insunt subiecto, & ordinant ipsum ad aliud, vt tota eorum natura nõ sit ordinare ad aliud, sed ipsũ subiectum in se afficere, & disponere: sicut scientia inest quidem animæ, vt intelligat, tamẽ scientiæ natura præcipua nõ est ad aliud, sed ipsam animã perficere, & disponere in se similiter habitus, potẽtia, & alia multa: talia accidentia dicuntur relatiua secundum dici. Quædã alia, sic ad aliud subiectum ipsum ordinant, vt eorum tota natura, vt talia, sunt, sit ad aliud subiectum ipsum afficere: vt paternitas, & alia, quæ dicuntur relatiua secundum esse.

Hæc autem relatiua secundũ esse, dupliciter sumuntur: vno modo, vt sunt in ipsis rebus: altero modo, vt à nobis cognoscuntur, scilicet quando vnum alteri comparamus. Ista autem relatiua, vt in rebus sunt, dicuntur ad aliquid, quod nomen Plato primus, vt dicitur, imposuit: vt verò à nobis cognitæ sunt, dicuntur magis propriè relationes, quia intellectus vnũ alteri confert, & vnum ad alterũ refert: quamuis etiam inde tractum nomen, accipiatur quoq; pro illis, vt sunt in rebus: vt autem in intellectu sunt, dicuntur relationes conceptæ.

Ex his omnibus vnum infertur, quod valdè memoriæ mandandum est: accidẽtia quo nõ dici relatiua, nec secundum esse nec secundum dici per respectum ad subiectum, sic enim omnia essent relatiua, cum omnia subiecto insint, sed dicuntur relatiua, per id, ad quod subiectũ ipsum ordinant, quod dicitur terminus. Vnde multa sunt accidentia, quæ nec secundũ dici, nec secundum esse, relatiua sunt: cũ subiectum ad aliquid extra se non ordinent.

Accidentia quo ad respectum dicãtur relatiua.

Sit secundũ fundamentũ. Hæc est natura eorũ, quæ sunt ad aliquid, vt nunquã insint subiecto, nisi medio aliquo accidenti absoluto & simul coexistente alio accidenti insit relatio alterius subiecti. Vnde ad relatiui existentiam tria necessaria concurrunt. Primum, subiectum ipsum, cui inhæret, quod ab aliquibus dicitur fundamentum remotũ. Secundũ est illud absolutum accidens, ratione cuius inhæret, quod dicitur fundamentum proximum. Tertium illud accidẽs alterius subiecti, in quod relatiuum terminatur, quod dicitur terminus, siue correlatiuum, quod quidem est eiusdem rationis cũ altero, habet enim & fundamentũ & subiectũ, & illud etiã alterum vt terminum, cũ inter vtrumq; sit mutua habitudo: verbi gratia, sunt duo alba vnum alteri simile, similitudo vnius inest corpori vno vt subiecto, media albedine, vt fũdamento, & dependet ab altera similitudine, vt à termino: hæc pariter similitudo inhæret alteri corpori, vt subiecto, media eius albedine, vt fundamento, & ab illa similitudine priori, tanquã termino vicissim dependet, ex quo fit, vt cũ relatio, & à termino, & à fundamento, &

2. funda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

à subiecto dependeat necessario, horũ quolibet destructo, & ipsa destruatur.

Vnde similitudo vnius albi, potest tripliciter perire, & recedente altero simili, & ipso corpore destructo, & ipsa etiam albedine mutata: quamuis nõ sit hoc vniuersaliter verum de fundamentis, nisi quando fundamenta sunt permanentia, in successiuis enim non valet, vt fundamentum paternitatis est generatio, quæ transit manente paternitate.

Hic tamẽ vnũ est maximè considerandum: relationes non ab omnibus his tribus æqualiter dependere: relatio enim duo habet, alterum, vt accidẽs est, & hoc est subiecto inhærere: alterũ, vt tale accidens est. s. relatiuũ, & hoc est ad aliud esse: vt accidens est, à subiecto suo necessariò dependet: vt relatio est, à termino. Vnde Gilbertus dicebat relationẽ vt relationẽ nõ habere esse infixam, sed affixã, id est, ad aliud fixũ, ratione verò vtriusq; à suo fundamento dependet. Verbi gratia, similitudo dependet ab albedine, & vt accidens est, ita similitudo, quia verò nõ inhæreret subiecto nisi albedine interueniente: & similiter, vt ad aliquid, & relatio est, ab illa dependet, quia talis similitudo non esset, nisi à tali albedine. Et hinc est, vt diximus, ꝙ variatis fundamentis, ipsæ etiam in se variantur relationes, vt maximè patet in his relationibus, quæ consequuntur quantitatem, vt duplum, triplum. in quibus fit mutatio ex varistione fundamenti. Hoc dixerim vt maximè attendamus fundamenta, ad distinguendas relationum naturas, quæ ab eis per se pendent, tanquàm à causis intrinsecis.

3. fund. Tria esse in cõmuni fundamẽta omnis relationum:

Sit tertium fundamentum. Fundamẽta harum relationum sunt tria in cõmuni. Primum est quantitas, supra quã fundatur æquale, inæquale, & omnes proportiones Arithmeticæ, Geometricę, & Mathematicarum aliarũ, similiter omnes relationes temporis & loci. Aliud fundamentum est qualitas, supra quam fundatur simile, dissimile, amicus, inimicus, &c. Tertium est actio, & passio qua fundatur, pater, filius, causa, effectus, & alia multa.

Hæc autẽ est triplex: quædam enim actio est naturalis, vt generatio, productio, denique omnis illa, quæ à natura procedit: quædã est artificialis, quales sunt actiones artificum: quædam verò sunt mentis, vt cognitionis, appetitus circa res. Supra primas fundatur pater, filius, causa, effectus naturalis. Supra secũdas, omnes relationes & habitudines, quæ inter artificiata reperiũtur. Supra tertias, omnes Logicæ & aliæ multæ, vt esse genus, speciem, esse magistrum, discipulum, doctorem, lectorem, & reliqua.

Sit quartum fundamentum. Relatio in communi duplex est, quædam realis, quædam rationis, realis est relatio existens in rebus absque operatione intellectus, per quam vnum ad aliud est: vt paternitas, quæ est in aliquo homine sine aliqua intellectus operatione; per quam ad filium refertur: contra relatio rationis est, quæ non est in rebus, nisi per operationem intellectus, vt animal dicitur genus respectu speciei, sed talis relatio generis non dicitur nisi per operationẽ intellectus.

4. funda. Relatio alia est realis, alia rationis.

Relatio alia est mutua, alia non mutua.

Iterũ relatio est duplex: quædam mutua, quædã non mutua. Mutua est, quando ex parte vtriusq; extremi correlatiui est realis vel rationis: verbi gratia, pater refertur ad filium per paternitatem, quæ est relatio realis: similiter & filius refertur ad patrem per filiationem, quæ etiã est relatio realis. Item genus ad speciem refertur per relationem generis, quæ est relatio rationis: & species refert per speciei formã, quæ pariter est relatio rationis: relatio non mutua, est quãdo ex parte vnius extremi est relatio realis, ex parte alterius verò non est, nisi rationis: verbigratia, nos referimur ad Deum per relationem realem: & Deus ad nos per relationem rationis: quia nos sumus realiter serui Dei relatione in nobis existente: at ipse dominus noster dicit, nõ quia habeat in se aliquod accidens reale, per quod dicatur dominus, sed quia cognoscimus, & comparamus eum ad nos, qui sumus sui. Similiter scientia refertur realiter ad scibile, scibile verò non, nisi per intellectus operationem.

Relatio alia est æquiparãtię alia disquiparantiæ.

Iterũ relatio est duplex, quædã æquiparantiæ, quædam disquiparantiæ. Aequiparantiæ est, quando denominatio est eiusdem rationis in vtroq: correlatiuo: vt similitudo, quæ est inter duo alba, secundũ quã vnum alteri dicitur simile, & etiam alterum ei dicitur, eodem modo simile. Disquiparantiæ est, quando est diuersa denominatio in vtroq;, vt paternitas, & filiatio, duplum, subduplum. Ammon. vocat relatiua vniuocationis, æquiparantiæ relatiua, & disquiparantiæ, vocat relatiua æquiuocationis.

Tamen summoperè aduerte non solùm dici relatiua æquiparantiæ, quia est eadem in vtroque denominatio, sed etiam, quia fundamentum est eiusdem rationis in vtroque: vt vnum simile, alteri dicitur simile, quia est in vtroque fundamentum eiusdem rationis, scilicet quia vtrumque est album, vel nigrum: relatiua verò disquiparantiæ, habent fundamentum diuersæ rationis, vt pater supra actionem, filius supra passionem fundatur: similiter duplum super totũ aliquod, subduplum supra partem similiter mediatè fundatur.

Relationes quædam sunt in rebus absq; operatione intellectus.

His suppositis fundamentis sit prima cõclusio. Nõ omnis relatio est rationis, sed sunt multæ relationes reales in rebus existentes præter operationem intellectus. Hæc conclusio est cõtra antiquos illos ante Aristot. & Platonem, qui nullam in rebus relationem constituebãt, sed eam totũ à diuersitem rei per intellectũ referri: cuius oppositũ docet Arist. & Auerro. 12. Meta. com. 19. & eandem etiã ipsorum opinionem arguit Ammon. in præsenti. Hæc autem conclusio non solùm veritati naturali est conformis, sed maximè deseruit Theologicæ veritati, secundum quam relationes in diuinis reales collocantur: quamuis hæ, aliæ sint ab his, quæ in hoc prædicamento ponuntur.

Et probatur conclusio. Secluſa operatione intellectus vnum album magis cũ altero albo, quã cum nigro conuenit: & pars ad totũ vnum magis, quàm ad aliud accedit, ergo secluſa intellectus operatione, est similitudo inter illa, quæ relatio est: imò in vniuersis rebus hoc experimur, quod quædam magis, quædam minus inter se conueniunt, & mutuò se afficiunt: ergo est inter eas relatio extra opus intellectus. Præterea quia res ordinatæ per se ipsis inordinatis etiã extra intellectum, & non ob aliud nisi propter ordinem, qui est relatio, ergo dantur relationes reales.

2. concl.

Secunda cõclusio. Relatio sola realis pertinet ad istud prædicamentũ, nullo modo relatio rationis. Hæc patet, quia relatio est vnũ ex decem generibus entis: sed ens dijsum in ista prædicamenta est ens reale, vt patet. 6. Metaphysico. cap. 2. ergo relatio prædicamenti huius est realis.

Dubium Cur relatio quædã sit realis quę dã rationis.

Dubitabis. Quare aliquæ sunt relationes reales, aliquæ verò rationis. Dico & id aduertendum est, quod relatio realis nunquàm consurgit in aliqua re, nisi aliqua mutatione facta in illa re, cum nullum ens reale possit habere esse vel in se vel in aliquo, nisi per mutationem aliquam in eo existentem: cùm autem reperiantur res, quæ connexionem cum alijs habent, non per sui mutationẽ aliquam, sed per intellectus operationẽ, inde est, quod sint in his relationes rationis solũ. Verbi gratia, res non mutantur per hoc quod scientiæ de eis acquirantur, mutatur tamen ipsa scientia, quæ realiter ex rebus fit, quę tamẽ antè nõ erat: propterea res, scibiles dicũtur, nõ relatione reali, sed intellectus comparatione: at ipsa scientia, in qua est mutatio, refertur relatione non rationis, sed realis: eodem modo se habent genus, & species: in rebus enim nulla est mutatio, propterea illę vtræque

Universidad de Deusto
Biblioteca

træque relationes per intellectum solum sunt.

3. concl. Relatale cũdũdici esse etiã huius categoriæ quodam modo.

Tertia conclusio. Probabile maximè mihi videtur etiam relatiua secundũ dici in prædicamento hoc collocari: & me in hac parte mouet auctoritas Albert. Simplic. & Boet. & Paul. Ven quãuis minus principaliter, cùm secundũ naturam suam præcipuam, in alijs prædicamentis sint: nec obstat argumentum Ammo. quia ex hoc, inquit, sequeretur omnia accidentia in hoc prædicamẽto esse reponenda, si omnia sint relatiua secundum dici, habeat enim respectũ ad subiectũ. Hoc argumentũ nullius est roboris, quia vt dixi in primo fundamento, & maxime est considerandũ, nõ quicunq; respectus facit relatiuum secundum dici, est enim duplex respectus, & ad subiectum, qui respectus dicitur transcendentalis, qualẽ omnia accidentia habent ad substantiã, sed hic nõ facit accidens relatiuũ: est alter respectus ad terminũ, qui dicitur prædicamentalis, & iste facit accidens relatiuum, & hunc non omnia accidentia habent, vti diximus.

Hoc tamen non obstante, probabile est etiam, sola relatiua secundum esse, in hoc esse prædicamento: vt vult Ammo. præsertim quia his solum competit definitio posterior Arist. quamuis ad hoc posset dici, etiam relatiua secundum dici esse cũdũ id, ratione cui⁹ m hoc p̃dicamẽto collocant, totũ esse habere ad aliud.

4 concl. Relatio distincta ab alijs generib⁹ facit Categoriã.

Quarta conclusio. Ad aliquid est vnum genus entis ex decem, distractum ab omnibus alijs. Probatur, quia illud ens facit nouum genus quod est ens reale, & diuersum habet prædicandi modum de substantia: tale autem est ad aliquid, quod solum de substãtia vt alteri refertur, prædicatur: ergo est nouum genus.

Ad 1.

Per ista potest ad argumenta responderi. Ad primum distinguitur maior, q. enim ita cum alijs est mistum & confusum, vt non habeat naturam ab eis diuersam, admitto non facere genus per se distinctum, at relatio licet alia accidentia sequatur, suam tamen naturam habet diuersam ab alijs omnibus: propterea est vnum nouum genus.

Ad 2.

Ad secundum negatur minor: imò vt diximus in prima conclusione, non solũ relationes sunt per intellectus comparationem, sed etiam ante opus intellectus extiterunt in rebus relationes, per quas vna res ad aliam se habet.

Ad 3.

Ad tertium negatur etiã minor: nam relatio non solùm est ad aliud, sed etiam est in alio: vt enim diximus, & relatio est accidens, & tale accidens, vt accidẽs, est in alio, scilicet subiecto, vt tale accidens scilicet relatiuum, ad aliud est.

Nota. Ad 4.

Ad quartũ negatur nõ esse genus, nec alia in hoc prædicamẽto. Pro quorũ declaratione aduerte: relatio dupliciter cõsideratur. Vno modo vt est forma accidẽtalis determinata ad vnũ extremũ correlatiuorũ, vt quãdo dicimus paternitatẽ, filiationẽ, & huiusmodi, tunc enim relationes determinatas ad vnũ extremorũ correlatiuorum sumimus. Altero modo relatio sumi potest in cõmuni vt non est determinata vtrũ extremorũ, sed indifferenter consideratur, siue prouno extremo, siue pro altero, vt quando dicitur relatio disquiparantiæ, tunc enim dicimus non solùm relationẽ vnius extremi, scilicet paternitatem, sed etiam alterius simul extremi, scilicet filiationem.

Ad aliquid quo modo sit genus generalissimum.

Hoc supposito dico genus generalissimum esse ad aliquid, quod est idẽ ac accidentalis forma, per quam vnum ad aliud se habet, non explicando, & determinãdo formam huius correlatiui vel illius: & sub hoc etiã sunt genera subalterna, quę etiã relationis formã indeterminatæ dicunt, vt ad Aliquid æquiparantiæ: ad Aliquid quantitatis. At quando relationes determinatæ sumuntur ad extrema, frequenter sunt species, vt paternitas, filiatio, duplum: quando autem cùm determinatis subiectis, sunt individua, vt hæc paternitas, hic filius, hoc duplum.

Poterit ergo ipsum ad aliquid primò diuidi per differentias ex fundamentis sumptas, quæ nomine simplici carent, vt aliud sit in quãtitate, aliud in qualitate, aliud in actione, & passione. Poterit iterum diuidi in cõmuni in ad aliquid æquiparantiæ. & ad aliquid disquiparantiæ: quæ differentiæ singulæ genus subalternum constituũt. Et iterum ad aliquid in quantitate, potest rursus diuidi per æquiparantiam in quantitate: & disquiparantiam: similiter ad aliquid in qualitate, quãuis quæ in actione, & passione sunt, disquiparantiæ tantum sint. Et hæc satis sunt quantum ad naturam eorum. quę ad aliquid sunt, quæ verò hic deesse videntur, Deo iuuante, in Metaphysica explanabuntur.

QVAESTIO II.

Circa reliqua, quæ in textu ab Aristotele dicuntur, num recte dicta sint.

Argumẽta in contrarium.

ORum, quæ sunt ad aliquid natura, & his quæ ad ipsum in communi spectant, vtcunque elucidaris, supereſt aliqua, quæ in literæ interpretatione prætermisimus, breuiter examinare, & vt ad disputationis normam reducatur: arguitur primò. Nullum est discrimen inter priorem & posteriorem definitionem: ergo nõ bene ab Arist prior reijcitur: quòd si prior non erat conueniens, frustra in medium adducitur. Secundò: Vitium est in definitione idem per idem definiri, cùm sit petitio principij, sed in secunda definitione id fit, ergo non est bona. Minor probatur, quia definiens ad aliquid, ipsa in definitione iterũ sumit, scilicet quibus hoc ipsum est esse, ad aliquid aliquo modo se habere.

1. argu.

2. argum.

3. argu.

Tertiò omne genus habet aliquã passionẽ sibi propriã, at ad aliquid nullã habet talem, nec ab Arist. assignatur, ergo vel non est genus, vel insufficienter traditur ab Arist. Minor patet, quia suscipere contrarietatẽ, & magis vel minus, alijs generibus cõpetunt, vt patet: dici verò ad conuertentiam, etiam alijs ineſt, cùm homo, & risibile conuertantur, quæ ad aliquid non sunt. similiter album, & albedo, albũ enim albedine est albã: albedo autẽ est albi albedo. Simul autẽ esse natura ipse Aristot. docet non omnibus ineſſe relatiuis: ergo nihil eis est, ppriũ.

4. argu.

Quartò, videt Arist. sophisticũ esse argumentũ, quo probat scientiã, & scibile, sensum & sensibile nõ esse simul: nã cõparat scibile in potẽtia, cũ sciẽtia in actu: si enim vtrunq; eodẽ modo cõsideratur, simul sunt vel in actu, vel in potentia.

5. argum.

Quintò, asserit partes primæ substantiæ non dici ad aliquid: videtur hoc falsum, dicimus enim hoc caput est huius capitati caput: sicut alia relatiua, hic pater est huius filij pater.

6. argu.

Sextò, vnũ relatiũ non potest definiri per alterũ: ergo nõ qui definitè cognoscit vnũ, cognoscit alterũ: probatur definitio est per clariora, vt dicitur. 6. Top. c. 2. at correlatiua sunt æquè ignota. Præterea, quia vnũ nõ est de essentia alterius, cu nec sit vnum alterius genus, nec differentia, nec pars, ergo vnum nõ est de definitione alterius quidditatiua.

Responsio ad primum.

Ad hęc argumenta respondetur. Sed pro primi solutione est aduertendũ, nominum defectum maximè in hoc prædicamẽto generare æquiuocationem, quæ obscuritatis & deceptionis mater est. ppterea alia prædicamenta, in quibus nomina imposita rebus significandis sunt, oportebit respicere: sunt autẽ tria in alijs. Primũ, est subiectũ, & subiecti nomen, in quo tale accidens ineſt. Secundum, est ipsa forma in abstracto cõsiderata, & nomen ipsius, vt albedo, nigredo. Tertium, est ipsamet accidentalis forma, vt est in subiecto, & ipsius nomen quod denominatiuum est, vt album, nigrum, quale.

Hæc ergo omnia sunt in isto prædicamento, sed non sunt omnia nomina per quæ explicentur: est ipsum subiectũ, cui ineſt relatio, scilicet homo, cui ineſt paternitas, & albũ, quod est simile: est forma, scilicet ipsa relatio, sed nõ est nomẽ, quo explicetur distinctè: nam relatio secundum se, & vt est in subiecto, & ipsum

Universidad de Deusto
Biblioteca

subiectũ, cui inest relatio, dicuntur ad aliquid, quãuis gratia distinctiõis varia sit additio: dicit enim ad aliquid, est nomen denominatiuũ, q̃ de subiecto habẽre relationẽ dicitur: vt enim dicimus, homo est albus, homo est qualis, ita homo dicitur ad aliquid: esse verò ad aliquid est nomẽ ipsius relationis, & in concreto, & in abstracto: vt enim dicimus albũ est quale, albedo est qualitas, ita dicitur pater est ad aliquid, & paternitas est ad aliquid.

Et hinc manifestatur illa distinctio Arist. 5. Meta, ca. 15. dupliciter ad aliquid esse, per se, & per accidens: vocat per se ad aliquid, q̃ hic vocat esse ad aliquid, seu habere se ad aliquid: vocat per accidens ad aliquid quod hic dicit ad aliquid scilicet subiectum relationis, quod dicitur ad aliquid, non tamen est ad aliquid.

Ad 1. Per hoc patet solutio ad argumentũ: definitio enim illa prior potius est subiectorum, & eorũ quæ ad aliquid sunt per accidens: posterior verò est eorũ quę per se ad aliquid sunt, scilicet relationum, & in concreto & in abstracto.

Ad replica respondetur cum Auer. illam definitionẽ fuisse communem: propterea traditã ab Arist. quia facilius erat veritatẽ docere illum, qui doctus est cõmunia, quàm qui ignarus prorsus est.

Ac 2. Ad secundum, respondetur illud ad aliquid positum in definitione, non esse idẽ cum definito: nam definitum est particulare ad aliquid, in definitione verò sumitur ita, vt idem sit quod aliqua res: & notanda est vis illius præpositionis [ad] denotat enim habitudinem termini: aliud enim est esse in aliquo, aliud esse ad aliquid: esse in aliquo, est esse vt in subiecto: esse ad aliquid, est esse vt ad terminum: non enim vti diximus accidens est ad aliquid, quia sit in subiecto, sed quia sit ad terminũ, quod expresè docet Aristot. 5. Met. c. 15. Visus, inquit, ad aliquid est, non respectu cuius est visus, scilicet subiecti, sed respectu eius, quod videtur, scilicet coloris.

Ad 3. Notab. Ad tertiũ, est notandũ. Sanctus Aug. in suis Categorijs assignat quatuor propria relativorum. Primum est, simul intelligi, vt sicut vnum absque altero existere nequit, ita nec vnum absque altero est intelligibile. Secundum est, dici ad conuertentiam. Tertium est, vt simul in eodem subiecto possint existere, respectu diuersorum, vt idem & pater & filius esse potest: & duplum & subduplum. Quartũ, vt alterum de altero in obliquo prædicetur, pater enim est filij pater, & filius est patris filius: hæc tamen ferè ad ea, quæ Arist. tradidit, reducuntur.

Propterea ad argumentum dico cum Simplic. & alijs, conuertentiam esse propriam omninò relativorum: non autem quæcunq; conuertentia hic sumitur, sed illa, per quam mutua affectio, & ordo relatiuus exprimitur: quando autem dicimus, album est albedine album: album refertur ad albedinem, non vt ad terminum, sed vt ad formam: albedo verò ad album, vt ad subiectũ refertur. Propterea non est similis conuertentia. Similiter illa proprietas, esse simul natura, solis relatiuis inest, & omnibus his, quæ verè relativa sunt: scientia aut etiam scibile: sensus & sensibile, non absolutè relativa sunt, sed secundum quid, scilicet, secundum dici.

Ad quartum respondet Simplicius & Ammonius, admittendo illa, si in actu simul sumantur, esse simul. similiter si vtrunque etiam in potentia. Ad 4.

Sed profectò hoc est expresè contra Arist. 3. anima. c. 2. vbi docet contra antiquos sensibile & sensum in actu simul esse, tamen in potentia non esse simul: & ibi id fatetur Simplicius.

Propterea maximè considerandũ est quid Aristo. per ista vocabula significet. Vocat igitur sensum actu, ipsum operationem sentiendi: sensum potẽtia, ipsam potentiam, qua sentimus, sensibile verò actu ipsum obiectum, quando actu sentitur: sensibile verò potentia, ipsum sensibile, quãdo actu non sentitur. Simili modo scientia in actu est ipse actus, & operatio Nota.

tio contemplandi: scientia potentia est ipse habitus vel intellectus absque operatione: scibile autẽ actu, res est ipsa cognita de præsenti: scibile verò potentia, est res, quæ actu non cõsideratur. Ex his patet prius esse sensibile & scibile potẽtia, quàm ipsas potentias sciendi vel sentiendi: & hoc maximè est considerandum, quia conducit ad multa in Aristotele difficilia intelligenda.

Ad 5. Notab. Ad quintum est aduertendum relationem posse sumi tripliciter: vno modo in specie, altero modo particulariter, tertio modo singulariter. Vt si dicamus, paternitas, aliqua paternitas, hæc paternitas, si in specie sumatur, tunc ad terminũ refertur in specie: paternitas enim est ad filiationem, & duplum ad subduplum: si particulariter verò sumatur, etiã ad terminum particularem refertur: aliquid duplum est alicuius subdupli duplum, & aliquod melius aliquo peiori melius, vt Aristot. docuit.

At in singulari non dependet à singulari termino non enim indiuiduatur relatio, nisi à subiecto, in quo est, vt hæc paternitas non est, quia est ad hanc filiationem, sed quia est in hoc patre, scilicet tali homine & hoc duplũ nõ est ab hoc subduplo in singulari, potest enim esse hoc duplum respectu huius medietatis, & omnium æqualium.

Hinc est, vt insinuaret Arist. relativa in singulari, vt singularia sunt, nõ à terminis, sed potius à substantijs pẽdere, inde dicit partes primæ substantiæ scilicet singulares non referri in singulari cum relativa alia sub ratione singulari non referantur.

Ad sextum respondetur, vnum correlativum esse de definitione essentiali alterius, non quia sit pars essentiæ vel totalis essentia, sed quia est terminus & cõplementum ipsius essentiæ, sine quo nulla ratione esse potest. Ac propterea dicit Alb. vnum correlativum non definiri per alterum, sed potius ad alterum: & quamuis per se æquè ignota sint, tamen simul sumpta mutuò se declarant & manifestant. Ad 6.

Sed hæc satis sint de quæstione hac, quia vlterius prosequi est difficultatibus Metaphysicis omnia confundere, & horũ omnium exactius disputandorũ tempus proprium nos Deo iuuante expectat.

De Qualitate & Quali. Cap. VIII.

QValitatem verò dico, secundum quam quales quidam esse dicũtur. Est autem qualitas, eorum quæ multipliciter dicuntur. 1.

Vna quidem igitur species qualitatis, habitus & dispositio dicãtur. Differt autem habitus à dispositione, q̃ permanentior, & diuturnior est. Tales verò sunt scientiæ & virtutes, sciẽtia enim videtur esse permanentium, & diuturnorum: vt si quis vel mediocriter sumat scientiam, nisi grandis permutatio facta sit, vel ab ægritudine, vel ab aliquo huiusmodi, similiter autem & virtus, vt iustitia, & temperantia, & singula talium nõ videntur posse facilè moueri, neque facilè permutari. Dispositiones verò dicuntur, quę sunt facilè mobilia, & cito permutabilia: vt calor, & infrigidatio, & ægritudo, & sanitas & quæcunque alia huiusmodi: afficitur enim quodammodo secundum eas homo citò autem permutatur, & ex calido frigidus fit, & ex sanitate in ægritudinem trã fit. Similiter autem & in alijs, nisi aliqua earundem contingit per temporis longitudinem congenita, & immobilis, vel omninò difficile mobilis existens, quam iam quispiam vt habitum vocet. 2.

Manifestum est autem quòd hæc vocant habitus dicere, quæ sunt diuturniora, & difficilius mobilia: nanq; disciplinas non multum retinentes, sed facilè mobiles existentes, non dicunt habitum habere, & tamen dispositi sunt aliquo modo secundum scien- 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiam petius, melius ue: quare differt habitus à dispositione, q̃ hæc quidē facilè mobilis sit: ille verò diuturnior & difficilius mobilis. Sūt aūt habitus & dispositiones: dispositiones verò nō necesse est habitus esse, qui enim retinēt habitū, & quodāmodo dispositi sunt secundum ipsos: qui aūt dispositi sunt, nō omninò retinēt habitū.

4. Aliud verò genus qualitatis est, secundum quod pugillatores vel cursores, vel salubres, vel insalubres dicimus: & simpliciter quæcunque secundum potentiā naturalem vel impotentiā dicuntur. Nō enim, quoniā sunt dispositi aliquo modo, vnūquodq; huiusmodi dicitur: sed quod habent naturalē potentiā vel impotentiā facilè aliquid facere, vel mihi pati: vt pugillatores, vel cursores dicuntur, non quòd sint dispositi aliquo modo, sed q̃ habeant potentiam naturalē, vel impotentiam aliquid facilè faciendi. Salubres autem dicuntur, eo quòd habeant potentiam naturalem, vt nihil à quibuslibet accidentibus facilè patiantur: insalubres verò, quòd impotentiam habeant naturalē nihil facile à quibuscunq; accidentibus patiēdi. Similiter aūt his durū & molle se habent: durum enim dicitur, quòd habeat potentiam non facilè secari: molle verò, quòd eiusdem ipsius habeat impotentiam.

5. Tertium verò genus qualitatis est, passibiles qualitates & passiones: sunt autem huiusmodi, vt dulcedo, & amaritudo, & austeritas, & omnia his cognata: amplius, & calor, & frigus, & albedo, & nigredo. Quòd quidem igitur, & hæ qualitates sunt, manifestum est: quæcunque enim has susceperint, ipsa qualia dicuntur secundum ipsas: vt mel, quoniam dulcedinem suscepit, dicitur dulce: & corpus album, quoniam albedinem suscepit. Similiter & in cæteris.

6. Passibiles verò qualitates dicuntur, non quòd ea, quæ illas susceperint qualitates aliquid patiantur: neque enim mel quoniam aliquid passum fit, dicitur dulce, neque aliquid aliud huiusmodi. Similiter autem his & calor & frigus passibiles qualitates dicuntur, nō quòd ea, quæ illas susceperint, aliquid passa sint, sed quoniam secundum sensus vnaquæque dictarum qualitatum passionis effectiua est, passibiles qualitates dicuntur: dulce do enim passionem quandam secundum gustum efficit, & calor secundū tactum: similiter autem & albæ. Albedo autem & nigredo, & cæteri colores non eodē modo ijs, quæ dicta sunt, passibiles qualitates dicuntur: sed eò quòd ipsæ ab aliqua passione innascuntur.

7. Quòd enim fiunt propter aliquā passionem multæ colorum murationes, manifestū est: erubescens enim aliquis, rubeus factus est, & timens pallidus, & vnumquodque talium. Quare etiā si quis natura aliquid talium accidentium perturbationumue passus est, similē coloré verisimile est eum habere. quæ enim affectio nunc in eo, quod verecundetur circa corpus facta est, etiam secundum naturalem constitutionem eadem fieri potest affectio, vt & naturalis color similis fit. Quæcunq; igitur taliū accidentiū ab aliquibus passionibus difficile mobilibus & permanentibus principium sumpserūt, passibiles qualitates dicuntur. siue enim secundum naturalem constitutionē pallor fit aut nigredo, qualitates dicuntur (quales enim secundum eas dicimur) siue propter ægritudinem longam, vel propter æstum eidem contigit nigredo, vel pallor, & non facilè prætereunt, vel etiam per vitam permanent, passibiles qualitates & ipsæ dicūtur: similiter enim quales secundum eas dicimur. Quæcunque verò ex ijs, quæ facilè soluuntur, & citò transeunt, fiunt, passiones dicuntur, qualitates verò minimè, non enim aliqui secundū ipsas dicuntur quales, neque enim qui propter verecundiam rubeus factus est, rubeus dicitur: neque cui pallor propter timorem venit, pallidus est: sed magis eò quòd aliquid passus est: quare passiones quidem huiusmodi dicuntur, qualitates verò minimè.

Simi-

8. Similiter autem his, & secundum animam passibiles qualitates & passiones dicuntur. Quæcunque enim mox in nascendo ab aliquibus passionibus difficulter mobilibus fiunt, qualitates dicuntur & ipsæ: vt amentia, mentis alienatio, & ira, & alia huiusmodi: quales enim secūdum eas dicuntur, id est, iracundi atque amentes. Similiter autem & quæcūque alienationes non naturales, sed quæ ab aliquibus alijs accidentibus factæ sunt difficilè prætereuntes, & omninò immobiles, qualitates sunt etiam huiusmodi, quales enim & secundum eas dicuntur. Quæcunque verò ab ijs, quæ facilè & citò prætereunt, fiunt, passiones dicuntur, vt si quis cōstristatus, iracundior fiat, non enim dicitur iracundus, qui huiusmodi passione iracundior est, sed magis quia aliquid passus: quare passiones quidem huiusmodi dicuntur, qualitates verò minimè.

10. Quartum verò genus qualitatis est figura, & circa vnumquodq; constans forma. Amplius autem ad hæc rectitudo, & curuitas, & si quid aliud his simile est, secundum enim vnumquodq; eorū quale quid dicitur, triangulum enim vel quadrangulum esse quale quid dicitur, & rectum aut curuum, & secundum etiam formam vnumquodq; quale dicitur.

Rarum verò, & spissum, & asperum, & lene putabuntur quidem quale quid significare: sed aliena huiusmodi putantur esse à diuisione, quæ circa quale est. quādam enim positionem magis videntur partium verunq; monstrare: spissū enim dicitur eò, quòd partes sibijpsis propinquæ sint: rarum verò, eò quod distent à se inuicem: & lene quidem, quòd in rectitudine aliquo modo partes iaceant: asperum verò, quòd hæc quidem superet illa verò sit inferior. Fortasse quidem igitur alius quispiam modus apparuerit qualitatis: sed ferè qui maximè dicūtur, hi sunt: qualitates itaque sunt, quæ dictæ sunt.

11. Qualia verò sunt, quæ secundum has denominatiuè dicuntur, vel quomodoli bet aliter ab his. In plurimis itaque, & ferè in omnibus denominatiuè dicuntur: vt à candore candidus, & à Grammatica Grammaticus, & à iustitia iustus. Similiter & in alijs. In aliquibus verò, eò q̃ non sunt posita qualitati nomina, non contingit ea, quæ dicuntur, ab ijs denominatiuè dici, vt cursor aut pugillator, qui secundum naturalem dicuntur potentiā, à nulla qualitate denominatiuè dicitur, non enim posita sunt nomina potētijs, secundum quas isti quales dicuntur: sicuti disciplinis, secūdum quas pugilles vel palæstrici secundum dispositionem dicuntur: pugillatoria enim & palæstrica disciplina dicitur: quales verò ab his denominatiuè dicuntur, qui disponuntur. Aliquando autem, & posito nomine non dicitur denominatiuè, quod secundū eam quale dicitur, vt à virtute studiosus, eo enim, quòd virtutem habeat studiosus dicitur: sed non denominatiuè à virtute: non autem in pluribus hoc tale est. Qualia ergo dicuntur, quę denominatiuè à dictis qualitatibus dicuntur, aut aliquo modo aliter ab eis.

Inest autem & contrarietas secundū 12.
qualitatem: vt iustitiæ iniustitia contraria est, & albedo nigredini, & alia. Similiter autem & ea, quæ secundum eas qualia dicuntur: vt iniustum iusto, & album nigro. Non in omnibus autem hoc accidit. Rubro enim aut pallido, aut huiusmodi coloribus nihil est cōtrarium, qualibus existentibus. Amplius, si contrariorum alterum fuerit quale, & reliquū erit quale: hoc autem palam est ex singulis proponenti alia prædicamenta, vt si est iustitia iniustitiæ contrarium, quale aūt est iustitia: quale igitur & iniustitia. Nullum enim aliorum prædicamentorum aptabitur iniustitiæ, neq; quantum, neq; ad aliquid, neq; vbi, nec omninò aliquid huiusmodi, nisi quale, sic autē & in alijs, quę secundum quale sunt contraria.

Suscipiunt autem qualia magis & mi- 13.
nus. Album enim magis & minus album

alterum altero dicitur: & iæstum alterũ altero magis & minus: sed & ipsa intensionem suscipiunt, cum candidũ nanq; sit, contingit amplius candidum fieri. Non tamen omnia, sed plurima: iustitia nanque, si dicatur magis & minus iustitia, potest quilibet ambigere, similiter autem & in alijs dispositionibus, quidã enim dubitant de talibus: iustitiam nanque iustitia non omnimò aiunt magis & minus debere dici, nec sanitatem sanitate: minus autem habere alterũ altero sanitatem aiunt: & iustitiam alterũ minus altero habere dicitur: sic autem & Grammaticam, & alias dispositiones, sed tamen ea, quæ secundum eas dicuntur, indubitanter recipiunt magis & minus: grãmaticior enim alter altero dicitur, & iustior, & sanior, sic autem & in alijs. Triangulus verò & quadrangulus non videntur magis & minus suscipere: neq; aliqua aliarum figurarum: quæ enim definitionem trianguli recipiunt & circuli, omnia similiter triãguli vel circuli sunt: eorum autem, quę non recipiunt rationem eandem, nihil magis alterum altero dicetur, nihil enim quadratum magis, quàm parte altera longius, circulus est: neque alterum enim recipit circuli rationem, simpliciter autem, si vtraque non recipiunt propositi rationẽ, nõ dicetur altero magis: nõ ergo omnia qualia recipiunt magis & minus.

14. Horũ itaque, quę prędicta sunt, nullũ est proprium qualitatis. Similia verò aut dissimilia secundum solas dicuntur qualitates, simile enim & dissimile alterum alteri non est secundũ aliud, nisi secundũ id, quod quale est. Quare proprium est qualitatis secundum eam simile, vel dissimile dici. At verò non decet conturbari, ne quis nos dicat de qualitate propositum facientes, multa eorũ quæ sunt ad aliquid connumerasse: habitus enim & dispositiones eorũ, quæ ad aliquid sunt, esse dicebamus. Penè enim in omnibus qualitatibus genera ad aliquid dicuntur, nihil autem eorum, quæ sunt singularia: nam cum disciplina genus sit, id ipsum quod est alterius dicitur: alicuius enim disciplina dicitur, eorum verò, quę singularia sunt, nihil ipsum quo ad alterius dicitur, vt Grammatica non dicitur alicuius grãmatica, nec musica alicuius alterius musica: sed fortè secundum genus & hæ ad aliquid dicuntur: vt grammatica alicuius dicitur disciplina, non alicuius grãmatica: & musica alicuius disciplina, non alicuius musica. Quapropter quę singularia quidem sunt, nõ sunt ad aliquid, dicimur autem quales secundũ singula, hæc enim & habemus: scientes enim dicimur, eò quòd habemus singularũ scientiarum aliquas: quare hę erunt etiã qualitates, quæ singulares sunt, secundum quas aliquando & quales dicimur: hę autem nõ sunt eorum, quę sunt ad aliquid. Amplius, si contingit idẽ ipsum & quale & ad aliquid esse, nihil est inconueniens in vtrisque hoc generibus enumerare.

¶ *Cur prius de qualitate egerit, quam de alijs sequentibus prædicamentis, ac cur titulo duplicato.*

CVrioſum est, inquit, Boet. cur qualitatẽ reliquis prędicamẽtis anteposuerit, dubitare, cũ maxima sit disceptatio etiam prioribus duobus esse prędicamẽtis anteponendã: tamen ne vlla prorsus superfit dubitatio, huius ratio est manifesta, quã dat Alb. tract. 11. cap. 1. est enim qualitas principium actionis, & passionis ipsi substantiæ inhærens: propterea meritò anteponitur actioni, & passioni, & alijs quatuor quę substantiæ sunt extrinseca, qualis est locus, à quo est vbi, & tempus, à quo quando, & reliqua.

Titulus tamen est maximè notandus. De qualitate & quali, ita enim legitur græcè, περὶ τοῦ ποιοῦ καὶ ποιότητος, & quãuis Alex. Achatius, & Simplicius, solùm existiment legendum illorũ vnũ, illudque vitio scriptorum tribuant, tamen Ammo. Boet. Albert. & S. Augustin. ita legunt, vt vtrumq; in inscriptione retineatur.

tineatur. Cuius prima ratio traditur à Porphyr. nẽpe vt vtriusq; vocabuli cognitio habeatur, & qualitatis, & qualis. Secunda ratio est Alber. c. 2. quia qualitas & modi prædicandi ipsius manifestantur per ipsum quale in concreto: propterea vtroque modo inscribitur. Tertia ratio est Ammo. Pro quo aduerte, accidẽs dupliciter potest considerari. Vno modo secundum se, & vt à subiecto separatũ cognoscitur, quod nomine abstracto significatur. Altero modo, vt est in subiecto, quod significatur per nomen cõcretum, cognoscere autem accidens in abstracto intellectus ipsius est, cuius est tale accidẽs abstrahere: at cognoscere accidens in cõcreto, sensus est: hic enim album, nigrũ, calidã sentit: propterea nobis est in concreto accidens notius, quã in abstracto. Ex his extat hęc ratio Ammõ. hic enim traditur qualitas, & manifesta ista est in concreto, propterea titulus vtriusque meminit. Quarta ratio est Boet. Inquit, quale aliquando pro subiecto, aliquãdo pro ipsa qualitate sumi: & ne forsan quis deciperetur, existimãs hic quale cõsiderari ratione subiecti, propterea Arist. vtrunq; copulauit: vt nihil aliud per quale, quã per qualitatẽ intelligeremus: cũ quale significet ipsam qualitatẽ, vt est in subiecto, oẽs hę rationes bonæ sunt, & hæc vltima est etiã Simpli.

Ex his patet ratio, quare nõ de quantitate, & quanto inscripsit: quantitas enim est accidens in vniuersum sensibus substans, & suscipiens mutuam prædicationem in cõcreto, & abstracto, vt diximus: at ipsa qualitas non sensibus in vniuersum subsistat, cũ sint innumerę qualitates insensibiles: nec de concreto abstractũ, vel è contra prędicatur: propterea satis fuit, ibi de quantitate inscripsisse, nõ autem hic, cum ista non ita idem sint.

1. *Qualitatem verò dico secundum quam quales quidam esse dicuntur, &c.*

Caput hoc in quatuor partes diuiditur. Prima definitionem seu descriptionẽ ipsius qualitatis cum diuisione specierum ipsius continet. In secunda traditur de quali. In tertia sunt tres proprietates qualitatis. In quarta est dubiũ & solutio.

In prima ergo parte, distinctiones causa, quinque sunt particulæ. In prima est descriptio qualitatis in singulis quatuor, sunt quatuor species ipsius qualitatis, singulæ in singulis particulis.

Est ergo qualitas secundũ quam quales quidam dicuntur, vt ab albedine corpus quale dicitur: si enim interrogeris, quale corpus esse dices album.

Hic primò aduerte hic describi, & manifestari abstractum per concretũ, quia vt dixi ex Ammõ. notiora nobis sunt cõcreta, vt potè sensibus percepta: & similiter quia concretũ est magis compositum cũ significet accidens, vt est in subiecto, cõpositum autẽ notius est nobis, quam simplex, vt docet Auer. 1. Physi. com. 3. Nota. 1. Cur abstractum per concretũ explicetur.

Aduerte secũdo, ne turberis in verbis Arist. definit enim qualitatẽ in singulari, & vtitur verbo plurali ob eam mq; causam existimemus ex hoc ab vnica qualitate semper multa dici qualia: sed in definitionibus voces à numero absoluuntur: vt idem sit sensus, qualitas est, à qua aliquid dicitur quale: sicut à qualitatibus alia qualia dicuntur. Nota. 2.

Aduerte tertio, quòd Albert. in præsenti notat dici per verbum primæ personæ scilicet [quidam dicimur] vt intelligamus duplices esse qualitates: quædam sunt spirituales, quæ non nisi animæ, vel rei spirituali insunt: quædã sunt corporeæ quæ non nisi corporibus insunt. Propterea enim dicit per verbum personæ primæ qua significantur homines, in quibus solis, hæ vtræque qualitates simul sunt. Ista doctrina vera est, sed impertinens ad Aristotelem Græcè enim habetur verbum tertiæ personæ, vt vertit Boet. Nota. 3.

Aduerte quarto, videri istam nõ esse bonam descriptionem, omnia enim accidentia in quali prędicantur, & secundum ea, quales dicimur: ergo nõ hoc isti prędicamento proprium est. Nota. 4.

Prop-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Qualitas quot modis accipiatur.

Propterea nota ex Arist. 5. Meta. c. 14. qualitatem multipliciter sumi. Primò, pro omni forma substantiali, & differentia rei constituta: formę enim qualitas inest, & differentia generis dicitur qualitas, sed essentialis. Altero modo qualitas sumitur pro quacunq; forma accidentali, que est extra naturam subiecti: & sic comprehendit omnia nomen prædicamenta. Tertio modo sumitur specialiter pro accidente huius quarti prædicamẽti, à quo dicitur aliquid simpliciter, & purè, quale. Dicit enim Alb. ca. 1. & benè, à qualitate primo modo non dicitur aliquid quale tantum, sed cum aliqua compositione, sicut & à quantitate nõ quale absolutè, sed quantum, vel aliquot. Ab alijs verò dicitur aliquid, non quale, sed qualiter se habet: quod sedet enim, vel stat, vel iacet, vel currit, vel patitur, potius dicitur aliquo modo se habere, quã quale absolutè. Hæc verò qualitas huius prædicamenti quale simpliciter facit: & ita est intelligenda descriptio. Et huic consonat, quod Porphy. dixit in cap. de Cõmunitatibus in differentia generis, & accidẽtis, accidẽs prędicari in quale, vel in quo modo vnumquodq; se habet.

Nota. 5. Posita descriptione, qualitatem diuidit. Qualitas, inquit, multipliciter sumitur. Non hic intelligas multipliciter, id est, æquiuocè sumi, sed genericè nimirũ quia multas species habeat, vt notat Ammo. Boet. & Alb. & hoc manifestum est ex his, quæ subiungit. Vna, inquit, species est quòd non dixisset, nisi qualitas esset genus, vt notat Simpli.

2. *Vna quidem Species qualitatis habitus, & dispositio est, &c.*

Hæc est secũda particula, in qua Arist. de prima specie qualitatis tractat. Et primo differentiã inter habitum, & dispositionem assignat: ex qua quid vtrunque sit ostenditur. Secundo, illam differentiã probat. Tertiò, quomodo ad inuicẽ se habitus, & dispositio habeant, aperit.

Differt ergo habitus à dispositione, quod habitus est quędam qualitas difficulter à subiecto mobilis: qui non facilè corrompitur, & à subiecto non facilè recedit, sicut scientia, virtus: qui enim semel scientiam acquisiuit, non facilè perdet eam, sed magna difficultate, vtpotè morbo aliquo grauissimo correptus. Dispositio verò est qualitas facile à subiecto mobilis, & quę remouetur citò à subiecto, vt sanitas & ægritudo, quæ facilè recedunt. Quamuis, vt notat Arist. aliquæ dispositiones longa consuetudine fiunt habitus, vt febris, quę tempore longiori fit Hæctica.

Ex his facilè colligitur, quid vtrunque sit: est ęnim habitus qualitas non facilè mobilis à subiecto. Dispositio verò est qualitas facilè mobilis à subiecto: vocamus verò mobilem qualitatem, nõ quæ cum ipso subiecto corrumpitur, sed quæ subiecto manente potest recedere, & corrumpi.

Manifestum est autem quoniam hæc, &c. 3.

Hoc discrimen Arist. probat ex vsu loquendi in ipsis disciplinis: illos enim qui non probè veritatem perceptã retinẽt, vocamus dispositos, quãuis inter hos aliqui magis, aliqui minus dispositi inueniãtur: illos verò, qui probè retinent, nec facilè ab ea mobiles sunt, habitus asserimus habere. Postea hæc duo comparat: omnis, inquit, habitus dispositio est, non tamen omnis dispositio habitus est, neq; qui dispositionem tenet, necessario habitum tenet.

Pro quo aduerte, quod dupliciter dicitur dispositio. Vno modo generaliter pro qualitate facilè, vel difficilè mobili, quo pacto. 5. Meta. com. 20. & in præsenti habitus dispositio dicitur. Altero modo specialiter pro qualitate facilè mobili, & sic habitus non est dispositio: vnde species est nomen generis, & cuiusdam speciei generis. Subdit exemplũ Ammo. de nomine: aliquando enim nomen cõmuniter pro omni parte orationis sumitur, aliquando particulariter, pro vna parte vt est à verbo distincta: & hæc est expo-

Nota. Dispositio duobus modis dicitur.

sitio communis, & vera. Quamuis etiam aliter posimus Arist. interpretari, vt loquatur de dispositione particulariter dicta, vt sit sensus: Habitum præcedunt dispositiones cum prius subiectum habeat dispositionem, per quam ad habitũ peruenit, quamuis id non semper sit necessarium, tamen dispositionem non præcedit habitus, cùm ex dispositionibus fiat habitus, non autem ex habitibus dispositio, vtraque expositio est bona, prior communis est.

4. *Aliud verò qualitatis genus est, &c.*

Hęc est particula tertia, in qua tractat de secunda specie: nec mireris quod habitum vocauerit speciem, hoc verò genus dicat, quia vt notant Ammo. & Simpli. hęc quatuor subalterna genera sunt, quę & species & generis nomen iure sibi vendicãt, vt ex interpretatione Porph. manifestum habemus.

Nota. 1. Principia actionũ esse duo. Pro huius autem generis intellectione aduerte operationum duo esse principia: alterum quod simpliciter ad operandum est: alterum ad benè vel malè operandum: verbi gratia, rusticus habet principium vt cognoscat, vt operetur: tamen doctus & artifex etiam aliud habet principium vt benè operetur, vt perfectè cognoscat: prius dicitur potentia, posterius habitus vel dispositio: prius à natura est rebus concessum, posterius acquisitum, & à nobis partum: prius ad quãcunq; operationem est necessarium: sine potentia enim non cõtigit operari, nec benè nec malè: posterius non est in omni operatione necessarium: nec in omnibus operantibus sunt habitus. Istud verò, scilicet habitus & dispositio est in prima specie prędicta, at prius illud principiũ pertinet ad hanc secundã speciem, quę dicitur potentia vel impotentia naturalis, nec intelligamus de illo principio quod non est naturale, id est, à natura cõcessum, sed à nobis conquisitum.

Nota. 2. Potẽtiæ naturalis Aduerte secundo, quod huius potentiæ quadruplex est gradus seu species. Prima est quędam naturalis prõptitudo ad facilè agendum aliquid, secundũ quã quatuor sunt homines pugillatores, luctatores, id est, naturalem habent quandam insitam potẽtiam ad ista opera: nec loquimur de his, qui arte & vsu id efficiunt, nam tunc ad primam pertinerent speciem, sed de his, qui naturaliter id præstant: similiter sunt aliæ innumeræ aptitudines hominum, secundum quas naturaliter inclinãtur ad facilè opera aliqua exercenda. Secunda species est naturalis quędã potentia, secundum quam aliquid fortiter resistit sibi contrarijs, & aduersantibus, secundum quam dicimus homines salubres, quibus talis inest potentia, vt omnibus nociuis fortiter resistãt, nihilque eis noceat: in hac est duricies, qua aliquid resistit diuisioni & sectioni, quę tendit in ipsius destructionem. Tertia est quædam actiua potentia, secundum quam difficulter aliquid agit, qualiter est hebetudo seu ingenij, seu corporis ad operationes exequendas. Quarta est quędam potentia, qua aliquis facilè suscipit id, quod sibi aduersatur, & in sui destructionẽ tendit, qua potẽtia dicimus homines insalubres, qui semper valetudinarij sunt à natura, & omnia eis nocent: similiter mollities est in his, secundum quam facilè res sui diuisionẽ patitur. Et maximè notandum est, duas priores vocari ab Arist. naturales potentias: duas verò posteriores, quæ prioribus contrariæ sunt, impotentias naturales & meritò, quia potentia operãdi difficulter, potius dicitur potentia nõ operandi facilè: & potentia non resistendi, & patiendi, impotẽtia resistendi: ita tamen ista intelligas, vt non propterea existimes impotentiam esse priuationem seu negationem potentiæ, sed dicit qualitatem positiuam contrariam potentiæ. Per hæc facillimè intelligitur ista species, & sensus Aristot.

Dubium Dubitabis, quare hoc genus duplici nomine sub distinctione explicatur: dico id esse, quia nomen vnicũ non est, quo istas quatuor qualitates explicemus: ideo duplici

Solutio.

plici simul nomine Aristo. est vsus: dicit enim ποιοτης δυναμεις και ἀδυναμια.

5. *Tertia vero species qualitatis est passibiles qualitates, &c.*

Nota. 1. Aggreditur explicare tertium qualitatis genus: & quia iste textus obscurus est & doctrinam continet obseruandam, ali quot fundamenta opus erit præmittere.

Passio tribus modis. Primo passio tripliciter, quantũ pro præsenti sufficit, apud Arist. accipitur. Vno modo pro receptione cuiuscq; formę, siue tendentis in rei perfectionem, siue in disconuenientiam: vt patimur quando recipimus calorem, siue iste sit nociuus, siue proficuus: quo modo. 2. de anima. c. 5 & li. 3 cap. 2. sensus docet pati quando recipiunt speciem, & similitudinem obiecti. Altero modo accipitur passio pro receptione formæ disconuenientis, & nociuæ, vt quando subiectum patitur sibi calorem aduersum. Tertio modo passio significat illam qualitatem, quæ ex passione prouenit, tanquam ipsius effectus, vt nigredo, quæ ex combustione procedit, dicitur etiam passio, & harum duarũ acceptionum meminit. 5. Met. cap. 21.

Nota. 2. Aduerte secundo: q; istæ qualitates tripliciter se habent ad passionem secũdo modo dictã. Quędam solum sunt principia actionum, seu passionũ, quia faciunt passionem, nõ tamen sunt ex passione alia: quales sunt primę quatuor qualitates, calor, frigus, siccitas, humiditas. Quędam sunt effectus passionũ, tamen ipsæ non efficiunt passionem propriam in alio, quales sunt colores, ij enim ex passione primarum quatuor sunt, tamen ipsæ non in alio passionem efficiunt, cum colores per se nihil frigefaciant, vel calefaciant, vel alium colorẽ producant. Quędam alię sunt qualitates, quę etiam sunt ex passionibus secundo modo, & ipsæ sunt causæ etiam passionum in alio, quales sunt odores & sapores: hi enim ex primis qualitatibus fiunt sicut colores, tamen ipsi rursum efficiunt passionem in sensibus, cum odor, & sapor calefaciant, exsiccent & humectent: & hinc est quod minus multo defatigamur videtes, cum non patiamur à coloribus, quam gustantes & olfacientes quia patimur.

Aduerte tertio, quòd isti colores & qualitates, quę sunt effectus passionum, sunt in triplici differentia. Quædam prouenium ex naturali passione, quæ fit simul cum ipsa rei generatione, vt albedo cygni, nigredo corui: hi enim colores sunt ex passione illa, quę fuit inter qualitates quãdo ista generata sunt. Quędam prouenium ex passione accidentali, scilicet quæ non est à natiuitate, tamen est passio perseuerans, vt qui ex aliquo morbo colorem aliquem diuturnum contraxit pallidum, vel rubrum, vel alium. Quædam prouenium ex accidẽtali passione, sed non perseueranti, & facilè recedẽti, vt rubedo, quæ ex verecundia, & pallor qui ex timore procedunt. Hi autem tres modi qualitatum, & sunt ratione corporis, vt hi quos diximus, & sunt aliquando ratione mentis & animæ, vt insania, furor, dementia, quæ prouenium & ex passione natiua, & ex passione accidentali perseueranti, & aliquando ex passione subita, & non durabili. Nota. 3.

Aduerte. 4. quòd illæ qualitates quæ sunt causæ passionum, non solum efficiunt passionem in nobis, sed etiam in alijs multis, vt calor, qui calefacit omnia mista: aliquę solum efficiunt passionem in animalibus, vt odores & sapores, tamẽ ab Aristotele omnes sumuntur, quia ingerunt animalibus passionem: quia nobis istæ omnes passiones notiores sunt, qui animalia sumus: non enim cognosco ignem alteri, scilicet ligno intulisse passionem, nisi per passionem, quã ego experior, cognoscens & tangens lignum, & ignem. Nota. 4

His suppositis deuenianus ad Aristo. hæc enim particula continet quatuor. Primo speciem exemplis explicat, & probat enumeratas esse qualitates. Secũdo ostendit, quomodo dicantur passibiles qualitates. Tertio discrimen inter passibiles qualitates, & passiones cõstituit. Quarto Expositio text.

Quarto id in qualitatibus secundũ mentem etiam explicat.

Dicit ergo primo, genus tertium qualitatis esse passibiles qualitates & passiones, quales sunt dulcedo, amaritudo, albedo, nigredo, & calor, ac similes: quòd autem hæ qualitates sint, manifestũ est: per eas enim dicitur subiectũ quale, nempe album, dulce, calidum.

6. *Passibiles verò qualitates dicuntur, &c.*

Explicat quomodo istæ dicantur passibiles qualitates.

Nota. Qualitas dicit passibilis tripliciter ex causa. Aduerte autem tripliciter aliquã qualitatem posse dici passibilem. Vno modo quia subiectũ recipiens illam, secundum eam patitur, vt calor in manu receptus dicitur qualitas passibilis, quia manus secundum eum patitur. Altero modo dicitur passibilis qualitas: quia ipsa sit causa passionis, vt calor ignis est causa passionis in ligno vel in tactu. Tertio dicitur passibilis qualitas, quia sit effectus passionis, vt diximus. Hoc supposito ostendit has qualitates non dici passibiles, eo quòd ipsarum subiectum aliquid patitur: non enim mel patitur, quia habet dulcedinem, nec ignis, quia habet calorem, sed dicuntur passibiles quia sunt causæ passionum, vt calor, & sapores: vel quia sunt effectus passionis, quales sunt colores. Dupliciter ergo passibilis qualitas dicitur, vel quia est causa passionis in alio subiecto, vel quia est effectus ipsius passionis.

7. *Quædam ergo fiunt per aliquam passionem, &c.*

Hic ostendit Arist. colores omnes esse effectus passionum, & tale est argumentum. Colores isti, qui à natura sunt, simi les sunt ijs, qui fiunt ex accidenti: sed isti ex accidenti, scilicet qui prouenium ex verecũdia vel timore, fiunt ex aliqua passione: ergo existimandum est illos etiã qui à natura sunt, ex passione prouenisse

nota modũ & rationẽ in Et nota admodum hãc rationem, ex ea enim deduces pulchram viam naturales causas indagandi, penes causas acciden tales, ex quibus similes proueniunt effectus, quam ipse obseruauit: tertio sect. prob. q. 1. vbi quæ rens naturam melãcholicorum, eos ebrijs in effectibus similes contemplans, quod ebrijs accidentaliter accidit, id melãcholicis à natura prouenire existimat. ne stigã li causas naturales

Statim subdit has qualitates, quę effectus passionum sunt, esse in duplici differentia: quędam prouenium ex passione durabili, & perseueranti, siue à natura, siue ab aliquo accidenti, scilicet morbo, vel quolibet alio: & istæ dicuntur passibiles qualitates: & quædam sunt effectus passionum, qui non durant, sed trãseunt, & istæ non dicuntur qualitates, sed passiones: & probat, quia simpliciter ab his non denominamur quales, nõ enim qui rubedinem contrahit ex verecundia, rubeus dicitur, sed passus ruborem: nec intelligas, quòd iste rubor nullo modo sit qualitas, cum in hoc prædicamento sit, sed dicit, quod quantum ad denominationẽ absolutè non est dicenda qualitas, videlicet permanens, ita vt ab ea talis denominetur, scilicet rubeus.

Dubitabis, quare hic nõ meminit odorum, & sonorũ, cũ tamen passibiles qualitates sint, sunt enim causæ passionũ in sensibus. Dicendum q; odorum, & saporum, prorsus eadem ratio, nec odores, nisi per sapores, cognoscuntur, adeò, vt ferè eisdem nominibus nominentur species, & differentię odorũ & saporum, vt docet 2. de anima ca. 9. propterea nõ meminit odorem, quia sub saporibus ea ratione comprehendẽtur, vel quia non erat necesse connumerare omnes qualitates, & præsertim omnibus notas. Dubium

De sono dicit Alber. non meminisse: quia non sit ex qualitatibus primis, sicut reliquę qualitates passibiles: forsan posset dici, potius esse passionẽ animę, quã passibilem qualitatem, cum non sit perseuerans. Dubitatur circa dicta: nã colores videtur causa passionis, omnis enim sensus patitur à sensibili, vt dicitur 2. de anima, ca. 12. imò in q. 30. sect. 51. proble.

dicit

dicit Arist. viride maximè delectari oculos, quos alij colores defatigant. Dico primò colores non agere in oculos passione corruptiua, cũ imprimant speciẽ, & similitudinem, quæ non corrumpit: dico, secundo, quòd colores aliqui agunt passione corruptiua, sed id non fit ratione coloris, sed subiecti, in quo tales colores sunt, quod est humidũ, vel siccum, vel splendens magis vel minus, & inde prouenit, q lædat vel delectet visum. Dubitatur, secundò, odores, & sapores sunt etiam effectus passionum, vt diximus, vt quid ergo magis dicuntur qualitates passibiles, quòd sint causæ passionis, quam quòd sint effectus, quandoquidem vtrumque habeant? Ad hoc solutio in prõptu est, dignius enim est esse causam passionis, quã effectum, & vnumquodq; à principaliori sumit denominationem.

8. *Similiter autem his, & secundum animam, &c.*

Postquam Arist. ostendit esse passibiles qualitates secundum corpus qui effectus sint passionum, & similiter esse passiones, hoc idem esse etiam in qualitatibus secundum animam ostendit: sunt enim quædam qualitates prouenientes ex passione secundũ animam, sed à natiuitate, vt dementia, secundum quam quis nascitur demens: sunt etiam quę ex passione accidentali, sed permanenti proueniunt, vt dementia ex morbo, vel aliquo alio diu perseuerans. Sunt etiam aliæ ex passione citò recedẽti, vt dementia extra subita, paruõ tempore durans, quemadmodũ autem illæ duæ priores qualitates dicebantur qualitates, quia secundum eam dicebamur quales: tertia verò non qualitas, sed passio erat: cum secundũ eam subiectum non diceretur quale, ita similiter in his quæ secundum mentem sunt, illæ duæ priores sunt qualitates, & ab eis quales denominamur: posterior verò non qualis, sed passio dicenda est, nec secũdum eam quale quid dicitur, non enim dicitur demens qui ex breui ira in quandam dementiam breuissimè durantem incidit, sed potius dicitur q passus est dementiam.

Quarum verò genus qualitatis est figura, &c. 9.

Accedit iam ad vltimã qualitatis speciem quę est figura vel forma. Dubium autem est, quid per hæc duo intelligat. Ammon. existimat per figurã intelligere eam, quæ in rebus inanimatis est, per formam verò eam, quæ in animatis est: non autem hic loquimur de forma substantiali rerum, sed de ista exteriori sensibili, quam ars imitatur. Dubium

Boet. & Simpl. per formam intelligũt idem, quod per pulchritudinem, per figuram verò eam solam quę in quantitate consistit. Albertus, ca. 8. idem existimat esse figuram & formam, sed ratione differre. nam figura dicitur respectu quãtitatis, cuius extrema faciunt figuram, formaverò dicitur respectu subiecti naturę, quælibet enim natura specifica suam habet propriam figuram exteriorem, quæ dicitur forma. 1. Sentẽ. 2. Sentẽ.

At profectò mihi placet sententia Iãbli. vt refert Simpl. hic enim dicit per figuram intelligi eam, quę in solis mathematicis est quantitatibus, vt esse triangulum, quadrangulum, cubum & reliqua: & per formam intelligit eam quæ in corporibus naturalibus est. Et hoc patet ex ipso Arist. qui probat figuram esse qualitatem, quia secundum eam dicitur quale aliquid: ista subdens, exẽpla, esse triangulare, quadrangulare. 3. Sentẽ.

Huic generi adiungit Arist. curuitatẽ & rectitudinem quæ qualitates sunt, quia quodammodo figuræ sunt, quamuis imperfectæ.

Vbi notat Amm. & benè, quòd ex quantitatibus procedunt passiones seu affectus, figurę & formæ, sed non hæc omnia ab omnibus quantitatibus: à linea procedunt affectus, scilicet curuitas, rectitudo, etiam & angulus: à superficie continenti longitudinem & latitudinem, procedunt affectus, scilicet angustia, amplitudo, etiam procedunt figuræ, scilicet trian- Nota.

triangulus, quadrangulus, & reliquę figuræ superficiales: à corpore verò procedunt affectus, grauitas, leuitas, similiter figuræ, scilicet cubus, pyramis: procedũt etiam formæ à tali quantitate, vt est in subiecto substantiali: omnia autem ista, quæ à quantitate dimanant, qualitates sunt.

10. *Rarum verò & spissum & asperum, &c.*

Excludit dubium. Posset quis dubitare an istæ qualitates sint, cum secundum ea quale dici appareat. Respondet non esse qualitates, sed potius pertinere ad positionẽ quę ad aliquid est, quod ex horum definitione apparebit, est enim rarũ, qd partes sibi habet distantes inuicem, spissum, quod partes sibi coniunctas habet, asperum, quod partes inæqualiter habet insurgentes, lene cuius partes rectitudinem quandam obseruent, hęc autem ad partium positionem spectant: concludit hæc esse qualitates, quæ maximè qualitates dicuntur: [forsan autem alius apparebit modus qualitatis.] Hæc verba in disputatione examinabuntur.

11. *Qualia verò sunt, quæ secundum has denominatiuè dicuntur, &c.*

Hæc est secũda huius capitis pars principalis, in qua de ipso quali Arist. tractat ipsum & describit. Quale inquit est, quod à qualitatibus denominatiuè dicitur, vel quomodolibet aliter.

Hęc descriptio duas habet partes. Altera est, quale dici denominatiuè à qualitate, diximus enim superius, tunc dici denominatiuè, quando in nomine est quędã conuenientia cum extremitatis differentia aliqua, & in re est quædã forma, & id quod formam participat: patet autem ita esse in multis qualitatibus, vt candor, & candidus, albedo, albus, calor, calidus: in his, concreta denominatiua fiunt à qualitatibus ipsis abstractis.

Altera pars est [vel quomodolibet aliter.] quia aliquando nõ fit denominatio ab aliquibus qualitatibus, vel quia nomen eis non est impositum, vt dicuntur pugillatores, cursores, à potentia quadã naturali curreudi, & actum pugillis exercendi, cui potentiæ non est nomen impositũ, sicut sunt nomina imposita à tibus, quibus hæc fiunt. Diximus enim pugillatores dici & ab arte, & à potẽtia quadam naturali: similiter cursores, luctatores, artibus quidem nomen impositum est, sed non potentijs.

Huiusmodi aliquando nomina quidẽ imposita sunt qualitatibus, sed non ab illis sumitur nomen concretum denominatiuum idem significans, vt qualitas quędam dicitur virtus, sed nõ ab ea virtuosus quis, sed studiosus dicitur: sed ista non sunt multa: omnia autem hæc qualia dicuntur, quę vtcunq; à qualitatibus sumuntur.

Dubitatur. Videtur Arist. non seruasse præceptum illud. 6. Top. ca. 3. ne cõmittatur circulus in definitionibus, vt vnum per aliud, & hoc iterum per illud definiatur: hic autem qualitatẽ per quale, modò quale per qualitatem describit. Dubium

Ad hoc respondet Boet. istam non esse propriè definitionem, sed descriptionẽ quandã, in qua non est vitium absurdum, vt vnũ per alterũ describatur, tanquam per notius nobis, & hoc iterum per illud tanquã per notius naturã: quale enim nobis est notius, cum sit magis cõpositum, & composita nobis sunt notiora: at qualitas est notior natura, & minus nobis nota: est enim prior natura qualitas, quã quale, & est ipsius qualis causa: vnde postquã iam nobis manifesta est qualitas per ipsum quale, iterũ quale per qualitatem manifestamus, tanquã per notius naturã vt cognoscamus radicẽ & causam ipsius qualis esse qualitatem: nec iste est circulus, tunc enim hic fit, quando idem est modus cognitionis. Solutio.

Inest autem & contrarietas secundum qualitatem, &c. 12.

Hæc est tertia capitis pars, in qua explicatur ea, quę qualitatibus insunt, hęc autem sunt tria. Primo est, qualitatibus inesse contrarietatem, quod exemplis ma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nifestatur, iustitiæ enim injustitia, & albedini nigredo contrariatur: & non solum hoc abstractis qualitatibus, sed ipsis qualibus inest, iustum enim in iusto, & album nigro contraria sunt: hoc tamen non omnibus inest qualitatibus, nã rubedo, pallor, & reliqui colores medij, non habent contrarium.

Dubiũ. 1. Dubitabit hic aliquis, nam iste locus videtur aduersari alteri loco. 5. Physico. capit. 1. vbi dicitur non solùm extrema, sed etiam media extremis cõtraria esse, & 2. Ethi. ca. 8. & 1. magn. moral. capit 9. docet extrema vitiosa, & inter se contraria, & cum virtute, quæ est in medio, liberalitas enim quæ in medio est, prodigalitati & auaritiæ contrariatur. Ad hoc

Solutio. dico, dupliciter aliquid posse alteri contrariari: vno modo secundum se primo: altero modo secundum aliquid, quod in se participat: verbi gratia, ignis aquę est contrarius, non quidem secũdum se, sed ratione caloris, & frigiditatis, quæ in eis sunt: at ipse calor & frigiditas secũdum se contraria sunt. Modo dico, quod colores medij contrariantur extremis, sed non secundum se, sed vt magis vni aut alteri accedunt extremo: verbi gratia rubrum aduersatur albo, quia magis participat nigrum, at ipsi colores extremi secundum se contraria sunt, & per hoc patet cõcordia huius loci cum illo quinto Physicorum.

Ad illud de virtute respondet Alber. cap. 9. virtutem contrariari extremis in ratione extremi: id est, in quantum virtus bonũ morale est, extrema verò mala sunt, bonum autem, & malum extrema sunt.

Dubiũ. 2. Dubitabis, cum multa clara exempla possent proponi qualitatũ non habentium contraria, figura enim & forma cõtraria non habent, vt quid Arist. hoc de coloribus medijs, quod non satis perspectum erat, proposuit? Iudicio meo, id nõ

Solutio. sine causa factum esse existimandum est: causa igitur huius est, vt intelligamus perfectam & primam contrarietatẽ inesse extremis, & alijs ipsorum ratione, ac propterea verbis sequentibus, alteram contrariorum proprietatem subiungit, scilicet, vt sint talia extrema, quę sub eodem genere sint: vt si vnum ad qualitatem, & alterũ etiam ad qualitatem spectet: sunt enim contraria in vno & eodẽ prædicamento.

Suscipiens autem qualia magis & minus. &c. 13.

Ineſt etiam qualibus suscipere magis & minus: non solùm autem vnum altero magis album, calidum, aut frigidum est, sed etiam vnum, & idem modò album, modò magis album est.

Dubium Sed posset quis dubitare, an sicut suscipiunt contrarietatẽ qualitates sicut qualia, ita suscipiant etiam magis vel minus vt vna sit magis albedo, quàm alia. Et di

Solutio. citur hoc quibusdam visum fuisse, inter quos fuit Plato, vt referunt Alex. Boet. & Alb. At ipse Aristot. magis accedit ad hoc quòd nõ abstracta, sed concreta, magis vel minus suscipiant, illa tamen proprietas non inest omnibus, cùm ipsis abstractis qualitatibus non insit: imò nec omnibus qualibus: hęc enim quę à figuris dicuntur, non suscipiunt magis vel minus, sed ratio earum in indiuisibili consistit: vt aliquid videlicet sit circulus vel non sit, conuenit absolutè: non verò dicitur magis vel minus circulus, quã alter. Nec quadrangulum vnũ vt potè quadratum, est magis quadrangulum altero, quod sit altera parte longius: sed absolutè vtrumque est, & dicitur quadrangulũ seu quadratum: esse enim circulum vel aliam figuram consistit in vnica ratione non suscipienti variationem: hoc idem in ipsis concretis. Quadratum autem dicitur figura plana, quatuor rectis lineis æqualibus contenta: altera verò parte longius, quod quadrangulum vocant, est ex quatuor lineis, duabus existentibus inæqualibus, alijs duabus.

Horum itaque quæ predicta sunt, &c. 14.

Ostendit nullũ ex his duobus esse proprium qualitatibus, cũ non insit omnibus

but: propterea verum proprium ponit omni, & soli conueniens, vt secundũ solam qualitatem dici cõtingat simile vel dissimile. Ne autem existimes simile & dissimile esse qualitates, sunt enim ad aliquid, sed sunt passiones qualitatis, nec est inconueniens quod res in vno prędicamento, & eius passio in altero collocetur, vt diximus: homo enim in substantia, at risibile in qualitate est: ita qualitates huius prædicamenti sunt, at simile & dissimile ad aliquid pertinent.

15. *At verò non decet conturbari, &c.*

Hęc est vltima capitis pars, in qua Aristot. respondet cuidam obiectioni, quæ ei ex dictis prędcẽtibus obijci poterat: nempè, in prædicamento ad aliquid collocata sunt scientia, & habitus, nihil autem vnum, & idem in duobus prædicamentis est constituendũ: ergo non sunt ista in prędicamento qualitatis, vel non sunt ad aliquid.

Ad hoc dupliciter respondet. Primo, inquit, scientiam, & habitum in genere esse ad aliquid, species verò ipsius esse qualitates: nec repugnat genus esse in prędicamẽto ad aliquid, & species in qualitate. & hoc idẽ docet. 4. Top. ca. 4. Respondet secundo, etiam genus, scilicet scientiam & habitũ esse in hoc prędicamento qualitatis, & ad aliquid: nã vnum, & idem secundum diuersas rationes, ad diuersa potest pertinere prędicamenta: vt scientia quatenus subiectum facit quale, in qualitate est: quatenus ad obiectũ refertur, ad aliquid est.

Ex vtraque solutione Arist. habetur secundum ipsius mentem, scientiam & habitum aliquo modo ad aliquid pertinere, quod nos supra diximus contra Ammon.

Dubiũ. 1. Dubitatur, quo pacto fieri potest, vt genus, q. de natura specierum est, sit in vno prędicamento, & species in alio: cũ supra docuerit Arist. quicquid de genere essentialiter prædicatur, etiam de specie prędicabitur. Ad hoc respõdet Alex. Scientia secundum naturam suã est qualitas, quia subiectum ipsum primo disponit secundum se: ex scientia autem similiter & ex habitu nascitur quidam respectus ad obiectum: & ratione huius respectus, qui non est natura scientię, sed à natura fluit, est in prædicamẽto ad aliquid sicut risibile ratione subiecti est in substantia, ratione riũbilitatis est in qualitate. species autem sunt in prędicamento, in quo est natura sui generis: & ita hic sit: nam scientia, & habitus secundũ naturam suam in qualitate sunt. Et hoc est quòd benè dicit Simpl. quia species scientiæ, & habitus ipsius, non sunt scientię, & habitus species, quatenus illa sunt ad aliquid, sed vt qualitates sunt.

Dubiũ. 2. Tamen est aliud dubium, quod maximè hoc ipsum manifestat, & cuius consideratio à multis prætermissa est. Nam sicut à natura scientię in communi fluit quidam respectus, & comparabilitas ad obiectum scibile in communi: ita ex qualibet sciẽtia in particulari fluit respectus particularis ad suũ obiectum: ergo qua ratione genus ad aliquid spectat, ita etiam ipsæ species pertinebunt. Præterea, non videtur recta doctrina, propterea scientiam esse ad aliquid, quia respectus ex ea consequatur, ratione cuius ad aliquid est: eodem enim modo dicerẽtur: Petrus est in qualitate ratione coloris, qui in eo est.

Solutio: Dico ad hoc, est etiam valdè notandum, quod scientia in communi non solùm habet illum respectum, sed etiã nomen ipsum scientiæ, & talẽ qualitatem simul cũ respectu significat, cum scientia dicatur ab hoc, quod est scire, & cognoscere aliquid. At reliquæ scientię particulares habent quidem respectũ, sed nomina ipsarum solã qualitatem sine respectu significant: vt Grammatica, Rhetorica, Geometria: & inde non dicuntur ad cõcertentiam cum obiecto, nõ enim dicitur grammatica est, vt ita loquamur, grammaticabilis grammatica: sicut dicitur scientia est scibilis scientia.

Nota cur sciẽtia dicat esse ad aliqd non aũt species subiectę.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Inde est, quod scientia & habitus in genere possunt ad aliquid pertinere ratione alicuius in sua significatione contenti, non tamen ipsius species: & hoc valdè obserua, circa hunc textum atq; hæc de capitis interpretatione.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum qualitas sit genus? & de eius speciebus, ac specierum qualitatum diuisione.

HOc prædicamentum dignũ est speculatione & propter rerum obscuritatem, & ipsarum insignem, & vniuersalem vtilitatem, cum & morali, & naturali philosopho, & mathematico maximè sit huius opus, quandoquidé omnia hæc fere comprehendit. Est igitur prima difficultas. An qualitas sit genus supremum omniũ specierum enarratiũ? videtur enim nõ esse genus, cum Aristo. dicat qualitatẽ multipliciter dici, quod idé videtur ac æquiuocè dici, vel saltem analogicè, vt loquitur Arist. 4. Met. cap. 2.

Argumẽta in contrarium quando, scilicet sit genus.

1. Argu.

2. Argu. Præterea, quia genus significat aliquã communem naturam omnibus suis speciebus: at non patet, quæ ista sit natura communis, quam dicit qualitas.

3. Argu. Præterea in hoc prædicamento non videntur omnes satis conuenire. Simpl. enim existimat qualitatem esse analogum, Ammon. Alexan. & alij esse vniuocum genus.

4. Argu. Præterea, Simpl. & Boet. credunt alias esse qualitatis species præter has: Ammõ. & Alb. non esse vllum aliud genus.

Méta cõtra diuisionẽ in illas quatuor species.

Præterea in sufficientia huius diuisionis possit ab Arist. non conuenunt, quia dam enim aliter, quàm alij illã sumunt. In primis Amm. sic procedit. Qualitates se habent in duplici differentia, quædã dicunt potentiã vel impotentiam, & hæ faciunt secundam speciem: quædam dicunt actum, & hæ rursus sunt in differentia duplici: quædam sunt perfectiuæ vel deprauatiuæ subiecti: quædam nec perfectiuæ, nec deprauatiuæ: vocantur perfectiuæ, quę simul sunt cum natura rei, vt calor ignis, albedo niuis: vel quæ tendũt in perfectionem rei, vt virtus, scientia: deprauatiuæ, verò sunt: quę subiectorũ sunt destructiuæ, & ipsorum imperfectionem habent, vt acor vini, putredo pomi: vocat autem non perfectiuas, quæ non sunt secundum naturam rei, sed hunt per aliquam rei mutationem, vt dulcedo in iuræ, quæ fit cum alteratione iuris. Similiter figuræ & formæ, quæ nec sunt etiã deprauatiuæ, cùm non tendant in rei corruptionem.

Ratio diuisionis illius ex Amm.

Tertia subdiuisio. Quæ sunt perfectiuæ vel deprauatiuæ, sunt adhuc in duplici differentia, quędam insensibiles, id est quę non sensu aliquo percipiuntur, qualis sunt habitus tam boni, quàm mali: & dispositiones, & hæc faciunt primam speciem: quędam sunt sensu perceptibiles, id est, quę agunt in sensus nostros, & istæ sunt illæ qualitates passibiles, quæ sunt causa passionis, vt calor, frigiditas, sapor.

Illę autem quę nec perfectiuę, nec deprauatiuę sunt, iterum se habent dupliciter: quędam insunt in superficie exteriori solum, sicut figura & forma: quædam etiam in profundo corporum, vt color, & albedo, & reliqui colores, qui quãuis soli superficiei inesse videantur, tamen eorum causa à profundi mutatione prouenit. Similiter etiam se habent aliq qualitates quę in profundo etiam sunt: & hæ vel sunt durabiles, & tunc dicuntur qualitates passibiles, quę sunt effectus passionum: vel nõ sunt durabiles, & sunt passiones: hęc inter alia dicit Ammon.

Sed profectò ista doctrina nõ videtur exacta, non enim explicat quę sit ratio cuiusque horum generum: quod maximè refert. Præterea dicit qualitates primę speciei esse sensu imperceptibiles, cũ tamen constet oppositum ex ipsis Arist. exemplis: dicit enim calorem, & frigitatem esse dispositiones & posse fieri habitus: & tamen ista sensibilia sunt.

Simpl.

Simpl. aliter procedit, inquit, qualitates se habere in duplici differentia. Quędam sunt aduentitiæ, & acquisitæ: & istę faciunt primam speciem: quædam naturales: & istæ vel dicunt potentiam, vel actum. Si dicant potentiam, cõstituunt secundam speciem: si dicant actum, vel est in profundo subiecti, & sic est tertia: vel in superficie exteriori, & sic fit quarta species.

Ac nec hęc videtur omninò exacta sententia: non enim explicat rationes specierum harum, nec sufficientiam. Præterea quia ponit qualitates primę speciei aduentitias: constat autem secundũ Aristotelem sanitatem esse in prima, quæ tamen naturalis est qualitas.

1. Funda. Ratio vera illius diuisiõis.

Propterea aliter in hac parte est procedendũ. Est igitur primo considerandũ: qualitas est nihil aliud quã modus & determinatio eius, quod indifferens est: nõ tamen quicunq; modus facit hoc prædicamentum: sunt enim in rebus considerãda duo, esse rei, & ipsius operatio: & in substantijs corporeis est tertium aliud, quod quantitas dicitur: & ratione horũ trium est indifferẽtia quædã. Primo, res secundum suum esse solitariè considerata manet indifferẽs, vt benè vel malè se habeat. & determinatur quantũ ad hoc per qualitates primę speciei, quę sunt habitus vel dispositiones, quæ modificant rẽ, vt benè vel malè se habeat in se. Manet præterea res indifferens vt possit operari vel non possit operari: & quantũ ad hoc modificatur à qualitatibus secundæ speciei, quæ dicuntur potentię, per quas subiectum est potens operari. Tertio manet indifferens etiam quãtum ad operationes, quæ dicũtur passiones sensus: quia scilicet vel illas efficiunt, vel ex illis procedunt: & quantum ad hoc modificatur à qualitatibus tertiæ speciei. Tandé modificatur res in sua quãtitate à figura vel forma: quantitas enim tenderet in infinitum, nisi à figura terminaretur, & concluderetur. Nec manet alius modus intrinsecus in ipso subiecto: nam quod sit in loco, tempore, ad aliud, sunt ista ab extrinseco: ex quibus patet qualitatem esse modum rei intrinsecum, vel secundum esse, vel secundum operationem, vel secundum quantitatem.

2. Funda. Ordo specierũ qualitatis vnde sumẽdus sit.

Est secundo considerandum, quod ordo horum generum non est sumendus secundum rem absolutè, sic enim potentiæ præcedunt habitus, sed secundũ ordinem modificandi, secundum quem habitus & dispositio præcedunt: quia esse rei disponunt benè vel malè. & aliæ species quę rem ipsam totã, & substantiam disponunt, præcedunt figuram, quæ est circa quantitatem exteriorem. Erũt igitur rationes formales singulorum generum istæ. Prima species est qualitas ipsum subiectum benè, vel malè disponens. Secunda species, qualitas principium operandi. Tertia species, modificans secundum passiones. Quarta, modificãs quantitatem.

3. Funda. Vna res quõ ad diuersas categorias etiã pertineat.

Est tertiò considerandũ. Vnam & eandem rẽ posse pertinere ad diuersa prædicamenta, vel ad diuersa genera eiusdem prędicamenti diuersis rationibus: vt benè docet Simpl. Quemadmodum enim vnius cõclusionis, vt dicitur. 2. Post. ca. 28. potest esse scientia, & etiam opinio, si ab vno per demõstrationem, ab altero per rationem probabilem cognoscatur: ita similiter res varijs rationibus formalib⁹ sub varijs potest esse generibus: verbi gratia, calor & frigus, si vt causa passionis circa sensum sunt, sumantur, ad tertiam pertinent speciem: at si respectu sui subiecti considerentur, quatenus illud benè vel malè disponunt: sunt habitus vel dispositiones. Et ita considerauit Arist. qui illa in duobus generibus constituit. Similiter forma, & figura, si vt terminus quãtitatis sunt, sumantur, in quarta sunt specie: at si vt subiecti perfectionẽ vel imperfectionem dicunt, habitus sunt, vel dispositiones.

1. Cõclu. His suppositis est prima cõclusio. Qualitas genus est ad omnia ista quatuor genera. Hæc est sententia communis: nec

Universidad de Deusto
Biblioteca

Simplicius aliter voluit affirmare: solũ hoc dixit, species qualitatis nõ esse æqualiter perfectas, & propterea vocauit analogum: sed hæc analogia non impedit quin sit genus: nec obstat illud verbum, [multipliciter,] vt notat Porphyr. quod aliquando significat æquiuoce, aliquando notat solam multitudinẽ absq; æquiuocatione, & hoc probant verba Arist. quæ sequuntur: dicit enim Vna species qualitatis est, quod nisi esset genus, dici non posset: & patet ratione, quia dicit vnicam naturam, scilicet esse modũ intrinsecum, vt explicui, & prædicatur in quid de omnibus qualitatibus, vt notum est: ergo est genus.

¶ *De prima Specie Qualitatis, & eius diuisione.*

ACcedamus deinde ad singulas species seu potius genera. Et primo, dubitatur: an habitus & dispositio differant specie, ita vt sint duæ species vel genera inter se. Et quidem Ammo. Boet. & Alb. docent differre numero: sicut albedo remissa, & albedo intensa: paruus calor, & magnus calor, non differunt specie, sed numero: ita dispositio & habitus. At S. Tho. 1.2. q. 49 art. 2. optimè ad hoc respondet: inquit, enim aliquos esse habitus, qui non differunt nisi numero à dispositione: vt calor, qui facilè mobilis est, & calor qui fortiter radicatus est in subiecto: & aliquando dispositiones ex nimia radicatione in subiecto fiunt habitus, at aliæ qualitates ex natura sua sunt dispositiones, quæ ex natura sua sunt facilè mobiles, vt ephimera ex natura sua dispositio est, & non potest fieri habitus: aliæ sunt habitus ex natura sua, scilicet quę ex natura sua sunt difficilè mobiles, vt habitus virtutum, habitus scientiæ: & in his clarum est, habitum & dispositionem specie differre.

Et quia hoc tempore solent præfigi auditoribus aliquot tabulæ, quibus ea quæ in prędicamentis singulis continentur, descripta sint, licet id negotij Dialectici non sit, tamen quia citra vtilitatem non est, per modum simplicis enarrationis proponemus ea, quę in singulis his generibus comprehenduntur, aliqua rescindentes, quę minus considerate ab aliquibus ad ista genera trahuntur: fiet ergo per modum diuisionis, vt postea cuilibet sit facilè omnia hæc suis tabellis accommodatè describere.

Habitus igitur sunt in duplici differẽtia: quidam sunt animæ: quidam corporis: animæ sunt qui ab anima originem, vel in anima sedẽ habent: corporis sunt, qui præcipuè sunt in corpore, & ad aliquam operationem corpoream primò ordinantur: & horum quidam in toto corpore sunt vt sanitas, ægritudo: quidã in parte, vt habitus in manu pulsandi: in pedibus saltandi.

Habitus animæ sunt

Rursus, habitus animę quidam acquisiti sunt, quos labore, & industria paramus: quidam infusi, qui à solo Deo in nobis generãtur, vt gratia, fides, spes, charitas, & reliquæ virtutes, & dona infusa, quorũ Arist. nullam habuit notitiam, tamen in ista prima specie collocãdi sunt.

Habitus alius est animæ, alius ipsius corporis.

Habitus acquisiti quidam sunt intellectiui, id est, existentes in intellectu: quidam sunt morales, id est, pertinentes ad mores nostros, secundum quos benè vel malè, laudabiliter, vel vitiosè, operamur: horũ moralis quidã sunt virtutes, vt iustitia, prudentia: quidam vitia, siue per excessum, vt prodigalitas, temeritas: siue per defectũ vt timiditas, anaritia.

Habituum autem intellectiuorum qui dam sapientia, quidam scientia, quidam intellectus, ars, & prudentia sunt: & hi semper veri, id est, per quos semper verũ cognoscimus, alij non semper veri sunt, vt opinio. Sapientia est rerum altissimarum cognitio: hæc si sit supernaturalis, id est, cognitio non in naturali acquisita, sed à reuelatione Dei pẽdens, est Theologia: si naturaliter acquisita, est Metaphysica.

Scientia est quadruplex: Mathematica, Physica, Moralis, Rationalis. Mathematica

matica, quę dimensiones corporum, & quantitatum passiones considerat, quæ quadruplex est: Arithmetica, Geometria, Musica, astrologia. Physica, quę motus & rerum mutationes speculatur, duplex est: Medicina, & quam vocamus naturalẽ Philosophiã. Moralis mores instruit vel singulorum proprios, & dicitur Ethica: vel cõmunitates, & dicitur Politica: vel domorũ & familiarium particularium, & dicitur Oeconomica. Rationalis triplex: Grãmatica, Rhetorica, Dialectica. Intellectus dicitur cognitio principiorum primorum. Ars multiplex est, nauigandi, fabrilis, militaris, &c.

Omnes hi habitus in hac prima specie seu genere collocãtur, & omnia inferiora horum habituum: qui si non difficilè mobiles fuerint, dispositiones erũt, defectu enim vnius nominis generici, idem genus duplici nomine explicamus.

¶ *De secunda specie qualitatis, & eius diuisione.*

SEcunda species est naturalis potentia & impotentia: nec oportet iterũ hanc declarare, quia in textus interpretatione eam satis expossuimus: tantũ ea, quæ sub ea continentur, explicabimus. Potentia duplex est, corporis, & animæ: corporis, quædam actiua, vt virtus magnetis, & guttæ: quędam passiua vt salubritas, mollities, durities.

Potentia animę, quadruplex: vegetatiua, cognoscitiua, appetitiua, loci motiua.

Vegetatiua duplex: principalis, & ministerialis. Principalis triplex: nutritiua, per quã viuentia alimentum in sui naturam conuertunt: augmentatiua, per quã crescunt: generatiua, per quam sibi simile, generant. Ministerialis quadruplex, attractiua, per quam vnumquodq; membrum ad se alimentum trahit: alteratiua seu digestiua, per quam alimentum disponit: retentiua, per quã ipsum retinet: ne, dum digerit & disponit, relabitur: expulsiua, per quam superfluum alimenti expellit.

Sensitiua, & intellectiua sunt partes potentiæ cognoscitiuę. Intellectiua est intellectus: sensitiua duplex, exterior, quales sunt quinq; sensus, visus, auditus, olfactus, gustus, tactus: interior, sunt sensus communis, imaginaria, phantasia, cogitatiua memoria.

Potentia appetitiua, duplex: concupiscibilis, & irascibilis: per concupiscibilem inclinamur in bonũ, vel auertimur malum: per irascibilem tendimus in bonũ arduum ad obtinendum, vel contra malum arduum ad euitãdum: reliquę passiones particulares, id est, amor, odium, & reliqua non inter potentias, sed inter passiones collocandæ sunt.

Loci motiua, est vel volandi, vel natandi, vel progrediendi potentia. Inter appetitus collocanda est voluntas: est enim appetitus rationalis: reliqui sunt appetitus sensitiui.

Ad hanc etiam speciem pertinẽt ferè omnium specierum & generum proprię passiones, vt risibilitas, hinnibilitas: omnes aptitudines, & inclinationes particulares ad aliquid operandũ. Et non solum istæ qualitates in abstracto, sed etiam in concreto, sicut in qualibet specie, sumi possunt.

¶ *De tertia specie qualitatis, & eius diuisione.*

Tertia species est passibilis qualitas vel passio. Diximus aũt superius qualitates passibiles esse in duplici differentia: quę dã sunt causæ passionis in sensibus, qualia sunt obiecta, tactus, gustus, & odoratus: quędam sunt effectus ex aliqua passione subiecti prouenientes: difficilè tamẽ mobiles: nam si non sunt durabiles, non qualitates, sed passiones vocantur: passio enim & passibilis qualitas, quę est effectus passionis, quales sunt colores, differũt pænes facilè, & difficile mobile: non aũt sicut prima species, vt notat Simp. nã qualitas primæ speciei dicitur facilè, vel difficile mobilis ea tamen est, quæ subiectum benè vel malè secundũ suum esse

disponit. At ista tertia species est qualitas, quæ secundum passionem est facilè vel difficile mobilis.

Sub hac specie sunt passiones animæ, vt ira, amor, gaudium, spes, & reliquę. Similiter aliqui constituunt lumen, lucem & species, quibus fit cognitio: sed iudicio meo istæ nulla ratione in hac specie cõtinentur, cum nõ sint per se causa passionis, nec effectus vllius passionis: imò existimo Arist. non meminisse harum, quia secundum communem sententiã, lumen non erat accidens, sed substantia.

Possunt tamen optimè collocari in prima specie, lumen enim dispositio est, & species ipsæ: sunt enim ista facilè mobilia: lux autem, quæ in ipso corpore lumino so est, habitus quidam ipsius est: de sono diximus potius esse sub passione, est enim effectus passionis, scilicet collisionis duorũ corporũ, & permanens nõ est.

¶ *De quarta specie Qualitatis, & eius diuisione.*

QVarta species est figura, vel forma, quã in textus interpretatione explicuimus: figura quædam est discretorum, vt numerus triangularis, quadrãgularis, est etiam figura continuorum, vt triangulus, & figuræ Geometricæ. Præterea, figura quędam superficialis, quę in superficie describitur, vt triangulus in superficie cartę, & est figura solida, vt corpus colinale, pyramidale, atq; hæ dictæ sunt figuræ perfectæ: alię verò sunt imperfectæ: vt curuum, rectum, par, impar, concauum, conuexum & similia. Et in vniuersum omnes figuræ, & formę rerũ à quantitate prouenientes in hoc sunt genere: siue naturales, siue artificiatæ sint.

Dubium. Dubitatur de raro, & spisso, leni & aspero, an sint qualitates: Quare breuiter

2. Sentẽ. oportebit ista explicare. Boe. & Aug. vocant rarũ corpus, quod intra se habet cõcauitates, & poros quosdam: quorum ratione alienũ corpꝰ potest recipere in se: vt spongia, & pumex: vocant aũt densum corpꝰ, q̃ intra se alienũ recipere nequit.

Alij verò vocant rarum corpus, quod 2. Sẽten. sub magna quantitate paucam continet substantiam, quamuis porosum non sit: vt cera liquefacta: spissum verò vel densum, quod sub parua quantitate multas continet substantiæ partes, vt ferrum. Vtraque explicatio est bona.

Nec mihi placet quod dicit Alber. rarum esse diaphanum, & spissum opacũ: 3. Sentẽ. potest enim esse diaphanum, & spissum: vt vitrum, & crystallus.

Asperum verò dicitur cuius partes exteriores inæqualiter insurgunt, & quędã prominentes, quędam depressæ sunt. Lene verò, cuius partes exteriores æqualiter insurgũt. Vnde patet discrimen: lene enim & asperum considerantur secundũ partes exteriores, at rarum & spissum secundum partes interiores: rari enim partes magis inter se distant: at partes spissi inter se magis adunantur.

Hoc supposito est sententia cõmunis Alb. Auer. Gilberti, & aliorum, ista principaliter esse positionem: dicunt enim ordinem partium inter se, at minus principaliter, & secundariò dicere qualitates, secundum quas ista tactu percipiuntur. Et quamuis ista sententia mihi omninò non placeat, cum secundũ Aristonullatenus qualitates sint: tamẽ propter tantam asserentium authoritatem hoc modo recipiamus: non enim hic locus est exactius hæc omnia inuestigandi: & hæc de qualitate sufficiant. Respõsio addubiũ.

¶ *De actione & passione. Cap. IX.*

REcipit autem agere & pati contrarietatem, & magis & minus. TEXT. Calefacere enim ei, quod est frigefacere, contrarium est: & calefieri, ei, quod est frigefieri, & delectari ei, quod est contristari. Quare suscipiunt contrarietatem, & magis & minus: est enim calefacere & magis & minus, & calefieri magis & minus, & tristari magis & minus, suscipiunt igitur magis & minus agere & pati. De his igitur tot dicuntur.

Sex

Cur tam breuiter de reliquis sex categorijs Aristoteles egerit.

SEx prædicamẽta, quæ supersunt, summo compendio Arist. percurrit, cuius rationem tradunt Porph. & Simplic. nempè quòd his, qui discere incipiunt, satis fit, si ea, quæ proposita & tractata priùs sunt, optimè perceperint: eorum verò, quæ sequuntur, summam eam tenuerint vt ad ipsa redigere vnumquodq; ex inferioribus valeant: præsertim quia illorum quatuor amplissimus est in scientijs vsus, horum autem non ita frequens, & ea quæ necessaria sunt in Physica tradantur.

At quidam dictus Gilbertus Porretanus Græcus author, id negocium assumpsit, vt hæc sex latius explicaret, quia in eis multa digna speculatione inueniuntur, ac propterea author sex principiorũ communiter est nuncupatus: cuius consilio alij viri illustres Philosophi ducti, eadem principia tractarũt. inter quos fuerunt Simpl. & Albe. non ergo nobis dabitur vitio, si idem consilium sequentes aliquid in horum prædicamentorũ cognitionem breuiter addiderimus, si tamen prius hæc pauca verba Arist. interpretati fuerimus.

Duæ ergo actionis & passionis ꝓprietates ponit. Prior est, actio & passio contrarietatem habent, calefacere enim est contrarium ei, quod est frigefacere: & calefieri, eo quod est frigefieri: nec explicat quid vtrumque sit, istis exemplis contentus. Posterior est, actio & passio suscipiunt magis & minus, aliquid enim magis vel minus calefacere vel calefieri potest.

Notab. Circa hæc aduerte primò actiones, & passiones secundũ se non suscipere cõtrarietatem, sed secundũ formas, in quibus insunt, vel secundum id, circa quod sunt: omnis enim actio vel passio terminatur in aliquam formam, verbi gratia, calefactio in calorem, frigefactio in frigiditatem, & secundum tales formas seu terminos contraria recipiunt. Similiter etiam magis & minus secundũ tales formas habent.

Aduerte secundò quòd ex hoc sequi- Nota. tur non omnem actionem, vel passionẽ contraria habere, nec magis nec minus recipere, cum multæ actiones & passiones fiant secundum formas non suscipiẽtes contraria, vel magis & minus: vt generare vel generari non recipiant ista. Similiter nutrire, scribere, & alia: nõ ergo hęc sunt propria simpliciter, cum nec omni nec soli insint.

De ceteris prædicamentis. Cap. X.

DIctum est de eo, quod est situm, esse in ijs, quæ sunt ad aliquid, quod TEXT. denominatiuè à positionibus dicitur. De reliquis verò, id est, Quando, & Vbi, & Habere, propterea quòd manifesta sunt, nihil de ipsis aliud dicitur, quàm quæ in principio dicta sunt, ꝙ Habere quidem significat calceatum esse, armatum esse. Vbi verò, vt in Lycio, in foro: & alia quæcunque de his dicta sunt. Igitur de omnibus generibus, quæ proposuimus, sufficiunt quæ dicta sunt.

NE mireris, si ferè nihil de istis dictus sit, eundem ordinem, quem supra in istis enarrãdis proposuerat, pertulerit: illic enim rectum naturæ ordinem obseruauit, secundum quem vltimo loco actionem & passionem enumerauit, cum res non absolutè operetur, nisi iam omninò perfectaquam perfectionẽ ex varijs prædicamentis habeat: at hic prę posuit, quia plura de his verba facturus erat. Similiter adiungit prædicamentum Situs, cuius paulò antè in prædicamento ad Aliquid meminerat: docetq; situm esse, esse denominatiuum à positione, quæ in prædicamento ad aliquid est, vt sedere, stare, accumbere, reliqua exemplis solum absoluit, & sic se decem generibus doctrinam tradidisse concludit. Nos autem de singulis hic latius, sub breuitate tamen dicamus, ab actione incipientes.

DE

DE ACTIONE.
QVAESTIO PRIMA.
Quid sit Actio.

TRia nobis de actione tractanda sunt, vt eadē Arist. methodus obseruetur. Primū, quid sit actio. Secundū, de speciebus ipsius. Tertiū, quæ sint eius proprietates.

1. definitio & ei⁹ explicatio.

Circa primū, actio à Gilberto sic describitur. Actio est forma, secundū quam denominamur agere vel facere in subiectam materiam: verbi gratia, id, secundū quod ignis dicitur calefacere, aquā, vel aliquid aliud, quod vocatur subiecta materia, dicitur actio.

Nota quatuor ad actionem concurrere.

Et vt hanc definitionē intelligas, aduerte q̄ ad actionē concurrunt quatuor. Primum, ipsum quod agit simul cum virtute, & principio, per quod debet agere: concurrit, & id quod per talem actionē agitur seu fit primo: cōcurrit tertiò id, in quod agitur, & præter hæc est ipsa actio. Exemplo hoc manifestatur. Ignis agit & calefacit aquam: hic est primum, id quod agit, scilicet ignis, cum virtute, per quam agit, scilicet, cum calore. secundū est ipsa aqua, in quam agit: est tertium ipse calor qui actione fit: & eandem est calefactio, & hæc dicitur actio, à qua ignis denominatur agens, & calefaciens.

Vnde virtus ignis per quā agit scilicet calor, quæ in eo est, nō est actio, qa ignis ab eo calidus dicitur, nō aūt calefaciens: nec similiter calor productus vt calor est actio est, quia ab eo aqua nō dicitur calefaciens, sed calida vel calefacta, nec ipsa aqua est actio: id ergo, quod supereest à quo ignis denominatur agens vel calefaciens, dicitur actio, propterea nō dicitur, actio est forma, per quā agimus, quia tunc virtus agentis esset actio, cū per eā agamus, quod tamen falsum est: sed dicitur, actio est, à qua denominamur agere: qui autem aliud ista actio sit non appareat. Si enim calefactio nō est, calor ignis, nec aquæ calor, nec aqua ipsa: quid aliud sit, non est facilè explicare.

2. definitio & ei⁹ confutatio.

Quidam non rectè, ita dicunt, Actio est relatio agentis ad patiens. Vnde secūdum hanc descriptionē calefactio est relatio ignis ad aquam, vel ad id quod calefacit. Sed hoc dictū, & assertum, licet multorum sit, est intolerabile, & indignum philosopho Peripatetico: est enim doctrina expressè & latè ab Arist. tradita. 3. Physi. c. 1. & 2. Actionem & passionē formaliter esse motum, & actionem scilicet calefactionem esse in aqua patiēte, quo modo ergo actio est relatio existens in igne, vel in ipso agente?

Respon. ad quæstionem.

Propterea secundum Arist. & veritatē dicendum est, & ne ab exemplo discedamus, quod calor qui in aqua ab igne producitur, potest considerari, vt est quædā qualitas à qua aqua denominatur, & est calida, & tunc calor dicitur, & ad tertiam qualitatis speciem pertinet. Altero modo consideratur vt in fluxu quodā & successu est, secundum quē paulatim incessanter in aquam introducitur: & tunc calor iste sic fluens motus est. Potest tertiò iste calor fluens considerari, vt sic fluit, quod ab igne, & ignis virtute procedat, & tunc dicitur actio. Et tandem quartò vt in aquā paulatim immittitur, & dicitur passio. Nihil ergo aliud est calefactio, quam ipse calor fluens ab ipso igne procedens. Erit igitur actio actus, seu forma ab aliquo procedens, & in aliud fluens: nō ergo simpliciter actio relatio est sed forma fluens, quamuis aliquid relationis habeat, & hoc maximè menti trade.

Quid sit actio & passio.

Dubiū.

Quòd si obijcias, quomodo ignis dicitur calefaciens ab illo calore fluenti, qui in aqua est: videtur enim aliquod nō posse denominari ab eo, quod in se non est. Ad hoc dico, dubium hoc non esse nouum, sed ab Arist. propositum loco allegato: ad quod ipse respondet, id non esse inconueniens, vt aliquid ab eo, quod in se non est, ab eo tamen procedit, denominetur. Vide tu, quomodo consonēt ista Arist. doctrinæ, cùm asserunt actionem esse relationem.

QVAESTIO II.
De speciebus actionis

Super

quot modis accipitur actio.

SVpereſt secundò, vt de ipsius actionis speciebus dicamus. Et quidem hoc nomen Actio aliquādo ab Aristot. pro operatione immanente, id est non transeunte in materiam exteriorem vsurpatur, ad differentiam illius, quod est facere, quod significat operationem transeuntem, vt patet. 6. Eth. ca. 4. Aliquando pro actione solum humana sumitur, vt patet. 1. mag. moral. c. 11. inquit, nullum inanimatorum, nec animatorum, vno homine excepto, dicimus agere. Aliquādo sumitur pro actione naturali, quæ propriè secundum qualitates fit, de qua in exemplo superiori loquuti sumus: & sic loquitur Aristot. 3. Physico. cap. 2. at in præsenti latius nomen extenditur pro quacunque agentis operatione, siue transiens, siue immanens sit.

Diuisio actionis.

Vnde possumus actionem diuidere. Primò in duo genera subalterna, nempè in actionem animæ, & actionem corporis: actionem animæ vocamus quamcunque actionem, cuius principium primum est anima, vel aliqua substantia immaterialis, vt includantur etiam actiones angelorum. actiones corporis vocamus eas, quarum primum principium non est anima, vt anima.

Actio animæ est quadruplex, quędam procedens ab anima, vt rationale principium est, sicut amare, velle, sapere, iudicare: quædam procedit ratione sensus, vt imaginari, sentire, amare, appetitu sensitiuo: quędam procedit ab anima ratione potentiæ vegetatiuæ, vt augere, nutrire, attrahere, digerere, quędam ab anima ratione potentiæ motiuæ: & hęc duplex, altera quæ transit extra ens, ad locum, vt ambulare, natare, volare: altera quæ transit in corpus aliud, quales sunt percussiones, & operationes omnis artium: vnde hæ omnes actiones animæ sunt, quippe quæ non sine anima possunt exerceri.

Ex quo colliges q̄ minus rectè aliqui percussiones, & operationes artis vocēt corporis operationes, cùm ab anima ita dependeant, sicut sentire: nec propterea dicendæ sunt corporis, quia corpore exercentur, cùm etiam nutritio, & vegetatio, atque sensatio, corpore ac circa corpus exerceantur.

Actio ergo corporis est, quæ à forma corporis, id est, quæ ab anima nō est, procedit, qualis est ignis calefactio: & denique elementorum actiones, & mistorum inanimatorum, vt actio magnetis in ferrum, & similiter omnes actiones: quę quāuis ab animatis procedant, non tamē procedunt ab eis vt animata sunt: vt actiones, quæ sunt à virtutibus herbarū, à partibus animaliū, & à reliquis. Vnde posset congruè diuidi talis actio corporis, in actionem elementorum simplicem & actionem mistorum inanimatorum, vt lapidum, & aliorum: & in actionem animatorum, non vt animata sunt.

Potest rursus actio secundo diuidi in actionem immanentem, & actionē transeuntem: actio immanens illa dicitur, quæ in exteriorem materiam non transit, vt amare, sapere: actio transiens exterius transit, id est, extra ipsum agens, vt scindere, secare.

De proprietatibus actionis.

CIrca tertium verò oportet ipsius Actionis proprietates tradamus, & quidem præter illas duas supra ab Arist. positas, Gilber. duas alias tradit: altera est, omnis actio est cum motu, & motus etiam cum actione, id est, Actio non fit sine aliquo motu, motus enim ab agēte fluens actio est.

Hoc intellige de motu largè sumpto pro quacunque processione ab alio, quāuis non sit successiua, & paulatim tendēs: sunt enim aliquæ actiones quæ in instanti ab agentibus procedunt, vt illuminatio solis, generatio substantiæ.

Altera proprietas, Actio infert passionem, id est, non contingit aliquid agere, quin aliquid aliud re, vel ratione distinctum patiatur: hæc de actione.

DE

DE PASSIONE.

Quid & quotuplex sit passio.

PAssio, intelligenti ea, quæ de actione diximus, facillima cognitu est: ferè enim eadem omni actioni, & passioni communia sunt, præter definitionem & naturam, propter quod semper sibi mutuo copulantur.

Quid sit passio. Passio igitur est, vt Gilb. describit, actionis effectus: vt enim vtamur eodem exemplo superiori, calor fluës & ab igne procedens vt in ipsam aquam introducitur, dicitur passio. Vnde ipsa passio, dicitur effectus actionis, quia ex hoc quod ab igne calor fluit, & succedit, quod actio est inde in aquã introducitur, & passio est: vnde passio est forma fluens, vel in subiecto adueniens.

Posset etiam eodem modo, quo actio describi, scilicet Passio est secundũ quam subiectum patitur. Nec definienda est vt aliqui faciunt, Passio est relatio patiẽtis ad agens. Vocamus autem hic passionẽ, non ipsam formam absolutam, vt in prędicamento qualitatis, sed formæ receptionem, siue nociua sit, siue conueniẽs.

Diuisio passiõis. Potest autem prima illa diuisione diuidi in passionẽ animæ & corporis: nec existimes cum quibusdam, qui tabulas cõscripserunt, passionem animæ esse, quæ ab anima fit, vt videri, amari: sed passio animæ dicitur, qua aliquid ratione animæ in se patitur, vt tristari, augeri, nutriri, & reliqua quæ dicemus. Passio verò corporis est, qua inanimata vel animata non vt animata sunt, patiuntur: vt calefieri, frigefieri, secari. Esto autem diligẽs in his considerandis, quæ philosophica sunt: & altiores & profundiores radices habent, quàm appareat.

Nota. 1. Circa has passiones & actiones considera, ne decipiaris ex voce, dũ omne verbum actiuum, vel habens vocem actiuã, existimas significare actionem: semper enim respicienda est significatio, an sit passio, vel actio: vnde sunt verba actiua, & neutra, quæ si ad examen philosophicum iudicentur, passionem significant, vt videre, audire, intelligere, hęc enim si operationem apprehensiuam significẽt, passionem dicunt. similiter veneo, vapulo, fio: alia contra, sub voce passiua actionẽ significant, vt multa deponentia.

Nec similiter existima omnia verba significare actionem vel passionem: aliqua enim substantiam vel aliquid subitã tiæ, scilicet existentiam eius significant, vt sum, subsisto, existo. Nota. 2.

Hic notat vnum Simpl. & Ammon. hæc prædicamenta potius explicanda per abstracta, vt per infinitiuũ, vt dicatur actio, passio, agere, pati, calefactio, vel calefacere: nam concreta, & verba cum includant subiectum, videntur claudere relationem simul, vt agens, & patiens: hæc de passione. Nota. 3.

DE QVANDO.

Quid sit quando, seu esse in tempore, & quæ eius species, & propria.

HOc est aliud prædicamentum, quod iuxta ordinem Gilb. sequitur immediatè actionem. 1. & passionem. Et ante huius explicationem, est vnum notandum maximè, quod docte docuit Ammon. ista sex prædicamẽta esse facta, & velut composita ex quatuor præcedentibus. Actio enim & passio sunt formæ fluentes, & ab alio in aliud procedentes: hæc autem, formæ aliorum sunt prædicamentorum. Prætereà, quando, nihil aliud est, quàm tempus, quod quantitas est, cum substantia, scilicet esse in tempore similiter. Vbi, esse in loco, & à relatione cum substãtia, esse situm, scilicet iacere, sedere, & ab habitu, vt pote indumento & ornatu, scilicet esse vestitum. 1. fund. Nota sex ponimus Categorias ex quatuor præcedentibus componi.

Nec intelligas ista prædicamẽta esse accidens cũ substantia: hoc enim est falsum, sed sunt accidentia aliorum prædicamentorũ, vt doctissimè dicit Albert. superaddentia certum modum, qui in alijs prædicamentis non cõtinetur: propterea prædicamenta per se constituũt, & hoc valdè nota, sunt enim nõ ita multi, qui hoc aduerterint: verbi gratia locus in se & respectu subiecti sui, quãtitas quædam est: tamen respectu corporis q̃ continet, & circumscribit, dicitur vbi, & non quantitas. Similiter tempus respectu illius, quod à tempore mensuratur, dicitur quando. Similiter & habitus est quartæ speciei qualitatis in se, & respectu sui subiecti: at respectu corporis, cuius habitus est, dicitur aliud prædicamentũ. 2. fund.

3 fun. l. Tandem scias esse aliqua accidẽtia, quæ non tantùm suo subiecto insunt, sed etiam extrinsecum corpus afficiunt secũdum se: & ista duo prædicamenta respiciunt, qualia sunt locus, tempus, & reliqui quatuor: ex quo fit, ista quatuor vltima, præsertim in concreto sumẽda esse, vt explicent talem modum.

Dubium Solutio. Dices, ergo ista sunt relatiua ad aliquid? dico non esse ad aliquid. Primò, quia ista habitudo non est ad terminũ, sed ad subiectum, licet extrinsecum. Præterea quia aliud relatiuum non denominatur à suo correlatiuo, pater enim non denominatur à filio, sed à paternitate: at locatũ à loco sic se habente per modum formæ dicitur locatũ, & ab habitu vestitũ. Prætereà, quia solum ad aliquid denominat: at hic non solus respectus loci, aut locati denominat locatum, sed ipse locus sic se habens. Vnde sicut album dicitur ab albedine sic se habente, qui modus albedinis non est relatio: ita esse in loco, à loco sic se habẽte, nõ tamen talis modꝰ est ad aliquid: at quia ista denominatio, & modus sumitur ab extrinseco, nec in re est, tam verũ subiectũ locatum, sicut corpus albedinis, videtur minimum habere relationis, tamen absoluta simpliciter sunt secundum formam à qua denominantur, licet aliquid relationis habẽtia: sed nullo modo ad aliquid, nec relata simpliciter sunt vocanda.

Nota. Ex quo intelliges, quàm digni sint re præhẽsione, quia omnia ista prædicamẽta per relationem tantũ describũt: quis enim vnquàm sibi persuadet, esse vestitũ esse in loco, esse tantum relationes?

Quid sit tẽpus, & quid esse in tẽpore q̃dcũq; Quãdo. Accedamus ergo ad prædicamentũ, Quando, quod à Gilb. ira describitur. Est id quod ex temporis adiacẽtia relinquitur. Explicemus ergo, quid sit tempus, & quid esse in tempore, & quid est, quod relinquitur ex hoc q̃ aliquid est in tempore. Tempus est rerum mensura continua successiua, scilicet est quædam mensura rem totam ita mensurans, vt nõ totam simul mensuret, sed partem post partem, & quando vna pars est, & aduenit, altera recedit, vt patet in his, quæ in tempore sunt. Corruptibilia enim omnia habẽt duo, suum esse, & suas operationes: & vtrunque sub tempore: nã esse quod habitura sunt, non totum simul habent, vt patet in puero, & planta, & alijs, quæ paulatim acquirunt esse, & substantiã, & non totam simul, & vna parte acquisita, altera abit, & recedit: similiter si operantur, nõ simul omnia faciunt, sed est initium operationis, medium, & finis: & horum vno succedente, alterum recedit.

Species seu Diuisio ipsius Quãdo. Nihil ergo aliud est esse sub tẽpore, quàm variationem & fluxum in suo esse, & operatione secundũ temporis variationem pati. Id autem est relinqui ab adiacentia temporis, denominari ab ipso tempore mensurante, & fluente, & hoc est. Quando non tempus ipsum, sed tempus sic se habens. Et quia tempus est quid successiuũ, non verè denominat, nisi quãdo aliqua pars, & quantitas eius sumitur simul, vel quia translacta est, vel quia translatura erit, vel quia iam iam transiẽs percipitur: id ergo dicitur Quãdo esse, quod relinquitur ex adiacentia temporis: vocat autem adiacentiam, non inhærentiam, quia tempus non inhæret nobis, sicut albedo corpori, sed ab extrinseco mensurat tempus enim est motus primi cæli realiter, vel eius passio.

Genera ipsius, Quando penes partes principales tẽporis sumenda sunt, vt esse in præterito, præsenti, futuro, suo quibus sunt

sunt variæ speciestemporis, quæ diuersas nominationes inducunt: vt superiori anno, proximo die, heri, & reliqua. Quamuis enim tẽpus sit quantitas vnius speciei, tamen simul cum hoc modo sumptum, & genera, & species varias efficit.

Proprietates huius prædicamenti vel rei, quam vocamus, Quando, sunt tres. Prima quod non habet contrariũ ratione sui: heri enim nõ est contrariũ hodie, nisi ratione eorum, quę in tẽpore accidunt, quia herifuit fortè lętus, hodie mœstus. Secunda, quando non suscipit magis & minus. Tertia proprium ipsius quãdo, vt solum denominet corpora corruptibilia: hæc enim omnia solum sunt propriè sub tempore, & dicuntur Quando ad est, esse in tempore, vel fuisse, vel fore.

Proprietates ipsius Quãdo.

DE VBI.

Quid sit Vbi, seu esse in loco, & quæ eius species, & propria.

VBi, vt Gilb. definit, est circũscriptio corporis ex circumscriptione loci prouenient. In huius declarationẽ oportebit aduertere, quid sit locũ circũscribere corpus, ex hoc enim apparebit, quid sit loci actiua circũscriptio, & ipsius corporis circũscriptio passiua.

Quid sit locus, & quid circũscribi, & esse in loco, quãdo est Vbi.

Locus vt superius diximus, est superficies vltima corporis continentis. Ita igitur superficies, quæ locus est, primo, ipsum corpus locatum totam circumstat, & ambit, ita vt illud locatũ idẽ, vel pars eius alibi non sit: secundò ipsius locati partes etiã ambiũtur, vt vbi vna est, altera non sit, & vbi totũ est, pars adæquate non sit: tertiò ita locus corpus circũstat, vt dum tale corpus ibi est, aliud quicquã tali in loco esse non possit: verbi gratia, est vinum in aliquo vase, & in illa parte aeris circumdante qua apertum est vas: tunc vinum ita à tali loco continetur, vt alibi non sit nec vinum, nec pars eius, & similiter pars loci quæ continet inferiorem partem vini, non continet superiorem partẽ, & præterea nihil aliud vas capiet, dum ibi vinum fuerit: hoc est locum circumscribere corpus: & loci talis habitudo, & modus, dicitur circumscriptio actiua: & ex hoc patet quid sit corpus circumscribi à loco: & quid sit ipsa circumscriptio loci passiua: & corpora quæ sic in loco sunt, dicuntur esse circumscriptiuè in loco.

Hinc demũ patet, quid sit vbi, seu esse in loco: nihil enim aliud est, quã à loco sic affici, à loco circũscribi, vt quẽadmodũ esse albũ, est ab albedine sic se habẽte denominari, siue ab albedine affici, ita vbi à loco, vt esse Romę, esse in classe.

Vnde inutiliter quidam distinguunt duplex Vbi: actiuum, scilicet circumscriptionem loci: & passiuum, scilicet circũscriptionem corporum: cùm vnum sit vbi, scilicet à loco circumscribente contineri, vt declaraui.

Quid sit esse in loco im-priè.

Hinc fit quod ad maiorem declarationem adiungã. Quando aliquid ita est in aliquo loco vt alibi simul sit, vel possit ibi alia simul compati, vel nõ habeat partes iuxta partes loci, non dicitur esse vbi propriè: propter quod Theologi optimè dicunt, Deum non esse in cælo, tanquàm in loco, quia simul est extra cælũ, & corpus Christi nõ est circũscriptiuè in hostia: quia simul est in multis hostijs, & illic non est secundum quantitatem hostiæ, quia in qualibet hostiæ parte est totum corpus, sed de his hactenus.

De varijs modis existẽdi in loco.

Vnum solum inferamus, propriè non esse in loco, nisi corpus sensibile, secundũ istam definitionem præsentem. Propterea non mihi placet distinctio illa de vbi cõpositо, quod est pro corporibus: & de vbi simplici, p angelis: hoc enim est præter Arist. doctrinam, licet alias illud verum sit. Potius diuidemus hoc modo: vt aliud dicamus esse in loco circumscriptiuè, quia scilicet à loco circumambitur, vt corpus. aliud esse in loco definitiuè, scilicet quia ibi sit præsens tantùm, nec circumambitur à loco, scilicet aliqua superficie loci, vt Angelus. Aut etiam hoc pacto distingui potest aliud esse in loco proprio

proprio, aliud in loco communi: in loco proprio quæ adæquatè corpus continẽt: in loco communi, id est, in adæquato: vt esse Romæ, esse in terra.

Potest etiam esse analoga diuisio, esse in loco per se, vt corpus: esse in loco per aliud, vt puncta, & lineæ, per superficiem dicuntur esse in loco. Proprietates sunt faciles, propriè non habere contrarium nec suscipere magis vel minus. Hæc de Vbi.

Proprietates vbi.

DE POSITIONE seu Situ.

Quid sit Positio, & quotuplex, & quæ eius propria.

POsitio est quidam partium situs, & generationis ordinatio. In declarationẽ aduerte, q duplex est positio. Altera est ordo partium inter se, secundũ quẽ vna est ante aliã, vel in alia, vel alio quouis modo: & ista est positio, de qua in prædicamẽto quãtitatis locuti sumus, quæ ad aliquid est, cũ sit purus ordo. Alia est positio ipsarũ partiũ inter se, & in ordine ad locũ, qui situs dicitur: & hæc est huius prædicamẽti, secundũ quẽ corpus sic, vel aliter se habet ad locum secundum suas partes, vt dicimus, sedere, stare, cubare: hæc enim omnia ordinem partium secundum locũ dicunt. Propterea definitio dicit partium situs, nam situs locum includit.

Positio duplex est.

Positio autẽ duplex est, quædam naturalis, quædã accidentalis. Naturalis est, quam natura præfixit animatis, secundũ quam homo sursum habet caput: bruta deorsum seu prona brachia, tali loco & reliqua. Positio accidentalis est, quã voluntas humana præfigit: quæ duplex est: quædã animatorum, vt stare, sedere, accumbere: altera inanimatorum, vt adiacere, erigi, obliquari, & similia. Ad explicandos igitur hos situs tã naturales, quã voluntarios, dicitur partiũ situs, & generationis ordinatio.

Proprietates sit.

Proprietates situs faciles sunt, non habere contrarium propriè, nec suscipere magis vel minus. Et hæc breuiter sufficiant de positione.

DE HABITV.

Quid sit habitus, & quotuplex, & quæ eius propria.

HAbitus multipliciter sumitur. Vno modo, pro qualitate difficile mobili, & sic est primũ genus qualitatis. Altero modo, pro habitudine & relatione rei penitus extrinsecę ad aliud cuius dicitur esse: sic secundũ quod dicitur amicus est habitus: dignitas est habitus ab alio. Tertiò pro aliqua forma, vel re, cẽrto modo se habente circa corpus, quo pacto dicimus, esse vestitum, esse calceatũ: & sic hoc prædicamentum facit & deterbitur. Habitus est corporum, & corũ, quæ circa corpus sunt, adiacentia.

Habitus quotmodis sumatur.

Habitus est duplex. Quidã pertinent ad ornamentum, vt habere annulum, mitrã & reliqua. Quidam ad indumentum, vt esse calceatum, & similia. Et hæc adhuc sunt in duplici differentia, sunt enim vel indumenta domestica, vel militaria.

Diuisio habitus.

Proprietates huius eædem sunt cũ superioribus. Et hæc breuis explicatio Logico sufficiat, plura alijs in locis proprijs cognituro.

Proprietates habitus.

DE POSTPRAEDICAMENTIS.

De oppositis. Cap. XI.

TEXT.

DE oppositis autem quot modis, solent opponi, dicendum est. Dicitur enim alterum alteri opponi quadrupliciter, aut vt ea quæ ad aliquid, aut vt contraria, aut vt priuatio, & habitus, aut vt affirmatio & negatio. Opponitur autem vnumquodq; istorum, vt sit figuratim dicere tanquã ea, quæ ad aliquid quidem, vt duplum dimidio: tanquã contraria, vt malum bono. tanquam autem secundum priuationem & habitum, & cæcitas, & visio: tanquam verò affirmatio & negatio, vt sedet non sedet.

Qæ-

Quæcunq; igitur ad aliquid opponuntur, ea ipsa, quæ sunt, oppositorū dicuntur. aut quomodolibet aliter ad ipsa: vt duplum dimidij, hoc ipsum quod est alterius dicitur: alicuius enim duplum dicitur, & scientia scibili, tanquam ea quæ sunt ad aliquid opponitur, & dicitur scientia ipsum quod est scibilis: & scibile dicitur ipsum quod est ad oppositum ad scientiam: scibile enim aliquo dicitur, scilicet scientia scibile: quæcunque ergo opposita sunt tanquam ad aliquid, ea ipsa, quæ sunt oppositorum, vel alio quolibet modo ad inuicem dicuntur.

3. Illa verò, quę opponuntur vt contraria, ea ipsa quidem quæ sunt nullo modo ad se inuicem dicuntur: contraria tamē sibi inuicem dicuntur: neque enim bonū mali dicitur bonū, sed contrarij, quare differunt ab inuicem hæ oppositiones.

4. Quæcunque verò contrariorum talia sunt, vt in quibus nata sunt fieri, & de quibus prædicantur necessarium sit alterū ipsorum inesse, horum nihil est mediū: quorum verò non est necessarium alterum inesse, horum omnino est aliquid medium. Vt ægritudo & sanitas in corpore animalis nata sunt fieri: & necessariū est alterum ipsorum inesse animalis corpori, vel ægritudinem, vel sanitatem: & par quidē & impar de numero prædicantur & necesse est horum alterum numero inesse, vel par vel impar: & non est horum aliquod medium, neque ęgritudinis & sanitatis, neque imparis atque paris.

5. Quorum autem non est necessarium alterum inesse, eorum est aliquod medium, vt nigrum & album in corpore animalis nata sunt fieri, & non est necessarium alterum eorum inesse corpori, nō enim omne corpus vel album vel nigrū est: sed & præuum & studiosum prædicātur quidem de homine & de alijs complurib⁹: non est autem necessariū alio rum eorum inesse ijs, de quibus prædicā tur: non enim omnia aut praua aut studiosa sunt, sed est aliquid eorū medium: vt albi & nigri, fuscum, & pallidum, & quicunq; alij colores: praui verò & studiosi, quod neq; prauum neq; studiosum est. In aliquibus igitur medijs posita sunt nomina: vt albi & nigri, fuscum & pallidum, & quicunque alij huiusmodi colores: in aliquibus verò non est nomine facili mediū assignare, vtriusque verò extremorum negatione medium definitur vt quod neque bonum neque malum est neque iustum neque iniustum.

Priuatio verò & habitus dicuntur quidem circa idem aliquid: vt visio & cæcitas circa oculum: vniuersaliter autem dicere, eit in quo natus est habitus fieri circa hoc dicitur vtrunq; eorum fieri. 6.

Priuari verò tunc dicimus vnumquodque habitus susceptibilū, quando in quo natum est inesse, vel quando illud natū est habere, nullo modo insit: edentulum enim dicimus, non quod non habet dentes, & cæcū non quod habet visum: sed quod non habet, quando natum est habere: aliqua enim ex natiuitate neq; dentes habent, neque visum, sed non dicuntur edentula, neque cæca. Priuari verò & habere habitum, non est priuatio & habitus, habitus enim visus est, priuatio verò cæcitas. habere autem visum non est visus, nec cæcū esse, cæcitas: priuatio enim quædam est cæcitas: cæcum verò esse, priuari, non priuatio est. Amplius, si idem esset cæcitas & cæcum esse, vtraq; de eodem prædicarentur. sed cæcus quidē dicitur homo, cęcitas verò homo nullo modo dicitur. Opponi quidē etiā ista videntur, priuari scilicet & habere habitum, quemadmodum priuatio & habitus idem enim modus est oppositionis. Nā sicut cæcitas visui opponitur, sic cæcum esse, & visum habere, opponuntur. 7.

Non est autem neque hoc, quod sub affirmatione & negatione est, affirmatio & negatio: affirmatio namque oratio affirmatiua est, & negatio oratio negatiua: quod verò sub affirmatione & negatione est, nulla est oratio, sed res dicuntur autem hæc esse opposita ad inuicem tanquam affirmatio & negatio: nam & in his 8.

in his modis oppositionis idem est, sicut enim affirmatio ad negationem opponitur, vt quod sedet, ei quod non sedet: sic & res quæ sub vtroq; est, opponitur, scilicet sedere aliquem, ad non sedere.

9. Quod autē priuatio & habitus nō opponantur, vt ad aliquid, manifestum est, non enim dicitur ipsum, quod est oppositi: visus enim nō est cæcitatis visus: non vllo alio modo ad ipsum dicitur. Similiter autem neque cæcitas visionis cæcitas dicitur: sed priuatio quidem visionis dicitur, cæcitas verò visionis non dicitur, neque visus cæcitatis. Amplius, ad aliquid omnia ad conuertentia dicūtur quare, si cæcitas eorum quæ ad aliquid sunt, esset, vtique & conuerteretur ad illud, ad quod dicitur, sed non conuertitur: nō enim dicitur visus cęcitatis visus.

10. Quòd autem neque vt contraria opponuntur quæ secundū priuationē & habitum dicuntur, ex his manifestum est. Cōtrariorum enim, quorum nihil est medium, necesse est vel in quibus fieri nata sunt, aut de quibus prædicantur, alterum ipsorum inesse semper: eorum enim nihil medium erat, quorum alterum inesse susceptibili necessarium erat, vt in lāguore & sanitate, & impari atque pari. quorum verò aliquid medium est, nunquām necesse est omni inesse alterum: neq; enim necesse est omne susceptibile vel cādidum vel nigrum esse, neque frigidum, vel calidum: horum enim medium aliquid nihil esse prohibet: insuper autem & horum erat aliquid medium, quorum alterum inesse susceptibili non necessarium erat, præter illa, quibus vnum inest naturaliter, vt igni calidum esse, & nimi candidum: in his enim determinatè necessarium alterum est inesse, & non vtrūuis cōtingit, non enim possibile est ignē frigidum esse, neque niuem nigrā. Quare omni quidem susceptibili non necessarium est alterum ipsorum inesse, sed solis quibus natura vnū inest: & his determinatè vnū non vtrumuis contingit. In priuatione autem & habitu neutrum eorū, quæ dicta sunt verum est: non enim semper alterum eorum inesse susceptibili necessarium est, quod enim nondū natū est habere visum, neq; cæcum, neque visum habens dicitur, quare nō erunt hæc vt ea contraria, quorum nihil est mediū. Sed neq; vt ea, quorum aliquid est medium: necessarium enim est aliquādoomni susceptibili alterū eorū inesse, quando enim iam ad habendam visionē natū fuerit, tunc aut cæcum, aut habens visum dicetur, & eorum non determinatè alterum, sed vtrumuis contingit, non enim necessariū est vel cæcū vel visum habens, sed vtrumuis contingit: in contrarijs autem, quorum aliquid medium est, nunquàm necessarium erat omni susceptibili alterum inesse, sed quibusdam: & his determinatè vnum, & non vtrumuis contingit. Vnde palām est quod secundū neutrum modorum tanquàm contraria opponuntur ea, quæ secundum priuationem & habitum opponuntur.

Amplius, in contrarijs quidem cum fit susceptibile, adinuicem mutationem fieri possibile est: nisi alicui vnum natura inest, vt igni calidum: etenim sanum possibile est languere, & candidum nigrum fieri, & calidum frigidum, & ex studioso prauum, & ex prauo studiosum fieri possibile est: prauus enim ad meliores exercitationes deductus, & doctrinas, (etsi ad modicum aliquid proficiat, vt melior sit) si certè simul quamuis modicum incrementum sumpserit, palam est, quia aut perfectè mutabitur, aut satis multum incrementum sumet, semper enim benè mobilior ad virtutem fit, etiam quodcū que incrementum sumpserit à principio, quare etiam verisimile est plenius eum sumere incrementum, & hoc dum semper fit, perfectè in contrarium habitum restituetur: nisi fortè tempore prohibeatur. Verum in priuatione & habitu impossibile est ad inuicem mutationem fieri, ex habitu enim in priuationem mutatio fit, à priuatione verò in habitū impossibile est: neq; enim cęcus 11.

factus aliquis, rursus vidit, neque cum cal-
vus fuerit, rursus comatus factus est: neq;
cum fuerit edentulus, dentes ei iterum
orti sunt.

12. Quæcunq; verò tanquam affirmatio & negatio opponuntur, palam est quòd nullo prædictorum modò opponuntur: in solis enim his necessarium est semper hoc quidem eorum verum, illud autem falsum esse, neque enim in contrarijs necessarium est semper alterum verũ esse, alterum autem falsum: neque in ijs, quę ad aliquid sunt, neque in habitu & priuatione, vt sanitas & languor contraria sunt, & neutrum horum neque verum neque falsum est. Similiter autem & duplũ, & dimidium tanquàm quæ ad aliquid opposita sunt, & non est eorum neutrum, neque verum, neque falsum: sed neque ea quæ secundum priuationem & habitu dicuntur, sicut visio & cæcitas. Omninò autem eorum, quæ secundum nullam dicuntur complexionem, nihil neque verũ neque falsum est: omnia autem quę dicta sunt, sine complexione dicuntur. Verùntamen maximè tale hoc contingere videbitur in ijs, quæ secundum complexionem contraria dicuntur: sanum nanque esse Socratem ad languere Socratẽ cõtrarium est. Sed neque in his necessariũ semper alterum verũ esse, & alterum falsum: cum enim Socrates sit, aliud quidẽ verum, aliud autem falsum erit: cum verò non sit, ambo falsa sunt, neque enim languere, neq; sanum esse verum est, cũ ipse non sit omninò Socrates. In priuatione verò & habitu cum nõ sit omnino neutrum verum est: cum autem sit, non semper alterum quidem verum erit, alterũ autẽ falsum: habere nanque visum Socratem ei quod est cæcum esse Socratem opponitur, sicut priuatio & habitus: & cũ sit necessariũ est alterũ verum esse vel falsum: cum enim nondum sit natus habere, vtraq; falsa sunt: & cũ non sit omnino Socrates, similiter quoq; & falsa sũt vtraq; & visum eum habere, cæcum eum esse. In affirmatione verò & negatione semper siue sit, siue non sit, hoc quidẽ falsum erit, illud autem verum. Languere nanque Socratem, & non languere Socratem, cùm ipse sit, palam est quod alterum eorum verum, alterum verò falsum est, & cum non sit, similiter. Languere etenim cùm non sit, falsum est: non languere autem, verum. Quare in his solis proprium erit semper alterum eorũ verum, alterum falsum esse, quæcunq; tanquã affirmatio & negatio opponuntur.

13. Contrarium autem bono quidem ex necessitate malum est, hoc autẽ per singulorum inductionem palam est: vt sanitati languor, & iustitiæ iniustitia, & fortitudini timiditas: similiter autem & in alijs. Malo autem aliquando quidem bonum est contrarium, aliquando malum: defectui enim, cùm malum sit, superabũdantia contraria est, cum sit etiam ipsæ malum: similiter autem & mediocritas, cùm vtrique cõtraria sit, bonum est. Sed in paucis quis tale hoc aspiciet, in pluribus verò semper malo bonũ contrariũ est. Amplius, contrariorũ nõ necessariũ est si alterum sit, & reliquum esse. Sanis nanque omnibus, sanitas quidem erit: languor verò non. Similiter autem albis omnibus, albedo quidẽ erit, nigredo verò non. Amplius, si ei quod est Socratem sanum esse, Socratem languere contrarium est: non contingit autem simul vtraque eidem inesse: non vtique continget cũ alterũ contrarium sit, & reliquum esse: cum enim sit Socratem sanum esse, languere Socratem non erit. Palam verò est quod circa idem, aut specie, aut genere nata sunt fieri contraria. Languor nanque & sanitas in corpore animalis nata sunt fieri, albedo autem & nigredo simpliciter in corpore. Iustitia verò & iniustitia in anima hominis. Necessarium autem est omnia cõtraria vel in eodem genere esse, vel in contrarijs generibus, vel ipsa genera esse: album enim & nigrũ in eodem genere sunt: color enim eorũ genus est. Iustitia verò & iniustitia, in cõtrarijs generibus: illius nanque virtus genus est, huius autem vitium, bonum verò & malum non in genere sunt, sed ipsa sunt genera aliquorum existentia.

Cur iam de his post prædicamentis, & de quot, quoque ordine differat.

DIximus in principio huius tractatus, eũ in tres partes esse diuisum. In prima quidem parte traduntur quædam præambula ad prædicamentorum cognitionem necessaria. In secunda de ipsis prædicamentis, & generibus agitur. In tertia, quæ post prædicamenta dicitur, aliqua quæ in ipsis prędicamentis communiter reperiuntur, & ipsorum velut proprietates communes sunt, continentur.

Hæc autem sunt quinque, Oppositio, Prius, Situs, Motus, Habere. De quorum singulis in suis capitibus agemus: & quomodo in prædicamentis inueniãtur, explicabimus.

Primum ergo est Oppositio, de quain quatuor primis prædicamentis sermo factus est, dum dicitur substantiæ non esse contrarium, & in quantitate magnũ opponi paruo: & in qualitate pariter, & relatione, & præterea in omnibus prædicamentis oppositio inuenitur, cum differẽtijs oppositis genera quæque diuidãtur. Agit igitur de oppositione.

Est autem hoc caput diuisum in tres partes principales. Prima continet quatuor species oppositionis, & earũ declarationes. In secunda fiunt quædam earũ adinuicem collationes, vt cuiusque differentia nota fiat. In tertia particularius agitur de contrarijs.

De oppositis verò quoties solet opponi, etc.

Hæc est prima pars, in qua materiãcapitis proponit, nempe agendum esse de oppositorum modis: quadrimembremque facit diuisionem: & eorum exempla opponit: postea de singulis differit.

Opposita igitur quadrupliciter opponuntur: Relatiuè, Contrariè, Priuatiuè, Cõtradictoriè. Relatiuè, vt duplum dimidio opponitur. Contrariè, vt bonum, & malum. Priuatiuè, siue secundum priuationem & habitum, vt visio & cæcitas. Contradictoriè, seu tanquam affirmatio vel negatio, vt sedet, non sedet.

Hic dubitabis, quomodo malũ & bonum sint contraria, cũ malũ nihil aliud dicat, quam carentiã & priuationẽ boni: malum enim est priuatio alicuius boni quod in re erat futurum, vel iam erat, vt cæcitas dicitur malum oculi, quia priuat oculum visu suo: vt autem duo sint contraria, vtraque debent esse alicuius naturæ positiuæ. Ad hoc dico, non esse negandũ naturã mali esse priuatiuã, nullum enim ens positiuum in sua natura est malum. Sed hic Aristot. sumit bonum, & malum pro ipsis rebus quæ dicuntur bonæ & malæ, vt habitus virtutis, & habit' vitij, ille enim bonus, hic verò malus dicitur, & contrarij sunt, & vnum contrarium vniuersaliter dicitur bonum, alterum malum in rebus naturalibus, vt dulcedo bona, amaritudo mala. Dubium. Solutio.

Quæcunque igitur vt ad aliquid opponuntur, &c. 2.

Singulos oppositionum modos aggreditur: & primum à relatiuè oppositis incipit. Illa autem opponuntur ad aliquid quæcunque hoc ipsum, quod sunt, oppositorum dicuntur, vel quomodolibet alter ad ipsa. Ponit exempla variorum casuum, quibus relatiua ad sua correlatiua referuntur, vt diximus superiùs: ex quibusvarijs exemplis rursus eandem inferet velut probatam definitione. Dubitabit: quare dixit (oppositorum dicuntur): & non, aliorum dicuntur, vt superius dixit. Dub. 1.

Dico relatiua dupliciter posse cõparari. Vno modo ad sua correlatiua, vt scientia ad scibile, virtus ad suum obiectum. Altero modo ad alia quę sibi correlatiua nõ sunt, vt scientia ignorãtię, virtus vitio. Si relatiua primo modo sumantur, sic intra ad aliquid opponuntur, & ita loquitur in præsentia: ac propterea dixit, oppositorum dicuntur, vt cognoscamus hanc Solutio. Relatiua duobus modis posse cõsiderari

oppositionem esse intra ipsa correlatiua ad inuicem. Si posteriori modo sumatur, contrariam aliquando sortiuntur oppositionem, vt scientia ignorantiæ, & virtus vitio contraria est: suis tamen correlatiuis vnumquodque horum ad aliquid seu relatiuè opponitur: & hoc etiam in exemplis manifestatur. Dubitatur quomodo duo correlatiua dicuntur opposita ad inuicem: cùm simul existant, & vnũ alterum non auferat, imò absque altero alterum nequit consistere. Respõdet Albertus, non opponi secundum hanc coexistentiam, sed secundum quod vnum alterum à subiecto expellit: pater enim non compatitur in eo subiecto, in quo est, filiationem eam, ad quam dicitur, & cui opponitur: & hac ratione simul non existunt.

Dub. 2.

Solutio.

Illa verò quæ opponuntur, vt contraria, &c.

Secundo loco aggreditur contraria: & ipsa sic describit. Contraria sunt quæ cum ad inuicem non sint, vnũ alteri inuicem contrarium dicit. Et est aduertẽda ista descriptio, duas autem habet partes. Altera est. Contraria adinuicem non dicuntur, nõ enim dicitur album est nigri albũ, & nigrũ est albi nigrum: tamẽ hæc particula non sufficit: nam in priuatiuè oppositis etiam hoc inest, & in contradictorijs: nõ enim dicitur, cæcitas est visus cæcitas, & è cõtra: propterea est altera particula. [Et vnũ alteri est contrarium] id est, est similis & æqua ratio, & habitudo in vtroque secundum quam albũ nigro contrariũ, & itẽ albo nigrum est contrarium: & hoc in nullis alijs oppositis, præter relatiua, inuenitur: propterea excepit relatiua, dicitur enim cæcitas est priuatio visus, sed non dicitur visus priuatio cæcitatis. Similiter nõ sedet dicitur negatio illius, qui sedet: sed sedere non dicitur negatio alterius, sed affirmatio. Hoc igitur indicat illa particula in contrarijs, alterum alteri sibi inuicẽ cõtrarium dicitur. Dubitatio hic oritur, cõtrarietas est quædam relatio, sicut similitudo, dissimilitudo, inæqualitas, & reliqua: ergo quæ opponuntur secundum contrarietatem, opponuntur relatiuè. Dico hoc esse sophisma: hic enim non sumimus oppositionem in illa relatione quæ dicitur contrarietas, sed in ipsis extremis quibus inest talis cõtrarietas: quæ extrema, scilicet album, nigrum, si secundum talem relationem contrarietatis opponantur, sunt relatiua: sed secundum formas ipsas absolutas, quibus contrarietas inest, contraria sunt, & non ad aliquid.

Dubium

Solutio.

Quæcunque verò contrariorum talia sunt, &c.

Diuisionem quandam contrariorum hic ponit. Contraria quædam non habent mediũ, quæ dã autẽ mediũ habent: illa medium non habent, quæ circa proprium subiectum ita se habent, vt proprio eorum subiecto proposito, sit necessarium alterum illorum inesse: verbi gratia, par & impar sunt contraria, non habentia medium, quia posito numero aliquo, qui est subiectũ paritionis vel imparitionis, necesse est quod ille numerus sit par vel impar: & proposito aliquo, q̃ est subiectum sanitatis & ægritudinis, necesse est vt illud aliàs sit sanũ vel ægrum: secundum enim Arist. non est medium inter sanitatem & ægritudinem: vt vult Galen. hic enim asserit conualescentiã esse medium: hoc tamen non recipit Arist. sed hoc determinare est extra rem: sat est hic posita esse, p exẽplo ista duo, tanquã nõ habentia mediũ. Hic aduerte, semper sumendũ esse subiectum proprium contrariorum: id autem proprium subiectum vocat, circa quod apta sunt contraria, vt versentur, & ei insint: vt corpus aliquod mixtum dicitur subiectũ proprium albedinis & nigredinis, cui albedo vel nigredo inesse potest: aliter enim nisi proprium subiectum sumas, medium inuenies in non habentibus medium, vt angelus nec est sanus, nec æger, nec par, nec impar, sumendum ergo est proprium subiectum.

Quo

3. *Quorum autem non est necessariũ, &c.*

Explicat quæ medium habeant, nempè quæ subiecto proprio posito non est necesse alterum illorum inesse: vt album & nigrum medium habent posito enim corpore, non est necesse quòd album sit vel nigrum, potest namque esse rubrum vel pallidum: quamuis, inquit, nõ omne medium nomen habeat: in quo insinuat duplex esse contrariorũ medium, alterũ per participationem, alterum per negationem extremorum. Illud est per participationẽ, quod est aliqua forma ex extremis composita, vt pallor, rubor, quæ ex albedine & nigredine cõstantur: illud autem est per negationem extremorum quando non est aliqua forma media vel cõposita ex extremis, sed aliquod subiectum particulare proprium, à quo vtrũq; extremum remouetur: vt prauum & studiosum habent medium, non quidẽ participatione, sed subiecto: nam datur aliquod ex proprijs subiectis, quod nec sit prauum, nec studiosum, scilicet homo, qui nondum habet habitum virtutis vel habitum vitij: hic enim prauum & studiosum sumuntur secundum habitum, nam secundum actum nullus est homo adultus rationis capax, qui non sit bonus vel malus, scilicet in peccato vel in gratia: potest tamen esse qui nec habitum virtutis nec vitij habeat, vt qui vnum aut alterum peccatum habet, ex quibus nondũ factus est habitus.

Duplex medium contrariorum.

4. *Priuatio verò & habitus dicuntur quidem circa idem, &c.*

Explanatis contrarijs accedit ad opposita priuatiuè: explicatque quæ opponantur priuatiuè, seu quid sit priuatio & habitus & quid priuari & habitum habere. Priuatio, inquit, & habitus circa idem aliquid sunt, vt cæcitas, & visus circa oculum. Pro cuius declaratione aduerte. contraria versari quidem circa idẽ subiectum, sed non semper circa idem subiectum specie vel numero: vt album & nigrum, calidũ, frigidum, circa corpus sunt, quia non nisi corpori insunt, at nõ in eadem corporis specie, nec in eodem corpore numero. Similiter reliquæ oppositiones non est necesse sint circa idẽ subiectum numero: at habitus, & priuationata sunt fieri circa idẽ subiectum specie & numero, vt cæcitas & visus, semper circa oculũ & in oculo, in quo visus est, ibi nata est cæcitas inesse. Ac propterea dicit Arist. debent non solum circa idem, sed circa idem aliquid: & quia non eodẽ modo, & ordine se habent circa tale subiectum: non enim simul sunt in eodem sed vno aduenìente alterum recedit, & non æqualiter, nam post habitum potest semper aduenire priuatio, non tamẽ semper post priuationem aduenit habitus: cùm nunquàm, postquàm aliquis mortuus est iterum naturaliter redeat ad vitam: sicut post vitam, semper est mors: propterea dicit habitus & priuatio videlicet fiunt circa illud subiectum circa quod habitus aptus est esse, non enim vtrumque semper versatur circa subiectum, in quo priuatio est: in oculo enim, in quo priuatio est, visus inesse nõ potest: sicut in quo visus est, cæcitas inesse potest. Postea explicat quid sit esse priuatum in cõcreto: dicitque illud subiectum priuatum dici, quod caret habitu, & forma, quam aptũ erat habere illo tempore, quo, ea caret: Aduerte non quodcunque subiectũ non habens formam aliquam, dicitur priuari tali forma, sed illud subiectum, cui talis forma inesse apta est, verbi gratia: lapis non dicitur priuatus visu, seu cæcus, eo quod non habeat visum, quia non est aptus habere visum: nec hoc sufficit, sed est necessaria etiam circunstantia determinata partis & temporis: non enim dicetur homo cæcus, eò quod non habet visum in manu, quamuis homo sit aptus ad videndum, sed præter subiectum aptum est necessaria circunstantia partis, scilicet quod nõ habeat visum in oculis. Similiter circunstantia temporis, vt careat forma, tempore, quo habiturus illam erat: catulus enim ante nouem dies non dicitur cæcus, quamuis non videat, quia

6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

illo tempore non est aptus habere visum: nec infans dicitur edentulus, quia tali tempore non est aptus habere dentes: illud ergo priuatum dicitur, quod cùm sit subiectum aptum ad formam aliquam debito tempore, & parte, illa caret: vt dicitur homo cæcus, qui visu sic caret quo tempore & parte habiturus erat eum, in quo manifestatur natura priuationis: est enim priuatio negatio formæ in subiecto, apto, secundũ naturam, illam habere, debetis circunstantijs.

7. *Priuari verò, & habere habitum, non est priuatio, & habitus, &c.*

Cùm aliter priuationem, & habitum aliter priuatum esse, & habere formã explicaret, ostendit, idem ista duo nõ esse: differunt enim, sicut albedo, & album esse: cùm vnum subiectum includat, alterũ verò minimè. Id autem probat dupliciter. Primò, cæcum esse, & cæcitas idem non sunt: & similiter visum habere, & visus: at cæcum esse, & visum habere sunt priuari & haberi, cæcitas autem & visio, priuatio & habitus: ergo priuatio, & priuatum esse, & habere, & habitus non sunt idem. Præterea. 2. de aliquo prædicatur cæcũ esse, & visum habere: de quo non cæcitas, & visio: ergo idem nõ sunt: nam homo dicitur priuatus & cæcus, nõ tamen cæcitas vel priuatio. Statim subsumxit, in quo hæc conuenĩãt, nempè eadem oppositione opponantur, scilicet, priuatiuè, abstracta, & concreta: vt enim cæcitas & visio priuatiua sunt, ita cæcũ esse & visum habere.

8. *Non est autem quod sub affirmatione, & negatione est, &c.*

Hic explicat ea, quæ contradictoriè opponuntur, & ea explicat penes voces: quia oppositio contradictoria non solis rebus inest, nisi vt cognitione apprehenduntur: vel orationes explicantur: nam non sedet, absolutè in rebus non est, nisi vt oratione, vel conceptu sumitur, vt postea dicemus: docetque affirmationem & negationem non esse id, quod affirmatur vel negatur, sicut vox significans non est res significata: tamen hoc vtrique inest, quod sicut oratio in se opponitur, ita res quæ per talem orationẽ significatur.

9. *Quoniam autem priuatio, & habitus nõ opponuntur, &c.*

Hæc est secunda principalis capitis huius pars, in qua Arist. istas oppositiones cõsertas primò priuatiua cum relatiuis, contraria autem non comparat, quia superius dixerat non esse ad inuicẽ. Probat autem dupliciter priuatiua non esse ad aliquid. Primò, quia visus & cæcitas nõ dicuntur ad inuicem, non enim visus est ad cæcitatem, nec cæcitas ad visum. Secundò, quia non dicuntur ad conuertentiam: non enim visus cæcitatis visus est, nec cæcitas visionis est cæcitas: non ergo sunt ad aliquid.

10. *Quoniam autem neque vt contraria, &c.*

Hic cum contrarijs, comparat & dupliciter probat, quæ secundum priuationẽ & habitũ opponuntur, non opponi contrariè. Primum argumentum est hoc breuiter, quia satis prolixum est in littera. Contraria quædam habent mediũ, quædam non habent medium: at priuatiua, nec sunt ex contrarijs habentibus medium, neq; ex non habentibus: ergo non sunt contraria. Minor probatur de contrarijs non habentibus medium. Ista cõtraria sic se habent, quòd in subiecto proprio, necessario alterum insit, & hoc in omni subiecto, ita, vt nullum detur subiectum susceptibile, cui alterum illorũ non insit. At datur aliquod subiectum proprium priuationis & habitus, cui non necessariò vnum horum insit: catulus enim est subiectum proprium, & aptum, quamuis ei deficiat circunstantia temporis, tamen nec est cæcus, nec videns. Probatur autem de contrarijs habentibus mediũ, hæc enim sic se habent, vt in nullo proprio eorum subiecto vnum necessariò insit, nisi quando à natura insunt: vt album & nigrum habent medium, & nullum corpus dabitur quod necessariò sit album vel nigrum, nam potest esse pallidum. Patet. Illi corpori, cui à natura inest album vel nigrum, sicut niui, & pici, inest albedo vel nigredo naturaliter. Similiter de calido & frigido, calor enim inest naturali igni. Præterea ista subiecta quibus naturaliter inest vnum contrariorum ex his, habent vnum determinatè, id est, ita vnum, quòd non alterum, vt nix albedinem, ignis caloré: at in priuatiuis hoc non fit: in primis sunt subiecta propria in quibus naturaliter non insunt, & tamen in eis necessariò vnum oppositorum inest vt homini, & cani adulto necessariò inest vel cæcitas vel visus: neutrum tamen à natura inest, cum eis manẽtibus possint abesse. Præterea, quia non datur extremum determinatum ad vnum subiectum, sicut in illis contrarijs datur vnum quod necessariò sit album, & non nigrum, at in his nullum datur subiectum ex natura sua determinatum ad vnum, quodlibet enim est cæcum, vel videns.

Dubiũ. Circa istam rationem dubitabis, videtur enim non procedere rectè, nã ad probandum non esse contraria non habentia medium, sumit subiectum nõ susceptibile priuationis & habitus, nempè catulum ante nonum diem: & postea sumit subiectum susceptibile pro contrarijs mediatis. Ad hoc dico argumentum esse bonum: & eius vis, & robur hoc est. In contrarijs non habentibus mediũ omni tempore alterum illorum inest subiecto susceptibili, nec expectat tẽpus aliquod, vt insit subiecto: ac priuatiua, non omni tempore subiecto insunt, cùm catulus aliquo tempore nec videns, nec cæcus sit: & tamen ille subiectum est, cum post aliquod tempus visurus sit, vel futurus cæcus. Quòd si dicas catulus nondum est ap[illegible] tunc, vt recipiat alterum illorum. Ex hoc colligitur aliqui á aliud præter subiectum esse necessarium ad priuationẽ quando quidem illi nondum inest aliquod horum, siue habeas siue non [illegible]

tio: quod tamen in contrarijs non est, cũ tale tempus postquam subiectum existit non expectetur: & ita differunt à contrarijs. Et hic est sensus verissimus ipsius Aristot. quẽ optimè insinuauit Simp. Similiter, de altera parte argumenti hæc est. Nullo tempore est necessariũ aliquod illorum contrariorum subiecto inesse, nisi sit à natura vnum extremũ: at aliquando vt ipse textus expresè dicit, est necessarium alterum illorum, siue habitus siue priuatio insit, vt homini vel cani adulto ergo non est ex illis contrarijs. & hoc obserua. Dices: quo pacto calor igni, & albedo diui inesse à natura dicũtur? Dico nõ à natura inesse à natura, quia sint de eorum substantia, vt aliqui existimarunt, credentes se dicẽt. esse formas substantiales, cùm tamẽ hoc fit contra Arist. ipsum, vt rectè dicit Alb. c. 8. asserit enim esse contraria, at substãtiæ nihil est contrarium: sed dicuntur de natura illorum, quia sunt passiones naturam consequentes non separabiles, nisi per corruptionem subiecti. Calor vt igni inest

11. *Amplius in contrarijs quidem cùm sit susceptibile, &c.*

Hoc est secundum argumentum, quo probat priuatiuè opposita, non esse contraria: etenim cõtraria circa idem subiectum possunt mutuò se expellere, & ad inuicem mutari, nisi quando vnum inest à natura, vt, potest quod languoré habet sanari: & quod sanũ est, languere: & calidum fieri frigidum, & frigidum fieri calidum: & ex studioso potest quis prauus, & ex prauo studio sus fieri: quod probat, nã homo prauus si benè incipiat assuefieri. absque dubio potest vel modicũ in virtute proficere: at si iterum atque iterum assuefiat, poterit ad virtutem peruenire, vel saltem magnum incrementum facere. Hoc dicit propter Platonem, vt dicit Alber. qui dicebat virtutẽ non fieri assuetudine: & cõtra Stoicos, qui existimabãt virtutẽ esse inamissibilem: contraria igitur mutuò mutantur, at in priuatiuis id non fit [illegible], ergo sunt diuersa: minor patet,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia ex videnti cæcum fieri potest. & comato caluum, & ex habenti dentes edé tulum: at è contra, à priuatione ad habitum regressus est impossibilis.

Quæstio. Num à priuatione ad Habitum possit esse regressus.

Argumẽta in contra.

DVbitatur: nam videtur à priuatione esse regressus ad habitum: nam à somno potest quis ad vigiliam restitui: & à nocte & tenebris aër redit ad lucem: & ex non igne fit ignis: quomodo ergo à priuatione non est regressio?

1. fund.

Circa hoc aduerte. Duplex potest cõsiderari regressus: alter ad idem numero, vt idem prorsus numero, quod ante fuit, redeat: alter regressus ad idem specie, vt redeat idem specie, cũ eo quod ante fuit: vt quando aliquis infirmus sanatur, restituitur quidem ei sanitas eadem, non quidé numero, sed specie. Præterea, regressus iste in specie est duplex: alter immediatus, alter mediatus. Immediatus est, cũ absq; aliqua alia mutatione illud, in quod aliquid mutatum est, iterũ redeat, vt si aër vertatur in aquã, & ex aqua rursus absque vlla alia mutatione fiat iterũ aër. est regressus immediatus: at regressus mediatus est, quando non ex vna mutatione, sed varijs illud restituitur, vt dicit Arist. ex vino fit acetum, tamé ex aceto non immediatè fit vinum, nisi prius mutetur in aquam, & rursus aqua vino infusa mutetur in vinum. 8. Met. c. 5.

a. fund. Priuationem esse triplicé.

Aduerte præterea. Priuatio est triplex: Prima priuat solum actũ, vt somnus, qui priuat tantum actum videndi: & tenebræ lucem. Altera non solum actum, sed etiã potentiam priuat, vt cæcitas quæ est in oculo læso, in quo non est potentia visiua. Ista potentia est duplex propinqua, & remota. Propinqua est proximũ principium ad operandum, quod non indiget altero supra addito principio post se ad operationem, vt est potẽtia visiua ad videndum, & illius est priuatio priuans potentiam propinquã. Altera est potentia remota, quæ est principium operandi, sed tamen indiget alio principio superaddito, vt anima est principium remotũ ad videndũ, quia indiget alio principio ad visionem, nempe potentia visiua. Et ita est tertia priuatio priuans potentiã propinquam, & remotam, vt mors quæ etiam corpus priuat anima, & dispositione, quæ erat in corpore ad animam, quę que dat principia vitæ.

Hoc supposito sit prima cõclusio. Regressus ad idem numero in omni priuatione naturaliter est impossibilis: verbi gratia, quãdo dormiens restituitur ad visionem seu vigiliam, non est illa visio, & actus idẽ numero cum eo, qui erat ante. Dico naturaliter, nam supra naturaliter Deus idem numero potest restituere: imò restituit, quando in hoc mundo mortuos resuscitauit, & nos in resurrectione post mortem erimus ijdem numero. 1. concl.

Secunda conclusio. Regressus ad idem specie ex priuatione priuãte actu, est possibilis: hæc clara est, vt argumenta probant de somno, tenebris, & alijs. 2. concl.

Tertia. Regressus immediatus ex priuatione priuante potentia siue propinqua siue remota, est impossibilis, vt qui amisit potentiam visiuam rursus naturaliter nõ videbit: & cadauer nõ fiet homo, & hoc est quod hic docet Arist. at dixi regressum immediatũ, quia mediatè regressus potest ille fieri, vt patet in aceto, quod fit aqua, & rursus vinũ: & cadauer terra, & iterum terra planta & fructus, & fructus cibus, sanguis & semen, ex quo iterum fit homo: sed iste regressus, mediatus est. Ad illud de igne & aqua: dico, quãdo ignis fit aqua, priuatio illa priuat materiam actu, sed non potentia propinqua: quia materia elementorum est in potentia propinqua ad quamlibet formam elementi: & hoc nota, quamuis pertineat potius ad philosophiam. 3. concl.

Quæcunque verò tanquàm affirmatio. &c. 12.

Hic iã Aristoteles opposita contradictoriè alijs omnibus comparat: docetq; præterea non esse nec relatiné oppositа nec cõtrariè, nec priuatiné, tali argumento. In oppositis contradictoriè, semper vnum est verum, alterum falsum, at in alijs omnibus oppositis: neq; est verũ neque falsum: ergo sunt distincta opposita, antecedens probat, quia reliqua non sunt complexa, nec propositiones, vt exẽplis probat: ista verò secundum complexionem dicuntur. Proponit autem dubium: quòd si reliqua opposita cum complexione sumãtur, vt Socrates est albus, Socrates est niger, pater, filius, videns, cæcus: respondet adhuc non esse eadẽ: quia in istis non est necesse vnum esse verum, alterum falsum: Patet, si enim subiectum non existat, reliqua opposita sunt falsa, vt si Socrates non sit, falsa sunt ista, Socrates est albus, niger, pater, filius, videns, cæcus. Imò in priuatiuis nõ solum quãdo subiectũ non est, sed etiã quando aptum non est, erit falsum vtrunq; oppositum, vt diximus: at in contradictorijs semper siue subiectum sit, siue nõ sit, alterum est verum, alterũ falsum, vt si nõ sit Socrates, falsum erit, quòd sedet, verũ tamen erit, quòd non sedet: hęc enim est natura talium oppositorum.

13. *Contrarium autem bono ex necessitate quidem malum est. &c.*

Hęc est tertia capitis principalis pars, in qua aliquot theoremata cõtrariorum quæ eorum naturam manifestant, ponuntur.

Primũ est. Bono ex necessitate malũ contrariatur, malo aũt & bonum, & malum aliquãdo. Huius prior est pars, bono ex necessitate malum contrariatur: quę non significat, quòd semper bonum habeat contrariũ, nõ enim hoc ita est, multa nãq; bona contrarium non habẽt: sed significat, q. quoties bonũ habet contrarium, id malum, nõ bonum est. Oportet autem intelligere, quid per bonũ, quid per malum intelligat: & quidem duplicíter potest ad hoc responderi: primo per bonum intelligunt qualitatem secũdum se appetibilem, vt est iustitia, scientia, sanitas: per malum autem qualitatem secundum se non appetibilem, vt vitium, ignorãtia, languor: & tunc est sensus, qualitati bonæ qualitas mala opponitur, vt sanitati languor, iustitiæ iniustitia: malæ aũt aliquando bona, vt timiditati fortitudo: aliquando mala, vt timiditati temeritas, sunt enim duo mala, alterũ per excessum, alterum per defectum, virtuti, quæ in medio est, contraria. Nec mireris, si vni duo contraria sint, cum id fit diuersis rationibus. Potest secundo etiam responderi generalius, vt per bonum intelligat qualitatem conuenientem subiecto, & per malum qualitatem disconuenientem subiecto, vt calor est bonus subiecto cui conuenit, & huic frigiditas mala: vt sit sensus, cui vnum contrarium bonum est, & conueniens, alterum malum est, & nociuũ: at cui aliquod malum est, alterũ aliquando est bonum, aliquando etiam malum, vterque sensus mihi probatur, sed prior est melior.

Alterum theorema. Non est necessarium vtrunq; contrariorum esse in rerũ natura, potest enim vnum absque altero inesse: possunt enim omnia bene se habere, possunt præterea omnia colorata esse alba.

Tertium. Contraria simul non sunt in eodem subiecto, nihil enim est sanum, & languidum, calidum, & frigidum: hoc intellige secundum eandem partem subiecti, & in gradibus intensis: aliter enim possunt esse simul. ista est communis limitatio huius theorematis, quãuis ego existimem non esse opus limitatione: sensus enim est, Vnum & idem subiectũ numero simul nõ recipit absolutas prædicationes contrariorum: non enim dicitur calidum, & frigidum, quamuis in vna parte calorem, in altera frigiditatẽ possit recipere.

Quartum. Cõtraria existunt absolutè in eisdem subiectis vel specie vel genere, non tamen in eodem numero, vt modò dixi: in quo a priuatiné oppositis differunt, quæ ordine quodam circa idem subiectum numero existunt, vt diximus superius.

Quintum. Cõtraria vel sunt in eodem genere proximo, vt album, nigrum, vel sub diuersis generibus eiusdem prædicamenti, vt iustitia sub virtute, iniustitia sub vitio: vel ipsa sunt genera, eiusdem prædicamenti, vt virtus quæ dicitur bonum, vitium quod dicitur malũ: nunquã tamen ab eodẽ prædicamẽto egrediuntur: sunt enim in prædicamento qualitatis. Ex his posset contrariorum descriptio sumi. Contraria, sunt qualitates, quę cum ad inuicem non dependeant, sub eodem sunt prædicamento, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt, ab eodem, inquam, numero.

Dubia quædam situ digniora.

Dubiũ. 1. de numero & ordine oppositorum.

CIrca istud caput dubium est de numero, & ordine harum oppositionum prædictarum: ad quod benè respõdet Ammo. Oppositio enim aut potest considerari, vt in rebus est, aut vt in rebus secundum quod voce significantur: si hoc postremo modo consideretur, est oppositio quę dicitur affirmatio & negatio: vt autem in rebus est, aut res sunt absolutæ, aut respectiuæ, si respectiuæ, sit oppositio ad aliquid: si absolutę, aut agũt adinuicem & mutuo se expellunt, aut non: si adinuicem & mutuo se expellunt sunt contraria: sin verò non mutuò, sunt priuatiua. Patet igitur non esse alias oppositiones præter has.

Ordo oppositorũ.

Fit ex hoc colligitur ordo: est enim ordo ab imperfectiori opposito, & debiliori: patet autem minimã oppositionem esse relatiuorum, quę nõ se mutuò expellunt à suis subiectis, imò de necessitate simul existunt. Post hanc oppositionem aliarũ minima, est contraria, quia est regressus ab vno ad alterum mutum: in priuatiuis verò nõ est mutuus regressus: oppositionum autem maxima est secundũ affirmationem & negationẽ, quę adeò repugnant, vt nunquam simul stent, siue subiecto extante, siue nõ extãte, semper enim alterum verum, alterũ falsum est: in alijs id non fit, vt diximus circa textus interpretationem.

Nota.

Hic vnũ aduerte, alias tres oppositiones absolutè esse in rebus: quia est oppositio incõplexorum existentium: etiam sunt in vocibus, si cum cõplexione sumãtur, vt diximus, quando facimus ex illis complexiones: at contradictio cum sit secundum affirmationem & negationẽ, non est in rebus absolute, sed in eis, vt voce & conceptu significantur.

Dubiũ. 2. de cõtradictione.

Obijcies fortasse etiã esse cõtradictionem in simplicibus, vt homo, nõ homo, equus, non equus. Non negamus hoc, sed est magno discrimẽ à reliquis oppositis: nam reliqua opposita secũdum vtrunq; extremum ponunt aliquid reale, in rebus etiam priuatiuis hoc fit: nã priuatio non est pura negatio formæ, sed negatio in quodã subiecto: at in his contradictorijs extremũ negatiuũ est ens rationis purum, cũ sit negatio, nec ponat subiectum, nam, nõ homo etiã quę nõ sunt, significat: præterea ab Arist. 4. Met. tex. 7. vocatur negatio extra genus.

Solutio.

Dubitatur. An oppositio sit genus ad has quatuor. videtur enim esse analogũ, cum Arist. dicat oppositionem dici quadrupliciter: & præterea quia oppositiones sint inæquales: maxima enim oppositio est cõtradictoria, minima relatiua, & quod magis est, quia omnis oppositio mensuratur per contradictionem: vnũ enim extremũ negationem alterius debet habere, vt Arist. docet. 10. Meta. Albert. ca. 2. ita existimat, scilicet esse analogum, & Iamblicus: & ita mihi videtur: præsertim cùm aliqua sit oppositio non absolutè realis, sed rationis, vt contradictoria. Simplicius & Porphyrius credunt esse genus quoddam: & sententia quoq; ista probabilis est satis.

Dubiũ. 3.

Dubiũ. 4. de priuatione.

Circa priuationem aduerte, vt dicebamus, in hoc differt à negatione pura, q negatio non ponit existentiam subiecti, possumus enim verè dicere, chimæra nõ sedet: at priuatio ponit aliquod subiectũ non enim cæcum dicitur, nisi quod existit: secundum autem quod quadrupliciter præsupponit subiectum, quadru[illegible] ex est

est priuatio, vt docet Arist. 5. Meta. c. 22. Tribus quidẽ modis primis non propriè, quarto verò proprie dicitur priuatio. Primò priuatio dicit carentiam alicuius formæ in subiecto quocunque, siue apto, siue inepto ad illam formam: quo pacto dicitur planta cæca, & mare surdum. Altera priuatio dicit carentiam formæ in subiecto apto ad illam formam, non quidẽ in specie, sed in suo genere, id est, qui tale subiectum est aptum ratione sui generis, susceipere illam formam, quamuis non secundum suam speciem: vt talpa dicitur cæca, non quidem q; sit apta in tota sua specie, vt vult Arist. videre, tamen est in tali genere, in quo visus reperitur, est enim animal. Tertiò dicitur priuatio, negatio formæ in subiecto, apto quidẽ & secundum speciem recipere talẽ formam, sed nõ tali tempore, vt catulus est cęcus ante nonum diem. Tandem quarto priuatio dicit negationem formę in subiecto quidem apto, & secundum speciẽ, & tempus, vt homo cæcus qui caret visu, quando habiturus eum erat: & sic sumitur priuatio ab Arist. in præsenti: & hæc dicitur propriè priuatio.

DE MODIS PRIORIS.

Cap. XII.

TEXT. 1.

PRius autem alterũ altero dicitur quadrupliciter. Primò quidem & maximè propriè secundũ tempus: secundũ quod antiquius alterũ altero, & vetustius dicitur: in eo enim quod tẽpus amplius est, & antiquius, & vetustius dicitur. Secundo aũt, quod non conuertitur secundum subsistẽdi cõsequentiam, vt vnum duobus prius est: duobus enim existẽtibus, mox vnũ esse consequens est: vno verò existente, duo esse non necessarium est, quare non conuertitur ab vno cõsequentia, vt reliquum sit: prius autem illud esse videtur, à quo nõ cõuertitur eius, quod est esse consequentia. Tertio verò secundũ ordinem quendã prius dicitur: quemadmodum & in scientijs, & in orationibus: nam in demonstratiuis scientijs est prius & posterius ordine: elemẽta enim in geometria priora sunt ordine ijs, quę describũtur. sed in Grammatica elementa syllabis priora sunt, & in orationibus similiter proœmium narratione prius ordine est. Amplius, prętereа quæ dicta sunt, quod melius & honorabilius est, prius natura esse videtur, cõsueuerunt antè & multi honorabiliores & magis dilectos à se, priores apud se dicere: est quidẽ & penè alienissimis priorum hic modus. Modi igitur qui dicti sunt de priore, ferè tot sunt.

2.

Videtur aũt præter eos, qui dicti sunt, alter esse prioris modus: eorũ enim quæ conuertuntur secundum esse consequentiam, quod alteri quomodolibet causa est, cõuenienter prius natura dici posit. Quod verò quædam sunt huiusmodi, palam est, esse nanq; hominem, secundum ipsius esse consequentiã, ad veram de se cõuertitur orationẽ: nã si homo est, vera est oratio, qua dicimus quod homo est, & cõuertitur: nã si vera est oratio, qua dicimus quod homo est, est homo. Est aũt vera oratio, nequaquam causa, vt si res, veruntamen res quodammodo causa videtur, vt si vera oratio, eò enim q; res est aut non est, vera oratio aut falsa dicitur. Quare secundum quinque modos prius alterum altero dici potest.

HOc est aliud post prędicamenta: nempè quot modis dicatur, prius: constat enim in prædicamento substantiæ, substantiam singularem fuisse dictã primam: & in capite, Ad aliquid, scibile prius esse scientia: & tandem inter omnia prędicamẽta, & inter prędicata singulorum prædicamentorum est quidam ordo, secundum quem vnum prius, alterũ posterius est: propterea oportuit, vt, quotupliciter prius aliquid diceretur, explicaret.

Prius autem alterum altero dicitur quadrupliciter, &c. 1.

Quatuor modos, quibus vnum altero prius esse communiter dicitur, assignat.

Primus,

Primus est, secundum quem, vnum alteri tempore præcedit: quo pacto dicimus Imperium Persarum fuisse prius Romanorum Imperio. Huc prioris modū maximè proprium appellat eò, quia notissimus omnium est, cùm fundetur in tempore, quod omnib⁹ patet. Præterea quia fuit primā impositio, & significatio huius vocabuli, Prius, cùm sit maximè nota: & reliquæ, quæ priora dicuntur, eatenus priora dicuntur, quatenus ad priorem illam primam referuntur: vt enim prius tempore sine posteriori existere potest ita quę independentia ab alijs sunt, priora dicuntur eis, quæ ab illis dependent. Secundus modus prioris est, secundum quem illud dicitur prius, à quo non conuertitur subsistendi consequentia, id est, in quod ab alijs infertur, quod tamen non inter: vt vnum est prius duobus, quia si duo sunt, vnum est, non tamen si vnum est, duo sunt: & sic vniuersaliter omnia superiora suis inferioribꝰ hoc modo priora dicuntur.

Tertio, aliquid dicitur prius ordine, qui modus non in tẽpore, nec in illatione, sed in quadam multorum habitudine cõsistit, secundū quam vnum alterum cõsequitur, ponit exẽpla de duplici ordine, & de ordine docendi, & de ordine discendi. Ordine quidem docendi, seu doctrinæ, elementa in Geometria seu definitiones, vt quid sit punctum, quid linea, quid superficies, quid figura prius traduntur, quam descriptiones, id est, propositiones per se notæ & reliquæ conclusiones: vt à puncto in punctum lineam ducere, totum est maius parte, triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis: similiter in Grammaticis, elemẽta, id est, literas prius docemur quam syllabas, & syllabas prius quàm dictiones. Ordine autem dicendi prius proœmium, quàm narratio, & hæc, quā confirmatio: omnia igitur hęc ordine priora dicũtur, ita, vt quamuis prius tempore diceretur narratio, proœmium tamen semper suā prioritatem ordinis haberet.

Quarto. Id dicitur prius quod dignius est, & honorabilius: quomodo magis amicos, priores alijs apud nos vocamus, seu primos apud nos, & hęc est prioritas dignitatis: sed illum docet esse modum alienum & improprium, vulgarẽ tamen. Ratio huius ex Amm. hæc est: hũc enim modum dicit nõ esse proprium, quia verè non fundatur in ipsis rebus, sed in existimatione & affectione nostra, quæ extrinseca est ipsis, quę priora dicuntur, vel posteriora. Aliam etiā huius rationẽ tradit Simpl. nempè quia in sermone non est vsitatus modus loquendi amiciores, & honorabiliores vocare priores: ac propterea dicit alienissimum hũc modum, quasi impropriè dictum tali vocabulo, quod tamen vulgariter dicitur.

Videtur autem præter eos, qui dicti 2.
sunt, &c

Hi sunt quatuor modi prioris, qui cõmunes sunt, & ab omnibus assignantur præter hos vnum alium ex propria sentẽtia, vt notant Alb. & Boet. enumerat: ac propterea superiori numero hic non est compræhensus, cum dixit Prius quadrupliciter dicitur, quia id secundum cõmunem sentẽtiam docebat: id enim vltimo alio modo Prius dicitur, quod cum alio in consequentia conuertitur, & illius est causa, vt homo est prior risibilitate, quia inter vtrumque est mutua consequentia, & homo est risibilitatis causa: & hoc dicitur prius natura. Ponitur huius exemplum: ista propositio, homo est, vera est, eò quod homo in se sit: etiam conuertitur, nam si homo in re est, & ipsa propositio vera erit: tamen quod homo sit, scilicet res ipsa, est causa veritatis propositionis. Vt enim docet Arist. 9. Meta. c. 12. non q̃ nos verè te putamus album esse, tu albus es, sed quia tu albus es, nos qui dicimus, verum dicimus: & hoc est quod dici solet, veritatem esse in rebus sicut in causa: de quo disseremus in li. Perih. Res igitur est prior natura, quā propositio dicatur vera: & vniuersaliter omnis causa prior est natura suo effectu: hæc autem prioritas non dicit illam temporis præcessionem: possunt enim duo simul esse tempore, vnũ tamen altero natura prius esse: sicut in eodem tempore, est sol & lux: homo & risibilitas: at sol luce: & homo risibilitate priores natura sunt, eò quod sol lucis, & homo risibilitatis sint causa. Hi sunt modi Prioris, quos Arist. enumerat: & ijdẽ prorsus sunt modi Posterioris: nã in oppositis quot modis dicitur vnum, tot etiam alterum: vnde etiã est posterius tempore, in consequentia, dignitate, ordine, & natura.

Nota. 1. Circa hoc caput aduerte, maximè Prius & Posterius esse in prędicamento ad aliquid, sunt enim mutuo correlatiua: imò omnia post prędicamẽta in prędicamẽtis sunt supradictis: oppositio enim ad aliquid est: & cõtrarietas, & reliqua similiter: simul ad aliquid est. Motus autem ad actionem & passionem refertur: habere ad aliquid. Et post prædicamenta ista sunt propter duo: primo quia sunt proprietates diuersorum prędicamentorũ, & pluribus insunt, in substãtia enim, qualitate, quantitate, & quando, inest prioritas: alia similiter multis competunt. Secundò quia ista multipliciter dicuntur: propterea in communi sumpta nullius sunt prædicamenti: æquiuoca enim à prędicamento excludũtur, vt talia sunt, nec ad prędicamentũ pertinent nisi ratione significatorum per se. Propterea ista hic per se sumuntur, vt distinguantur, & distincta in suis collocantur generibus. Aduerte præterea Arist. exactius tradidisse in 5. Meta. cap. 11. de priori, & posteriori: hic autem illos modos assignat, qui in ipsis prędicamẽtis frequẽtiores sunt: quamuis forsan omnes alij ad hos reduci possent, vt dicit Simpli. sed hoc in Metaphysicam reseruemus.

Nota. 2. Aduerte etiam non repugnare vnum, & idem multis modis esse prius: similiter vnum esse prius vno modo, & posterius altero: verbi gratia, pars est prior toto natura, quia est causa: sed totũ prius dignitate. Similiter animal est prius homine cõsequẽtia, similiter etiã natura, quia est superius homine, & ipsius causa.

Aduerte tandem omnem causam suo effectu esse natura priorem: hic tamen Arist. non loquitur nisi de causa, & effectu quæ simul sunt, & cõuertuntur: non quòd illa causa, quæ simul non est cum effectu, nõ sit natura prior, vt Petrus qui absq; suo patre, qui causa est, potest esse: sed quia talis causa, quæ sine effectu est, sit prior tempore: qui modus prioris perfectissimus est. Nota. 3.

DE MODIS SIMVL. *Cap. XIII.*

SImul autem dicuntur simpliciter quidem & proprijssime, quorũ generatio in eodem est tẽpore: neutrum enim eorum neq; prius, neque posterius est. Simul autem secundum tempus hæc dicuntur. Natura verò simul sunt, quæcunq; conuertuntur quidem secundum eius quod est esse consequentiam, sed nequaquam alterum alteri causa est vt sit, vt in duplo & dimidio: conuertũtur etenim hęc, nam cùm duplum sit, dimidium est: & cùm dimidium sit, duplum est: sed neutrum alteri causa est, vt sit. Dicuntur autem simul natura & qua ex eodem genere è diuerso abinuicem diuidũntur. E diuerso autem diuidi abinuicẽ dicuntur, quæ secundum eandẽ sunt diuisionem: vt volatile, gressibile, & aquatile: hæc enim abinuicem è diuerso diuidũtur, cùm sint ex eodẽ genere: animal nanque diuiditur in hęc, in volatile, gressibile, & aquatile: & nihil horum prius vel posterius est, sed simul hæc natura esse videntur. Diuiditur autem & vnumquodq; horum in species rursus, vt volatile, gressibile, & aquatile: erunt ergo & illa simul natura, quæcunque ex eodem genere secundum eandem sunt diuisionem, genera verò speciebus semper priora sunt: neque enim conuertuntur secundum eius quod est esse cõsequentiam. TEXT. 1.

vt cum quidē aquatile sit, animal est: cùm verò sit animal, non necesse est vt aquatile sit. Simul ergo natura dicuntur: quæcunque quidem conuertuntur secundum eius quod est esse cō sequentiam, sed nequaquam alterum alteri vt sit, causa: est & ea quæ ex eodem genere è diuerso diuiduntur abinuicem. Simpliciter autē simul sunt, quorum generatio in eodem est tempore.

Hic de Simul aduerbio tractat, ac tres modos, quib' aliqua simul esse dicūtur, tradit. Primus est proprijssimus, quo multa simul tēpore dicuntur. [Quorum generatio est in eodem tempore,] id est, quorū vnū tēpore, neq; prius, nec posterius est, quo pacto simul dicimur currere, & loqui: si currētes loquamur, & simul fuerunt Alex. & Aristoteles. Alius modus est, quo aliqua dicuntur simul natura, nempè quæ in consequentia mutuo conuertuntur, & vnum non est alterius causa: dicimus enim simul natura esse duplum, & dimidium: patrē & filium: & correlatiua quę se inuicem ponunt, & vnum alterius non est causa: & iste modus est oppositus modis duobus Prioris, scilicet secūdo & quinto. Tertius modus est, quo illa dicuntur simul, quę ex æquo diuidunt aliquod genus, vt volatile, gressibile, aquatile simul sunt, quia ex æquo animal diuidunt, diuidere ex æquo genus, est quādo æque immediatè differentiæ, vel species genus aliquo diuidunt, ita vt vna non diuidat id, quod per aliā constituitur, sicut si diuideretur animal per rationale, volatile, & irrationale: tunc enim volatile & irrationale non essent simul, quia volatile potius diuidit irrationale: præterea diuidunt ex æquo, quādo nulla est adinuicem dependentia, vt volatile non magis à gressibili, quàm gressibile à volatili dependet: propterea iste modus est oppositus modo tertio Prioris, scilicet ordine. Ex hoc colligit Aris. genera & species non esse simul natura, sicut duplum & dimidium, quia non est mutua consequentia à genere ad speciē: vbi non sumit genus ad speciem ratione intentionis secundæ, nā sic sunt correlatiua, & simul natura, vt diximus, sed pro ipsis naturis, scilicet animali, homine, & reliquis: tripliciter ergo Simul esse contingit, vt dictum est.

Dubium nū prius & simul sunt opposita.

Dubitabis fortè, an esse simul, opponatur Priori. Alber. respondet nō opponi, sed esse disparatum, quia Prius posteriori opponitur: & è contra: præterea quia multis modis dicitur esse Prius, scilicet loco, dignitate, quibus non dicitur esse simul: sed profectò probabilius mihi videtur q; opponātur: & id patet ex Aris. qui tanquā de oppositis ad prius & posterius, loquitur de simul, nec ratio quicquā valet: nam prius posteriori propriè opponitur, at Simul vtrique, Priori, scilicet & Posteriori. Ad aliud respōdet Amm. cap. de Priori, illum modū prioris dignitate, esse improprium: propterea nō habere oppositum modum de simul, quāuis posset quidem dici in re esse talē modū, quia re vera duos possumus æqualiter amare, & honorare, licet modus loquēdi per Simul nō sit proprius. Similiter esse potest, vt duo sint simul loco, non quidē vt sint in eodem penetratiue: sed in eodem loco vulgari, vel cōmuni, vt sint in eadem sede: in eodem scamno.

DE SPECIEBVS MOTVS. *Cap. XIIII.*

TEXT.

MOtus autem species sunt sex: generatio, corruptio, augmentum, diminutio, alteratio, & secundū locum mutatio. Alij itaque motus palam est quòd abinuicem diuersi sunt, non enim est generatio corruptio, neq; augmentū diminutio, neque secundum locū mutatio, similiter autem & alij. In alteratione verò habet quandam dubitationem: ne sit forte necessarium, id quod alteratur, per aliquā reliquarum motionū alterari. Hoc autē non verum est, nam secundum omnes penè passiones, aut com-

complures accidit nos alterari, nulla aliarum communicante motionum: nam neque augeri necessarium est quod per passionem mouetur, neque diminui. Similiter autem & in alijs. Quare alia præter alios motus erit alteratio: nā si esset eadē, oporteret id, quod alteratur, mox & augeri, vel minui, vel quandam aliarū motionum sequi, sed non necesse est. Similiter autem & quod augetur, aut alia aliqua mutatione mouetur, alterari oporteret, sed sunt quędā quæ augmentantur, quæ non alterantur, vt quadratū gnomone circumpositō creuit quidem, alteratum verò nihil factum est. sic & in alijs huiusmodi, quare alij motus sunt abinuicem.

Quadrati accretio, Gnomone circumpositō.



Est autem simpliciter motui quidem quies contrarium: ijs verò, quæ per singula sunt, & singula, generationi quidem corruptio contrarium, augmentationi verò diminutio, secundum locum mutationi, secundum locum quies, maximè autem videtur opposita esse ad contrarium locum mutatio, vt ei quæ inferius est, ea quæ superius est: & ei quæ superius est, ea quæ inferius est. Reliquorum verò assignatorum motuum non facilè est assignare quid fortè est contrarij, videtur autem nihil esse ei contrarium: nisi quis & in hoc secundum qualitatem quietem opponat, aut in contrariū qualitatis, mutationem: sicut & in mutatione secundū locum quietem secundum locum, aut in contrarium locum mutationē: est enim & alteratio mutatio secundum qualitatem, quapropter opponitur motui secundum qualitatem, quies secundū qualitatem; aut in contrarium qualitatis mutatio, vt album fieri ad id, quod nigrum est fieri, alteratur enim in contraria, qualis mutatione facta.

EXacta eorum, quę in hoc capite cōtinentur, cognitio prorsus physica est, & abundè, si faxit Deus, eam illic trademus: sat erit in præsenti facilem aliquam adhibere explanationem, quę Logico pro his cognoscendis, & in prędicamento collocandis sufficiat.

Quid motus? & An vninocè dicatur de eius speciebus.

Aduerte igitur ante captis interpretationem, quòd res antequam facta sit, dicitur esse in potētia alicuius materię, quod nihil aliud est, quam dicere, quòd ex aliquo alio possit fieri: verbi gratia, Planta antequam sit, dicitur esse in potentia seminis, quia ex semine fieri potest, & phiala antequam sit, est in potentia argēti, ex quo fieri potest: vnde quando aliquod agens aliquid facit ex aliquo: verbi gratia, ignis ignē alium ex ligno: & artifex phialam ex auro, dicitur tale agens educere rex ex potētia in actum.

Motus quid sit.

Motus igitur, in cōmuni, & latè sumpto vocabulo loquendo, est ille trāsitus rei ex potentia in actum, vt trāsitus plantæ ex potentia seminis in actum plantæ dicitur motus plantæ: dico autem lato vocabulo, & in cōmuni loquendo, quia propriè non dicitur motus, nisi quando talis transitus est accidentis alicuius: hic tamen communius loquitur Aristot. de transitu tam substantiæ, quàm accidentis, & vtrunque lato vocabulo vocat motum.

At cùm iste transitus fiat secundum formas, & res varias diuersorum prædicamentorum, fit, vt motus, qui est trā-

tus formæ, non omninò habeat vniuocationem, ac ideo inter post prædicamenta, vt distinguatur, collocetur: quamuis enim Arist. vocet species motus, nõ propterea intelligit motum esse propriè genus & vniuocum, sed particularia, vocat species: & hoc nota admodum pro horũ intelligẽtia, sequitur igitur caput.

SPECIES MOTVS.

2. *Motus autem species sunt, &c.*

CAput in duas partes diuiditur. in priori continentur sex motus species, in posteriori earum proprietates. Species igitur motus sunt, generatio, corruptio, augmentum, diminutio, alteratio, latio seu motus secundum locum: harũ singulas breuiter explicemus, Generatio est productio compositi substantialis, vt productio ignis, plantæ, hominis: corruptio est destructio huius substãtiæ, vt extinctio ignis, mors hominis. Augmentum est acquisitio maioris quãtitatis, præsertim in viuentibus, vt quando crescit planta, & animal. Diminutio est amissio habitæ quantitatis, vt quando decrescit homo senectute, & fructus attrectatione manuum minuitur. Alteratio est qualitas motus, vt productio caloris in aqua: & vniuersaliter motus secundum qualitates, alterationes dicuntur. Latio est motus secundum locum, vt progressus, natio, volatus.

Hoc supposito probat Arist. differentias inter motus, qui magis conuenire videntur, vt eorum distinctio fiat notior, & primo dubitat de alteratione, an sit, distinctus motus ab alijs: & probat esse motum distinctum, quia fiat esse alterationem, quando nullus ex alijs motibus est: patet quando aliquid calefit tunc alteratur, & tamen nec augetur, nec minuitur in sua quãtitate, nec mouetur secundum locum, nec generatur, nec corrumpitur: ergo alteratio est ab omnibus his distincta, at de augmento, & diminutione est maius dubium, quia res naturales non augentur nec minuuntur, nisi simul alterentur à qualitatibus: non enim viuens crescit nisi calore naturali alterãte cibum, & conuertente in substantiam ipsius viuentis, vnde procedit augmẽtum, propterea egregiè Arist. ostendit exemplo Geometrico augmentum fieri sine alteratione, ex quo patet non esse idem: si enim idem essent, nullibi esset vnum, vbi alterum non esset.

In quo tu diligenter considera pulchram Aristotelis viam inquirendi distinctionem duorum, quæ simul sunt: nempe, num alibi vnum absq; altero inueniatur, quærere: si enim ita sit, sine dubio illic, vbi simul erant, vnum & idem non erant: verbi gratia, video semper serè colorem simul cum quãtitate, possem dubitare, an idem sint: tunc aduertam, an alicubi vnum sine altero inueniatur: & quia quantitatem in cælis & elementis puris, in quibus color non est, inuenimus, ideo vbicunque illa duo sint, distincta iudicamus. Hoc maximè memoriæ trade: quia quanti hoc momenti sit, postea scies. Nota.

De Exemplo Arist. Augmentationis Quadrati.

Pro intelligẽtia igitur exempli Arist. de quo tractat Euclid. li. 2. aduerte, quod quadrangulus est figura constans ex quatuor lineis rectis, siue omnes sint inter se æquales qui dicitur quadratum, siue duæ solum duabus æqualibus inæquales sint, & æquales inter se, ita vt duo latera æqualia, duobus lateribus æqualibus inæqualia sint, qui dicitur quadrangulus altera parte longior. Diameter autem dicitur linea recta quadranguli diuidens angulos duos per medium, vt in figura infra scripta manifestatur, talis autem quadrãgulus dicitur continere diametrum illũ, à quo diuiditur. Nota. 2.


Aduerte præterea, quod talis diameter cuiusque quadranguli potest protrahi ex vna parte, vt extra quadrangulum fit, & talis pars protracta potest circumscribi quadrangulo alio, hoc pacto à latere Nota. 3.

tere quadranguli prioris protrahatur linea, ita vt ab ea ducatur linea recta vsq; in extremum punctũ Diametri protracti, & ab altero latere similiter id fiat (loquor autẽ de lateribus, quæ à Diametro nõ sunt intercisa) postea à lineis duabus illius anguli prioris, quadrãguli, à quo diameter est protractus, singulæ lineæ rectæ trahantur, quousq; alijs iungãtur, tunc resultabunt, & vnus quadrangulus paruus illam partem Diametri circumscribens, & duo quadrãguli altera parte longiores, ad duo latera prioris quadrãguli, & isti duo dicuntur supplementa, quadrangulus vero cum duobus supplementis dicitur gnomon.


Hoc supposito scias istum gnomonem additum quadrãgulo sic se habere, vt solum augeat illum, non tamen mutet figuram: sed si erat altera parte longior quadrangulus, addito gnomone, vel detracto, resultabit quadrangulus altera parte lõgior: si erat autem quadratum, etiam manebit cum illo augmento quadratum: vbi vides rem augeri non mutata qualitate: ac inde fit augmentũ sine alteratione. Hæc facili & simplici narratione dicta sint, nam omnia ista exactè & demonstratiuè tractare, nõ est præsentis loci. figuram considera.


QVADRATA.





QVADRANGVLI ALTERA PARTE LONGIORES.





2. *Est autem simpliciter motui quidẽ quies contrarium, &c.*

Hæc est altera huius ca. pars, qua Arist. quomodo ista inter se cõtrarientur, exponit: ac docet, motui in cõmuni quietem opponi: in particulari autem particularia sortiri cõtraria: vt generatio contraria est corruptioni, augmentum diminutioni: secundum locũ autẽ motus habet quietem secundũ locum cõtrariam: & motus sursum cõtrarius est motui deorsum: similiter alteratio habet in cõmuni contrariam quietem secundum qualitatem, non enim aliud assignari potest: in particulari autem dealbatio contrariam habet denigrationẽ: & calefactio

frigefactionē. Hic aduerte quietem non esse propriè cōtrariam, sed priuationē, est enim quies motus priuatio: vocat autem hic contrarium etiam priuatiuū largè: sicut 1. Phy sic. etiā priuationem vocat contrarium, dum dicit principia esse contraria, hæc de istis motibus Logico sint satis.

Vnum autem hic est maximè aduertendum, singulos hos motus posse dupliciter sumi: vno modo vt significēt actionem, altero, vt significent passionem: verbi gratia, alteratio est actio secundum quam alterat agens, & alteratio est nomen passionis secundum quam alteratur patiens, similiter generatio, corruptio, latio, & reliqua: propterea distinguenda sunt tanquam æquiuoca, vt enim actionem dicunt, ad prædicamentum actionis pertinent: vt autem passionem, ad prædicamentum passionis spectant.

DE MODIS HABERE.

Cap. XV.

TEXT. HAbere secūdum plures modos dicitur. Aut enim vt habitū & dispositionem, aut aliam aliquam qualitatē, dicimur enim disciplinam aliquam, atque virtutem habere. Aut vt quantum, vt quā contingit aliquis habens magnitudinem, dicitur enim tricubitam habere magnitudinem vel quadricubitam. Aut vt ea, quæ circa corpus sunt, vt vestimentum, vel tunicam. Aut vt in parte vt in manu annulum. Aut vt partem, vt manum vel pedem. Aut vt in vase, vt modius grana tritici, aut amphora vinum, vinum enim habere amphora dicit, & modius grana tritici: hæc enim omnia habere dicūtur, vt in vase. Aut vt possessionem: habere enim domum & agrum dicimur. Dicitur autem & vir vxorem habere, & vxor virum. sed qui nunc dictus est modus, alienissimus est eius quod est habere: nihil enim aliud vxorem habere significamus, quàm quod cohabitāt. Fortè tamen & alij quidam eius, quod est habere, apparebunt modi: sed qui dici consueuerunt, penè omnes enumerati sunt.

TAndem vltimū postprædicamentum distinguit, quod est Habere: est enim æquiuocum admodum vocabulum hoc, varia prædicamenta, & varias res diuersorum prædicamentorum amplectens. Dicitur igitur primo modo habere secundum habitum, vel dispositionem, vt non sit aliud habere, quam dispositum vel habituatum esse, quo pacto dicimur habere calorem, scientiā, odium, frigiditatem, & reliqua: ista non aliud sunt, quàm esse frigidum, calidum, scientem, & reliqua. Secundò, habere, est secundum quantitatem, vt habere tres vlnas, tres palmos: hoc nō est aliud, quā esse mensurabile secundum tres vlnas, vel palmos. Tertiò, secundum vestimentum, vel ornatum, vt habere vestem, annulum: & hoc non est aliud, quā esse vestitum, ornatum annulo. Quartò, secundū partē habere caput, pedē, animam, q̄ non aliud est, quàm esse capitatū, animatum. Quintò, habere per modū vasis, vt amphora habet vinum, horreū, triticum: in summa habere denotat cōcretā aliquod nomen ab his, quæ habentur: quod aliquādo est impositum, vt habere calorem, calidū, esse: aliquando non est impositum, vt amphora habet vinū, non enim à vino est concretum significans vinū in amphora, sed suppletur per illud verbum habere. Sextò, habere secundū possessionē, vt habere agrum, domū, libros, diuitias. Vltimo dicitur vir habere vxorem, & vxor virū: sed istum dicit esse improprium, quia vir non dicitur habere vxorē, nisi quia cohabitat, videlicet legitime in legitimo matrimonio. Sic aūt cohabitare, nō est habere, nec sic matrimonio esse coniunctū, est habere. Tandē cōcludit forsan alios esse modos habēdi, sed ex cōmunibus penè oēs sunt isti enumerati, reliqui ad hos reduci possunt

possunt: de quibus vide in 5. lib. Metap. ca. 23. & hæc circa hoc caput sufficiant.

DE PRAEDICAMENTIS IN COMMVNI.

QVAESTIO PRIMA.

De numero prædicamentorum, vtrum tantum sint decem Prædicamenta.

SIngulis iam generibus manifestatis locus postulat, vt de eorū sufficientia aliquid dicamus: ac primo de eorum numero, deinde de eorum distinctio ne agemus. De eorū ergo numero, magna fuit inter antiquos digladiatio, nec adhuc inter neotericos de hoc vnanimis est cōsensus, quibusdā multiplicantibus, quibusdam dementibus ex his, quæ assignata sunt.

Antiquorum. 1.opinio Inter antiquos numerū prædicamētorum coarctantes, primus fuit Plato, qui vt refert Arist. 3. Meta. ca. 3. vnū esse omnium genus & prædicamentum existimauit, nempè ipsum ens: quā sententiam illic repellit Arist. & nos supra reiecimus cum ens non sit vnius oeum.

2.opinio Post hūc fuit Zenocrates, & Andronicus, qui duo prædicamenta cōstituerunt, dividentes res omnes in per se, & in alio: & substantias vocabāt res per se, accidentia verò res in alio, vt refert Simplicius: sed ista sententia non est vera: quia sicut ens nō est genus ad ista decem, quia non potest contrahi vlla differentia, quę non sit etiam ens: ita accidens nō potest contrahi differentia, quę non sit accidens: vnde proinde nō erit genus ad omnia accidentia, sed æquiuocum, aut analogum: omnis enim differentia debet distinguī à genere, nam contrahens distinguitur à contracto.

3.opinio Alia fuit sententia Stoicorum asserentium, quatuor solum esse prædicamenta, nempè substantiā, quale, quomodo se habet, quomodo se habet ad aliud: sed ista sententia diminuta clarissimè est, eū præterista quatuor, sit etiam Quantum, vt docet Simplicius.

4.opinio Quarta sententia fuit Nicostrati, qui referente Simplicio, actionem & passionē sub vno constituit prædicamento, nempè sub motu, & ita visus est nouem prędicamenta constituere: sed de hoc postea dicemus.

Vltima sententia fuit Arist. Pythagorę, Architæ, & aliorum, & communis antiquorū post hos, decem esse prędicamenta, & ita docet Arist. 5. Meta. ca. 7. & plurimis locis id repetit, & affirmat.

Neotericorum. Inter Neotericos etiam adhuc lis sub iudice est. Quidam enim solum quatuor prædicamenta recipiunt, inter quos est Suessanus in suis ludicris, nempè substantiam, quantitatem, qualitatem, ad aliquid: reliqua enim, vt ipse vult, ad ista reducuntur.

2.opinio Alij nouem ponunt, nā Vbi ad quanti tatē referunt: alij etiam Quando reponunt in quātitate. vt Paulus Ven. refert.

3.opinio Alij vndecim faciunt: præter ista enim decem, vnum aliud pro entibus rationis faciunt: sed quia multa ex his facilè dicuntur, & absque consideratione, opus erit, vt breuiter quid in hoc certius sit, explicemus.

1.Fundamentū Categoriarū duplex est consideratio. Oportet ergo aduertere prędicamentorū duplicem esse considerationem: altera est secundum quam entia quædam varia, & inter se diuersa sunt: altera vt cum entia vniuersa sunt, varium obtinēt prędicandi modum. Quod quidem aliter dici solet: prædicamenta considerari secundum primas intētiones, vel secundum primas vt substant secūdis. Hoc autem est inter hæc discrimīnis: contemplari enim talia entia vt entia solū sunt, Metaphysici est: at considerare talia entia, vt prædicabilia, & prædicata quædam sunt, Logici est.

2.Fundamentum. Diuersa entia diuersos habere modos prædicādi. Aduerte secundo ista duo, nempè modum essendi, & modum prædicandi, seu esse & prędicari, ita esse coniuncta, vt diuersum ens diuersum habeat prædicādi modum: & quę idem sunt, eundem etiā habeant prędicandi modum, quod dici solet, modus prędicādi sequitur modum essendi:

essendi verbi gratia, quia quantitas est ens diuersum a qualitate, modus prædicandi quantitatis est alterius rationis à modo prædicandi qualitatis: illa enim in quanto, hæc in quali prædicatur. Præterea sicut in ipsis entibus, vt entia sunt, datur vnum primū ens, penes quod omnia alia distinguuntur, & à quo habent esse, vt docet Arist. 4. Meta. cap. 2. ita in ipsis vt prædicata sunt, datur vnum primum subiectū, à quo omnia alia distinguantur, & de quo varia prædicata prædicentur, hoc autem est prima substātia: ac propterea Arist. 13. Meta. c. 1. comparat substātiam inter reliqua Regi, & Imperatori in exercitu.

3. Funda. Ex hoc est tertio aduertendū, quod si nos volumus numerum prædicamentorum venari, constituto primo ente, scilicet substātia prima, diuersos modos entis circa ipsam primos, & supremos inquirere debemus, logicè autem modos prædicandi diuersos, de prima substantia.

Quibus modis aliquid de prima substantia prædicetur. Hos autem pulchrè docet S. Thom. li. 5. Met. lect. 7. inquiens, quod multipliciter aliquid de prima substantia prædicatur: primo tanquàm de eius natura, & essentia: & ex talibus prædicatis constituitur prædicamentum primum, nempè substantiæ: secundo tanquam accidens inhærens ipsi: & hoc vel est absolutū, vel ad aliud: si ad aliud, est prædicamentum tertiū ad aliquid: si autem est absolutum accidens, vel competit primè substātiæ ratione materiæ, vel ratione formæ suæ: si competit ratione materiæ, est quantitas, si ratione formæ, est qualitas: est enim hoc notādum discrimen inter quantitatem & qualitatem: quod quantitas cōpetit rebus ratione materiæ: quod est dicere, ratio propter quā ineſt alicui quātitas, est materia, & nisi materia sit, quātitas non erit, vt patet in angelis, in quibus quantitas nō est, quia materia nō est: qualitas autem sequitur formā, quod est dicere: ratio propter quam rebus ineſt qualitas, est forma: ita vt etiam si deturres absque materia, posit habere qualitatem, vt patet in angelis, & anima rationali, in quibus sunt scientię, & habitus, & non habent materiam. Tertiò aliquid prædicatur de prima substantia ab extrinseco: quia ei nō inhęret: & hoc vel est tanquā mensura eius quantitatis, & sic est vbi, seu esse in loco continenti, & mensurante quantitatē locati: vel est tā quam mēsura corporis, cum ordine partium ipsius corporis, vt sedere, stare, & hic est situs: vel est tanquā mensura operationis, seu durationis rei, & hoc est quādo: vel tandē non est mensura, & hoc est Habitus prædicamentū, scilicet esse vestitum: hæc quatuor extrinsecè prædicari dicunt de prima substantia, quia locus, situs, tempus, vestis, non insunt ipsis inhæsiue, de quibus prædicantur. Quarto id quod prędicatur potest esse partim inhęrēs, partim nō inhęrēs, & hoc est duplex: vel inhęret secundum principium & sic est actio, vel secundum finem, & sic est passio: verbi gratia, fumo calefactionē, secundum quam ignis calefacit, ista calefactio ineſt igni secundum suum principium, quia calor, qui in igne est, est principium eius, non tamen secundum finē: nam calor productus, qui est finis actionis, est in aqua, vel in re calefacta. Videre igitur actionem secundum principium inhærere agenti, non secundum finem: è contra passio inhæret secundum finem, non secundum principium: propterea dicuntur ista prædicata partim inhærere, partim non inhęrere, seu ab intrinseco, & ab extrinseco esse. Hæc est sufficiētia horum decem generum.

Ex his est prima conclusio. Tantum esse decem prædicamēta est probabile, non tamen est euidens, & demōstratum. 1. Cōclu.

Hæc conclusio quo ad priorem partem nota est, ex auctoritate tot doctorū asserentium decem prædicamenta: similiter ex diuisione superius adducta ex sanctus Tho: quo ad posteriorem partē etiā nota est, cū à multis negetur, nec ab vllo huc vsque demonstretur.

Secunda conclusio. Entia rationis ad prædicamenta entium realium reducuntur, nec particulare prædicamentum cōstituunt. 2. Cōclu.

Entia rationis reuocari ad categorias entiū realium.

Circa quam aduerte, nō quodcunque ens in prædicamenta diuidi, sed ens reale finitum: entia enim rationis, quia non habent verum esse, nisi in quātum cum entium realium consideratione sumuntur, genus propriū nō faciunt, sed ad alia reducuntur tanquam extrinsecè quædam proprietates: vnde negationes, priuationes, entia rationis logica, reductiuè sunt in prædicamento eorum, quorū sunt negationes, priuationes vel entia rationis logica: quemadmodū Aristoteles sub eadem potētia cōstituit visibile, & non visibile, odorabile, & non odorabile, & reliqua.

QVAESTIO II.

De abstractis & concretis prædicamentorum, Vtra potius in eis collocentur.

DVo nobis vltimo circa prędicamentorum distinctionē examinanda sunt: alterum an in his prædicamentis abstracta nomina potius, quam concreta sumenda sint: alterum quam inter se sortiantur prędicamenta distinctionem.

1. opin. Circa primum nō conuenit inter doctos: nam Auicen. lib. 3. suæ Meta. cap. 3. existimat abstracta accidentium præcipuè esse in prædicamentis, cuius sententiæ fuit sanctus Thomas opusculo. 41. ca. 19 & alij multi.

2. opin. At in oppositum est sine dubio sententia Aristo. qui abstracta in vno prędicamento ponit, concreta verò in alio: nā an ad aliquid collocat sectionem, accubitum in abstracto; eorū autem concreta sunt in prædicamēto situs, & illic id nos notauimus cum Simplicio, & Ammon. Præterea, quia in quibusdam prædicamentis si abstracta sumas, non erit notitia prædicamentum, vt vbi, quando, vestitum esse, quorum abstracta sunt locus, tempus, vestis, quę in alijs prædicamentis sunt: hæc propterea ab Arist. consulto in concreto ponuntur, vt patet.

Sit igitur pro huius declaratione primo aduertendum, tam in substantię nominibus, quàm accidentis, esse abstracta & concreta, vt notum in his est, homo humanitas, animal animalitas, albū albedo, calidum calor. Inter concreta aūt & abstracta hoc discrimen est: nam abstracta significant solam naturam accidentis vel substantiæ: at concreta significant naturā simul cū suo modo intrinseco: nempè cōcreta substantiæ substantiam, vt est per se: concreta accidētium, accidentium naturam, vt est in alio, ex quo fit, vt homo & humanitas eandem rem, seu naturam significent: differunt autem quòd humanitas quandā naturā solam, homo naturam cum modo substantiæ: scilicet, vt est per se, significat: similiter album, & albedo. 1. Funda. Cōcretū & abstractū numero quomodo differant.

Ad differimen est notandū inter substantiæ & accidentis concreta nā concreta accidentium enim significent rem cum modo, qui modus est esse in alio, in de alia concreta aliqua ex parte significant aliquid præter ipsum accidens, scilicet subiectum, ac ideo dicuntur connotativa: sed concreta substantiæ cùm significent rem cum modo, qui modus nō est ad aliud extrinsecum, sed esse per se, ideo talia dicuntur absoluta, & prorsus nihil præter substantiam significare, vel connotare. Quod differant cōcreta substantiæ, & accidentia.

Sit secundo aduertendum, prædicamenta se habere in duplici differentia: quædam enim continent rerū naturam præcipuè, simul etiam naturæ modum, qualia sunt substantia, quantitas, qualitas, ad aliquid, & partim actio, & passio: his enim accidentium diuersæ naturę continentur, modi etiam, qui talem naturam intrinsecè consequuntur, scilicet esse per se, seu esse in alio: alia verò prędicamenta præcipuè modos accidentiū, non ipsas naturas continent, qualia sunt reliqua quatuor, vbi, quando, & cætera: vbi enim nō locus, sed esse in loco quādo 2. Funda. Categoriarū quę rerū naturas continent & modos, quædam solū modos accidentiū.

non tempus, sed esse in tempore: vestitum esse, non vestis est.

Dubium. Dices fortasse tu: Quare hi modi quatuor faciunt nouum prædicamentum à suis formis: non autem alij modi: verbi gratia, quare esse calidum nō est alterius prædicamenti, quàm calor, & esse in loco, tempore, esse vestitutum, nouum faciunt prædicamentū, præter illud, in quo sunt, locus, tempus, vestis, seu habitus, & situs? Dico ad hoc, & est valdè notandū: quod illi modi aliorū sunt modi accidentis vt accidens est: nam modus accidentis, vt accidens est, est esse in subiecto, & tales sunt modi horum, nempè quantitatis, qualitatis, & aliorum: propterea concreta non faciunt aliud prædicamētum ab abstractis, quia illa dicūt modos eiusdem rationis & naturæ cum abstractis. At isti modum horum quatuor non sunt modi accidentis, vt accident est, cū non sint per modum inherentiæ: esse enim in loco, non est inhærere, nec esse in tēpore, nec esse vestitum, nec sedere: propterea Aris. superius explicans quid est esse in subiecto sicut accidēs, hos modos reijcit, vt illic declarauimus, ac ideo notum alterum prædicamentum faciunt, quam suæ formæ, & quàm abstracta, & hoc nota admodum.

Solutio.

1. Cōclu. His suppositis, est prima conclusio. Sine vllo dubio quatuor prædicamenta enumerata in concreto constituuntur. Hęc conclusio propter rationes supra in principio positas, patet, & ex natura horum prædicamentorum in secundo fundamento exposita, quam nescio an ita multi penetrauerint.

2. Cōclu. Prædicamēta esse in concreto sumenda. Secunda cōclusio. Multo probabilius est prędicamenta in concreto sumenda esse. Probatur primo. Omnia prędicamenta accidentiū distinguuntur & cōstituuntur penes nouos modos essendi, & prædicandi de prima substantia: sed hi modi non nisi per concreta explicātur: ergo cōcreta præcipuè in prędicamēto sunt. Maior patet etiam ex ipsis oppositorū sentientibus: præterea ex Arist. 4. Metaphys. cap. 2. qui sumit prędicamēta accidentium per habitudines ad substantiam: & in prędicamento substantię omnia cōparat cum secundis substantijs respectu primarum. Secundò probatur. Concreta magis significat accidentia, quàm abstracta, & similiter magis significant id, quod in prædicamento est: ergo illa sunt constituenda. Probo antecedens ex 7. Meta. cap. 1. vbi dicit Arist. albedinem & sessionem esse non ens, albū & sedere esse ens: perinde est, ac si dicat, concreta magis significare naturam accidentis, quæ est esse in alio. Tertio probatur, ille modus accidentis est in eodē prædicamento, scilicet albedo vt est in subiecto, calor vt est in subiecto: sed tales modi significāt per cōcreta, ergo ista sunt in prędicamento. Patet cōsequētia, quia in substātia ideo sunt concreta, quia significant modū intrinsecū substantiæ: sed etiam accidentibus suus est modus intrinsecus, ergo eorum concreta etiā, in his quinque prędicamentis præcipuè, ad prædicamentum pertinent.

Tertia conclusio. Abstracta aliqua ab ipso Arist. in prædicamento ponuntur: vt patet in quantitate, qualitate, ad aliquidme si cōcreta ponat, aliqui decipiātur, existimantes subiecta concretorum in prædicamento illo esse, vel aliquos alios respectus, qui in subiectis sunt: qui enim dicit calidum, videtur dicere subiectum: qui dicit agens, videtur dicere relationem agentis: propterea ne subiectum caloris in qualitate constituamus, & actionem in relatione, propterea in abstracto sumit: sed re vera abstracta, vt in subiectis sunt, id est, cum tali modo, in prædicamento ponuntur, qui modi in concreto significantur.

QVAESTIO III.

¶ De distinction. prædicamētorum, An distinguantur realiter inter se.

1. Funda. ALterum examinandum est. An omnia illa decem genera distinguantur realiter: hoc autē ea causa disputo, vt sciłem ipsos explicē terminos, qui profecto assidue à neotericis tractātur, & minus declarantur. Oportet ergo intelligere, quid per distinctionem realem intelligamus. Distinctio quidem duplex est, altera realis, altera rationis: distinctio realis non est aliud, quàm multarum rerum pluralitas: res autem dicitur quodcunq; ens existens extra operationē intellectus, vt calor extra intellectus operationem subiecto inhæret: propterea calor dicitur res. Erit igitur distinctio realis, pluralitas rerum, id est, entiū diuersis existentijs existentibus, sicut albedo & dulcedo lactis realiter distinguūtur, quia diuersas habent extra intellectum existentias.

Distinctio alia realis, alia rationis, & quam ille.

2. Funda. Huius distinctionis triplex est gradus. Primò quædam distinguuntur realiter, quia sunt diuersa suppositа existentia, vt Petrus, & Paulus, homo & leo, realiter distingui dicuntur. Secundus gradus est, quo distinguuntur ea, quę diuersis suppositis seu subiectis insunt, vt albedo nuis, & albedo cygni. Tertiò distinguuntur realiter ea, quæ cum in eodem subiecto insint, in eo tamen variam habent existentiam, vt albedo & frigiditas in eadē niue realiter distinguuntur.

Distinctio autem rationis, est quæ inuenitur inter entia rationis, & quæ non sunt in rebus extra intellectum: cuius est triplex gradus. Primus est, quando vtrumq; extremū est ens rationis, vt Adā & Antichristus distinguūtur ratione, quia neuter est in rebus, nisi per operationē, intellectus. Alter gradus est quando vnum quidem extremum est, ens reale, alterum tamē per intellectum: quæ distinctio est sæpè inter contradictoria, scilicet homo non homo, leo, non leo, similiter inter me & Antichristum est huius gradus distinctionis, quia ille non est nisi per intellectum, ego autem realiter sum. Tertius gradus distinctionis huius est, qui est inter extrema, quę tamen vnū sunt in rebus, & vnam habēt existentiā, tamen hoc vnum æquiualet multis, & ista multa sic vnum sunt, quòd ex natura sua esse possunt multa: verbi gratia, in homine anima vegetatiua, sensitiua, rationalis, eadem res sunt, tamen ista anima facit, quòd tres animę per se faciunt: & ista tria sic vna anima in homine sunt, quòd ex natura sua possunt esse distincta in diuersis rebus: nam in plantis est vegetatiua sine alijs, in brutis sensitiua sine rationali: ista igitur dicuntur tria & distincta, ratione, & intellectu aliter cognoscente vnum, aliter alterum: sed talis distinctio non est vlla ex illis dictis, quia hic ista omnia extra intellectum sunt, quamuis vna res existant: hęc distinctio peculiari nomine dicitur distinctio rationis ratiocinatæ, aliæ duæ distinctiones rationis ratiocinantis dicuntur.

1. Cōclu. His suppositis breuiter, quia locus iste alienus est ab hac disputatione, sit prima conclusio. A substātia omnia nouem prædicamenta realiter distinguuntur in communi: dico autem in communi, nō quòd omnia & singula distinguātur, sed quòd in omnibus prędicamētis sunt accidentia realiter à substātia distincta, qđ alij dicunt pro generibus singulorum.

2. Cōclu. Secunda conclusio. Inter se non omnia realiter distinguuntur: similitudo enim quę ad aliquid est, vt multi volunt, non distinguitur à qualitate realiter, nec figura à quantitate, nec quando à tempore, nec vbi a loco: scire autem quę distinguantur, prætermittatur modo.

3. Cōclu. Tertia conclusio. Quę realiter non distinguuntur ratione, tertio modo distinguuntur. Hoc enim notissimum est: aliter enim non esset distinctum prædicamētum, nisi esset ens reale, & aliquo modo ab altero diuersum & distinctum. Et hęc sufficiant pro prędicamentorū explanatione. Sit laus Deo optimo, maximo, qui nos ad finē perduxit: ipse faciat, vt hæc ola studia, in sui nominis gloriam, & magnā legentiū vtilitatem cedant. Amen.

¶ Finis prædicamentorum.

GILBERTI PORRETANI, PERIPATETICI SEX PRINCIPIORVM LIBER.

De Forma. Capit. I.

FOrma est compositioni cõtingens, simplici & inuariabili essentia consistens. Cõpositio etenim, nõ est: quoniã à natura compositionis seiungitur. Compositio enim alteri vna quæq; aduenies, maiorem se cõiunctã efficit quodam modo. In forma autem hoc cõmune nõ est, vna in eo quòd corpus album est, nõ dicitur maius aut minus seipso nõ albo: nec si non album intelligatur, destructio compositionis, vel minoratio aliqua facta est, sed alteratio solum. Quoniam autem fortasse in alijs, idem contingit proferri, additum conuenienter existimo, inuariabili essentia cõsistens: in anima enim alteratio contrarietatis inuenitur, vt tristitiæ, & gaudij. Sed quemiã (vt aiunt quidã) simplicitati, nulli verò variationi subiecta est, vt ea, quæ est anima mũdi, dissocians hanc ab omnibus, addidi, cõpositioni cõtingens. Erit itaq; terminus formæ dicta definitio: neq; enim superflua, neq; diminuta, si quis subtiliter inuestigauerit, reperietur. Habet autem dubitationem ex præcedentibus, vtrum aliqua forma variabilis sit: hoc autem videtur in pluribus, nam eadem oratio susceptiua veri & falsi est: & albedo claritatis & obscuritatis, & oratio eius quod est in re, & non est. Sed non est ita, nam nihil differt albedinem claram dicere, quam suscipiens clarum dicere. nõ est autem oratio eadem susceptiua cõtrariorum, nec oratio eius quæ in re est & non est: sed orationes notæ sunt earum quæ sunt in anima passionum: de his autem dictum est alibi. Substantiale verò est, quod consert esse ex quadam compositione cõpositioni, vt in pluribus, quod impossibile est deesse ei: vt ratio & sensus, siue horum simili, vt continuum & discretum. Hoc verò erit vt materia, & illud vt forma: vt corpus, quod est hominis materia, anima verò forma, erit itaque substantiale, vt corpus, homo, & ratio, hæc aũt in his quæ de Categorijs dicta sunt, expedita sunt.

Videtur autem forma, quædam à natura esse, quædam verò ab actu: ratio enim à natura est, color verò, & passio quædam in actu consistunt. In quibusdam autem dubitatio est, vtrum à natura, an ab actu incipiant esse, vt in figura incisionis: nã nihil additionis fit, sed separatio quædam partium. Dico autem figuram esse à natura: assentiri verò ab actu: sed quæ coniunctionis est, ab actu est, vt domus, manifestũ autẽ de his. Sed in his, quę in pluribus sunt, palam nõ est: nam ea quæ in pluribus sunt, in actione esse impossibile est, à natura autem non videtur fieri, quoniam ea, quæ à natura sunt, à creatura præexistente sumunt principium: palam verò est creaturam nõ esse: nihil enim rationis omninõ, quare hę creaturę sint, poterit explicari. Natura igitur in his occultè operatur, nam sicut ex pluribus partium coniunctione constitutio quædam primorum excedẽs quãtitatem, efficitur: sic ex singularium discretione vnum quoddam intelligitur, eorũ excedẽs prędicationẽ. Quapropter communitas omnis naturalis est, quia à singularitate procedit, quę creationi adæquatur. Subtiliter autem etiam speculantes, sicut naturam in actionibus operari latẽter inuenimus sic creaturarum creatorem in natura, ex actu, qui numerõ naturam stabiliuit. Sed hęc hactenus: alterius enim considerationis sunt. Formarum verò alia quidem est in subiecto, & de subiecto dicitur: vt scientia in subiecto quidem est, vt in anima: & de subiecto quidem dicitur, vt de Grammatica. Quædam autẽ in subiecto est, de subiecto autẽ nullo dicitur, vt albedo Socratis. Quædam verò neque in subiecto est, neque de subiecto dicitur, vt humanitas Socratis & Platonis: similiter aũt & his, quæcũq; formarũ sunt indumdum. Quædã verò dicuntur de subiecto & in subiecto nullo sunt, vt rationale, mortale. Eorum verò quæ in subiecto sunt, & quæ de subiecto non sunt dicibilia, alia quidem sensibilia sunt, alia insensibilia. Sensibile verò est, quod sensu comprehenditur: vt albedo, color, sonus, sapor, perculsio, dulcedo. Insensibilia, quæ ratione comprehenduntur: vt doctrina, disciplina: simpliciter autem nihil eorũ quæ de subiecto dicuntur, sensibilia sunt. Manifestũ est autem ex his, quæ proposita sunt, sita alicubi, vt nigredo in oculo: quædam verò difficile est assignare, vt scientia paternitas, filiatio: nisi fortè in componentium & generantium complexione: singulorum autem quæ dicta, in complexionis eius, quæ in voce est notatio est: hoc verò subsistens erit vel contingẽs. Eorũ verò quæ contingunt existenti, singulum aut extrinsecus aduenit, aut intra subsistãtiam consideratur simpliciter: vt linea, superficies, corpus. Ea verò quæ extrinsecus contingunt, aut actus, aut pati, aut dispositio, aut esse alicubi, aut in mora, aut habere, necessatio erunt. Sed de his quæ subsistunt, & quæ non solum in quo existunt, exigunt in eo, qui de Categorijs libro inscribitur, dispitatum est: de reliquis verò continuò agamus.

De Actione.

CAPIT. II.

ACtio verò est, secundum quam in id quod subijcitur, agere dicimur: vt secans quis in eo quod secet, secans dicitur. Est autem alia quidem animæ, alia verò corporis. Differunt autem, quoniã ea, quæ corporis est, mouens est necessariò illud in quo est: idem enim quod corpus agens est, & mobile est: actio autem animæ non id mouet, in quo est, sed coniunctum: anima autẽ dũ agit, immobilis est: mouet enim corpus: anima autẽ permanet immutabilis: quoniã anima nec secundum locum mouetur, nec secundũ quemcunq; alterum motuum, nisi secundum alterationem, non in suscipiendo crementum, neque decrementum mouetur, neque diminuendo, neque ad oppositum locum transeundo: locus enim corpus est: anima verò non est corpus. Impossibile est autem non corpus corpore moueri, quia nullã loci suscipit mutationem: solum verò corpus, eo quòd de loco ad locum transit, mouetur. Hoc autem in quibusdam dubitabile apparebit: speculo enim permanente immobili, imaginis motus fieri videtur ad oppositi mutationes: impossibile ergo erit solucre, concesso quòd ibi forma existat verè. Si verò non est, incredibilis error, in vulgo putabitur, licet sit conuenientius. Scire autem oportet, quòd omne, quod in motu est, in actione est: moueri enim actio est: si quid enim mouetur, agit necessario: omnis ergo actio in motu est, omnisque motus in actione sit manifestum. Proprium igitur actionis est in motu esse, sicut proprium motus in actione. Et in his quidem actionibus, in quibus est generatio aliqua palam est: de his verò quę corrumpuntur, fortasse obijcitur: nã qui destruit, in motu est: nihil autem facere videtur, nam nihil efficitur, sed quod factum est, destruitur. Dico autem actionem, non quid, sed unquid agat exigere. Non est autem motus actio, sed quale, quiescere enim quale est quare & motus quidem quale erit. Simpliciter autẽ quæcunque contrariorum oppositionẽ suscipiunt, eiusdem suscipiunt generis prædicationem. Naturalis verò actionis proprietas est, passionem esse in id quod subijcitur, inesse: omnis enim actio passionis est effectiua: & omne passionem

insc-

inferens, actio est. Contingit autem actionem actione effici actio enim eius, quod per se mouetur, eius actionis, quæ per aliud mouetur, generatiua est actio enim ab animali illata, ab ea quæ est animalis, principium sumit. Nihil autem interest siue agere, siue pati, animalis eius quod ab animali agere est, principiũ dicatur. Et sic actus quidem est primordiale principium, pati verò permixtum. quamobrem actionis, passionisq; actus est generatiuus. Facere verò id quod quale est, exsignit. Qualitas, quæ calor est, eam efficit quæ calefacere est, actionem. Quantitatum verò particularium positio effectrix est, & qualitatum asperitas enim & similia qualia sunt: linea vero, & superficies, & soliditas quantitates sunt: vniuersa enim e situ substantiam & generationem habent. Quantitas autẽ quantitatis vt longitudinis linea, latitudinis planum, altitudinis solidum corpus. Qualitatis verò qualitas vt calor caliditatis. Situs autem agere & pati in dispositionis namque compositione quædam generatio simplicium fit, quæ in motiua actione consistere necesse est. Quãdo verò tempus. Vbi verò locus. Habere autem corpus: ea enim quæ circa corpus sunt, habere dicuntur. Eorum verò quæ in subiecto non sunt, individuorum, corruptio quidem est in primis: generatio autem in his, quæ mox post primorũ cõstitutionem consistunt. Eorum verò, quę de ipsis prædicata sunt, ea à quibus omnino generaliter nulla est prædicatio, vt omnes quidem homines eius hominis, qui communis est & vniuersalis. Recipit autem facere & pati contrarietatem, & magis & minus, secare enim ad plantare contrarium est, & vrere ad humidum facere: & calefieri magis & minus dicitur, & infrigidari, siccari, & humidũ fieri, tristari, & gaudere magis & minus dicit.

De passione. Cap. III.

PAssio est effectus illationis actionis, secundũ quã hæc quidem patiuntur magis, illa verò minimè: secundum quod quædã animãtiora sunt alijs: vt animantium quidem brutum est arbore, animantius verò irrationali rationale. Omnia verò, quæ de generatione dicta sunt, eadẽ dici possunt de ea, quæ in rebus est, passione: quadã autẽ prolatione nõ recta, sed mutatione. Est aũt pati eorũ quę multipliciter dicũtur: animæ enim actionum vnaquæque passio dicitur, quas quidem sub actione locauim⁹, vt amor, odium, tristitia, & gaudere: quæ omnia qualitates passibiles actiones animæ appellamus. Dicitur quoque passio, cp in naturã agit: vt morbus, febris, ægritudines, & reliqua, quę qualia dicta sunt. Passio verò vt dictum est, prima est generatio actionis. Non est aũt in agente passio, sed in eo, in q agit, & operatis actũ suscipit: per cutiens enim pati nõ dicitur, sed materia actũ suscipies. Ea verò, quæ nũc relinquũtur, in eo qui est de Generatione libro, tractantur. Et de passione hæc sufficiãt.

De Quando. Cap. IIII.

QVando verò est, quod ex adiacentia temporis relinquitur. Tempus verò quando non est, vtriusque autem ratio coniuncta est, vt tempus quidem præteritum quando non est: effectus autem eius & affectio, secundum quam dicitur aliquid fuisse, quando est. Instans autem quando non est, sed secundum quod aliquid æquale vel inæquale est: eius autem affectio, secundum quam aliquid dicitur in instanti esse, quando est. Futurum similiter tempus quando non est, sed id quod futurum est: quoniam contingere necesse est, secundum quod aliquid dicitur futurum esse cras, vel in aliquo tempore. Est igitur quando, aliud ex eo quod abijt aliud ex eo quod instat, aliud verò ex eo quod necesse est contingere. Dictum est enim Categorijs præteritum & futurum esse quantitates, & quod magis est continuans ad præsens. De præterito quidem dictum est hoc, non quod in substantia permaneat, sed quoniam in excessu suo nondum præterijt, de futuro autem, quoniam necesse est contingere, quòd tantum

tum est, ac si instaret: nulla enim differentia est in eo, quod permanet, & quod futurum est, & quod nunc abijt. Quãobrem & de futuris agitur, & secundum ea aliquid dicitur, & nuncupationem existẽtium sortiuntur: vt Sol orietur cras, cras erit nauale bellum, heri obijt Socrates: & aliquid dicitur secundum tempus id quod futurum est, de eo, qui nascetur futurũ, aut necessario de eo quod est: vt Callias disputabit cras, vel non disputabit cras: disputabit enim futuram actionem significat: nihil autẽ inde est, quod in substantia adhuc sit. Differt enim quando ab eo quod est vbi: quoniam in quocunq; tempus est, vel fuit, vel erit in eo quidem quando est, vel fuit vel erit, quod secundũ idem tempus dicitur, quãdo enim quod existenti est cũ ipso instanti est, & simul in eodem sunt: quando verò ex eo, quod abijt, & quod futurum est, nunquã simul erunt vbi verò & locus à quo est, vel fit, nunquam simul in eodem: vbi autem in circumscriptione est: locus autem in cõplectente. Distat autem quando, quòd ex præterito est, ab eo quod ex futuro procedit: quoniam quando quòd ex futuro, præterito posterius est: quod verò ex præterito, est prius futuro. Quando autem vnum & idem, primum quidem ex futuro est, secundum ex præsenti, posterius verò ex præterito: quemadmodum tempus: primum quidem nunc est futurum, postea verò præsens, deinde præteritum. Sicut autem & tempus, aliud quidem compositum est, aliud verò simplex est autem compositum, quod in composita actione consistit, simplex verò quod cum simplici procedit: Et ita quando, aliud simplex, aliud compositum: simplex quidem, vt in momento, & nunc esse: cõpositum autẽ vt in hora, die, hebdomada, & similibus. Amplius, quemadmodum temporis partes sine mora succedẽt similiter & partes quando: quando quippè præteritum & futurum ad præsens copulatiuè reducuntur. Distat autem & tempus ab eo quod quando: quoniam secundum tempus aliquid est mensurabile: vt motus annuus quis, & motus multus dicitur, eò quod multo tempore permanet. At verò secundum quando nihil mensuratur, sed aliquando dicitur esse, & secundum idem temporale, & variabile pronunciatur. Inest autem quando non suscipere magis & minus, nõ enim dies vel diurnus magis & minus die vel diurno dicitur, nec vnumquodque, diurnus alio: sic & de alijs: quare omni quando inest non dici secundum magis & minus. Amplius, quando nihil est contrarium, etenim quando ex præsenti est vnum, & idem quando de futuro & præterito: impossibile est autem duas de eodem prædicari individuo cõtrarietates. Amplius autem, contraria, nunquam in eodem erunt insimul, quando autem, quod secundum præteritum, & futurum, insimul erit in eodem: idem namque quod est fuisse, verum est esse & permansurum, contrariorum verò ratio est, nunquam in eodem simul consistere, neque de individuo eodem dici & in eodem tempore. Quare contrarietas in eo, quod quando est, non enunciabitur. Est autem quando in omni eo quod incipit esse, vt corpus quidem vniuersum aliquando est & in tempore: suscipit enim temporum alterationes, alteratur enim corpus in æstu, vere, hyeme, & autumno. Similiter autem & animalia acutius quædam in hyeme, quædam in æstate, quædam in vere speculantur secundum instrumenti complexionẽ. Anima enim coniuncta corpori imitatur cõplexiones ipsius, vt qui aridæ vel gelidæ compaginationis, dementiores, sæpiùs in autumno sunt: sæpè quibus verò sanguis principatur, in vere. Similiter autem & in alijs secãdum similitudinẽ complexionis animalium & temporum. Erit igitur in tempore, quicquid tẽporis suscipiens variationes alteratur secundum tempus. Huiusmodi verò sunt quæ dicta sunt: de pauris autem, aut de nullis alijs cõuenientius erit proferre.

De Vbi. Cap. V.

VBi verò est circũscriptio corporis, à circũscriptione loci proueniens. Locus autem in eo, quod capit, est, & circumscribit. Vbi ergo in loco, quicquid à loco circumscribitur & complectitur. Non est autem in eodem locus & vbi, locus autem in eo quod capit: vbi verò in eo, q circumscribitur & complectitur. Videtur autem non omni adesse: anima enim nusquam est: nullum enim locũ occupat, neque implet: animatum namq; aliud capere potest. Nunquam autem cõtingere palam est occupatum quidé aliquo locum capere aliud, & cõplecti posse occupante permanente: granum enim modio aduenies retineri non posset, aëre quo implebatur: quiescente aëre enim expulso, granum vtique recipitur. Nequaquam igitur duo in eodem loco esse simul possunt, nec idem vnum in diuersis. Quamobrem nec anima quidem localis erit, cùm locum nullatenus occuper. Similiter autem & quæcunque à corporis ratione dissentiunt, loci carent circumscriptione. Mouet autem quis quæstionem fortasse, idem in diuersis & pluribus concludens: etenim vox in auribus diuersorum est, vox autem & si aër nõ sit, esse non poterit sine aere: & in auribus diuersorum est. Quare dicitur & corpus idem esse in diuersis locis: vox enim omninò vna & eadem in diuersis quidé aëris partibus esse non potest. Concedẽtibus itaque nobis vnam & eandem vocem omninò in auribus diuersorum sentiri, vtique & cõfiteri oportet omninò vnam particulam aëris, ad aures diuersorum peruenire: simpliciter autẽ vnum & idem in pluribus totũ impossibile est inueniri. Quamobrem etiam cõcedere cogimur, vel diuersum quidem in auribus diuersorum sentiri, vel vnum & idẽ omninò in pluribus locis. Relinquitur igitur diuersum sensum esse imaginabiliter se generantium, & similiter: quare & vox quædam nõ animalis est: ea enim quæ imaginabiliter fit similiter animalis non est, quoniam ab animali non profertur. Adhuc autem dicimus omnẽ vocem animalis esse. Quis enim vocem ab initio audiuit, in silentio quidem simpliciter, nisi animalium? quare vox quidem animalis dicitur, quæcunque quidem ab ipso proferente fit: vnius ergo vox ad aures diuersorum dirigitur: vna autẽ & eadem non contingens est. Vbi autẽ aliud quidem simplex, aliud verò compositũ. Simplex quidem, q à simplici loco procedit: compositum autem, quod ex compositis. Locus autem simplex est origo, & cõstitutio eius quod est continuorum. Locus autem, vt dictum est quidem, compositus habet particulas copulatas ad eundem terminum, ad quem particulæ corporis copulantur: corporis verò partes iuxta punctum: loci, ergo particulæ solidorum particulas elaudunt: etenim loca simplicia corporis minimi occupatiua sunt. Quare nec locus sine corpore, nec soliditas sine loco erit. Contentio autẽ de sphæræ extremitate oritur: nihil enim extra ipsam est. In ea autem locus esse non poterit, vt dictum est à superioribus, quod ab eo quidem loco ambitur. Confitentibus ergo nobis sphæram localem esse, confiteri vtique necesse est, aliud quidem præter eam, in quo extremitatis locus existat: nihil autem præter ipsam est: quare extremitas quidem in loco non est. De huiusmodi autem insolitũ & occultum est pronunciare, & cõtra sensibilia. Caret autem vbi intensione & remissione: non enim dicatur alterum altero magis in loco esse vel minus, licet etiam maiorem vel minorem locum possideat: non autem secundum vbi, vel secundum quantitatem aliquam est magis & minus, sed secundum id quod quale est. Inest autem vbi nihil esse contrarium: eo quod nec loco quidem inest contrarietas: locus enim loco non est contrarius. Quod autem nec aliis manifestũ est: sursum enim & deorsum esse contraria pluribus videntur: multum enim distare videtur id quod sursum est, ad id quod deorsum est, quemadmodum duxi sursum & deorsum: quare contrarietas videtur vbi circa sursum esse & deorsum, quemadmodum circa locorum quantitates. Contingit autem contraria in eodem esse: sursum enim & deorsum esse, in eodem sunt: idem enim sursum & deorsum est ad diuersa quidem sumptum: nam turris altitudo sursum est ad nos, sphæræ autem extremitati comparata inferior est. Amplius contrarium sibimet quidem idem forè contingit: si enim sursum esse & inferius esse contraria sunt, cum idem sursum & deorsum sit, colligitur idem sibimet contrarium fieri. Non ergo contrarietas vlla in eo quod in loco est.

De positione. Cap. VI.

POsitio est quædam partium situs, & generationis ordinatio, secundum quam dicuntur stantia vel sedentia, vel aspera, vel lenia, vel quolibet aliter disposita: sedere autem & iacere positiones non sunt, sed denominatiuè ab his dicta sunt. Solet autem quæstio in duci de curuo & recto, aspero & leni, quadrangulo, & triangulo, hicubito & tricubito, magno & paruo, breui & longo, & similibus: quandã enim positionem partium significare videntur. Aspernum enim dicitur, cuius partium vna alteri supereminet. Leue verò dicitur, cuius particulæ æqualiter porrectæ sunt: similiter autem & de alijs. Non sunt autem positiones ea quæ dicta sunt omnia, sed qualia circa situm existẽtia: ex eo nanq; quod partes sic sunt dispositæ, ex eo talia sensibus iudicantur: non autem ex eo quod talia, scilicet & aspera & lenia, vel hicubita, vel tricubita sunt similiter autem & de alijs huiusmodi, quæ partium habent positionem. Erit igitur vnumquodque prædictorum non positio, sed quale, quod circa positionem nascitur. Suscipere autem videtur situs contrarietates: nam sedere, ad id quod stare, contrarium esse videtur: contraria enim sunt, quæ in eodem individuo, eodem q; tempore impossibilo est reperiri: vicissim tamen impossibilia inesse, sedẽs autẽ illicò stare potest, & stãs sedere. quocunque autẽ sedente, impossibile est eundem stare. Ponentibus autẽ nobis hæc contraria esse, inconuenientia recipere cogimur, hoc, quod vnũ sit contrarium plurium: secundum enim dictorum consequentiam non magis sedere ad id quod est stare cõtrarium est, quã ad accumbere. Similiter autem & quemadmodum sedere, & stare nunquam in eodem simul reperiuntur, ita & accumbere & sedere & stare: secundum igitur huiusmodi dispositiones sicut nulla contrarietas inerit. Fortasis autem nec insolitum quidem putabitur vnum plurium esse contrarium: pallor etenim ad album & nigrum contrarium esse videbitur: nã sub eodem genere cùm sint, nunquam simul inueniuntur, & vicissim transmutantur: relinquitur ergo vnum pluribus esse aduersum. Non est autem pallidum ad nigrum vel album contrarium: etenim cum vtrunque in eodem est: pallidum enim & colores reliqui ex albo & nigro conficiuntur: necessarium ergo in quocũque pallidum est, in omni eo esse album & nigrum: similiter autem & de cæteris quidem coloribus. Amplius autem contrariorum quidem ratio est circa idẽ natura existere: sedere enim & iacere, non circa idem natura sunt subiuncta: est enim sedere propriè circa rationalia: iacere verò & accumbere circa diuersa: huius autem signum est equi & hominis similitudo, quibus sine dubio accubitus esse probatur. Proprium autem positionis, neq; magis, neq; minus dici. Sedere autem non magis positio est, quàm accumbere, neq; minus, neq; sedens alterum altero magis & minus dicitur, neque accumbens, neque vniuersaliter secundum aliam positionem. Magis autem proprium videtur esse positionis, subiectæ proximè assistere, omnibus quidem alijs formis suppositis. Positio autẽ nihil aliud est quàm naturalis ipsius subiectæ ordinatio, qualis vel à principio quidem

dem innata est, vt ea quæ asperis & lenibus æqualibus & inæqualibus ineſt: vel à naturali quidem motu cõlecto, vt sessio, & accubitus, & similia. Quicquid igitur proximè subſtantiæ est assistens, id necessario positio est: & omnis quidẽ positionis huius ratio suscipit prædicationem.

De Habitu. Cap. VII.

HAbitus est corporum, & eorũ quæ circa corpus sunt, adiacentia: secũdum quam hoc quidem habere, illa verò dicuntur haberi. Hæc autem non secundum totum dicuntur, sed secundum particularem diuisionem: vt armatum esse, calceatum esse. His autem neq; simplicia nomina imposita sunt, quibus ea appellantur, sed sunt eis posita, armatio, calceatio: horum autem secundum proportionem & reliquis. Suscipit autem habitus magis & minus: armatior enim est eques pedite, dicitur & calceatior, qui calceamentis & caligis vtitur, quàm qui solis calceamentis vel caligis vtitur. In quibusdam autem non videtur quòd cũ magis & minus prædicentur: vt vestitum esse, & similia. Habitui quoque nihil est cõtrarium: etenim armatio calceationi nõ est contraria: idem etenim armatus & calceatus: quod autem alijs contrarium non est, palam est, similiter autem his & reliqua. Proprium quidem habitus est in pluribus existere, vt in corpore, & in his quæ circa corpus sunt existentia: adiacet enim corpori, & his quæ circa corpus sũt. hoc autem, vt dictum est, fit secundũ eam quæ est in partibus, diuisionẽ. In paucis autem alijs principijs huiusmodi inuenies: in quantitate enim solum, & in his quæ ad aliquid sunt, similia reperies, ad aliquid autem, vt figuraliter dicatur, & similitudo & dissimilitudo, quæ insunt pluribus similibus & dissimilibus. Quantitas autem vt numerus qui innumerabilibus ineſt, vtique semper crescens secundum vnitatum multitudinem ascensionem. simpliciter autem nihil inuenies tot distribui partibus, vt numerum non autem omnis quantitas, aut relatio talium est. Habitus autem omnis in pluribus necessario existit, vt in corpore, & in his quæ circa corpus sunt. Omne igitur quod in corpore & circa corpus est existens, habitus nomẽ sortitur. Quare magis propriũ, quidem habitus erit in corpore, & circa corpus existentibus, secundum eam quæ partium est diuisionem, vt in pluribus existere. Dicitur autem habere multis modis habere enim dicitur alterationẽ, vt albedinem, & nigredinem: quantitatem, vt longitudinem, nihil enim aliud est dicere albedinem aut longitudinem habere, quàm album aut longum esse. Dicitur etiam vas aliquid habere, vt modius triticum quod nihil aliud est habere, quàm continere. Habere quoque in membro dicimur, vt in digito annulum: quod tantundem est dicere, quãtum est digitum in annulo esse. Dicitur vir vxorem habere, & accipere vxor virum: hic autem insolitus est habendi modus, quo vir habetur vel haberi dicatur, hoc autẽ habere nihil aliud est, quàm cohabitare. Quare modi habendi qui dici consueuerunt, quinario numero terminantur. Fortassis quidem essent alij modi habendi præter hos, qui dicti sunt: sed si qui sunt diligens inquisitor inueniat. Et quidem de primis ijs hæc dicta sufficiant: reliqua verò in eo quod de Analyticis est, quærãtur volumine.

De eo, quod est plus, minus suscipere. Cap. VIII.

DIcitur autem magis & minus suscipere tripliciter. Aunt enim quædã secundum crementum vel diminutionẽ eorum, quæ suscipiunt subiectorum. Aliter autem & alij ipsa quidẽ quæ suscipiũtur: in suscipiente diminui & crescere annunciant. Alij autem secundum vtrunq; amborum diminutionem & augmentationem. A primis itaq; inchoantes, quæ eorum rata sit ac firma sententia manifestabo. Si quis verò primam & secundam destruxerit, vtique & tertiam destruit, quæ ex vtraque conficitur coniunctione. Non ergo secundum suscipientiũ ipsorum crementum vel decrementum, cum magis vel minus aliqua dicuntur. Nulla enim ratio obuiaret dicenti hominem & animal & subſtantiam, & cætera consimilia cum magis & minus dici, concedentibus nobis secundum subiecti intensionem & remissionem quælibet cum magis & minus dici. Amplius autem equus quidem & augmenti, & diminutionis motum frequenter sustinet, dicitur enim equus minor, vel maior lapide quodam, qui nunquàm intensionem & remissionem passus est, mons etiam alio monte maior dicitur, cum neuter crescat vel decrescat. Amplius autem margarita albior quidem equo dicitur, cui pedem album contingit habere: hoc autem non est, quia equus quidem in essentia à margarita superatur. Colligere igitur oportet vel margaritam quidem albiorem equo pronunciari, secundum magnitudinem subiecti vel paruitatem: vel non verum albiorẽ equo margaritam esse, vel nihil omnino magis vel minus dici secũdum subiectorum magnitudinẽ vel paruitatem, neque secundum crementũ vel diminutionem. Hoc autem palam est, q̃ secundum magnitudinem subiecti margarita albior equo non dicitur, tamen margaritam albiorem equo esse non falsum est. Relinquitur ergo nihil secundũ magnitudinem subiecti amplius vel minus dici: similiter aũt neq; secundum paruitatem. Amplius autem neque secundũ ea quæ inficiunt. Si enim secundum magnitudinem albedinis vel alicuius cæterorum dicitur aliquid albius aliquo, vel secundum paruitatem minus album, vel quomodolibet aliter: vtique & maius albus equus, vel homo, vel quodlibet aliud albius margarita dicetur, etenim maior albedinis quantitas equo accidit, quàm margaritæ. Amplius autem magis & minus alterum altero dicitur, non secundũ subiecti, neque accidentis crementum. Quoniam autem non secundum subiecti crementum vel magnitudinẽ aliud paruus alio dicatur, manifestum est: neque ergo secundum ipsius accidentis amplio rem quantitatem: etenim quantitas vltra subiectum protendi non potest: quoniam terminus quantitatis est corpus: paruitas autem quantitati supponitur: quare vltra paruum quidem subiectum paruitas ipsa non porrigitur: quanto igitur subiectum paruius efficitur, tanto paruius quantitas minoratur. Patet itaq; nihil secundum magis & minus prædicari, neque secundum subiectum solum augmentum, vel diminutionem, neque secundum accidentis: quare neque secundum vtrumque. Oportet igitur ab alia eã inuenire, quæ cum magis & minus dicantur. Huiusmodi verò sunt ea, quæ sunt in voce eorum quæ aduenium, & non secũdum subiecti vel mobilis crementũ vel diminutionem, sed quoniam eorum quæ sunt in voce, impositioni propinquiora sunt, siue ab eadem remotiora sunt: de his etenim cum magis dicuntur quæ proximiora sunt ei quæ in ipsa voce est impositioni, cum minus autem de his quæ remotiora consistunt. Vt album dicitur illud, in quo pura albedo est: quanto igitur ad vocis impositionem accedens puriori inficitur albedine, tanto & candidior assignabitur: & paruum quidem dicitur, quod alijs comparatum staturæ diminutione & quantitate vincitur: quicquid igitur est, quod in quantitatis mensura superatur, id continuò paruus pronunciatur: similiter autem de alijs. Dubitabit autem aliquis, quare hæc quidem cum magis & minus dicantur, subſtantiæ verò minimè. Hoc autem contingit quoniã subſtantiarum impositio quidem in termino est, vltra quem transgredi impossibile est. Additur autem & de accidentibus quibusdam, quæ sine magis & minus dicũtur: vt quadrangulus, & triangulus, & similia: non enim triangulus magis vnus altero dicitur. Contingit autem, quoniã in subſtantiarum quidem designatione accipitur: etenim quadrangulus quantitas

ticas nuncupatur, & corpus quadrangulatum vel eadem, quæ in superioribus est ratio, hic vetat, quoniam huiusmodi impositio in termino facta est, vltra quem transgredi non licet, quemadmodum in superlatiuis: etenim albissimus vel niger rimus & huiusmodi sine amplius sunt, & minus eo, quòd huiusmodi impositio in termino est, vltra quem porrigi impossibile est, & citra permanere: possibile enim si contingit, nullum sequitur impossibile, qua propter si omnes puncti componantur, nullam faciunt magnitudinē: quoniam punctus puncto additus nihil auget. Est autem generatio simplex, & corruptio non cōgregatione nec segregatione aromorum, sed quando trasmutatur ex aere specificato in hoc totum.

In subiecto enim duo sunt, quorum hæc quidem est forma secundum rationem, hæc autem secundum materiam: quādo igitur in his duobus est transmutatio, generatio & corruptio erit simpliciter secundum veritatem. Dicitur autem simpliciter generari in his magis hoc aliquid & forma, quàm terra: musicus homo corruptus est, homo immusicus generatus est, homo manet idem: siquidem in his passio non esset secundum se musica & immusica, his quidem generatio esset, his autem corruptio. Ideò hominis quidem hæ passiones, hominis autē musici & immusici generatio quædam & corruptio: nunc autem est hominis hęc passio manentis musica & immusica: ideoq; alteratio talis est. Est autem materię maximè quidem subiectum generationis, & corruptionis propriè susceptibile. Sed quare discens non dicitur generari simpliciter, sed quod generari disciplinatū, hæc determinata sunt in prædicamentis: hæc autem hoc aliquid significant & substantiam, hæc autem quale, hæc autem quantum. Quæcunq; igitur non substantiam significant, non dicuntur simpliciter, sed secundum aliquid generari. Est autem cui ineſt secundum naturam moueri, vt ignis.

Libri sex Principiorum Finis.

PERIHERMENIAS

ARISTOTELIS LIBRI PRIMI EXPOSITIO.

Per Doctorem Franciscum Toletum Societatis Iesu.

Definesen scopo huius libri, inscriptione, connexione cum alijs, modo procedendi, & eius diuisione.

ANte explanationē libri de interpretatione Aristotelis, quinque præmittere oportebit. Primò, quod institutū, quis finis & scopus huius libri sit. Secundo, quæ inscriptio libri & quæ inscriptionis causa. Tertiò, quam connexionem & ordinem cum reliquis partibus Logicæ habeat. Quartò, quis procedendi modus: scilicet, quæ libri diuisio, quæue eius partes.

1. Finis scopꝰ huius libri.

Circa primum aduerte, scopum & institutum huius libri esse sumendū à scopo, & instituto totius Logicæ, Logicæ autem institutum hoc est, syllogismi, vel demonstrationis, quæ perfectissima argumentatio est, cognitionem exactam tradere. Cùm tamen demonstratio, & syllogismus materiam, & formā habeant, materia autem sint simplices propositiones, quæ ex simplicibus dictionibus, seu conceptibus componuntur, fuit necessarium, syllogismi cognitionē traditurum, de simplicibus vocibus, & de complexis, ac propositionibus prius differere. Cum verò de simplicibus, rerum significatiuis vocibus in libro prædicamentorum tractatum sit, in hoc sequenti libro nostro, de complexis, quibus verum vel falsum exprimitur, disputatur. Et hic est huius libelli scopus proximus. Huius inscriptio

2. inscriptio.

est græcè περὶ ἑρμηνείας, id est, de interpretatione, ἑρμηνεία enim est, quod interpretor, nec illa est vna dictio, vt alii dicunt, sed est genitiuus cum præpositione. Sed quid interpretatio significet declarare oportet. Boet. in prima editione inquit, interpretatio est vox significatiua per se aliquid significans. Vbi duo docet interpretationem habere, esse vocē significatiuam, nam voces non significatiuæ non dicuntur interpretationes, alterum esse significatiuam per se, nam coniunctiones & præpositiones, & syncategoremata non sunt interpretationes, quāuis significatiuæ voces sint, quia per se non significant.

At verò quia illa definitio non videbatur exacta, nam voces brutorum, cum significatiuæ sint passionum ipsorum, interpretationes dicerentur, quod nō ita est, propterea in secunda editione sua aliam particulam addidit, nempè quòd sit vox articulata, id est, syllabis, & pronūciatione distincta: ita, vt posit character designari, quales non sunt huiusmodi voces brutorum.

At quia adhuc istud non satis erat, nā sunt voces brutorum articulatæ, quales Psitacorum, Picarum, Cornicum, & aliorum, tandem addidit, quod sit vox explicans conceptus internos, quales nō sunt illæ voces Psitacorum.

Quid sit interpretatio.

Vnde licet ex omnibus eius dictis integrā colligere descriptionē. Interpretatio est vox significatiua per se articulata, interiores passiones manifestans.

Ex quo asserit vnū hoc discrimē esse inter voces, vt in libro prædicamentorum cōsiderantur, & vt hic sumūtur: illic enim vt rerū significatiuæ sunt, veniunt in considerationem, hic autem vt interiorum passionum manifestatiuæ, ac propterea titulus est de interpretatione.

Quod si obijcias non rectam inscriptionem esse, quandoquidem aliæ multæ orationes sunt interpretationes, nēpè optatiua, imperatiua, & reliquæ de quibus hic non agitur, sed solū de Enun-

ciatiua. Ad hæc respondet Boetius non esse inconueniens inscriptionem esse vniuersalem, quamuis non tractetur nisi de particulari, subdit exemplum, si quis vellet de homine disserere, rectè inscriberet: De animali.

2.opinio Aliter respondet Alex. istam esse mã cam inscriptionem, oportet enim addere de interpretatione logica seu philosophica, quæ sola enunciatio est.

3.opinio Ammon. dicit hic interpretationem sumi pro enunciatione, quia illa est præcipua interpretatio, qua verum vel falsum exprimimus: idem S. Thom. dicit ex quibus constat, subiectum secundum hos doctores huius libri esse enunciationem simplicé, quæ hic interpretatio dicitur, simplices enim dictiones non interpretatio, sed partes interpretationis sunt.

1.fund. Hæc doctrina est bona & communiter recepta, at in hac parte tria existimo esse dicenda. Primò, non solũ voces vt conceptuũ significatiue sunt hic considerari, sed etiam vt rerũ manifestatiuæ sunt, nã Aristoteles propositionem explicans, quod sit vniuersalis, particularis, que semper in ordine ad res explicat.

Discrimé rerũ quæ in hoc lib. de categorijs cõsiderãtur. Est autẽ discrimẽ inter ea, quę in prædicamentis, & his cõsiderãtur, vt notat Albert tract. hoc. 1. cap. 2. In prædicamẽtis enim res præcipuè considerãtur, quæ vocibus significantur, & illa est rerũ consideratio, & eorũ quæ rebus insunt, vel accidunt vt quod sint genera vel species, at hic primò de vocibus, vt rerum significatiuæ sunt, agitur, & de his, quæ vocibus prima insunt, vt esse nomen, verbũ, propositionem, & reliqua huiusmodi.

2.Fundã. & respõ. ad q̃stionem, de interiptione. Dico 2. cum Albert. loco allegato, & est maximè memoriæ mandandũ. Propositio tripliciter potest considerari. Primò respectu rerum, vt rerum complexionem solũ significat, & sic eius partes sunt nomen, & verbum, similiter habet secundũ hoc, varia accidentia, esse nempè vniuersalem, particularem, affirmatiuã, negatiuã, veram, falsam, simplicem, compositam, & alia. Altera ratione considerãtur, vt est ordinabilis in syllogismo, vel argumentatione, & sic accidit ei conuersio, quod sit maior, aut minor, aut cõclusio. Tertiò considerãtur, vt non solùm est in argumentatione ordinabilis, sed & probatiua alterius, & sic est necessaria, probabilis, contingens, &c.

Enũciatio quomodo variè à varijs libris tractet. Cùm igitur tripliciter considerẽtur enũciatio, hic primo solũ modo considerãtur, nempè respectu rerum, quarum complexionem vere, vel falsò significat. Secundo verò modo ad libros priorum pertinet. Tertio modo ad reliquos libros. Vt autem hoc esset manifestũ, propterea inscribitur de interpretatione, vt intelligamus hic enunciationem considerari, vt rerum est significatiua, respectu quarum interpretatio dicitur.

Propterea multò melius Interpretationem, quàm Propositionem dixeris esse obiectũ: nõ enim hic de ea vt est argumentationis pars, disseritur, sed vt est rerum significatiua, quod ineſt ei primo.

3. fundã. Interpretationis nomine quæcũq; oratioae cipi potest. Dico tertiò, quamus posimus dicere hic interpretationem esse inscriptionẽ particularem: tamen possumus etiam sumere vniuersaliter sumi pro quacunq; etiam oratione, licet intentio non sit nisi de sola enunciatiua tractare: sufficit enim quod oratio in communi definiatur & diuidatur, vt fit in c. 4. huius ad hoc quod simpliciter inscribatur de interpretatione.

1.Dub. 4.op. Dubitatur an enunciatio simplex tantum sit huius obiectum, an enunciatio in communi, vt compræhendit tam simplicem, quàm coniunctam. Ammon. & S. Thom. & ferè reliqui affirmant simplicem enunciationem hic esse obiectum, non autem tractari de coniuncta. Cuius duplex est ratio. Altera est Sancti Tho. quia coniuncta constat ex simplicibus: propterea ad eas refertur.

Cõditionalẽ solã cur veteres dixerint Hypothetjcam. Altera ratio est, quæ etiam est Ammo. Pro qua aduertere oportet, illos antiquos doctores non vocare hypotheticam propositionem nisi conditionalẽ: quia hæc nõ habet vim tutem absolutam, sed ex suppositione: vt qui dicit, si homo currit, mouetur, absolutè non dicit quod currat, nec quod moueatur, sed ex suppositione dicit si homo currit, tũc verũ erit quod mouetur, dicit hypothetica quod ex suppositione aliquid afferat.

Hoc suppoſito est ratio horum doctorum, hic agitur de enunciatione: cuius futurus est vsus in demonstrationibus, & alijs syllogismis, sed hæ propositiones cũ non habeant veritatem absolutam, non sunt aptæ ad quicquam probandum nisi quatenus fundantur in simplicibus, vt patet: si homo currit, mouetur, nihil probat, nisi adiungas simplicem, homo currit, ergo mouetur, propterea non meminit nisi simplicium.

Hæ rationes salua pace, mihi non placent, nã cũ coniunctę sint enunciationes & verum vel falsum significent, & sint aliæ præter conditionales: profectò alicuius partis logicæ istæ erunt, cùm autem non alterius, erit huius præsentis.

Enũciationem quãlibet in hoc lib. ab Arist. tractari. Propterea probabilius mihi videtur hic quamlibet enunciationem considerari, cùm Aristoteles omnem definiat in cap. 4. diuidat in simplicem & coniunctã quod si Arist. pauca tradit de his, eo est, quia hic considerantur non vt syllogismum ingrediuntur, sub qua ratione habent multa peculiaria, sed sub ea ratione hic sumuntur, vt verum, vel falsum cõplexè dicant, quo modo ferè eadem cum simplicibus communia habent.

2.Dub. 1.opin. Dubitatur vtrũ vna vox sit dicenda interpretatio, an potius tota enunciatio, Boet. & Alber. existimant singulas voces per se esse interpretationes, at S. Tho. id nõ recipit: potius dicendas esse partes interpretationis cẽset: & mihi hoc placet. Cuius ratio hæc mihi se offert, quia hic simplices voces non per se considerantur, sed vt partes enunciationis sunt, cũ autem partes obiecti non habeant idẽ nomen cum toto obiecto, non enim pars animalis, rectè vocabis, Animalia, quod est obiectum in scientia de Anima: ita nec partes enunciationis dicentur

2.opin. Vox simplex cur nõ dicat interpretatio.

interpretatio, sicut ipsa enunciatio, quæ vt interpretatio est, est obiectum in præsenti libro.

Tertium cõnexio huius li. cum cęteris. Sequitur circa tertium de connexione huius cum reliquis partibus Logicæ. Pro quo aduerte Logicam esse regulam operationum intellectus quantum ad veritatem, vel falsitatem. Et quia voces respõdent conceptibus, & operationibus intellectus, inde etiam logica regulat sermonem quantum ad veritatem, sed secundariò & mediatè: opus erit ergo intellectus operationes cognoscere, nam quo ordine ipsæ procedunt, eodem etiã partes Logicæ.

Triplex est intellectus operatio. Triplex igitur operatio intellectus. Prima, res singulas per se, & seorsum intelligere, quæ dicitur simplicium appræhẽsio, cui operationi respondet locutio simplicium vocum per se. Altera est cõpositio, vel diuisio, id est, quando res vnam alteri copulando intelligimus, siue affirmando, siue negando: cui etiam respondet sermo, qui per solas propositiones fit: tertia est ratiocinatio, qi ando ex vno cognito alterum cognoscimus: cui respondet discursus vocalis.

Liber de interpretatione immediatè sequit̃ categorias. Quartũ. Quismodus procedendi, & diuisio libri. 1. Iuxta has operationes tres, est triplex Logicæ pars. Prima circa simplicia, & hæc est liber prædicamentorum: secunda circa composita, & hæc est iste liber: tertia circa discursus, & sunt reliquæ Logicæ partes.

Hinc patet hũc librũ esse immediatè post prædicamenta, & inde apparet vtilitas eius, vt enim sine compositione non discurrimus, ita nec sine libro hoc constabit doctrina sequentium.

Circa 4. quis sit modus procedendi. Dico esse facile, nempè definitiuè, exemplarem, inductiuum, tandem de diuisione dico præcipuè hic agi de quadruplici propositione, & ipsius proprietate primo de simplici finita, deinde de simplici de extremo infinito, rursus de propositione de tertio adiacente, & vltimo de propositione cũ aliquo ex illis quatuor modis.

ARISTOTELIS
STAGIRITAE PERIPATETICORVM
PRINCIPIS, DE INTERPRETATIONE
LIBER PRIMVS.

SEVERINO BOETHO INTERPRETE.

SVMMA LIBRI

De Notis. De Orationis principijs. De ipsa Oratione, Enunciatione, ac ipsius specieb⁹. De enunciationum oppositionibus, ac circa ipsarum veritatem, & falsitatem regulis, in quocunque tempore.

De Notis: Et vt in intellectu, ita etiam in voce verum & falsum reperiri.

TEXT.

1. Sectio prima secundum Græcos.

CAPVT PRIMVM.

PRimũ oportet ponere quid sit nomen, & quid verbum: postea quid est negatio, & affirmatio & enunciatio, & oratio.

Sunt ergo ea, quæ sunt in voce, earum quæ sunt in anima passionum notæ: & ea quæ scribuntur, eorum quæ sunt in voce. Et quemadmodum nec literæ omnibus eædem, sic nec eædem voces.

2.

3. In 3. de anima. tex. 39.

Quarũ tamen hæc primum notæ sunt, eædem omnibus passiones animæ sunt: quarum hæ similitudines res etiã eędé. De his verò dictum est in ijs, qui sunt de Anima: alterius enim hæc sunt negotij. Est autem quemadmodum in anima, aliquando quidem intellectus sine vero vel falso, aliquãdo autem cui iam necesse est horum alterum inesse: sic etiã in voce, circa compositionẽ enim & diuisionem est verũ & falsum. Nomina igitur ipsa & verba cõsimilia sunt ei, qui sine compositione & diuisione est, intellectui, vt homo, vel album, quando non aliquid additur, neque enim falsum, neq; verũ adhuc est. Signũ autẽ huius est, hirco cervus enim aliquid significat: sed nondum verum aliquid vel falsum, nisi esse vel non esse addatur vel simpliciter, vel secundum tempus.

Circacõpositionẽ & diuisionẽ est verũ & falsum

PRimum oportet constituere, quid sit nomen. Hoc caput diuiditur in duas partes. In prima Philosophus quæ proœmij loco est, proponit ea, de quibus tractaturus est. In secunda, quæ ad tractatũ pertinet, de vocũ significatione disserit.

Proponit igitur esse necessarium ante omnia cõstituere se, id est, definire, quid sit nomen, quid verbum, quid negatio, affirmatio, & oratio. Dicit autem (Primum) id est, ante doctrinam syllogismi, & demonstrationis, qui huius totius Logicæ sunt. Dicit (oportet) quasi necessarium sit, ita vt absque horum cognitione non possit demonstrationis haberi cognitio. Dicit (constituere scuponere) id est definire, quia definitio positio dici solet. Post proponit ea, quæ tractanda sunt inter quæ vnum est obiectum, nẽpè Enunciatio. Alterum enunciationis genus, scilicet Oratio, aliud enunciationis species, Affirmatio, & Negatio, aliud partes essentiales enunciationis, scilicet Nomen, & Verbum.

Dubium.

Hic primò dubitabis, cum scientia, nõ definiat suum obiectum, cur quæritur quid sit enunciatio? Dico scientiam definire quidem suum obiectum, non tamen probare definitionem de suo obiecto. v.g. Scientia de anima definit quid sit anima non tamen ad eam scientiã pertinet probare talem definitionem de anima: ita similiter hic definitur enunciatio, sed definitio non probatur.

Solutio.

2. dubiũ. Dubitatur secundò, quare non dixit oportere definire, quid sit propositio, seu enunciatio, seu vniuersalis particularis vera, falsa. Dico: ea quæ sunt in scientia duplici modo cognoscuntur. Quædã definitione, quale est subiectum, & ipsius partes: quædam discursu, & probatione, quales sunt proprietates: ac propterea Aristot. non dixit, quid sit vniuersalis vera, falsa, quia ista demonstranda potius, quàm definienda sunt: ac propterea etiã dixit, oportet primum definire, quid nomen, verbum, & reliqua, quasi passiones cognosci nequeant, & probari, nisi præsuppositа definitione subiecti, & ipsius partium.

3. dubiũ. Dubitatur tertiò de ordine isto, quo tractanda enumerat: vltimo enim loco orationem, quæ genus est, ponit, cùm tamen generis priusquàm specierũ cognitio sit tradenda, vt docet Arist. 1. de partibus. cap. Præterea negationem affirmationi præposuit, cùm constet affirmationem priorem esse. Ad hoc accedit, Arist. posit in progressu ordinem præposterum obseruasse: nam prius de oratione, secundo de affirmatione, vltimò de negatione disserit.

2. solutio

Respondet S. Tho. huius causam esse quia inceperat proponere partes, dum posuit nomen, & verbum: postea, vt eandem rationem partium continuaret, posuit affirmationem & negationem, quæ sunt species enunciationis, & enunciationẽ postea, quæ est species orationis: partes autem speciẽs dicuntur, non sicut nomen & verbum, quæ sunt partes essentiales, species autem sunt partes potentiales generis: sed ista ratio nõ mihi admodum placet, quia si ista causa sufficeret, vt species generi anteponeret, quare non fecit, vt eundem postea ordinem in tractatu obseruaret.

2. solutio

Propterea dico cum Boetio in 2. Editione id esse factum, ne si primo loco orationem cõstitueret, arbitrarentur ipsum hic de qualibet oratione disserturum, quod ita non est, propterea species anteposuit, vt genus non alia ratione considerari hic intelligeremus, quàm vt has species continet, quarum hic est præcipua consideratio.

Dubium.

Ad illud de affirmatione & negatione respondet S. Tho. admittẽdo affirmationem esse priorem, tamen inquit negationem magis includere rationem partium à quibus incipit Arist. Nam negatio dicit diuisionem & separationem prædicati à subiecto, diuisio autẽ partes importat.

1. solutio.

Aliter respondet Suarius, vt refert Boet. inquit, duplicem esse negationem. Vnam, quæ consurgit ex defectu aliquo particulari, sicut non currere eũ, qui currebat: & talis posterior affirmatione. Alteram ex defectu cõmuni, sicut ex nõ esse, & hæc prior est, prius enim fuit non esse, quàm esse. Sed ista opinio est extra Arist. vt benè dicit Albert. qui mundum semper esse, & fuisse posuit.

2. solutio

3. solutio

Boet. dicit negationem esse quidem posteriorem affirmatione si vna ad alteram referatur, at si ad suum genus comparentur, vna altera prior non est, cum sint species inde pendentes respectu generis, & ita non est mirum, si negationẽ præposuerit, cũ sit species, sicut affirmatio, & hæc est bona & apta responsio.

4. solutio

Quamuis posimus etiam cum Alber. tract. hoc. 1. cap. 3. dicere, nempe hic cõsiderasse Arist. has species, vt oppositionẽ habent, & quia oppositio incipit à negatione, ad quam omnia opposita, vt supra diximus, reducuntur, propterea eam præposuit: an tamen istæ species sint, postea examinabimus.

Sunt ergo ea, quæ sunt in voce, &c.

Aristoteles de verbis, nominibus, & orationibus tractaturus quæ significatiua sunt, de eorũ significatione, & diuersitate significandi ante omnia disputat, vt docet Boet. Et quidem in hoc textu quatuor assertiones cõtinentur. Pro quarum

1. fund. Homo tribus modis habet circa res.

declaratione fundamentum vnū aduertendum est. Homo tripliciter se circa res habet. Primò ipsas non solum sensu, sed etiam intellectu percipit formans earū similitudines, quæ dicuntur passiones & conceptus, at quia isti conceptus occultissimi sunt, vtitur vocibus, velut quibusdam signis ad tales conceptus explicandos. Cùm autem voces hæ non sint permanentes, nec totæ simul, nec omnibus præsentes esse possint, vtitur homo alio signo, nempe scriptura, vt docet August. tomo 3. lib. 2. doct. Christ. cap. 4. sunt igitur quatuor: res cognitæ, ipsi conceptus, & cognitiones, quæ dicuntur passiones, & voces & scripturæ.

Hoc supposito est prima Aristot. assertio. (Ea quæ sunt in voce, sunt signa & notæ passionum, quæ sunt in anima, & ea quæ scribuntur eorum, quæ sunt in voce) id est, voces explicant conceptus internos animæ, & scripturæ ipsas voces explicant. Vocat passiones conceptus intellectus, non quod intellectus patiatur quando intelligit, passione aliqua destructiua, sed quia intellectus intelligit recipiendo species à rebus, sicque intelligere pati, & intellectio passio dicitur 3. de anima capit. 4. Dicit autem passiones, quæ sunt in anima, quia vt inferius dicemus, voces significant res, vt ab anima intelliguntur, atque indicant ipsos conceptus. Et ideò excluduntur voces brutorum, quæ hasce passiones non explicant, & etiam voces humanæ, quibus naturaliter affectus explicamus. Loquimur enim hic de voce explicante conceptus intellectus.

Cur conceptus intellectus passiōs appellarit.

Andronici error negātis hunc esse librum Aristot.

Exquo comperitur deceptio Andronici qui citat philosophi dictum. 1. de Anima. Tex. 3 & reprehendit de hoc, existimantis hunc non esse librum Aristot. quia non vocat Aristoteles conceptus, passiones in libro de anima: sed iā hoc ex ipso Aristotele probauimus esse falsum.

Hæc verba Alexander interpretatur similitudinarie, id est, sicut voces sunt signa conceptuum: ita scripturæ vocum ait Porphyr. & Boet. hoc nō recipiunt, nam voces ita sunt signa conceptuum, vt mutatis vocibus non mutetur rei conceptus. At voces mutantur ex mutatione scripturarum, aliter enim vna vox, aliter altera scribitur.

Dubium

Dubitatur primò circa assertionē, quare Arist. non dixit voces, sed ea quę sunt in voce. vel literas, sed ea quæ scribuntur: & non dixit passiones, sed passiones, quę sunt in anima? Ad hoc respondet Porph. hic intelligenda esse semper nomen, & verbum, orationem, & reliqua. Est enim oratio triplex, & quæ fit intellectu, & quæ fit verbo, & quæ scripto, vt etiam dicit Ammo. acideò ad distinguenda dicit ea quæ sunt in voce. id est, nomina, verba & reliqua, quæ voce fiunt, & ea quæ scribuntur, nempe nomina, verba, & reliqua, quę in scripto sunt, similiter quæ sunt in anima.

1 solutio.

Oratio triplex est.

Sed melius, dicendum est cum Boet. Ammon. & S. Tho. voces ipsas secundū se non esse signa conceptuum, nisi prius constituantur & imponantur ad significandum, sicut argentum secundum se nō est vas quousque introducatur forma, vt de nomina & verba non sunt voces solū, sient nec vas argentum, sed sunt voces cum impositione & significatione: habet se enim vox ad nomina & verba sicut argentū ad vas, cum vt ex quinto de generatione Animaliū, cap. 7. habetur sit eorum materia. Est enim subiectum. Ac propterea optimè Arist. nō dixit voces, sed ea quę sunt in voce, nempe nomina, verba, & reliqua quæ ex voce, addita significatione sunt, ea verò ratione non dixit literas, quia literæ etiam sunt in voce, sed dixit ea, quæ scribuntur.

Voces ex impositione habēt quod sint signa conceptuū.

Secunda assertio Aristotelis (quemadmodum literæ omnibus non sunt eædē, sic nec voces,) Ac si dicat, non omnes eisdem characteribus in scribendo vtuntur, nec similiter ijsdem vocibus idem significant, nam alia voce Latinus, & Græcus alia, & alij singuli ex reliquis conceptum

Vocū significatio nō est naturalis

ceptum hominis, & cuiuslibet alterius explicant, & similiter aliter vnus, aliter alius talem vocē characteribus exprimit in quo comperitur significationem vocum esse ad placitum, non naturalem, si enim voces naturaliter significarent, idē apud omnes repræsentarent sicut apud omnes eadem est ignis natura.

Tertia assertio, (res, & passiones animæ eædē apud omnes sunt) ac si dicat eadem est natura hominis, & idem apud omnes hominis conceptus, quamuis nō eadem voce, & scriptura ad talem rem, & conceptum significandum omnes vtātur, idem de alijs dicendum est.

Dubiū.

At circa hoc dubium posset esse, quomodo idem sint conceptus apud omnes cum constet alium conceptum me habere hominis, alium habere Petrum, alij Ioannem: præterea quomodo res apud omnes sunt eædem, cùm diuersæ vestes, pro diuersitate locorū sint, aliæ domus, alij ritus, alij mores & negotia.

1 solutio.

Ad hoc autem dico primo, q Arist. vocat eosdem conceptus, non quidē numero, quòd vnices & idem numero conceptus sit in omnibus, hoc enim falsum & impossibile est, sed vocat eosdem forma & substantia, sicut dicitur eadem imago Regis, quæ est Romæ, & quæ est Mantuæ, quia sub eadem forma, & ratione idem significat, per sensus enim eadē rem omnibus proposita omnes eundem conceptum eius in mente habebunt, si intelligant eam, non tamen eadem voce talē conceptū expriment, nec scriptura.

2 solutio

Dico secundò cum Alber. tract 2. c. 3. cùm Arist. dicit ea sdē esse res omnibus, intelligere oportet de rebus naturalib⁹ & ipsarum natura, natura eñ Ignis, Leonis, Plantæ apud omnes in quibus reperiuntur, eiusdem naturæ sunt non tamen loquitur de artificiatis, & quæ à nostra dependent voluntate, harum enim eadē est ratio cum vocibus significatiuis.

Voces & conceptus & res significāt

Vnū autem verū in litera est considerandū, nēpe (voces esse notas passionum primò) Notat enim vnum Boet. & optimè voces non solū conceptus nostros significare, sed etiam res per tales conceptus cognitas, qui enim dicit hanc vocem, homo, non solùm hominis conceptum internum, sed etiam rem ipsam tali conceptu cognitam significat prima tamen vocum institutio fuit ad cōceptus manifestandos, sicut scripturarum institutio ad voces, propterea voces primò dicit esse notas, & signa passionum.

Quarta assertio Arist. Quemadmodū operatio intellectus duplex est, vt dicitur etiam 3. anime. c. 6. altera simplex apprehensio, in qua non est verum nec falsum, altera est compositio vel diuisio, in qua necessariò inest verum, vel falsum, ita etiam in vocibus, quæ conceptibus correspondent, aliquæ sunt, quæ nec verè, nec falsò significant, vt dictiones per se, nempè nomina vel verba per se: quædam sunt, quæ verum vel falsum significant, vt voces compositæ secundum enunciationem, quod probat exemplo elegāti. Qui dicit hanc solam vocem, hircocervus, seu idem Græcè tragelaphus, nihil nec verè, nec falsò dicit, quousque verbum aliquod addit, scilicet est vel nō est.

Notab.

In quo exemplo notandum est cum Boet. in secunda editione, esse compositæ figuræ ab hirco & cervo, significatque animal simile cervo in cornibus, hirco verò in mento & barba, vt sit sensus, sit nomen compositum, quod magis videbatur significare verum vel falsum, non significat per se sine verbo, multò minus significabunt alia simplicia, nempe nomina & verba.

Possumus etiam secundo exponere vt sit & nomen monstri, sicut chimera ex Boet. 1. editione. & Psell. & tunc est subtilis interpretatio, si nomen hoc rem significans impossibilem, nihil veri vel falsi significat, quousq; addatur verbum: nulla ergo dictio per se, nec vlla compositio, quæ non sit enunciatio, verū vel falsum significabit.

Hic autem sunt notanda illa verba (nisi, inquit, addatur verbū simpliciter vel

Dubium

secundum tempus.) Quid enim intelligit per verbum simpliciter, & per verbū secundum tempus? Ad quod respondet primò S. Tho. verbum simpliciter, significare verbum præsentis temporis: quod perfectè verbum est, futurum autem & præteritum, vocari verba secundum tēpus, id est, secundum quid: quia reliqua per præsens regulantur, præteritū enim præsens fuit, futurum præsens erit.

1. solutio.

2. solutio

At Ammon. per verbum simpliciter intelligit verbum cuiusq; temporis sine aduerbio temporali, vt est, vel fuit, vel erit, at per verbum secundum tempus, idē verbum addito aliquo temporis aduerbio, vt hodie est, cras erit, olim fuit.

3. solutio

Boet. in prima editione, idem cum S. Th. sentit, sed alia ratione procedit, dicit verbum præsentis vocari simpliciter, id est, solitariè verbum, quia re vera præsens inquit, non est tempus, cùm non sit nisi vnicum instans præsens, sed significat continuum temporis præteriti & futuri, instans enim non est tempus, sed continuatio temporum, vt dicitur 4. Phys. c. 10. præteriti verbum, & futuri dicūtur verba secundum tempus, quia præteritū & futurum tempus sunt.

4. solut.

At in secūda editione aliā subiunxit expositionem, quæ est Alex. & Magentini, & quam valde laudat Alber. tract. 2. c. 2. etiam est Auicen. Pro quo aduertendum verbum est, aliquando denotare substantiam, & vnionem substantialem prædicati cum subiecto, vt in propositionibus essentialibus sit, homo est animal, rosa est flos. Deus est, hic enim non denotatur, nisi quod prædicatum est de essentia subiecti propterea omni tēpore sunt veræ, quas propositiones vocant sempiternæ veritatis. Aliquando, est, significat existētiam, quando certum tempus importat: & pro eo vnit, vt qui dicit homo est, leo est albus, hic denotatur, quod hoc tēpore præsenti existit homo, & leo est alb', verbum primo modo dicitur verbum simpliciter, quasi non restringens extrema pro tempore determinato, posterius dicitur secundum tempus, quia temporis certam differentiam dicit: & secundum eam vnit extrema. Omnes expositiones hæ sunt bonæ, & recipiendæ, vtcunq; sit, sine nomine & verbo, vocibus nec verū, nec falsum inest.

Verbi est duplex in propositione consideratio.

QVÆSTIO I.

De significatione, & modo significandi vocum.

DIfficultas est de vocum significatione, nempe, an significent conceptus, an potius res, an vtrunq; & de modo significandi, an naturaliter, vt voluit Plato, an ad placitū, vt voluit Arist. significent.

1. funda. Quid signum.

Pro quorum facili declaratione sit primum fundamentum. Signum vt dicit August. de doctr. Christi. cap. 1. est res, quæ præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire, id est, est res, quę per sui cognitionē alterius cognitionem inducit, sicut fumus est signum ignis, cognitio enim fumi cognitionem ignis facit.

Signorū diuisio.

Est autem signū proprium, & improprium, signum proprium est, quod nō solum sui cognitione alterius facit cognitionem, sed etiam ad hoc ordinatum est siue à natura, siue ab alio, vt aliud iudicet: quo pacto ramus appositus est proprium signum vini venalibus, quia sui cognitione facit cognitionem vini, & ad hoc ordinatus est, vt iudicet vinum. Improprium autem est, quod sui quidem cognitione aliud facit cognoscere, non tamen ad hoc ordinatum est, vt fumus, est signum ignis, & effectus causarum & è contra, sed non sunt propriè signa, cum non ad hoc ordinata sint. Huiusmodi sunt multa signa naturalia, quæ ventura indicant, de quibus Plin. lib. 27. vt fragot arborum signum tempestatis est, & ranarum coaxatio signum pluuię, quæ prognostica dicuntur. Sed nō propria signa, quia ad hoc instituta non sunt, nisi quis velit cum Virgil. dicere 7. Georg. ad hoc esse instituta inquit enim.

Atque

atq; hęc vt certis posim' discere signis.
Aestusque, pluuiasq;, & ingentes frigore ventos.
Ipse pater statuit, quid menstrua Luna moneret.
Quo signo caderent Austri: quod sæpè videntes.
Agricolæ propius stabulis armenta tenerent, &c.

Signorū altera diuisio.

Signum in cōmuni triplex est. Quoddam naturale: Quoddam voluntarium, siue ex instituto, vel ad placitum, quod idem est. Quoddā ex consuetudine quadam. Signum naturale est, quod ex se habet, vt per sui cognitionem alterius cognitionem faciat, sicut vox animalis signū naturale est affectus interni, & fumus signum naturale ignis. Signum ad placitum, quod voluntate humana habet per sui cognitionem alterius inducere cognitionem, nō tamen ex natura sua, sicut sonitus campanæ est signum ad placitū lectionis, quia id non habet sonitus ex se sed ex hominum instituto. Signum ex cōsuetudine est, quod nec ex natura sua, nec ex humano instituto, alterius facit cognitionem, sed ex quadam consuetudine: sicut canis sæpè aliquem sequens præuisus, inducit illius cognitionem, & mappæ appositæ sunt signa prandij ex quadam consuetudine, quia prope tempus prandij solent apponi mappæ.

2. Funda. Vocū duplex significatio

Sit secundum fundamentum, duplex significatio in vocibus reperitur: altera est naturalis, qua affectiones animæ internas exprimunt, & similiter suum prolatorem, qua significatione participant voces brutorum & humanæ, quæ naturaliter significant passiones interiores, & ad hoc institutæ à natura sunt, & de his loquebatur Arist. 7. Politic. capite secundo, vox est molesti, & iucundi significatiō, similiter significat naturaliter suum prolatorem, sicut fumus indicat ignem, & ita per loquutionem distinguimus hominem: per rugitum cognoscitur leo: talis aūt significatio naturalis est, & omnes voces tali significatione gaudent.

Altera significatio inest vocibus, scilicet, quòd significent & manifestent conceptus intellectus, & res ipsas cognitas. Talis autem significatio ad placitum, & ex humano instituto est, quæ non inest nisi vocibus humanis, & ab hac signifiatione ad placitum voces dicuntur nomina, verba, orationes & locutiones, & hoc maximè est obseruandum.

3. Funda.

Sit tertium fundamentum, duplex est signum: Alterum manifestatiuum solū: Alterum manifestatiuum & suppositiuū simul. Signum manifestatiuum est, quod per sui cognitionem alterius facit cognitionem, vt sonitus est signum manifestatiuum lectionis: Manifestatiuum verò & simul suppositiuum est, quod non solum aliud manifestat, sed etiam illius loco substituitur, & eius vices sortitur, sicut Prorex, qui ipsius Regis personam indicat, & ipsius locum tenet, ita se habent voces istæ significatiuæ: sunt enim signa manifestatiua conceptuum internorū, & affectionum, & de hac significatione loquitur hic Aristo. Sunt enim signa manifestatiua, & suppositiua rerum, quia non solùm res indicant, sed earum loco sumūtur: ac de vocibus istis loquimur perinde, ac de ipsis rebus, de qua significatione, seu acceptione locutus est Aristo. 1. Elench. cap. 1.

1. Concl.

His suppositis fundamentis sit Prima Conclusio, significatio vocum, qua omnes suum indicant prolatorem, vel quasi passiones internas exprimunt, naturalis est, quæ omnibus vocibus brutorū etiam inest. Hæc conclusio nota est ex primo fundamento & secundo. Non enim ista significatio inest ipsis vocibus, ex aliqua consuetudine, vel ex instituto humano, ergo à natura.

2. Cōcl.

Secunda conclusio. Significatio, qua voces intellectus conceptus, & res manifestant, non à natura, sed ad placitū inest: hæc est secundum mentem Aristot. nec oppositum existimauit Plato, quantum existimo: sed forsan loquebatur de priori significatione: vel vt explicat be-

Plat. cur vocũ significatio ne dixerit naturalem.

nẽ Michael Psellus ca. de nomine, ideò dicebat significationẽ naturalem, quia loquebatur de optimo, & perito impositore, imponẽte talia nomina rebus, qualia illarũ naturis conueniebant, propterea vocabat nomina naturaliter significare: solemus enim artificialia, quę maximè naturam imitantur, naturalia per exaggerationem vocare, & forsan illud est Geneſis. 2. omne, quod vocauit Adã, ipsum est nomen eius.

3. Cõclu. Tertia conclusio, scripturæ vocũ sunt manifestatiua, & suppositiua signa, vt scribere vocis prorsus locum obtineat: est enim scriptura, vox quasi quædam perpetua.

4. Cõclu. Quarta conclusio, simul scripturæ, & voces, res indicant, earum loco constitutæ, & simul cõceptus rerum proferentis manifestant: & hoc est, quod dici solet, voces subordinãtur conceptibus, vel significãt res mediantibus conceptibus: idẽ de scripturis, nõ tamẽ existimes voces, vel scripturas pro ipsis conceptibus supponi, sed solùm pro rebus: cõceptus tamen indicant & manifestãt, & hęc de vocum significatione dicta sufficiant.

QVAESTIO II.
Quid sit veritas, & in quo subiecto?

Quid sit?

QVæstionẽ hanc exactè disquirere ad Metaphysicum potius, quàm ad Logicum pertinet, breuiter tamẽ quid in ea sentiendum sit pro captu Logico explicabimus, veritas igitur duplex est, Quędam incomplexa, quę trãscendẽtalis seu in essendo ab alijs dicitur: Altera veritas complexa, seu in dando. Veritas incomplexa est conformitas quędã rei ad sua principia, vt talis sit res, qualẽ sua principia esse petunt: vocamus enim verum amicũ, qui est secundum leges præstitutas amicitię: vocamus verũ aurum, quod est secundũ principia naturalia auri, & hac veritate vnumquodque ens verum est secũdum naturam suam, & propterea dicitur veritas incomplexa, quia

Veritas alia complexa, alia incõplexa.

in simplicibus inest. & dicitur transcendentalis, quia omnibus conuenit: quam definiebat Auic. Est ꝓprietas esse vnius cuiusq; rei, prout stabilitum est ei: & hęc veritas inest etiam primæ operationi intellectus, quando talem conceptum habet rei, qualis est res: & sensui, quãdo talẽ habet speciem, quale est obiectum, & de hac dixit Aris. secundo de anima, cap. 6. sensus propriorum sensibilũ semper est verus.

Quid veritas incõplexa sit.

Altera veritas est cõplexa, quę est conformitas intellectus componentis vel diuidẽtis ad res compositas, vel diuisas: Id est, quãdo ita componit vel diuidit, sicut res se habent: Dicitur autem componere, quãdo affirmat iudicando: diuidere verò, quando negat etiam iudicãdo: Talis autem cõformitas veritas dicitur, diformitas verò dicitur falsitas, quãdo aliter intellectus cõponit vel diuidit, quàm se habeant res: v.g. mẽte affirmo, homo est animal, vel nego, homo non est animal: veritas est illa conformitas prioris cognitionis ad rem: falsitas verò est diformitas posteriorum ad rem.

In quo subiecto sit.

Hinc patet secũdum: si petas, vbi est veritas, seu in quo subiecto? dico cũ Ammo. & alijs, est in intellectu tanquam in subiecto, illa enim cõformitas vel diformitas intellectui inest, præterea est in rebus, tãquam in causa, quia ab eo, quod est res, vel nõ est, inde intellectus verus, vel falsus dicitur: in propositione autem vocali est, vt in signo indicante intellectus conceptus, & res, vnde res dicitur vera causaliter: propositio tanquam signum, seu instrumentaliter: intellectus formaliter.

Vnde verum analogicè de his tribus dicitur sicut sanum, quod de animali formaliter, de vrina vt de signo, de medicina effectiuè siue causaliter dicitur, de hac igitur veritate loquimur, quę nõ in simplicibus, sed enunciationibus inest, & hæc de quæstione præsenti sufficiãt logico.

DE

DE NOMINE.
Cap. II.

TEXT. 1. NOmen igitur est vox significatiua, secundũ placitum, sine tempore, cuius nulla pars significatiua est separata: in nomine enim, quod est equiferus, ferus nihil perse significat, quemadmodũ in oratione, quæ est equus ferus. At verò nõ quemadmodũ in simplicibus nomini bus, sic se habet in compositis. In illis enim nullo modo pars significatiua est, in his autem vult quidem, sed nullius est, separata, vt in eo, quod est equiferus, hoc, q̃ est ferus, nihil significat per se. Secundum placitũ verò, quoniam natura nominum nullũ est, sed quando sit nota, quoniam designant & illiterati soni, vt ferarum, quorum nullum nomen est.

2. Non homo verò non est nomen, at verò nec positum nomẽ est, quo illud oportet appellare. neq; enim oratio, neq; negatio est: sed sit nomen infinitum: quoniã similiter in quolibet est, & quod est, & quod non est.

3. Philonis autem, aut Philoni, & quęcunq; talia sunt, non sunt nomina, sed casus nominis, ratio autem ipsorum est, in alijs quidem eadem: differunt autem, quoniam cùm est, vel fuit, vel erit, neque verum, neque falsum est, nomen verò semper vt Philonis est, vel non est: nondum enim neque verum dicit, neque falsum.

¶ Cur de Nomine & Verbo tantùm, & nõ de alijs partibus orationis agitur? & cur hoc loco? & cur prius de Nomine, quàm de Verbo?

ARistoteles de enũciatione tractaturus ordinem obseruat naturæ: ea enim à partibus ad ipsum totum procedendo: sunt autem partes enunciationis nomen & verbum.

Circa quod meritò dubium occurrit, quare solùm has duas tradiderit partes, cũ alię multæ sint orationis partes quas etiã ipse in sua Poëtica tradidit? Ad quẽ respondet Ammo. & S. Thomas esse factũ, quia partes necessariè enunciationis hę sunt, sine his enim nulla constat enũciatio. potest autẽ absq; alijs constare, imò reliquas non existimat partes esse, sed iuncturas partium, quæ se sicut clauis in nauibus habent.

Dubium.

Solutio.

At si petas, quare saltẽ illas non adduxit, siue nomine partiũ, siue nomine quouis alio quamuis necessariæ non sint? Aduerte circa sermonem nõ eodem modo Logicum, Grammaticum, & Rhetor se habent: Grammaticus enim eius cõgruitatem inquirit: Rhetor eius ornatum, similiter Poëta eius cõpositionem: propterea plures petunt partes, quàm nomẽ, & verbum, at Logicus veritatem sermonis quærit: est enim artifex scientiarum, in quibus veritas sola petitur, & exquiritur: at veritates scientiarum in rebus, naturisque, & proprietatibus, ac operationibus ipsarum consistunt, hæc autem omnia non nisi verbo, & nomine explicantur, propterea Logicus, vt Logicus, non alias quærit suæ orationis partes, quàm nomen, & verbum.

Sermonẽ diuersa ratione cõsiderant Logicꝰ, & Rhetor. Grãmaticus.

Veritas scientiarum quibus in rebus sit posita.

Dubitatur secundo. Cùm in libro prædicamẽtorum de simplicibus tractatum sit, quid modò oportuit iterum de simplicibus istis disserere. Ad quod respõdet S. Tho. simplices voces tripliciter posse cõsiderari. Vno modo vt rerũ solùm significatiuæ sunt, & earum loco ponuntur, & sic ad prædicamenta spectant. Altero modo, vt enũciationis partes sunt, & sic ad hunc librum referuntur. Tertio, vt ordinem syllogisticum habẽt, qui in tribus terminis & propositionibus consistit: & sic ad libros priorum pertinent.

Dubitat.

Solutio.

Circa quam doctrinam, quæ vera est: Aduerte, quia illic, nempè in prædicamẽtis, voces respectu rerum considerantur, sicut tantummodò voces secundum multitudinem rerum, quęlibet enim res suam habet

Voces simplices vt in categorijs, in lib. de

interpretatione, & in libris de syllogismo cõsiderẽtur.

habet vocem: at quia hîc voces, vt etiã partes enunciationis sunt, considerantur, & huius non sunt, nisi duæ partes necessariæ nomen, & verbum, inde multitudo illa vocum superior ad duo coarctatur: quia ex illis omnibus, aut nomen, aut verbum tantum conficitur. At in syllogismis, quia omnis ordo eorum in tribus consistit dictionibus, illa multitudo ad tria coarctatur, nempè maius extremum, minus & medium.

Hinc patet illud, quod dicit Ammo. nempè hęc omnia re idem esse, ratione verò diuersa: vocem simplicem, nomen, verbum, dictionem, terminum. Vox simplex, est vox solùm respectu rei considerata, quo pacto nõ in nomen, nec in verbum est distinguenda, & sic ad prædicamenta diximus pertinere Nomen, & verbum dicitur vox, quãdo iam pręter rem significatam in vna consideramus casus, articulos, non in alia, & hoc ad enunciationẽ dirigitur. Dictio dicitur vox, quando iam in compositione & oratione spectatur. Terminus, cum in ordine syllogistico collocatur.

3. Dubiũ Dubitatur. 3. Quare potius à nomine quã à verbo incipit Arist. ad quod respõdent Ammo. & S. Th. quia nomen significat naturam, & rem: verbum autem id, quod adiacet rei ipsius autẽ est res, quàm id, quod adiacet rei: sicut subsãtia prior est accidẽte, & materia prior est forma: quam etiã expositionem sequitur Albe. tract. 2. ca. 4. nec ista ratio est spernẽda.

1. Solut. Sed mihi occurrit alia ratio obseruanda: scilicet, nomen esse simplicius verbo, quia nomen significat aliquid, at verbum aliquid cum tempore compositum ergo magis est verbum, quàm nomen, & est textus notandus Ar. 1. Post. cap. 23. Arithmetica, inquit, prior est Geometria quia simplicior: nã Arithmetica cõsiderat quantitatẽ non habentem positionem, at Geometria tractat de quantitate cum positione: simile est prorsus de nomine significante sine tempore, & de verbo significante cum tempore,

Nomen igitur est vox significatiua secundum placitum, &c.

Hoc breue caput non aliud, quàm nominis definitionem, & eius explicationẽ continet, diuiditur autẽ in duas particulas. In priori vna pars definitionis cõstituitur: In posteriori altera pars, quæ magis difficilis est, ponitur & probatur.

In quo egregium Aristot. artificium considera: qui non statim integram definitionem proposuit, sed paulatim, quia partes probatione indigebãt, quod multi non aduertentes, verba priora integram esse definitionem existimauerũt, quod tamen falsum est, cùm Arist. & paulatim definitionis partes, & earum probationem exposuerit.

Nominis integra definitio nõ ponitur initio, capitis.

In priori ergo parte hęc verba continẽtur. (Nomẽ igitur est) dicitur (igitur) quasi sequatur ex illis verbis proœmij. Oportet definire, quid nomen) &c.

Partes definitionis sunt (vox significatiua, ad placitum sine tempore, cuius nulla pars est separata significatiua.)

Non probat, quòd sit vox significatiua, quia iam hoc est primo capite manifestum erat.

Sed probat vltimam illam partẽ, quia magis proxima erat, nempè, quod sit talis vox, cuius partes per se separatæ non sint significatiuæ: nam oratio esset nomen, quod tamen non est. nomen enim pars orationis est, non oratio, cùm pars non sit ipsum totum.

At quia potest quis dubitare de nominibus compositis, quæ sunt nomina, & tamen eorum partes per se videntur significare, vt æquiperus: respondet, partes quidem videntur significare, non tamen significant: in nominibus autẽ simplicibus partes nec videntur significare, nec significant.

Probat alteram particulã (secundum placitum) tali ratione: voces brutorum naturaliter significant, & tamen nec nomina, nec verba sunt, aliter bruta habent locutionem, ergo nomina, & verba non à natura, sed ab impositione dependent

dent: similiter de vocibus illiteratis, & inarticulatis etiam humanis, quæ nomina non sunt, quia non imposita sunt ad significandum.

Illam particulam (sine tempore) non probat, quia est negatiua, & pẽdet ex declaratione affirmatiuæ, scilicet cum tempore, propterea differt in caput sequens.

2. *Non homo vero non est Nomen, &c.*

Hæc est posterior capitis pars, in qua Aristoteles, conatur adhuc definitionẽ perficere: nam non homo, non leo, non sunt nomina, tamen eis competunt verba definitionis hucusque assignata: nec sunt nomina, quia significant tãd, quod est, quàm id, quod non est, qui enim dicit non homo, dicit ea, quę nõ sunt homo, quod entibus, & non entibus competit, nec ista sunt orationes: quia partes non significant per se: nec negationes, quia non sunt enunciationes: dicantur ergo defectu nominis nomina infinita.

Ex quo colligitur non esse definitionem illam exactam, nisi addamus differentiam aliam ad excludenda ista scilicet, quod nomen sit vox finitæ, & determinatæ significationis.

Catonis autem, & Catoni, & quæcunque, &c.

Hic textus est aduertendus, in quo Aristot. adhuc conatur aliam superaddere differentiam, ad cõplendam definitionem, & vtitur ratione hac, Catonis, & obliqui non sunt nomina, sed alia secundum se ipsa, id est, differũt à nominibus, & tamẽ ratio eius est, id est, definitionis præcedentia verba illis competũt, ergo adhuc aliquid deest, & ad cognoscẽdam hanc differentiam, scrutatur quare non sint nomina, nempe, quia non semper cum verbo facit propositionem at nomen cum verbo facit enunciationem, addamus ergo talem differẽtiam, quod sit vox recta, id est cũ verbo semper propositionem faciens, eritq. perfecta nominis definitio. Vox significatiua ad placitum sine tempore, cuius nulla pars separata significat, finita, & recta.

Nominis pfecta definitio.

Vbi nota, Arist. non dixisse obliquum cum verbo non facit enũciationem, sed semper: nam aliquando facit, vt placet Petro, tradet me, sed id nõ semper, at nomẽ semper id habet. aduerte igitur hoc Arist. artificium in perfecta nominis definitione indagãda: nec verò existimandum est illam priorem esse integram definitionem, quamuis nõnulli sic existimarint, vt S. Tho. Auerr. & Ammo. cum tamen non sit.

QVAESTIO I.

Num Definitio Nominis recte sit tradita in qua singulæ eius particulæ examinantur, ac primo de voce, quid sit, & quæ duplex, &c.

Circa hãc definitionem oportet verba singula examinare, in primis de voce dicamus Arist. a. de anima cap. & definit, quid sit sonus, & quid vox. Sonus est qualitas proueniens in aëre ex duorum corporum collisione, quę qualitas auditu est perceptibilis, vt sonitus campanæ, soni tus ex collisione manuum. Vox autẽ est sonus, sed non omnis, sed is, qui ab ore animalis procedit cum imaginatione aliquid significandi, id est, quæ apta est exprimere passionem internã, vnde vox quidam sonus est, non tamen omnis sonus est vox, sed sonus animalis, non quicunque sed ore factus. Stridor enim Cicadarum non est vox, quia ore non fit.

Quid sonus.

Quid vox

Vox autem primo diuiditur in illitteratam & litteratam, seu articulatam & inarticulatam. Vox illitterata seu inarticulata, dicitur, quę nõ est prolatione syllabarum distincta, ita vt scribi possit, vt latratus canũ, mugitus boum. Litterata seu articulata, quæ syllabis est distincta, ita vt possit describi, vt vox, homo, animal, iterum: Vox quędam significatiua, quędam nõ significatiua actu. Et inter litteratas seu articulatas, etiã aliqua significatiua reperitur, vt leo, albũ, aliqua nõ significatiua, vt Idtir: similiter inter illiteratas aliqua est significatiua, vt latratus canum, rugitus, & voces brutorũ, aliqua

Vocis diuisio.

aliqua non significatiua, vt sibilū, & aliæ, quas homo inaniter proferre potest, cū igitur multiplex vox sit, nomen est inter voces significatiuas articulatas.

1. Dubiū. 1. opinio — Dubitatur an vox sit genus in hac definitione, ad hoc respondet Psellus vocē dupliciter posse considerari: vno modo, vt abea secludatur significatio, vt vox sit sonus ore animalis prolatus, & sic nō genus est, sed potius materia nominis, & verbi, & orationis altero modo, vox cum significatione in communi, & sic genus est.

2. opinio — Ammo. verò & S. Tho. Simpliciter dicunt vocē esse materiam orationis, seu potius subiectum.

1. Funda. — Circa quod aduerte nomen, verbum, orationem, & similia duo includere, alterum vt subiectum & materiam, alterū vt formam, sunt enim velut artificiata quædam, scilicet, statua, cathedra, imago, quæ duo includūt formam, seu figurā, & subiectum. ex quo fiunt, nēpe lignum, aurum, aut aliud aliquid.

Orationis materia vox est, vt expresse docet Arist. lib. 5. de gener. animal. c. 7. forma verò est significatio ad placitū, vt enim suprà diximus, significatio naturalis nō facit orationem, alias bruta haberent locutionē, quæ soli homini cōcessa est, vt dicitur sect. 11. problem. q. 57.

1. Cōclu. vocē esse oratiōis materiā nō gen. — Quo supposito, dico absolutè, vox est materia, & subiectum orationis, & nominis, & verbi, nō autem genus, hæc patet, vox est quid naturale, at oratio est quid voluntarium, & ad placitum, sed natura se nō est genus artificiati: ergo nec vox est genus orationis, nec aliorum.

2. Cōclu. Definitio orationis p materiā & formā datur. — Dico. 2. ista definitio nō datur per genus, & differentiā, sed per subiectum, & formam, sicut qui diceret, domus est lapides, & ligna, sic cōstructa, quem modum definiendi commēdat Arist. 8. Met. ca. 3. ita similiter vox est subiectum, reliqua vnius formæ locum habēt, ita enim artificiata definire oportet.

3. Cōclu — Dico. 3. si aliquid loco generis ibi cōstituitur, nō est vox, sed significatiua ad placitum, quod totum vnico erat dicēdum nomine, quod Ammo. alijs verbis indicat, dicens notam, seu signum vocale esse genus nominis, & hoc mihi placet: genus enim artificiatorū debet sumi præcipuè secūdum formam, quod autem vox nec tāquam genus sumi possit, patet, quia sola vox nō prædicatur propriè, est enim expressa doctrina Arist. 2. gen. c. 1. statua nō dicitur aurum, sed aurea, &. 7. Meth cap. 7. at si loco generis vox cōstitueretur, propriè prædicaretur, quod nō est, cum sit subiectum, & materia, & secūdum hoc potest dici hanc definitionē esse per genus, & differentiam: vox enim significatiua ad placitum est genus, reliqua differentia.

Vox cur gen⁹ esse nō possit nominis.

2. Dubiū 1. opinio — Circa illam particulam, ad placitum, quæ suprà iam explanata fuit: Ammo. recitat sententias quatuor, quidam enim asserebant nomina secūdum subiectum, & secūdum significationē esse à natura, & hi fuerunt Cratillus, & Heraclitus.

2. opinio — Alij asserebāt vocem esse à natura, & significationem vocabāt naturalē, quia vt suprà diximus, maximè competebat rebus significatis.

3. opinio — Alij significationem asserebāt, ita esse ad placitum, vt in impositione nulla ratio naturæ rei fuerit habita, sed à casu quodam.

4. opinio — Arist. verò docuit significationē esse ad placitum, sed ita vt rei cōsideratio in impositione haberetur, quamuis nō hoc in omnibus dictionibus factū fuisse credendum est.

Alia particula (sine tempore) relinquatur in caput de verbo.

Sequitur altera (Cuius nulla pars separata significat) vbi aduerte hoc differimē esse inter duo nomina, quæ cōueniunt in compositione, & quæ cōueniunt in cōgruentia grammatica, sicut armiger, & armo gerens, nam quæ cōueniunt in cōgruentia, retinent suam significationem ita, vt tota oratio nō habeat significationem nisi partium ipsarum significatarum: at quādo conueniunt in compositione,

positione, perdunt suam significationē, & fit vna significatio totius, quamuis significatio hæc sit ferè similis aliquando significationibus partium, vnde iam tūc partes ibi nō significant, etiam si significare videantur aliquando.

Assimulatur autem hæc compositio mixtioni naturali, quādo enim elementa componūt rem, destruuntur elementa, & fit vnum aliud, & duo colores mixti corrumpūtur, & faciunt tertium, congruentia autem similatur cōgregationi qua plura grana faciunt cumulum, & vnū quodq; manet per se integrum.

Potest autem probari, nomina compositæ figuræ nō habere de se partes significātes, imò nec quæ videntur semper significare, nam si illud per se haberent, semper esset: quod tamen non est: nam partes huius armiger, nec videntur significare, nec plus in his, in quibus videntur significant vt diximus.

Dubium Cur nomen esse debeat vox simplex. Solutio. — Dubitabis quare excluditur oratio à ratione nominis, saltem complexum ex duobus, vt homo albus: dico, quia in his est significatio per accidens, orationis enim significatio est ex partibus, at nomen per se debet significare. Præterea, quia hic tradit partem necessariam enūciationis, tales autem partes sunt simplices, compositæ enim orationes ex simplicibus cōstant.

3. Dubiū 2. Funda. Negatio duplici. ter cadit super nomen. — Alia particula est (finita) circa quam aduerte negationem dupliciter cadere super aliquod nomen, vno modo negatiuè, altero modo priuatiuè: tūc cadit negatiuè, quādo ita destruit significationē nominis, vt prorsus nihil ponat in re, vt nō homo dicit puram negationem hominis, tunc cadit priuatiuè, quando ita destruit significationem nominis, vt ponat aptitudinem in aliquo subiecto, vt non homo sit id, quod nō est homo, sed potest esse homo, quo pacto est frequentissimus horum vsus in philosophia, quādo dicimus ex non igne fit ignis: id est, ex eo, quod nō est ignis, sed est in potentia ad ignem, ex non aqua fit aqua.

Est autem aduertēdum, quando negatio cadit supra cōnotatiuos terminos, communi vsu tenetur priuatiuè, quia negat formam, & ponit subiectum, vt non album: corpus, quod nō est album, non consecuta misericordiam, id est, plebs nō recipiens misericordiam, quandoverò supra terminos absolutos, vtroq; modo teneri potest.

2. Funda. Negatio cōmuniter prima tiuè accipi dū terminis cō notatiuis adiūgitur.

Sed hic in præsenti non vocatur infinitum, nisi quādo tenetur negatiuè, quia tunc veritatem habēt verba Arist. non homo est in quolibet, & quod est, & quod non est: de quorum interpretatione aliqui sunt sine causa soliciti: existimāt enim esse intelligenda, quātum ad significationem, id est, significāt id, quod est, & id, quod nō est, non tamen quantum ad prædicationem, cùm nō dicamus, chimera est nō homo, est enim propositio affirmatiua de subiecto nō supponente, quæ falsa est, vt ipsi existimant.

3. Funda.

Sed mihi nō probatur hæc sententia, dicendum est enim cum S. Tho. & Ammo. hæc intelligenda esse de prædicatione: dicitur enim leo est non homo, & chimera est nō homo, non enim omnis propositio affirmatiua de subiecto non supponenti est falsa cum prædicatum sit intrinsecum subiecto, vt enim ista nullo refragante est vera, chimera est monstrum: ita eadem ratione erit ista, chimera est non homo.

1. Concl. Nomēin finitū esse termi num simplicem. — De hoc autem infinito termino dico primo esse incomplexam vocem, semper enim attendēda est significatio vocis, nō homo autem vnicum primò significat, nempe negationem hominis: ac propterea dicit Arist. nec esse orationē, nec negationem.

2. Cōclu. Nomēin finitū vocem esse vniuocā. — Dico secundo, esse vocem vniuocam, quia quamuis significet, quæ sunt, & quæ nō sunt, ea tamen significat sub vna ratione negationis alicuius. & vt suprà diximus, ex Ammo. in prædicab. nō prohibet res, quæ in nullo essentialiter cōueniunt, in aliqua proprietate vniuocè conuenire, vt esse genus, speciem vniuocè

cè ineſt ſubſtantiæ & accidenti, ita negatio aliquius vniuoca eſt his quæ ſunt, & non ſunt. Aduerte tamen talis negatio eſt ens rationis, non eſſe hominem, nõ eſſe leonem, ſolũ rebus intellectu ineſt, propterea poteſt cõuenire his, quę ſunt ſicut alia entia rationis.

3. conclu. Nomina finitum potius eſſe vocem abſolutam non autem connotatiuã.

Dico tertio, probabilius eſt tales voces eſſe abſolutas non cõnotatiuas, connotatiui enim termini duo ſignificãt, vnum principaliter, alterum minus principaliter, quod dicũtur cõnotare, vt albũ principaliter albedinem, minus principaliter corpus ſignificat, at nõ homo, & ſimiles voces ſingulę vnum tantum ſignificant, ſcilicet negationem concretam, abſolutæ ergo ſunt cenſendæ.

4. Conclu. Tranſcendentia in ſua latitudine accepta nõ infinita fieri nec priuatiua.

Dico quarto, tranſcendentia in tota ſui generalitate ſumpta, nõ infinitantur, vt non ens, non vnum: ratio eſt, quia ſolum dicũtur de his, quæ nõ ſunt: idem enim eſt nõ ens, & nihil. at infinitę voces de his quæ ſunt, & nõ ſunt dici debent, ſimiliter nec priuãtur, quia nullũ eſt ſubiectum, quod priuetur eute in communi, poſſunt tamẽ infinitari & priuari ſi particulariter ſumãtur, vt infinitatur ens ſumptum pro ente perfecto, ſeu pro ſubſtãtia, & ſic apud Ariſt. reperitur priuatum ens. 1. Phyſ. vt nõ ens ſit, quod non eſt perfectum ens, eſt tamen in potẽtia vt perficiatur.

Adiectiua nõ ſunt nomina dum capiuntur adiectiuè.

Vltima particula eſt (recta) quę ſignificat, vt ſit talis vox, quę cum verbo ſemper verum vel falſum cõſtituat, vt patet ex ipſo textu ex quo ſit adiectiua adiectiuè ſumpta nomina nõ eſſe, quia eadem ratione cum verbo nihil veri vel falſi faciunt, vt albus eſt, dico adiectiuè ſumpta, quia quando ſubſtãtiuè ſumuntur, tunc nomina ſunt, vt album, currit.

Obliquo & recto eua.

Nec ſufficit, quod cum ſubſtãtiuo faciant propoſitionem, quia pari ratione obliqui eſſent nomina, quia cũ recto poſſunt propoſitionem facere, vt filius Petri currit, nõ ergo adiectiua ſunt nomina, ſed adiectiones nominum.

In obliquis autem aduerte eundem cõceptum correſpondere recto, & obliquis quãtum ad ſignificationem principalem, vt homo, hominis, homini, ſemper eandem rem ſignificant, ſed differt, nam rectus habet ſignificationem abſq; modo, at obliqui habent aliquem modũ ſignificandi, quem vocãt per modum, vt cuius, cui, vel vt quem, &c.

Eidem mẽti reſpondere cõceptum quantum ad ſignificationem principalem.

Et hic modus ſignificandi mutat veritatem propoſitionis, aliud enim eſt dicere Michael eſt Dei, & aliud Michael eſt Deus: prior eſt vera, poſterior falſa. Vnde circa veritatem propoſitionũ aduertendus eſt modus ſignificãdi obliquorum, in quo ſæpe fallaciæ reperiuntur, cum igitur à nomine ſolo modo differant, dicuntur caſus nominis.

Modus quę ſignificant obliqui mutat propoſitionũ veritatem.

DE VERBO.
Cap. III.

TEXT.

1.

VErbum autem eſt, quod cõſignificat tempus, cuius pars nihil ſignificat ſeorſum, & eſt ſemper eorũ, quę de altero prędicãtur, nota. Dico autem quòd ſignificat tẽpus, vt valetudo quidem nomen eſt: valet verò verbum: cõſignificat enim nunc eſſe: & ſemper eorum, quæ de altero dicuntur, nota eſt, vt eorum quæ de ſubiecto, vel in ſubiecto ſunt.

2.

Non valet autem, & nõ laborat nõ verbum dico: conſignificat enim tempus, & ſemper de aliquo eſt. Differentiæ autem huic nomen poſitum non eſt: ſed infinitum verbum ſit: quoniã ſimiliter in quolibet eſt, & quod eſt, & quod nõ eſt. Similiter autem & valebit, & valebat nõ verbũ eſt, ſed caſus verbi. Differunt autem à verbo, quòd hoc quidem præſens cõſignificat tempus, illa verò id quod circunc irca eſt.

3.

Ipſa igitur ſecundum ſe dicta verba nomina ſunt, & ſignificãt aliquid: conſtituit enim qui dicit intellectum, & qui audit quieſcit: ſed ſi eſt, vel nõ eſt, nõdum ſignificat, neq; enim ſignum eſt rei eſſe vel nõ eſſe: neque ſi ipſum † ens dixeris nudũ. † ipſum enim nihil eſt,

† a.l. ipſũ p ſeipſũ.

eſt conſignificat autem compoſitionem quandam, quam ſine compoſitis non eſt intelligere.

1. Sequitur altera enunciationis pars quæ verbum dicitur, in hoc autẽ capite vnus eſt ſcopus, nempe verbi definitio: tamen in duas eſt diuiſum partes. in priori definitio continetur, in poſteriori, dubio tacito reſpondetur. Circa definitionem verò, Ariſtoteles vtitur eadem methodo, qua in capite de nomine: non enim omnes partes definitionis ſtatuit, ſed aliquot, cæteras autem probando addit, ponit autem quæ ſequuntur.

1. *Verbum autem eſt, quod ſignificat tempus, cuius nulla pars ſignificat extra, & eſt ſemper eorum, quæ de altero prædicantur. Nota, &c.*

In primis hic ſubintelligere oportet verba eadem, quæ in nominis definitione erant, nempe vox ſignificatiua, ad placitum, hæc enim nomini, verbo, & orationi inſunt.

Dubium Solutio. Sed dubitabis, quare Ariſt. hæc ſubticuerit? reſpõdet Ammo. & S. Tho. quia iſta ſunt verbo cum nomine communia, quod ſi obijcias, & illa particula cuius nulla pars ſignãs extra: etiam eſt communis, & tamen eſt adiecta hic ab Ariſt. Reſpondet Ammo. hãc particulam nõ eſſe eandem cum ea, quę eſt in definitione nominis, dicit enim cum Porphy. duplex eſſe complexum, & ex nomine, vt homo albus, & ex verbo, vt currit vel vincit: illa ergo particula in definitione nominis excludit complexum ex nominibus: at particula verbi excludit complexa ex verbis, & mihi placet iſta reſponſio.

S. Tho. aliter reſpondet, inquit enim, in verbo hanc particulam eſſe iterũ poſitam, quia verbum videtur magis habere rationem complexi quam nomen, cũ ſignificet rem, vt de aliquo dicitur: propterea ne quis maiori occaſione decipere tur exiſtimans verbum eſſe complexum, iterum poſita eſt illa particula: ſed magis mihi probatur expoſitio Ammon.

Solutio alia aucthoris.

Mihi occurrit alia ratio, nempe, quia illa omnia vnius generis locum obtinẽt, aliaque nomen, & verbum ex æquo partes enũciationis ſint, genus in vnius definitione collocatum in alterius definitione ſubticuit, cùm ſit idem contextus & differentias addidit.

Accedit igitur ad has definitionis particulas explanãdas, & prima eſt (contignificat tempus, quam exemplo manifeſtat, & probat. Valetudo ſeu ſanitas, & ſanatur. nomen illud, ſolam rem ſignificat, at verbum rem cum tempore, nempe ſanitatem nunc eſſe ſignificat, ex quo patet hoc diſtinguere verbũ à nomine.

Significare & conſignificare tẽpus diſtinguuntur.

Notat autem Ammo. nõ dixiſſe Ariſt. verbum ſignificare tempus, ſed cõſignificare. ſeu cõnotare, eſt enim diſcrimen inter hæc duo, ſignificare enim tempus, eſt principaliter eſſe ſignum tẽporis, vel alicuius partis tẽporis, quod nominibus conceſſum eſt, ſignificãt enim principali ſignificatione tempus, vt dies, hora, annus: at conſignificare: nempe, quando aliud principaliter ſignificat, tamen prout tempore ſit, & menſuratur, tempore, ioquam, ſcilicet, præterito, vel futuro, idem etiam notat Boet.

Aliam particulam nõ explicat, quia in definitione nominis iã explanata fuit, & illic diximus, quare complexa à ratione nominis vel verbi excludantur.

Sequitur tertia particula, & eſt nota eorum, quę de altero prædicantur, vbi diſtinguit ea, quę prædicãtur in ea, quæ de ſubiecto ſunt.

1. Dubiũ.

Sed dubitabis, quid ſibi velit, notatam eſſe eorũ ſemper, quę prędicãtur ad hoc dicit Boet. in vtraq; editione, verba ſemper ſignificare accidẽs, & hoc eſt, notam eſſe eorum, quę prędicãtur, verba enim actionem vel paſſionem ſignificant, quę accidentia ſunt, quorum eſt prędicari de ſubſtãtia, nomina autem nõ ſemper accidem ſignificãt, quod ſi dicas, quid intelligit per dici de ſubiecto, & eſſe in ſubie-

1. Séten.

cto, respondet ipse cum Porphy. vtrunque accidenti conuenire, accidens enim inhæret subſtãtiæ, & de ea prædicatur, propterea dicitur esse in subiecto, & de subiecto, vnde verba sunt, vel significãt accidens, quod prædicatur de subiecto, & est in subiecto.

Confutatio prioris sentẽtiæ.

Mihi non placet ista expositio, primò, quia non omnia verba significant actionem, vel passionem, nam, est, est verbũ, non tamen actionem vel passionem significat: præterea alia vt calco, frigeo, nõ actionem vel passionem significant, sed qualitatem, & superius diximus, verbũ habere, reperiri in omnibus ferè prædicamentis: secundò, quia cùm paulò superius esse in subiecto, & dici de subiecto distinxerit, inconueniens videretur vtrunque cõfundere, & mutare: præterea quia accidens nõ semper prædicatur, aliquando enim est subiectum in prædicatione propria, vt albedo est color, calidum calefacit.

2. Séten. Ammo. & Psellus per hæc verba intelligunt, verbum semper est nota eorum, quæ prædicantur, id est, semper obtinet locum prædicati, dicit semper, quia nomen aliquãdo subiectum, aliquando prædicatum est, verbum semper prædicatum est, hoc autem intelligendum est, vt Ammo. & S. Tho. dicunt, quando verbum, vt verbum sumitur, aliquando enim loco nominis sumitur, & subiectum est, vt currere est bonum, curro est verbum.

Dubiũ. 2. 1. Séten. Dices, quomodo ergo verbũ est prædicatum de subiecto & in subiecto? respõdet Ammo. & Psellus, & etiam Boet. verbum aliquando de substantia prædicari, vt homo ambulat, & sic cõstituit prædicationem accidẽtalem, & dicitur esse in subiecto, aliquãdo de inferiori, & sic constituit prædicationem essentialem, & dicitur de subiecto, vt currere est moueri. Vnde Arist. per esse in subiecto intellexit prædicatum accidentale, per dici de subiecto prædicatum essentiale, & verbũ est vtrunque prædicatum.

Ista sententia est probabilis, sed mihi non in omnibus placet, primò, quia amplius dicit esse notam eorum, quę prædicantur, quàm esse prædicatum, vt diximus, præterea quia illa prædicatio currere est moueri, non est verbi de verbo: nam ipsemet Ammo. dicit teneri, vt nomen: aliter verbum esset subiectum, probabilius nullo esset sumere has propositiones currens mouetur, ædificans agit, calidum calefacit: præterea quia adhuc per dici de subiecto non videtur Arist. intelligere essentialem prædicationẽ, nec per esse in subiecto accidentalem, præterea quia semper loquitur de verbis adiectiuis, non de verbo est, quod tamẽ ab Arist. magni fit.

2. Séten. Propterea saluo meliori iudicio mihi videtur sensum Arist. hunc esse, nempè verbum est nota eorum, quæ de altero prædicantur, id est, semper prædicat aliquid, id est significat aliquid, vt de altero dicitur. Dupliciter autem verbum prædicat aliquid, vno modo prædicat solam rem, quam significat, vt in verbis istis, currit, vincit, & similibus, & tale verbum vocat Auerr. prædicatum, vt quod, aliquando non solùm suam significationem prædicat, sed adiunctum aliud, vt homo est albus, & tunc vocat Auer. verbũ tale prædicatum, vt quo, hoc autem aliquãdo est substantia, vt homo est animal, aliquando est accidens, vt homo est albus, propterea dicit Arist. prædicata ea, quę dicuntur de subiecto nempè substantiam, vel quæ in subiecto sunt, nempè accidentia, alia enim verba præter est, ferè semper prædicant accidens.

Verbũ aliquid, de alio duobus modis dicit

Hæc igitur est huius particulæ declaratio, per quã verbum à participio, & infinitiuo excluditur, similiter à modis aliis, scilicet optatiuo, subiunctiuo, qui non prædicãt rem, nam prædicare ad propositionem spectat, quę non fit ex illis modis, in quibus nec verum, nec falsum est.

Non sanatur vero, non ægrotat, &c. 3.

Definitio verbi nondum est completa ex partibus præcedẽtibus, vt benè dicunt Ammo. & doctores Louanien. propterea

propterea Arist. conatur eam perficere nouis differentijs adeoq; proponit aliquid, cui præcedẽtia competunt, quod tamen non est verbum, vt nos inde aliud ad præcedentia superaddamus, nõ sanatur, nõ est verbum, cùm de eo, quod est, & quod non est, prædicetur, & tamen consignificat tẽpus, & habet reliqua, colligebat verbum, ergo debet esse præter dicta, vox finita, sicut & nomen.

At adhuc hæc non sunt satis, nã præteritum, & futurum non sunt verbũ, cùm tamen omnia præcedẽtia habeãt: quòd autẽ non sint verbum, probat, quia verbum debet tempus præsens consignificare, at præteritum & futurum nõ præsens, sed circa præsens significant, nempe præteritum, quod fuit præsens, futurũ, quod erit præsens: ergo perfectè, & absolutè verbum debet esse præsentis tẽporis consignificatiuum, quia omnia reliqua tempora à præsenti dependent, & ad præsens ordinantur: propterea addenda est differentia, quæ hoc significat, nempè, quòd sit vox recta.

Verbi perfecti integra definitio

Definitio igitur perfecti, & absoluti verbi integra est, verbum est vox significatiua ad placitum, tempus consignificans, eorũ, quæ de altero dicuntur, semper nota, finita, & recta.

3. *Ipsa igitur secundum se dicta verba nomina sunt, &c.*

Hæc est capitis posterior pars, in qua secundum Ammo. intendit Arist. ostendere, quomodo verba se habeant ad significandum verum vel falsum.

At secundum S. Th. aggreditur ostẽdere, in quo verbum cum nomine conuenit, & in quo à nomine differt, quod idẽ dicit etiam Boet.

Mihi verò videtur, vt ista verba illatiuè legantur, quod ex contextu patet, in quibus Arist. ex præcedenti definitione elicit duo, alterum, quid verbum significet, quid consignificet: in quo cum nomine conueniens, & differentia apparebit. alterum nec verum, nec falsum significare probat, quod in primo capite dixerat de nomine, & verbo per se: sed nõ probauerat de verbo, sicut de nomine.

Dicit igitur verba secundum se dicta nomina sunt, & aliquid significant: hic manifestatur significatio verbi, nempè significat aliquid, sicut curro cursum, amo amorem significat.

Dubium 1. Séten. Dices, cùm nomen, & verbum sint distinctæ partes, quomodo verbum nomẽ appellatur? ad hoc respõdet Ammo. & S. Tho. hic nomen communiter sumi pro dictione significãte, sed ista expositio nõ placet, esset enim, in breuissimo cõtextu æquiuocatione vti, cum modò nomen prodictione, modò vt distinguitur cõtra verbum sumatur.

2. Séten. Boet. & Auerr. dicunt nomen hic sumi, vt in præcedenti capite definitũ est, & sensus est, verba secũdum se, id est, extra propositionem, dicta sunt similia nominibus.

Nota. Verba à nominibus non differre, quãtum ad rẽ significatã attiue.

Pro cuius declaratione aduerte in verbo duo posse considerari alterũ, id, quod principaliter significat, & hoc non est aliud, quàm res, etiam per nomen significata, sicut curro principaliter id, quod nomẽ cursus, significat, & lego idẽ, quod lectio alterum consignificat verbum, seu minus principaliter significat, scilicet significat rem per modum compositionis cum altero, & vt subsistat tempori. hoc igitur est, quod Arist. dicere intendit verba secundum se, id est, extra compositionem quantum ad rem significatam non differunt à nomine, propterea dicit (et) aliquid significant, vbi illud (Et) tenetur secundum Ammo. declaratiuè.

Probat autem Arist. quòd significent aliquid, nam qui profert, voces, constituit, id est, determinat intellectum audientis, vt conceptum formet alicuius rei, & qui audit, quiescit, id est, conceptum format, non solùm vocis, sed etiam rei, vt qui audit, legit, lectionis format notitiam, signum ergo est, verba per se esse significatiua, & aliquid significare.

Nota. Nota autem hic verbum Græcum ῥῆμα significare intellectū, qui à sensu & imaginatione depēdet, id est, intellectum intelligentem ea, quæ sentit, & talis est intellectus, qui intelligit, & format cōceptum ex vocibus, quas sentit.

Posita significatione verbi extra propositionem, remouet, quod remouerat cap. 1. nempè significare verū vel falsum, tamen non probauerat de verbo, nunc probat: propterea dicit verbum secundum se nihil veri, vel falsi significare: significat quidem rem, sed non rem esse, vel non esse: argumentum à maiori est notum ipsum verbum (Est) quod non solùm est verum verbum, vt dicit Psellus, sed significat ipsum esse adhuc verè vel falsò, non dicit, ergo multò minus alia verba. & hoc est, quod dicit (si ipsum, est, purum dixeris, nihil dixeris) id est, si, est, extra propositionem dixeris, nihil veri vel falsi dicis, vt interpretatur optimè Boetius, & Ammo. Psellus & alij doctissimi: vn le vide, quàm longè ab Aristot. sensu sint, qui dicunt (nihil dixeris) id est, est syncategoreuma: nec mireris, quòd Græcè dicitur ipsum ens, nam sumitur pro ipso verbo, est, quod non benè aduertit Alexan.

Tandem subdit Aristo. quòd verbum cōsignificat compositionem, id est, rem significatam, componit verè vel falsò: sed talis compositio nō intelligitur, nec est sine extremis.

Ex quibus collige verbū tria habere: significat enim rem aliquā, in quo cum nomine conuenit, sed illam per modum compositionis, & vt tempori substat, significat, quod soli ineſt verbo.

QVAESTIO I.

De ijs, quæ in capite tertio de verbo, continentur. Num recte ab Aristotele dicta sint?

Nota. Verbū. aliud est adiecti- uū, aliud substan- tiuum.

DVbium est, an verbum sit propositionis pars, id est, sit subiectum, vel prædicatum: est autem notādum ex Porphy. duplex esse verbum: alterum, quod vocatur adiectiuum, hoc autē illud est, quod actionem, passionem, vel aliquod accidens significat, vt currit, legit: alterū est, quod vocatur substantiuum, vt sum, es, existo, subsisto.

Adhuc istud aliquando est cum apposito, & supposito, quod dicitur de tertio adiacente, vt homo est albus, aliquādo est cum solo suppositio, quod dicitur de secundo adiacente, vt homo est.

1. opinio Verbum substātiuum non esse propositiōis partem.

Difficultas ergo præcipua est de verbo substantiuo, quādo est de tertio adiacente: sunt enim quidam Neoterici, qui putant esse syncategoreuma: nec prædicatum esse, nec subiectum: sed solùm vnire prædicatum subiecto: quorum argumenta sunt primò, quia si esset propositionis pars, esset terminus. nam. 1. Prior. capit. 1. terminus est, in quem resoluitur propositio, vt in subiectum & prædicatū, at illic nō fit mentio de verbo, præterea quia quando Arist. loquitur de quantitate propositionum, quòd prædicatum ineſt subiecto, aut omni subiecto, nec pro subiecto, nec pro prædicato sumitur verbum, præterea quia nec est maior extremitas, nec minor, nec medium, vt patet. præterea quia in conuersione, in qua ex prædicato fit subiectum, verbum non transmutatur, ergo nō est tale verbum pars propositionis.

Argu. 1. 2. 3. 4.

2. opinio verbū est esse verę ,ppositio nis partē

Opposita sententia est omnium Græcorum, & Latinorum antiquorū, & doctorum Louanica & ratio maximè hoc probat, quia verbum, est, cùm nō mutet, nec perdat suam significationem, si sine appositō est prędicatum, & significat aliquid, ergo cum appositō etiā præterea Aristo. cap. 2. libri 2. huius, Homerus est poēta, homo est albus, vocat de prędicato cōiuncto, quod nō esset, nisi verbum esset pars prædicati cum appositō.

Argu. 1. 2.

1. Funda. Propositiōis partes aliæ sūt mate- riales, a- liæ for- males.

Propterea aduerte propositionis partes esse in duplici differentia, quędā sunt materiales, scilicet, nomen ipsum, tam appositum, quàm suppositum. quædam sunt formales, nempè verbum, qua parte compositionem significat, v. g. in domo qua lapides, ligna, calx, & reliqua partes materiales dicuntur, at illa compositio, & connexio partium, forma est, ita similiter suppositum, & appositum materia enunciationis sunt, at ipsa cōpositio, seu ipsum componens, quod verbum est, est forma, quòd si dicas, quomodo appositum est materia, cùm habeat locū prædicati & formæ? dico formam esse, si ad subiectum comparetur, materiam verò respectu totius propositionis & verbi componentis, quod est forma enunciationis.

Obiect.

Dilutio.

2. Funda. Verbum aliquid significare quod cōponat Verbum esse propositiōis & materiam & formalę partem.

Aduerte secūdum, omne verbum nō solùm componit, sed significat aliquid, quod componit, cùm significet aliquid, quod illi doctores nō aduertunt, vt curro significat cursum componendo, & ipsum est, significat ens componendo, ex quo fit vnum dignum cōsideratione. Verbum ratione rei significatæ est pars materialis, quia est cum nōmine idem, at ratione cōnotati est formalis pars, cùm vtrunque habeat: est tamen discrimen, aliquando nihil prędicat, nisi suam significationē, vt homo currit, homo est aliquando suam significationem determinatam, & limitatam ab altero, vt homo est albus, id est, est illud ens, quod est album, perinde enim est addere appositū verbo substantiuo, ac alijs, vt enim dum dicis, ego amo Petrum, illud additū non auferit, quin verbum amo, secūdum rem significatam prædicetur, sed limitatur, ita quādo dicitur, homo est albus, & hoc obserua contra eosdem.

Ex quo sequitur manifestè, omne verbum esse partem propositionis, formalę quidem vt vnit, & cōponit, materialem verò secūdum id, quod significat, hoc enim prędicat, vt diximus ex Am. & alijs, semper verbum esse prædicatum, quānis quādo cum appositō tenetur, sit partiale prædicatum, & si non sit prædicatū, quomodo ipsi cōsonant Arist. dicenti superius verbum semper esse prædicatum.

3. Funda. cōuersio, Aduerte tertiò pro solutione argumē torum cōuersiones, quantitates, nume-

rum terminorum syllogismi, semper cō- fistere in partibus materialibus enunciationis, & ita quādo conuertis propositionem, nō formam verbi, sed significatum rem conuertis, vt homo currit, currens est homo, ita homo est animal, animal est homo, quòd si non dicis ens animal est homo, est ex eo, quia subvnoquoque includitur ens: per hoc patet responsio ad omnia argumenta.

quæstio terminī syllogismorū, in materia- libus enū ciationū partibus reperiun tur tan- tùm.

Circa verbum infinitum est dubium, in quo à negato differat. S. Th. dicit infinitum esse vnicam dictionem simplicē, at negatum esse duas, nempè negationē & verbum, tamē asserit in propositione esse infinitum: id, quod recepit etiā Ammon. 2. Periher. cap. 1.

Dubium 1. opinio.

Oppositū tamen habuit Alex. & Boe. 2. Periher. qui in propositione verbū infinitum esse idem cum negato volunt, idē docet Alb. tract. de nomine, c. 5. & tract. de verbo, cap. 1.

2. opinio

Pro cuius declaratione maximè aduertendū est, primò, verbū habere significationē, significat enim rē aliquā, aut operationem, aut proprietatē: habere etiā cōsignificationē, quia significat aliquid per modum cōpositionis, & vnionis est aliquo, sub certa differentia temporis.

1. Funda.

Est autem discrimen: quādo enim infinitatur verbum, negatio destruit significationem eius, nō currit dicit negationem cursus, at quando negatur, negatio cadit supra eius compositionem, vt homo non currit idem sit, ac dicere, nō est talis compositio, homo currit.

In verbo infinito significa tio nega tur inver bo nega to eius consigni ficatiu.

Et huius expositionis author est Arist. si attentè cōsideretur: nam verbum infinitum: cōcedit esse notam eorum, quæ prædicantur, & prædicatur de eo, quod est, & quod nō est: quæ verba absq; dubio, argumēto sunt, infinitū esse in propositione, & negatā habere significationem: præterea docet negationē oppositā esse affirmationi, cùm autē oppositio cōsistat secūdum formas, negatio erit opposita formæ affirmationis: quæ affirmatio formaliter cōsistit in compositione:

ergo circa compositionem erit negatio etiam. Aduerte secũdo, compositionem nõ habere verbum, nisi in propositione, cum compositio nõ sit absq; extremis, at significationem habet & in propositione, & extra propositionem: ex quo fit, vt verbũ nec in propositione, & extra propositionem nõ sit negatum verbum, at in propositione, & extra propositionem sit infinitatum, cùm semper retineat suam significationem.

2. Funda. & dubij solutio.

Est tamen discrimen considerandum inter negatum in propositione, & infinitum: nam infinitum habet solam negationem. Quid negatũ & infinitũ verbũ in propositione differant.

Quando verbũ à tempore absolutur.

Dubium autem est de quibusdã propositionibus, in quibus verbum, tempus importare non videtur, vt chimera est mõstrum, vacuum est locus carens corpore, homo est animal, ad quod breuiter dico verbum in his absolui à tempore: nõ quòd nõ significet tempus, hoc enim fieri non potest: nam non esset verbum: sed cũ verbum faciat duo in propositione, videlicet vt vniat extrema, & talem vnionem restringat ad differẽtiam temporis quam importat: verbum tũc absolui tur à tempore, quãdo vnit extrema, sed nõ restringit ea ad differẽtiam temporis, quam importat: quod quidem fit, quando extrema sunt essentialia, & naturaliter cõiuncta, vt in illis, quas diximus, quæ dicũtur propositiones sempiternæ veritatis.

2. Non omne verbũ potest infinitari.

Dubitabis, an omne verbum possit infinitari? ad quod idem dico, quod de nomine, nempè verbum ens transcendenter sumptum nõ infinitatur, nisi vt limitatur pro ente actu vel pro perfectè existente quod etiam docet Alber.

¶ *De Oratione, Enunciatione, vna, ac plvri: Affirmatione, & Negatione, ac Contradictione.*

Cap. IIII.

TEXT.

1. Oratio autem est vox significatiua, cuius partium aliqua significatiua est separata, vt dictio, sed nõ vt affirmatio † vel negatio, vt homo aliquid significat, sed non quod est aut non est, sed erit affirmatio vel negatio, si quid additum fuerit. Sed non hominis syllaba vna, neq; enim in eo, quod est sorex, rex significat, sed vox nunc est solum. In duplicibus verò significat quidem aliquid, sed non secũdum se, quemadmodum dictum est.

† Mul. cõ. non habẽt vel negatio.

† Est autem oratio omnis quidẽ significatiua, nõ autem sicut instrumentum: sed quemadmodum dictum est, secundum placitum.

† al. addit in superioribus.

2. Enunciatiua verò nõ omnis, sed in qua verum vel falsum est: non autem in omnibus inest, vt deprecatio oratio quidem est sed neque vera, neque falsa. Cæteræ igitur relinquantur. Rhetoricæ enim, vel Poeticæ cõuenientior est cõsideratio: enunciatiua verò præsentis est speculationis. Est autem vna prima oratio enunciatiua affirmatio, deinde negatio: aliæ verò omnes cõiunctione vnæ. Necesse est autem omnem enunciatiuam orationem ex verbo esse, vel casu verbi, etenim hominis ratio, nisi addatur, aut est, aut fuit, aut erit, aut aliquid huiusmodi, nõdum oratio enũciatiua est: quoniam vnum quiddam est, & non multa, animal gressibile bipes, nõ enim eo, quòd propinquæ partes dicuntur, vna erit: est autem alterius hoc tractare negotij. Est aũt vna oratio enũciatiua, quæ vnũ significat, vel coniunctione vna: plures autem quæ plura, & non vnum, vel inconiunctæ.

ca. 7. Metaph.

3. Nomen igitur, vel verbum dictio sit solum: quoniam nõ est dicere sic aliquid significantem voce, vt enunciare, vel aliquo interrogante vel non, sed ipso sponte proferente.

4. Harum autem hæc quidem simplex est enũciatio, vt aliquid de aliquo: vel aliquid ab aliquo: hæc autem ex his composita, velut oratio quędam iam composita. Est autem simplex enunciatio, vox significatiua de eo, quod est aliquid, vel nõ est quemadmodum tempora diuisa sunt. Affirmatio verò est enũciatio alicuius de aliquo. Negatio verò enũciatio alicuius ab aliquo.

5. Quoniam autẽ enũciare est, & quod est, nõ esse: & quod nõ est, esse: & quod est esse: & quod non est, non esse: & circa ea, quæ extra præsens, tempora sunt, similiter, omne vtique cõtingit, quod quis affirmauerit, negare & qđ quis negauerit, affirmare. Quare manifestum est, quòd omni affirmationi opposita est negatio, & omni negationi affirmatio. Et sit hoc contradictio, affirmatio & negatio oppositæ. Dico autẽ opponi eiusdem de eodẽ, nõ autem æquiuoce, & quæ cunq; cætera talium contra sophisticas determinauimus importunitates.

2. *Oratio autem est vox significatiua, cuius partium aliquid, &c.*

Finis & scopus huius capitis est explicare, quid enũciatio sit, & quę eius species. In tres autem partes est diuisum, in prima explicatur genus enunciationis, nempe oratio quid sit: Secũdò, quid enũciatio, & quotuplex. Tertiò, quę species enunciationis simplicis, & quomodo inter se se habeant.

Circa primum, est definitio orationis: (vox significatiua, cuius partium aliquid est significatiuum separatum, vt dictio, non vt affirmatio.) In primis hic reperitur genus, vox significatiua: quia cùm oratio sit composita, & non sit pars, sicut

verbum, poterat esse dubiũ, si genus non exprimeretur, cuius aliquid partium, idẽ est: ac cuius aliqua pars significat, vt dictio, non vt enunciatio.

Dubium

In primis propter hæc verba Aspasius & Porphy. voluerunt hãc definitionem non esse orationis in communi, sed simplicis: quia oratio composita, habet partes, quæ sint enũciationes. At ista sentẽtia videtur contra Arist. quia in hoc eodem capite, ponit enũciationẽ speciem orationis, & enũciationem rursus diuidit in simplicem, & cõpositam: quod fieri nõ posset, nisi eius genus comprehenderet etiam orationes compositas.

1. Sẽten.

Alexan. & Ammo. & S. Tho. asserunt hic etiam compositam orationem comprehendi: nam in composita sunt etiam dictiones, sicut in simplici.

2. Sẽten.

Sed dices cur adiecit, & non vt affirmatio? respõdet Boet. in secunda editione ex Alexan. & Porph. quia aliquando dictio orationem etiã seu enunciationem significat, propterea adiecit illud verbũ, vt pro simplici dictione sumi significaret & hæc quidem est bona interpretatio.

3. Sẽten.

Possumus autem aliter cõtextum hunc facilius, nec minus verè explicare: pro quo aduerte, quod in oratione tres possent partium modi concurrere, primùm syllabæ ipsæ, literę enim non partes, sed elementa dicuntur: secundo dictiones simplices: tertio propositiones: & inter syllabas aliquãdo inueniuntur aliquę significatiuæ, sed nõ vt syllabæ sunt: vt in hoc nomine sorex rex syllaba significare videtur.

Triplices ad orationis cõpositionem possunt partes cõcurrere.

Respõsio ad dubiũ

Vult ergo Aris. orationem habere partes significatiuas, non partes, quæ sint enũciationes, nec partes, quæ sint syllabæ, sed quæ sint dictiones, & sensus est: cum oratio omnis habeat partes, partes, quæ orationem constituunt, nõ sunt enunciationes, quamuis aliquando esse possint, nec syllabæ, etiamsi aliquando significare videantur: sed partes, quę sint dictiones, & tales dictiones vt per se significent: ad excludendas partes

nominis compositæ figuræ, de quo supe rius diximus.

Oratio partim à natura, partim ab instituto aliquid habet.

At quia nõdum explicuerat, quo pacto significaret oratio, addit, quòd non significat, vt instrumentum sicut alij dicebant, id est, naturaliter, sed ad placitũ, circa quod aduerte orationẽ aliquid habere naturæ, aliquid voluntarij, & ab instituto, sicut res artificiatę: v g. cathedra nec tota est ab arte, quia lignũ est à natura, nec tota est à natura, quia forma est ab arte: tamẽ simpliciter proferimus esse ab arte: quia iudicum sumitur secundum formam: ita oratio habet vocem à natura, tamen significationem, ordinationem, dispositionẽ, & rel qua à voluntate: propterea absolutè dicitur esse ad placitũ, & nõ à natura, & est instrumentum voluntarium, non naturale.

2. *Enunciatiua verò non omnis, sed in qua verum, &c.*

Hæc est secunda pars: in qua Arist. mira breuitate multa dicit: primò insinuãs diuisionem orationis in enunciatiuam, & non enũciatiuã: docet, enũciationem esse orationẽ, in qua est verũ vel falsum: reliquæ autem nõ sunt enunciatiuę, quarum vsus est Rhetorum, & Poëtarũ, sicut vsus enunciationis est Dialectici.

Dialectica curat enũciationẽ solam contemplatur.

Et huius ratio est: finis enim Dialectici est indagatio veritatis, & argumentatio, quę huius instrumentum est: at veritas non nisi enunciatione significatur, nec argumentatio ex alijs, quàm ex enũciationibus cõponitur: propterea enunciatio sola ad Dialecticum spectat.

Definitione posita ipsam enunciationem Arist. diuidit: ac primò in vnã principaliter, cuius species affirmatio, & negatio sunt, & in vnam coniunctione, diuidit. Explicat autem ex quibus oratio enunciatiua cõponatur, & quid sit vna enunciatio: dicit ergo enunciatiuã omnem componi ex verbo, aut casu verbi, intellige simul ex nomine, nam ex vno non fit compositio: exprimit autẽ hoc, quia nulla oratio, quantumcunque vna sit, enunciatiua dicetur, nisi habeat verbum: quod manifestat in definitione, definitio enim oratio est, & vna, nondũ tamen enunciatiua est, quousq; sit verbũ.

Dicet aliquis: definitio quomodo est vna oratio, scilicet animal gressibile, bipes? respondet nõ esse vnam, quia simul & continuò proferatur: vel quia partes coniunctionem habeant Grãmaticalẽ: sed alia ratione, quam inquit, non esse præsentis loci, sed 7. Metaph. c. 12. vbi id tractat, sed nos dicemus postea.

Tandem explicat, quæ enunciatio dicatur vna, & distinguit: quędam est vna, quia vnum significat, vt homo est animal: quędam est vna, quę coniunctione est vna, quamuis plura significet, vt homo est animal, & leo vincit. Vnde ex opposito duplex est propositio, seu enunciatio, plures, & quæ plura significat, vt canis mouetur: vel nõ vnum significat, vt Petrus & Paulus ambulant: vel quæ sunt sine cõiunctione, vt homo est animal, Leo vincit, equus currit.

Potest etiam dici, ideo dixisse vnam propositionem plura & nõ vnum significare, quia vniuocum aliquando significat plura, tamen vt cõueniunt in vno, & ita explicat Psellus.

Nomen igitur, & verbum dictio sit solum, &c. 3.

Ne, dum dicit propositionem significare vnũ, aliquis deciperetur, existimãs significare vnum sicut nomen & verbum per se: hoc remouet, docens ista esse solũ dictiones: nec significare vnum enunciatiuè: siue quis vtatur his respõdendo alicui interrogationi, siue ex se proferat ea, nunquam enim simplici dictione enunciat quis, hoc est, quod dicit. (Non est dicere sic aliquid significãtem vocem enũciare) id est, non est asserendum vocibus solum simplicibus per se vtentem enũciare (vel aliquo interrogante, vel nõ, verum: id est, sed ipso proferente) id est, siue interrogatus respõdeat voce simplici, vel ipse, ex se ipso loquatur & proferat, nũquam voce simplici aliquis enũciabit, nisi aliquid subintelligat, vt sit in respon-

sionibus, & in quibusdam vocibus alijs, vt pluit, tonat, & similia, quæ enunciant virtute alicuius intellectui.

4. *Harum autem hæc quidem simplex est enũciatio, &c.*

Hic cõtinetur diuisio enũciationũ in simplicẽ & cõpositã. Simplex vt homo currit, cõposita, vt homo currit, & leo vincit.

Dubium Solutio.

Dubitabis an ista sit eadem diuisio cũ ea, quæ est in vnum & plures, & respondeo secundum Amm. & Boe. & S. Tho. nõ esse eandẽ: nõ enim est idẽ esse simplex & vnum, vt docet Arist. 12. Meta. c. 7. vnũ enim opponitur multis, simplex autẽ opponitur composito: vnde vnitas enũciationis vel pluralitas, considerantur, secũdum significationẽ dictionum enunciationis, & ipsius enunciationis. At simplicitas vel compositio secundum numerũ dictionum, quæ sunt necessariæ ad enũciationem, vel abundantes: potestq; esse plures, & simplex vt canis mouetur: potestq; esse composita, & vna, vt animal, gressibile, bipes, mouetur, & hanc modo diuisionem Arist. assignat.

Vnde orationis vnitas, vel pluralitas, simplicitas, vel cõpositio sumatur.

Estq; simplex enunciatio, vt subdit Arist. (vox significans aliquid esse vel non esse de alio,) id est habens simplex prædicatum de simplici subiecto: composita verò, quæ præter hæc superaddit, nempè habens plura prædicata, vel subiecta, vel vtraque plura.

Dubium 1. sent.

Vbi est dubium, an hic Arist. definiat simplicem enunciationem? Alex. enim asserit esse definitionem enunciationis, quæ æquiuoca est ad affirmationem, & negationem: ac propterea definitur per sua significata, quomodo definiri possunt omnia æquiuoca: nempe definitione nominis.

2. sent.

At S. Tho. & Amm. nolunt esse illã definitionẽ sed diuisionẽ enunciationis in affirmationẽ & negationem & ratio est, quia iam supernus definita erat enunciatio: nempe oratio, in qua est verum vel falsum: sed ratio ista parum videtur firma cùm prius enũciatio in cõmuni definita fuerit, hic autem enunciatio simplex.

Propterea dico cum Boet. & Porph. 3. sent. cũ istam esse definitionem enunciationis respõsio simplicis, scilicet est vox, quæ significat ne ad dubium. aliquid esse vel non esse de alio.

Datur autem talis definitio per ea, quę sunt inferiorum specierum: quia non est facile propriam assignare differentiã, & vt dicit Boet. quo simul definiendo diuideret simplicem in affirmationem & negationem, quas definit, dicens, affirmatio est enunciatio alicuius de aliquo, negatio est enunciatio alicuius ab aliquo.

Vbi præpositiones sunt aduertendæ, nam (Ab) importat quandam separationem, quæ fit in negatione. (De) quandã coniunctionem, quæ fit in affirmatione. An verò enunciatio sit genus ad affirmationem & negationem, vel æquiuocum, dicemus postea.

5. *Quoniam autem enunciare est, & quod est, non esse, &c.*

Hic Arist. explicat, quomodo se affirmatio, & negatio inter sese habeant, quę est tertia capitis pars, & intendit docere esse oppositas inter se: ad quod probandum ingeniosè sumit duo. Alterum est: quadrupliciter contingit enũciare. Primò, quod est esse, id est, affirmare, quod est, quod fit in enunciatione vera, vt homo est animal. Secundò, quod non est, nõ esse, id est, negare, quæ nõ sunt, quod fit in negatione vera, vt homo non est. Tertiò, quod est non esse, quod fit in negatione falsa, vt homo nõ est animal. Quartò, quod nõ est esse, quod fit in affirmatione falsa, vt homo est leo.

Ex hoc fundamento sequitur alterũ: omne quod affirmatur, posse negari, & contra: & hoc manifestè sequitur ex præcedenti, si enim nõ affirmarẽtur nisi quæ sunt, & negarentur, nisi quæ non sunt, nõ omnis affirmatio haberet negationem, nec è contra: cùm igitur & quæ sunt, & quæ non sunt enunciare contingat esse, vel non esse, illud manifestè sequitur.

Ex vtroque autem sequitur negationẽ opponi affirmationi, & è contra: nõ autẽ quæcunque affirmatio cuicunque negationi

tioni opponitur, sed quando sunt ex eisdem extremis, & habent vnionem dictiones, & reliqua, quæ sunt necessaria, quæ explicant. 1. Elench. capit. 4. propter sophistas.

QVÆSTIO I.
De Oratione.



TOrdinem Arist. in disputãdo obseruemus, de oratione oportet prius differere, & quidé proposita eius diuisione duo dubitari possunt: Primum an omnis oratio ab Arist. hic definiatur? alterum an oratio sit genus enũciationis?

Quotuplex sit Oratio?

1. diuis. Circa primũ quotuplex oratio sit inquiramus. Laurentius Valla in sua Dialectica, orationem primò in plenã, plenioré & plenissimã diuisit: vocat plenã orationé, quæ solũ partibus necessarijs cõstat, nẽpe nomine & verbo, vt homo currit: vocat plenioré, quæ plures habet partes quã necessarias, vt syllogismus, at quę numeris omnibus absoluta est, plenissima dicitur, quales orationes Rhetoricæ: ista diuisio, quamuis bona sit, non tamen est prima, nec diuidit omnem orationem.

2. diuis. Oratio alia est perfecta, alia imperfecta. Propterea Boet. diuisio amplectenda est, quem postea omnes fere sunt sequuti: quamuis ipse à Græcis eam diuisionem acceperit. Est igitur oratio duplex: perfecta, & imperfecta: perfecta est, quę perfectum sensum generat in animo auditoris: vocamus sensum sententiam ipsam: vocamus perfectũ, non cui non possit aliud adiungi, sed qui facit intellectũ quiescere, quantũ ad appræhensionem alicuius rei, vocamus auditoré, aduertentẽ, & intelligentem. Oratio verò imperfecta, est oratio imperfectum sensum generans, quales sunt orationes sine verbo, vel cum verbo, in quibus est coniunctio suspendens, vel relatiuum, qui, cum vno verbo, & aliæ similes.

Perfectę orationis partitio. Oratio perfecta diuiditur ab Ammo. in præfatione huius libri, & à S. Thom. tract. super hunc libr. c. 3. in quinque partes, in enunciatiuam, vocatiuam, interrogatiuam, imperatiuam, optatiuam, vel deprecatiuam. in prima ineſt verum vel falsum, in reliquis verò non.

Harum quatuor sufficientiam ponit S. Tho. inquit enim, homo potest comparari ratione alicuius inferioris, vel ratione alicuius superioris, cum inferiori, tripliciter se habet: vel vult illius mẽtem in se conuertere, & ad hoc vtitur vocatiua oratione: vel vult mentẽ eius sibi explicari, & vtitur interrogatiua, vel vult, vt exequatur aliquod opus, & vtitur imperatiua, vel exhortatiua: cum superiori verò non nisi deprecatiua vel desiderati ua vtitur, reliquæ ad has reducuntur. Nota.

Dubium Cur inter orationes solæ enũciatiua verũ vel falsum complectãt.

Sed dices, quare in his non est verum vel falsum, sicut in enunciatiua? nota ex Boet. in homine duplicem potentiã, altera est intellectus, in quo sole ineſt verum, vel falsum, altera est appetitus, in quo ineſt bonum vel malum: enunciatiua solũ explicamus ea, quæ intellectu cõcipimus: propterea illi ineſt verũ vel falsum, alijs omnibus explicamus ea, quæ habemus in appetitu, propterea nec verum nec falsum habent: quod si interdũ enunciamus ea, quæ appetimus: id fit, quatenus eadem cognoscuntur ab intellectu: reddi etiam alia ratio potest, quia ab eo, quod res est, vel non est, enunciatio est, & dicitur vera vel falsa: sola autẽ indicatiui enunciat, quòd aliquid sit, vel non sit, aliæ non ita. Et hinc etiam est, quòd illa sola perfectum generat sensum, aliæ minime.

An oratio in communi hic definiatur ab Aristotele: an solum oratio perfecta?

1. opinio. HIs igitur suppositis dubiũ est, an oratio tã perfecta, quã imperfecta hic definiatur, an sola perfecta? Albert. tract. de enunciatione. c. 1. cũ Philop. existimat solã perfectam hic definiri, est aũt ratio Alber. quia sola perfecta est genus enũciationis, hic autẽ oratio consideratur, vt est genus orationis: ratio verò Philop. est, partes non dicuntur, nisi respectu totius, sed oratio imperfecta non est totum, totum enim perfectum est. ergo imperfecta non habet partes, & sic eimò competit definitio.

2. opin. Alij, de quibus superius diximus, inter quos sunt Aspasius, & Porphyrius solam hic simplicem orationem definiri volunt.

3. opin. Oro in cõmuni accepta ab Arist. est definita: At verò oppositа sententia est Boet. S. Tho. & aliorum, nẽpe orationé in cõmuni, vt includit tam perfectam, quàm imperfectam, simplicem, & compositam hic definiri, & ita est tenendum. Primò, quia definitio omni cõpetit orationi, vt patet, & suprà exposuimus: præterea quia hic definitionem vocat Arist. orationé, & vnam, quæ tamen est imperfecta oratio, cùm sit sine verbo.

Nec argumentum Alber. habet robur, quia non solùm oratio perfecta est genus enunciationis, sed etiam oratio in communi: habet enim se oratio ad enũciationem, sicut viuens ad hominem, est namque genus remotius.

Pergen remotũ quãdo li ceat definitionẽ extruere Quòd si dicas, non licet definire, nisi per genus propinquum: dico id non esse semper verum: quando enim addimus differentias, quæ sunt ab illo genere vsq; ad propinquum, licet benè definire per remotum: vt si dicas, homo est viuẽs sensibile, rationale, vt docet Aristot. 6. Topic. cap. 3. doc. 27. ita illa differentia verũ vel falsum secum habet, quod sit oratio perfecta.

Partes in toto duplici se habent modo. Ad illud Philop. respõdet benè S. Th. partes in aliquo toto se habere dupliciter, aliquæ primo sunt ipsius totius, quales sunt illæ, quæ nihil aliud, quàm tale totum componunt, sicut caput, pectus, brachium, & similia componũt corpus: aliquæ non primò totum ipsum componunt, sed per aliud: vt oculus, lingua, nasus, non primò corpus ipsum, sed caput, & per caput corpus componunt: ita similiter lapides non primò domum, sed parietes constituunt: ex quo fit, vt partes non solùm respectu totius perfecti, sed etiam imperfecti dicantur.

Hinc patet solutio, potest enim esse oratio imperfecta, & partes habere, nẽpè illas, ex quibus primò oratio perfecta non componitur: vt Deus iustus, & bonus, est oratio, & tales partes, primò illã orationem componunt, & per eam componunt aliquam perfectam: vt si addas, miseretur peccatorum. Solutio argum.

Ad illud Aspasij, suprà responsum est.

Patet igitur orationem in communi hic definiri ab Aristotele.

An oratio sit genus enunciationis? Dubiũ.

Dubitatur an oratio sit genus enunciationis? Quidam existimant non esse genus præsertim propositionis, quia propositio est in voce, mente, & scripto: at oratio non est, nisi in sola voce.

Solutio. Dico primò orationem non solùm voce, sed in mente & scripto etiam reperiri, vt suprà diximus de mente Boet. & Ammo. Dico secundò: hic considerat propositio, vt ré verè vel falsò significat, & vt conceptus est manifestatiua, ac propterea enunciatio dicitur, hoc enim est enunciare, rei veritatem vel falsitatem manifestare: ideò huius genus optimè ponitur oratio, quæ autem sit propositio in mente, primo Prio. c. 1. tradetur.

QVÆSTIO II.
De enunciatione.

De nomine enunciationis.

PRimò de nomine enunciationis, secundò de eius diuisionibus, Tertiò quales diuisiones sint, est tractandum.

Eadẽ oratio, vt variè cõsideratur ita varia habet nomina. Circa nomen aduerte, multa nomina eandem orationem significare, diuersis rationibus: primò oratio, vt verũ vel falsum significans, quatenus conceptus & rei est manifestatiua, enunciatio & interpretatio dicitur, eadem quatenus in syllogismo, tanquam aliud probans sumitur, propositio, quatenus iam probata, conclusio, quatenus sub dubio ponitur probanda, si fuerit necessaria quæstio: vt vtrum homo sit risibilis: si probabilis, problema, vt parentes sint honorandi,

randi, nec ne? si apparens & multiplex, sophisma, vt verum canis mouetur? quatenus adducitur ad obuiandum dictis alterius, instantia: quatenus ipsi innititur, demonstratio, dignitas, postulatio, petitio, seu suppositio dicitur.

Et ita horum est vsus loquendi apud Peripateticos, quamuis iam Neoterici quamlibet orationem significantem verum vel falsum, propositionem vocent: tamen ista distinctio obseruãda est: propriè igitur talis oratio, vt hic consideratur, enunciatio dicitur.

3. Diuis. Enũciationis.

De diuisione enunciationis.

HAec igitur enunciatio primo diuiditur in vnam & plures. Enunciatio vna est, quæ vnum significat, id est, vnicam complexionem, actu & potentia significat, vt homo currit. Triplex autem inuenitur enunciatio vna. Primò vna voce & significatione, quando est vna complexio in re & in voce, vt homo currit. Secundo vna re, sed non voce, quãdo voces idem re significant, vt animal gressibile, bipes currit, illud enim subiectũ vnicam rem significat. Tertiò vna coniunctione, vt quando dicitur, homo currit, & leo vincit: nec ponimus cum Albert. vnam voce, sed non re, quia talis est simpliciter plures, vt canis mouetur.

Enuncia tio vna triplex est.

Enuncia tio multiplex in quatuor membra diuid. tur

Propositio plures est, quæ plura, & nõ vnum significat, quæ verba suprà explicuimus. Est autem quadruplex propositio, seu enũciatio multiplex. Primò, quãdo sunt plures non connexæ formaliter, vt homo currit, leo vincit, Petrus ludet. Secundò quando est vna quidem voce, sed multæ re, vt canis mouetur. Tertiò, quando est cum multiplici subiecto non connexo, vt Petrus, leo, equus, mouetur, sunt enim tales multæ non actu, sed potestate. Quartò, quãdo id est à parte prædicati, vt homo est doctus, iustus, studiosus diligẽs, sunt enim omnes hæ quatuor plures, cùm vel formaliter, vel virtualiter plures connexiones absque coniunctione significent.

Dubitatur quid sit enunciatio coniunctione vna? In hac parte Neoterici multum ab antiquorum doctrina desciant: idem enim per enunciationem coniunctione vnam, & per compositam intelligunt, quam vocant propositionem hypotheticam, dicunt autem propositionem hypotheticam quamcunque enunciationem constantem ex pluribus enunciationibus principalibus, media aliqua cõiunctione, siue sit copulatiua, siue disiunctiua, siue quæcunque alia.

1. sentẽ.

Antiqui verò hypotheticam vocabãt casualem, rationalem, conditionalem, enunciationẽ, vt refert Boet. super Topi. Cicc. ex Eudemo, & Theophrasto. & ratio est clara, quia hypothetica idẽ est, ac si latinè dicas suppositiua, quasi propositio, in qua vna supposita & data parte, pars altera sequitur, quod non in copulatiua fit: & hoc idem docet Boet. in tract. de syllogis. hypot. vbi illas tres enũciationes communiter vocat conditionales. Philop. addit etiam disiunctiuam constantem ex oppositis partibus immediatè, quia etiam in hac data vna parte sequitur altera, vt vel Petrus stat, vel non stat, currit, vel non currit.

2. sentẽ. Hypothetică quam appellarint antiqui oronem

Ex hoc fit, vt hic per enunciationem coniunctione vnam, intelligatur conditionalis, quæ in illas tres diuiditur, & disiunctiua: & ista est sentẽtia Ammon. & Boet. & Alber. mag. tract. de enunciatione. c. 2. & similiter Arabum, Auice. & Algaxe. vbi Ammo copulatiuam nõ vnam appellandam censet, sed multiplicem, est enim vt manipulus ex multis congregatur.

At quamuis ista sententia sit tenenda, quantum ad hoc, quod hypothetica propriè dicendæ sunt disiunctiua & conditionalis: existimo tamen hic per propositionem coniunctione vnam nõ solam hypotheticam, sed etiam copulatiuam, & si quæ aliæ sunt, quarum partes quacũque coniunctione sunt coniunctæ, esse intelligendum: cùm tales enunciationes non solum habeant hoc, quòd in se multas simplices concludant, sed speciale aliquid, quantum ad veritatem vel falsitatẽ præter simplices addant.

3. sentẽ. Quæ oratio coniunctionevna ac cipiẽda.

2. diuis. enuncia tionis.

Secunda diuisio est enunciationis ipsius in simplicẽ & compositam: hæc autẽ vt diximus superius, & docet Boet. in. 2. editione, nõ est eadẽ cum superiori, cùm possit esse simplex, & plures, vt canis mouetur: & vna, & composita, vt animal rationale, mortale currit. Simplicitas enim propositionis consistit in hoc, quod vnũ simplex subiectum, & prædicatũ habeãt, vt homo disputat. cõposita verò in hoc, quòd multitudinem in subiectis & prædicatis patiantur.

Vnde distinguitur composita, in eam quæ ex pluribus propositionibus fit, vt si lucet sol, est dies. & in eam, quæ ex pluribus subiectis vel prædicatis, vnum facientibus seu significantibus constat, vt animal rationale, mortale, est homo: & in eam quæ ex pluribus similiter subiectis vel prædicatis, non tamen facientibus vnum cõficitur, vt homo, & leo, & equus currit, homo est iustus, sapiens, & diligens.

3. diuisio

Tertia est subdiuisio enunciationis simplicis in affirmationem, & negationem, vt suprà explicuimus.

Dubium.

Quibus suppositis est dubium de diuisionibus his, quales sint: estq; aduertendum, has diuisiones esse secundum substãtiam propositionis, scilicet, quòd sit vna vel plures simplex vel composita, affirmatio vel negatio: aliæ diuisiones sunt secundum accidentia, vt quòd sit vniuersalis vel particularis: & quidem de diuisione in vnam & plures, simplicem & cõpositam, omnes ferè conueniunt esse analogii in analogata.

Dubiũ. 2.

At de tertia subdiuisione est dubium an sit generis in species, vel analogi in analogata. Alex. Alphrod. cuius meminit etiam Ammo. in prooem. huius libri. Et vt videre est apud ipsum in. 2. Prio. cap. 1. & ibidem Philop. contra Alexan. & Buran. qui defendit Alexandrũ, & sustinuit eãdem sententiam. Sustinet esse æquiuocam enunciationem, ad affirmationem, & negationem: præcipua ratio hæc est: vbi prius est & posterius, ibi est analogia, at affirmatio est prior negatione, ergo enunciatio est æquiuoca ad ea: maior est clara, quia in vniuoco ratio est eadem: minor patet ex Aristot. in hoc capite. vbi dicit, (vna prima enunciatio affirmatiua) vbi Boe. 2. Editione illud (prima) iungit cum affirmatione: vt sit sensus: affirmatio est prior, deinde negatio: & expresè primò Post. cap. 24. vocat priorem affirmationem negatione: & probatur ratione, quia affirmatio est compositio, negatio diuisio: sed prior natura est compositio diuisione, ergo & affirmatio est prior negatione: præterea quia negatio est priuatio, affirmatio est habitus, sed habitus naturaliter prior est priuatione, ergo & affirmatio prior.

1. opinio. Affirmatio negatione est quadrupliciter prior.

Oppositæ sententiæ est Porphyr. Ammo. Boet. Simpli. in prædica. quantitatis S. Tho. & aliorum: asserentium talem diuisionem esse generis in species. propterea sit primò aduertendum: affirmationem quadrupliciter esse negatione priorem. Primò est prior, quia simplicior est, negatio enim fit ex affirmatione aliquo superaddito, & hoc est, quod dicit Boet. affirmatio est prior negatione, id est, pulatione, & Ammo. dicit, est prior affirmatio simplicitate dictionis. Secundò est prior, quia notior, nullus enim cognoscit affirmationem per negationem, at negationem ipsam ex ipsa cognitione affirmationis consideramus: & hæc prioritas notionis ponitur ab Aristot. 1. post. c. 21. Tertio est prior secundum rem significatam, vt dicit S. Tho. tracta. super hunc librum, cap. 6. nam affirmatio significat rẽ esse, negatio non esse, quamuis autem in particulari prius sit aliquid non esse, quã esse: tamen absolutè loquendo, esse semper præcesserit nõ esse: aliter nihil posset produci: propterea dicit Arist. 9. Meta. actus prior est potentia. Quarto dicitur prior secundum intellectũ, quia intellectu prius cõponimus, quod est affirmare, quàm

quàm diuidamus, quod est negare.

a. fund. Nouvbiq; analogiâ Logicâ reperiri, vbi sit prius & posterius.

Est tè cundò valdè aduertêdum, quòd non vbicunque est prius, & posterius, ibi est æquiuocatio, seu analogia Logica: dupliciter enim aliquid dicitur prius vel posterius, vno modo inuenitur inter aliqua inter secundum quòd vnum altero est perfectius, vel vnum virtualiter includit alterum: quo pacto vna species altera prior est, vt homo leone, & quadrangulus triangulo, & binario trinarius: tale autem prius & posterius non aufert vniuocationem duorum vel plurium in aliquo superiori, vt patet in exemplis assignatis, imò inter species generum talis ordo inuenitur.

Altero modo inuenitur prius & posterius in ipso superiori respectu inferiorũ, quando eius ratio vni ineſt primo, & per ipsum alijs, vt sanum dicit sanitatẽ, quæ primò est in animali, in vrina verò & medicina per ordinem ad animal: similiter ineſt ens substantiæ, & accidenti, non sic autem animal homini, & leoni, tale prius & posterius constituit analogiã, hoc autem non inuenitur in enunciatione respectu affirmationis vel negationis, quãuis enim vna respectu alterius prior sit, vt diximus, tamen enunciatio primò illi ineſt, cùm æquè ipsi, & eius definitio de vtraque prædicetur.

Est ergo vniuoca enunciatio sicut figura, numerus animal, in quibus est eadem ratio, hæc doctrina est Simplic. in prædic. quantitatis: & Ammo. in hoc ca. & Boet. & S. Thom. loco allegato, & est considerãda.

2. concl. Ex quibus patet enunciationem simplicem esse genus ad affirmationem & negationem.

Ad. 1. ar. Nec argumentum Alexan. quicquam valet, non enim probat, nisi affirmationem esse priorem negatione, si ad inuicem comparentur, at si ad enunciationem referantur, non prius vna enunciat, & participet naturam enunciationis, quàm altera.

Dubium Dices, esse affirmatiuam vel negatiuã videtur dicere qualitatẽ enunciationis, ergo affirmatio & negatio non differũt specie, sed qualitate, & accidẽti, sicut homo albus, & homo niger, non differunt specie, vt dicitur. 10. Meth. c. 12.

Solutio. Dico esse affirmatiuam vel negatiuã, esse quidem qualitates enũciationis, sed qualitates essentiales, constituentes cũ ipso genere species distinctas, quomodo differentiæ dici solent qualitates generis: pro quo aduerte, quod esse affirmatiuam vel negatiuam, non consistit in materia propositionis, aliter enim non cõstituerent speciem: sed in forma, nempe in compositione, quam verbum importat, & quia sunt diuersæ compositiones, affirmatio, & negatio, & diuersi modi enunciandi, inde constituunt varias species, ac propterea negatio semper debet cadere supra verbum, & non solũ supra significationem verbi, nam hæc non est negatio, homo est non currens.

Dub. 2. Circa hoc caput occurrere posset dubium, cuius solutionem prætermisit Arist. quare definitio cum plures partes habeat, dicatur vna? quod ipse. 7. Meth. capit. 12. docet.

Solutio. Partes definitionis cõstituẽtes totam naturam distinctè partẽtatum explicant. Dico, & est aduertendum, singulas partes definitionis per se dicere totã naturam definiti confusè, vnam autem partẽ explicare distinctè, v. g. rationale dicitur totam naturam hominis confusè, distinctè verò illã, vt principium ratiocinandi est, animal dicit totam hominis naturã confusè, distinctè verò hoc, quo principium sentiendi est, & sic de reliquis: vnde definitio est constata ex pluribus, idem cõfusè significantibus, sed singulis aliquid in eo distinctè exprimentibus. Ideò dicitur vna, quia re vera idem dicit vnum, quod alterum, quantum ad rem, sed non quantum ad modum significandi: qui modus non multiplicat orationem, cum vnitas & multitudo à re significante sumatur, & hanc doctrinam obserua.

Dub. 3. Tandem dubitatur circa illa verba Arist. (contradictio est affirmatio & negatio opposita) videtur enim oũ esse verã, nam etiam ad oppositionem contrariã & subcontrariam est necessaria affirmatio & negatio.

Solutio. Dico, quòd contraria, & subcontraria oppositio non in sola negatione & affirmatione consistunt, sed in quantitate etiam subiecti, quod vtraque sit vel vniuersalis vel particularis: at contradictio per se in pura negatiõe & affirmatiõe, ita vt si tolum affirmationẽ, & negationẽ inspicias, remota quantitate, est contradictio. propterea inuenitur cõtradictio in singularibus propositionibus, & in ipsis terminis, vbi nulla est vniuersalitas vel particularitas, quæ sunt quantitates: propterea dixit contradictio est affirmatio & negatio, quasi formaliter in his cõsistat at quia nõ quæcunq; negatio affirmationi enicuno; cõtradicit, ideò addit, opposita.

Nota. Quæ sint affirmationes negationes ẽ oppositę.

Quæ autẽ affirmationes & negationes oppositæ sint, partim hic explicat, partim explicuit. 1. Elench. c. 4. est enim oppositio vnius & eiusdem, non solum rei, sed rei, & nominis non synonymi, sed eiusdẽ ad idem, secundum idem, similiter, in eodem tempore, id est, dicuntur constare ex eodem subiecto, & prædicato: dicuntur termini esse vniuoci, non synonymi, sed idem prorsus. & dicuntur sumi secundum idem: vnde nõ opponuntur hę enũciationes, illa tabula est dupla, & illa nõ est dupla si prius ad medietatẽ, posterius ad tertiam comparetur, quia non ad idẽ sic etiam quia non sunt secundum idem, ista non opponuntur. Aethiops est albus secundũ dentes, nõ est albus secundũ faciem: rursus quia non similiter, nec istæ opponuntur, Petrus currit velociter, nõ currit tardè. Et quia nõ eodem tempore & loco, non hæ opponũtur, heri legi, hodie non legi, sum extra pontem, nõ sum extra pontẽ, si vna hic, altera alibi proferatur. & hæc de hoc capite.

Diuiditur enunciatio iuxta quantitates notas. Enunciationum oppositiones assignãtur: vtraq; ipsarum veritatem ac falsitatem regulæ aduntur: ac quæ sit vna affirmatio & negatio determinatur.

CAP. V.

1. Sectio secũda secundum Græcos.

QVoniam autem sunt hæ quidẽ rerum vniuersales, illæ verò singulares (dico autem vniuersale, quod in pluribus prædicari natum est. Singulare verò, quod non: vt homo quidem vniuersalium est. Callias verò eorũ, quæ sunt singularia) necesse est, quoque enunciare, quod ineſt aliquid, aut nõ, aliquãdo quidem alicui eorũ quæ vniuersalia sunt, aliquando autẽ eorũ quæ singularia † sunt.

† a. l. sunt: siquidẽ vniuersalii.

2. † a. l. quid est aliquid aut nõ erunt hæ cõtrarię enunciationes.

Si ergo in vniuersali vniuersaliter enũciet quis † quod est, aut non est, cõtrariæ enunciationes erũt. Dico autem in vniuersali enũciare vniuersaliter, vt omnis homo albus est, nullus homo albus est.

Quando autem in vniuersalibus, non vniuersaliter aũt, † nõ sunt cõtrarię, quæ autem significantur, est esse aliquando cõtraria. Dico autẽ nõ vniuersaliter enũciare in ipsis, quæ vniuersalia sunt, vt est albus homo: nõ est albus homo cũ enim vniuersale sit homo, non vniuersaliter vtitur enunciatione omnis nãque non vniuersale significat, sed quod vniuersaliter.

3. † a. l. hæ quidẽ nõ sunt contrariæ.

In eo verò quod prædicatur vniuersale id quod est vniuersaliter prædicare, non est verũ. Nulla enim affirmatio vera erit in quã cũ vniuersale fit prædicatũ, vniuersaliter prædicatur: vt est omnis homo, omne animal.

4.

Opponi aũt affirmationẽ negationi dico cõtradictorię, quę vniuersaliter significat idẽ, quod nõ vniuersaliter vt omnis homo albus est: nõ omnis homo albus est nullus homo albus est, aliquis homo albus est. Cõtrariæ verò vniuersale affirmationẽ & vniuersalẽ negationẽ † vt nõs homo iuſt⁹ est, nullus homo iustus est.

5.

† a. l. vt omnis homo albus est: nullus homo albus est.

De subiectis, & prædicatis enunciationũ.

Cum in capite præcedenti negationẽ, & affirmationem opponi inter se doceret, nunc de hac enunciationum oppositione differere prosequitur cum autem oppositio & secundum quantitatem, & secundum veritatem, vel falsitatem enũciationẽ cõsiet, in hoc capite de quãtitate, quæ

quæ præcipuè in subiectis spectatur, in sequenti de veritate, & falsitate tractat.

Primò igitur hanc conclusionē cōstituit. Omnis enunciatio aut est de subiecto vniuersali: aut de subiecto singulari, siue affirmatiua, siue negatiua sit, quā tali syllogismo demonstrat: quoties enunciamus siue affirmatiuè, siue negatiuè rē de re enunciamus: sed omnis res vel vniuersalis est, vel singularis: ergo quoties enunciamus, vel de vniuersali, vel de singulari rem enunciamus: maiorem non exprimit, minorem sub forma diuisionis proponit, eamque descriptione & exemplis illustrat, inquit.

4. *Quoniam autem sunt hæc quidem rerum vniuersalia.*

AC si dicat, quia res quædam sunt vniuersales, quædam sunt singulares: & nota, quòd dicit (quoniam) vt intelligas esse probationē à causa. Ex hoc enim, quòd res sint vel vniuersales vel singulares, & semper de re enunciamus, sit, vt enunciatio vel sit de subiecto communi, vel singulari.

Quæ dicatur res vniuersalis.

Describit autem, quæ dicatur vniuersalis, & dicit Vniuersale est, quod in pluribus prædicari aptum est, vt homo, animal, leo. Dicit autem (aptum est) quia non est necesse, si rem vniuersalem proferamus, quod actu eam de multis prædicemus. Sat erit, si ipsa aptitudo sit, vel vt S. Th. dicit propter multa, quæ actu non habent plura, de quibus prædicētur, sunt tamen vniuersalia, quia aptitudinem habent: vt sol, mundus. Singulare est, quod non est de pluribus prædicari aptum, vt Socrates, Plato.

Dubium

Dices, quare Arist. non dixit de prædicatis, quæ prædicata enunciare contingat? dico primò, quia quantitas propositionis non à prædicato, sed à subiecto sumitur, vnde ista prædicatio cēsetur singularis, Plato est animal, quamuis prædicatum sit vniuersale.

quātitas propositionum à subiecto sumitur nō attributo.

Dico secundò, quia ex doctrina præcedenti prædicamentorum constat, semper vniuersalia prædicari, reliquæ enim sunt prædicationes indirectæ vel improprię, æqua enim de æquis, vel superiora de inferioribus, non autem inferiora de superioribus, nec singularia de se ipsis, propriè prædicantur, hæc igitur de causa Arist. non prædicatorum, quæ iam determinata sunt esse vniuersalia, sed subiectorum meminit.

2. *Si ergo in vniuersali, vniuersaliter enunciet quis, quoniam est, &c.*

Circa illam partem, qua, de re vniuersali, aliquid vel affirmatiuè vel negatiuè enunciatur. Arist. trimembrem diuisionē necessariam facit, & per singular postea partes procedit, ostendendo, quo opponantur, & reliqua circa eas explicando.

Tripliciter ergo de vniuersali affirmatiuè vel negatiuè enunciamus, primò de vniuersali vniuersaliter, vt omnis homo iustus est, nullus homo iustus est: secundò de vniuersali, de neutro tamen vniuersaliter, vt homo iustus est, homo iustus nō est: tertiò de vniuersali, sed de vno vniuersaliter, de altero non vniuersaliter, vt omnis homo iustus est, homo iustus non est, vel nullus homo iustus est, homo iustus, nec aliter vllo modo enunciare contingit de vniuersali.

In omnibus autem his notat Ammo. semper intellige de affirmatione & negatione ex eodem subiecto, & prædicato: & cum reliquis circūstantijs, quę sunt ad oppositionem necessariæ. De oppositis enim affirmationibus, & negationibus hic disseritur.

Accedit igitur ad primæ partis explicationem, & docet quoties de vniuersali vniuersaliter enunciamus affirmatiuè & negatiuè, tales sunt enunciationes contrariæ, vt omnis homo iustus est, nullus homo iustus est. Exponit autem quid sit de vniuersali vniuersaliter enūciare, exemplo quodam: nempe, quando propositio signum aliquod vniuersalitatis habet, vt omnis homo albus est, nullus homo albus est.

Dubitat S. Tho. quare talis oppositio dicatur contraria, & respondet subtiliter & be

Dubium

Solutio. Contrariæ dicūtur oppositiones per similitudinē à rebus contrarijs acceptam.

& bene, vt etiam Ammo. dici per similitudinem ad res, quæ contrarię dicuntur: illæ enim res contrariæ dicūtur, quæ maximè inter se distant & secū pugnant, vt album maximè à nigro distat, & calidum à frigido, vnde media non propriè extremis contraria sunt: cum ab eis nō distent maximè. At istæ propositiones maximè distant, omnis homo albus est, nullus homo albus est: cum prior ponat omnia in dimidua hominis copulatiuè, at altera omnia etiam neget. Ista verò, nō omnis homo albus est, non aufert omnia, significat enim aliquis homo albus non est, meritò ergo illa dicuntur contraria.

3. *Quando autem in vniuersalibus nō vniuersaliter, non sunt contrariæ, &c.*

Hoc est alterum diuisionis membrū, nempè, aut enunciamus de vniuersali, non tamen vniuersaliter, vt homo albus est, homo albus non est: explicat autem quando de vniuersali non vniuersaliter prædicemus, nimirum quando dicimus, homo albus est, homo albus non est.

Quòd si dicas in his enunciationibus subijcit vniuersale, ergo vniuersaliter enunciamus: respōdet homo, leo, animal, & similia subiecta significare quidē rem vniuersalem, sed nō cum hoc modo vniuersalitatis, quam significat ipsum signū omnis, nullus, & similia, hæc enim signa nō ipsum vniuersale significāt, sed ipsum vniuersaliter subijcit: quod non aliud est, quàm denotare: prædicatum, omni inferiori subiecti, copulatiuè, nullo dempto inesse, vel ab omni eo remoueri: tales autem enunciationes asserit non esse cōtrarias, quas nos vocamus sub cōtrarias.

1. exposi. Addit tamen hæc verba de ipsis. (Quæ significantur est esse aliquando contraria) qui locus satis est difficilis propter varias interpretatiōes, in primis Hermini, vt refert Boet. in 2. edition. exponebat hoc pacto: istas subcontrarias aliquādo significare contraria, quia aliquando vna est vera, & altera est falsa, vt in materia necessaria vel impossibili, vt homo est animal, homo non est animal. Sed ista reijcitur expositio, quia nondum quicquam de veritate vel falsitate dictum est.

Alex. quem commendat & sequitur 2. exposi. S. Th. interpretabatur subcōtrarias aliquando significare cōtrarias, quia in certa materia scilicet necessaria equivalēt contrarijs, vt homo est animal, & omnis homo est animal, homo non est animal & nullus homo est animal, non tamē in materia contingenti.

Tertia expositio habet profectò cęlebres interpretes, nempe Porph. & Anim. Psel. & Boet huiusmodi est. Pro quo notant aliqua esse, quæ habent contraria, aliqua carēt contrarijs. Album enim calidum, par, cōtraria habent, animal verò corpus, currit, ambulat, contraria nō habent. Hinc fit quorundam negationes importare contraria, quorundam verò non, vt non album, importat contrarium, nempe nigrum vel medium, quod participat de contrario, non sanum importat ægrum. At non ambulat, non animal, nō importat contrarium. 3. exposi.

Cùm igitur in his particularibus in vna affirmetur prędicatum, in altera negetur, & negatio aliquando importet cōtrarium, fit, vt aliquando tales enunciationes licet contrariæ non sint, eorū tamen significata contraria sint, vt homo est calidus, homo non est calidus, ibi non calidus, dicit, quod sit frigidus, homo nō est sanus, id est, est ęger. Hoc autem dicit, ne existimemus contrarietatem prędicatorum, enunciationes contrarias facere, & propter tantam expositorum authoritatem non mihi displicet hæc expositio.

Quod si dicas hoc etiam in contrarijs enunciationibus inest, respondetur, id verū esse, sed in istis particularibus hoc notatur, quia aliam contrarietatem nō habent, quàm prædicatorum.

Amm. ait propterea dubitasse in subcōtrarijs, quia in his est prædicatū negatum. id est, homo non albus, sed hæc ratio nulla est, quia & in vniuersali negatur 4. exposi.

tur prædicatum, nullus homo est albus; melius dicetur q. in contrarijs dubiũ non erat, cum contrariæ tam sint, at in his est dubium cum non sint contrariæ: posset enim quis arbitrari esse contrarias, quia significant res contrarias, & non significare contraria cum non sint contrariæ propterea autem vtrumq; esse, & esse nõ contraria, & significare aliquando cõtraria. Est alia expositio modernorum sine dubio non spernenda, nempe hic Arist. loqui de enunciationibus, in quibus subiectum est vniuersale sine aliquo signo nec vniuersali, nec particulari, quas indefinitas vocant, vt homo albus est, homo non est albus, & has dicit esse, seu aliquãdo fieri contrarias, nempe signis solum additis vniuersalitatis, omnis, nullus, quod non fit in singularibus, nec in particularibus: quæ signum habent particulare. hæc est expositio, quam sequitur Suessanus.

6. expositio.

7. expositio.

Inter has omnes mihi placet expositio tertia Porph. & aliorum: quãuis sub censura sanioris iudicij adderem hunc locum hic nos posse commodius interpretari, vt loquatur de his, quæ subiectũ habent vniuersale, siue cum signo particulari sint, vt aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus: siue sine aliquo signo, vt homo est albus, quia sicut nec istæ sunt contrariæ, ita nec illæ. ac propterea Arist. loquitur negatiuè. scilicet, quæ sunt de subiecto vniuersali, non vniuersaliter: nec dixit particulariter, vt vtrasq; intelligeremus, & quãdo est cum signo particulari, & sine aliquo signo, aliter enim diceret de vniuersali particulariter vel indefinitè, & sensus iste est, has propositiones non esse cõtrarias, tamen extrema, quæ per has enunciamus (aliquando est esse contraria) id est, contingit enunciare contrariè, vt homo est albus, homo nõ est albus. aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus. Eadẽ significata & eandem rem, quam nõ contrariè enunciani per illas, possum aliquãdo contrariè enunciare: nempe si vniuersaliter proferam, per hoc enim quod vniuersaliter, vel particulariter, seu indefinite dico, non aliam rem, sed alio, & alio modo enuncio. Ac propterea dicit, (quę significantur) vt non de ipsis enunciationibus intelligas, quod possunt fieri cõtrariæ, sed de rebus significatis, quæ modò contrariè, modò non contrariè enunciari valent: quam expositionem existimo maximè textui consonam.

In eo vero, quod vniuersale prædicatur, id quod est vniuersaliter, &c.

Hic dubium Arist. aufert: posset enim quis dubitare in propositionibus contrarijs affirmatiuis, an sit addenda vniuersalitas etiam prædicato, nam in negatiuis prædicatum vniuersaliter dicitur, virtute negationis omnia distribuentis, at in affirmatiuis prædicatum est quidem vniuersale, sed nõ vniuersaliter dicitur: propterea dubiũ est, an vniuersalitas sit addenda: & hanc expositionem aduerte, non enim loquitur de negatiuis, sed de affirmatiuis: in his enim prædicatum vniuersale est, sed non vniuersaliter dicitur.

Respondet igitur Arist. id non esse faciendum. cuius ratio est, quia esset enunciationem affirmatiuam, in omni materia falsam facere, cum semper sit affirmatio falsa, in qua affirmatur prædicatum vniuersaliter, de subiecto vniuersaliter, vt omnis homo omne animal est.

Et reputat Arist. inconueniens genus de speciebus, & superius de inferioribus vel æquale de æqualibus fabò affirmari, cùm etiam negatio falsa sit, & tũc in materia necessaria vtraq; esset falsa, & affirmatio & negatio. vbi aduerte Arist. loqui de propositionibus, quæ in disciplinis vsu veniunt, non de alijs portentosis, quæ confingi possent.

Nec est recipiẽda doct. Boet. & Leui. in suis annotationibus super Auerr. qui asserunt, signum vniuersalitatis posse, vel addi prædicato superiori, vt homo, seu omnis homo est omne animal: & tũc est falsum hoc affirmare, vel posse addi prædicato æquali, vt omnis homo est omne animal rationale. & tunc est superfluum. hoc non placet: immò semper est falsum, vt hic docet Aristotel. & recipit Alber. tracta. de oppo. cap. primo, & S. Tho. quia sensus esset, hic homo est omne rationale, & hic homo est omne rationale, & ita de cæteris. Siquidem omnis accipitur distributiuè, quę singulę particulares essent falsæ, & ita tota vniuersalis falsa. Quia cùm nullus homo sit omne rationale: nec omnis homo erit omne rationale. Quòd si in alio sensu acciperẽtur illæ voces distributæ vniuersaliter, non quasi distributæ, sed acceptione, vt Dialectici vocant, simplici, verum esse: dicere, omnis homo est omne rationale. Nam sensus esset idem est, re ipsa, omnis homo, & omne rationale. Sed si distributiuè accipiantur, sensus est falsus, vt diximus.

Semper est propositio falsa, in qua vtrumque vniuersali - ter accepto dicitur.

Opponi autem affirmationem negationi dico, &c.

Hoc est tertium diuisionis membrũ, in quo Arist. proponit ea, quæ de vniuersali altero dicuntur vniuersaliter, de altero verò vniuersali, nõ vniuersaliter, vt omnis homo albus est, non omnis homo albus est, vel vt negatiua sit vniuersaliter, nullus homo albus est, aliquis homo albus est. illud enim non omnis locum particularis habet, nempè aliquis nõ tales autem enunciationes docet esse contradictorias, cõtrarias verò, quãdo vtraq; est vniuersalis, vt omnis homo est albus, nullus homo est albus. hæc continẽtur in hoc capite.

QVÆSTIO
De diuisione rerum, qualis scilicet sit talis diuisio.

Dubium

DVbium posset alicui esse, qualis diuisio esset hæc, rerum quædã sunt vniuersales, quædam particulares, seu singulares. nam videtur hic Arist. addes, quod tamen ipse negat expresse contra Plato. 7. Meta. cap. 13.

Ad quod facilè est respondere ex his, quæ superius diximus in materia vniuersalium super Porphyr. diximus enim rerum naturas non existere vniuersales, secũdum se, sed quatenus ab intellectu nõ considerata, indiuiduis, & inferioribus appræhenduntur, dicuntur vniuersales, quatenus verò cum ipsis accidentibus & singularibus sunt, sunt singulares, vt natura humana de se nec est vniuersalis, nec singularis, sed vt ab intellectu non considerata indiuiduis percipitur, sit vniuersalis, vt autem in ipsis indiuiduis est, & cognoscitur, dicitur singularis. vnde esse vniuersalem vel singularem, accidit rei, alterum per intellectum, alterum a rebus ipsis. Vnde meritò dici debet ista diuisio subiecti in accidentia.

Solutio.

Rerũ natura secũdũ se nõ existunt vniuersales, sed hoc ab intellectu consequũtur

Est autem hic notandum vnum, quòd res non habet esse vniuersalis, nisi respectu intellectus, at esse singulare à rebus habet, & inde ab intellectu cognoscitur singularis, quando cum talibus accidentibus indiuiduis cõsideratur. intellectus ergo vtrumque cognoscit & rem vniuersalem & singularem, sed cum discrimine: nam cognoscit vniuersale, & ipsam rem vniuersalem facit, at cognoscit singularem rem, sed non facit.

Hinc sequitur, quod dicit Ammo. & S. Tho. cum hic non de rebus secundum se, sed vt vocibus significantur, tractetur & nõ possint res vocibus significari, quin primò cognoscãtur, fit, vt quia res in vniuersali, & in singulari cognoscuntur, ita etiam voce significentur: ac ideò ista diuisio rerum, in ordine ad intellectũ prima fit, quia res & in vniuersali, & in singulari cognoscit, ac deinde, in ordine ad voces significantes id, quod intellectu comprehendimus.

Nota. 2.

Est aũt hic notanda doctrina S. Tho. quã tradit in presenti, & tractat de enunciatione c. 7. & 8. nam aliquares v. g. homo, potest dupliciter cõsiderari, vel vt est in intellectu obiectiuè cognit', vel vt est in ipsis rebus & singularib' existens: si duob. modo priori cõsideretur, acquirit præ-

Nota.

Res quæ libet dispotest pectari

dicata

dicata in duplici differentia, quædam cõueniunt ei à tali operatione intellectus, vt quòd sit vniuersale, quòd sit prædicatum, subiectum, species, & similia, quę dicuntur prædicata secundæ intentionis: quædam alia cõueniunt ei, quatenus est res, quæ velut vna consideratur, ac si per se existeret, vt quãdo dicimus, homo est dignissima creatura inferiorem, homo est creatus ad vitam æternã, homo redẽptus est: & ista prædicata sunt realia.

Altero modo potest homo cõsiderari, vt est in rebus, & tunc acquirit prædicata in duplici etiam differentia, quædã ei secundum naturam suam competũt, vt homo est animal, rationalis, risibilis, viuens quædam ei proueniunt ab indiuiduis, in quibus est, vt homo currit, homo legit, scribit, et doctus.

Est autem inter hæc discrimen, nam priora prædicata, cùm ei secundum naturã competant, semper insunt, & vbicunq; natura talis est, ibi & talia sunt prædicata, & cùm natura in omnibus sit indiuiduis, etiã sunt ibi talia prædicata: at verò alia prædicata cùm ab indiuiduis ei proueniunt, & nõ semper in indiuiduis idẽ insit, ideò de natura nec vniuersaliter, nec semper prædicantur.

Nota. 4. Signa quorsum sint inuẽta.

Et ex hoc, ad distinguendum, quando naturæ aliquid, vt in omnibus est, conuenit, inuenta sunt signa tam affirmatiua quàm negatiua, omnis, nullus, & similia. Ad denotandum verò, quãdo non omni ex parte naturæ competat aliquid, inuẽta sunt signa particularia, aliquis, aliquis non: imò quando volumus ostendere, quod aliquid naturæ ab aliquo certo indiuiduo proueniat, vtimur signo demonstratiuo: quamuis vniuersale, cum signo particulari, & sine vllo signo, æquipolleat: & de similibus prædicatis Arist. loquitur in præsenti, quæ rei, vel secundum naturã vel ab indiuiduis cõpetunt: in his enim licet subiecto signũ aliquid addere.

Nota. 5. Singularis triplex

Similiter est notandum, quòd singulari triplex prædicatum cõpetit: primũ vt ab intellectu cognoscitur, & sic dicimus: Petrus est indiuiduum: alterũ à natura speciei, Petrus est animal: tertium à sua propria & singulari cõditione, & sic dicitur, Petrus currit, studet, legit, &c. & hæc sufficiant pro his prædicatis & pro declaratione diuisionis. attributum conuenit.

De regulis oppositarum enunciationũ. Cap. VI.



TEXT.

Quocirca has quidem impossibile est simul esse veras: his verò oppositas contingit aliquando in eodem simul esse veras: vt non omnis homo albus est, & aliquis homo albus est. 1. De regulis oppositarũ propositionum.

Quæcunq; igitur contradictiones vniuersalium sunt vniuersaliter, necesse est alterã esse verã vel falsam: & quæcũque in singularibus sunt: vt est Socrates albus, non est Socrates albus. Quæcunq; aũt in vniuersalibus quidem non vniuersaliter aũt, nõ semper hæc quidẽ vera est illa verò falsa est: simul enim verũ est dicere, q̃ est homo albus, & quòd non est homo albus: & est homo pulcher, & non est homo pulcher: si enim turpis est non est pulcher, & si sit aliquid, non est. 2.

Videbitur autem subitò inconueniẽs esse: idcirco quoniam videtur significare idem

idem, hoc, non est homo albus, & hoc, nullus homo est albus: hoc autem neque idem significat, neque simul necessariò.

Manifestum est autem, quòd vna negatio vnius affirmationis erit: hoc enim idem oportet negare negationẽ, affirmatio affirmauit, & ab eodem vel ab aliquo singularium, vel ab aliquo vniuersalium: vt vniuersaliter, vel vt nõ vniuersaliter: dico autem vt est Socrates albus. non est Socrates albus. Si autem [aliud aliquid ab eodem, vel ab alio idem, non est opposita, sed erit ab ea diuersa. Huic verò, quæ est, omnis homo albus est, illa, quæ est, non omnis homo albus est. Illi verò, quæ est, aliquis homo albus est, illa quæ est, nullus homo albus est. Illi autẽ quæ est, est homo albus, illa quæ est, non est homo albus.

[a. l. aliud vel ab ali. idẽ non eodem.

3. Quòd igitur vna affirmatio vni negationi opponitur cõtradictoriè, & quę sũt hæ, dictum est, & q̃ contrariæ aliæ, & quæ sunt illæ, dictum est, & q̃ non omnis vera vel falsa contradictio, & quare & quando vera vel falsa.

4. *Quæ circa has quidẽ impossibile est, &c.*

Modò Arist. de his enunciationibus oppositis determinat, qualiter se ad veritatem & falsitatem habeant: ac primũ de contrarijs infert, cùm de vniuersali vniuersaliter enuncient, simul veras esse non posse, vt omnis homo est iustus, nullus homo est iustus, nulla ratione simul veræ esse possunt, cùm impossibile sit idem prædicatum vniuersaliter affirmare & remouere ab eodem verè: ac inde ista verba sunt legenda, vt illata ex his, quæ dixerat in fine præcedentis: omnia enim hæc sub vno contextu sunt.

Contrariæ propositiões possunt simul esse falsæ.

Huic possumus addere, cõtrarias posse simul esse falsas, vt omnis homo est alb⁹, nullus homo est albus, vtroque modo est falsa: & in hoc assimilatur qualitatibus contrarijs, hæ enim simul eidẽ subiecto inesse non possunt, ab eodem tamen remouentur: vt vni corpori inesse calidũ, & frigidum, simul possibile non est, tamen esse aliquod corpus, quod nec calidum nec frigidum sit, fieri potest, nempè cælum, ita similiter contingit in his, non posse simul esse veras, falsas tamen nil prohibet.

Subdit autem Arist. oppositas contrarijs, nempè particulares, simul posse veras esse, particulares enim sunt contradictoriæ contrarijs, vt aliquis homo est albus, aliquis homo nõ est albus, hæ simul veræ sunt, quæ tamen contradicunt cõtrarijs, aliquis enim homo est albus, contradicit huic, nullus homo est albus, aliquis verò homo non est albus, huic omnis homo est albus, quæ duæ vniuersales sunt contrariæ.

Huic adde particulares in nulla materia posse esse simul falsas, in contingenti quidẽ simul veræ possunt esse, & in hoc habent se opposito modo ad contrarias quæ simul veræ esse non possunt, possunt tamen simul esse falsæ. Subcontrariæ nullomodo possunt esse falsæ. 2.

Quæcunque igitur contradictiones vniuersalium sunt vniuersaliter, &c.

Hic de contradictorijs modò loquitur: & est aduertendum, quòd constituit triplex genus contradictoriarum: primũ quando sunt de subiecto vniuersalis in vna vniuersaliter sumpto, vt omnis homo est albus, aliquis homo nõ est albus, secundum singularium, vt Plato legit, Plato non legit: infimum genus est de vniuersali sine signo, quas nos indefinitas vocamus, vt homo albus est, homo non est albus. Triplex cõtradictoriarũ propositionũ ab Arist. positarũ genus.

Et primum quidem ac secundum genus contradictoriarum, docet sic se habere, vt necessariò altera sit vera, altera falsa: impossibile est enim simul esse veras, aut falsas: at tertium genus nihil prohibet sic se habere, vt aliquando vtraq; sit vera: vt illæ possunt esse veræ, homo est pulcher, homo non est pulcher, homo est albus, homo non est albus: quod probat de primis, potest enim esse, q̃ sit homo pulcher, & quòd sit homo turpis, & verum sit simul vtrumque dicere, tunc sic arguitur, homo est turpis, est simul vera cum hac homo est pulcher, sed ista,

Universidad de Deusto
Biblioteca

homo non est pulcher, est eadē cū hac homo est turpis, ergo simul veræ sunt, homo est pulcher, homo non est pulcher, probat de alijs, homo est albus, potest esse vera cum hac, homo sit albus, si vnus iā sit albus, alter fiat, sed ista, homo non est albus, stat simul cum hac, homo sit albus, nam quod fit, nō est, ergo simul veræ sunt, homo est albus, homo nō est albus.

3. *Videbitur autem subitò inconueniens esse, &c.*

Remouet dubium quorundā asserentium, homo non est albus, esse idem cum hac, nullus homo est albus, quod si ita esset, non essent simul veræ, homo est albus, & homo non est albus, sicut nec iste homo est albus, nullus homo est albus: quæ sunt contradictoriæ primi generis.

Ad hoc respondet Arist. non idem significare illas duas, nam vna enunciat vniuersaliter de subiecto, scilicet nullus homo est albus, altera non vniuersaliter, scilicet homo non est albus, atque idem significat, neque simul necessariò, id est, potest esse falsa illa, nullus homo est albus, vt modo fit: est enim falsa. Illa autem est vera, homo non est albus: nam Aethiops homo est, qui tamen non est albus.

4. *Manifestum est autem, quoniam vna negatio, &c.*

1. expositio. Omnes ferè expositores in hoc conueniunt, vt in his verbis Arist. doceat, vnius affirmationis vnam esse negationem, eo, quia ex præcedentibus posset quis de hoc dubitare: cum huic enunciatiuæ affirmationi, omnis homo est albus, opponantur duæ negationes, nempè, nullus homo est albus, & non omnis homo est albus: docet autem modò vni affirmationi vnam opponi negationem tantùm, in eodem genere oppositionis, & ita declarat Magentinus, & Psellus, & addit Alber. si quando euenit multas negationes opponi vni affirmationi, in eodem genere oppositionis, tunc illæ sunt æquipollentes.

Hæc autem expositio, quamuis doctri-

nam veram continet, videtur præter mentem ipsius Aristot. nec vlla ratione cum verbis quadrat, cùm manifestè de sola oppositione contradictoria hic loquatur quæ in tres gradus est diuisa, vt superius diximus.

Propterea cum Boet. sic mihi videntur ista verba continuanda, vt sit quædā alia ratio ad probandum has enunciationes, homo non est albus, & nullus homo est albus, non esse idem: ratio est huiusmodi vni affirmationi, vna sola negatio contradicit: sed hæc, homo non est albus, contradicit huic, homo est albus, hæc autem nullus homo est albus, contradicit huic, aliquis homo est albus: ergo non sunt idem: aliter illa affirmatio homo est albus, vel aliquis homo est albus, quæ sunt diuersæ, haberent duas negationes, vel si vna negatio esset, vna negatio duabus affirmationibus corresponderet. 2. expos.

Maiorem probat ratione & exemplo ratio est, quia negatio cōtradictoria debet id solum negare, quod affirmatio affirmabat, ergo vnius affirmatiōis vna est negatio, exemplis manifestat & est inductio quædam exemplaris, nam huic Socrates est albus, contradicit Socrates non est albus: similiter in vniuersalibus vniuersaliter, huic, omnis homo est albus, hæc, non omnis homo est albus, vel æquiualens, aliquis homo non est albus, & illi, aliquis homo est albus, illa, nullus homo est albus, ac si diceretur, nec aliquis homo est albus, similiter & illi, homo est albus, ista homo non est albus, quando enim aliud prædicatum in vna, aliud in altera enunciamus, nō sunt oppositæ: vel quando idem prædicatum in vna de vno subiecto, in altera de altero enunciamus, similiter non sunt oppositæ: & hinc fit, hanc, nullus homo est albus, non opponi huic, homo est albus, quia illa negat aliud subiectum, nempè aliquis homo, cum idem sit, nullus; & nō vllus vel non aliquis: & hæc interpretatio est maximè obseruanda.

Sed

Nota. 1. Propositio indefinita & particularis qd discrimis habeant.

Sed tota hæc ratio pendet ex cognitione discriminis inter propositionem particularem, & indefinitam, nempe ali quis homo est albus, homo est albus, & in primis non differunt quantum ad veritatem vel falsitatem, nam quoties vera est, enunciare indefinitè, verum est enūciare particulariter, ad vtrumque autem veritatem sufficit vnius inferioris veritas, vt autē in hoc conuenire certum est, ita etiam in hoc differre est manifestū, quod particulares iam habent quantitatem determinatam, at indefinitæ sunt indifferentes, & ad vniuersalitatem, & ad particularitatem, ac propterea indefinitè, id est, interminatè dicuntur.

Est aliud discrimen valdè notandum, quod signum particulare additum vniuersali, tam ipsum ad aliquod individuū, & ad vnum determinat, quamuis non distinctè illud manifestet: vt qui dicit aliquis homo, vnum dicit singulare, quamuis, quod sit non determinet: ac ideò dicitur determinatum vniuersale, quasi iā ad singulare vnum sit limitatum: at vniuersale sine signo ex significatione enunciationis, non est limitatum ad singulare, nec ex modo enunciandi: quamuis quo ad veritatem enunciationis sit limitatum, quia ad eius veritatem sufficit vnum singulare, sed ibi est totum vniuersale.

Particulares propositiones quādo non sint oppositæ.

Ex quo sequitur has enunciationes, aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus, quando diuersa individua demonstrantur, esse quidem veras, sed nō oppositas: vt docte concedit S. Tho. nec Aristoteas vocauit oppositas, sed oppositas contrarijs, non autem inter se. At hæ homo est albus, homo non est albus: & si sub subiecto diuersa singularia sumas, sunt oppositæ: quia variatis singularibus non mutatus vniuocatio subiecti vniuersalis: quod illa omnia sub vnico cōceptu significat: sicut mutatur vniuocatio huius aliquis homo, quia hoc tenetur pro singulari, & eo variato fit æquiuocatio, & impeditur oppositio, sicut in his Alexander est rex. Alexander non est rex, si in vna regem, in altera philosophū intelligas, hoc est ex modo enūciationis, quā iam Dialectici cōsiderantes tam particulares, quàm indefinitas quantum ad veritatem esse idem, vtrasq; subcontrarias vocent, sed tamen aliter secundum Arist. est dicendum: quæ omnia exacto iudicio perpendit.

Quoniam igitur vna affirmatio, vni negationi, &c. 5.

Hic resumit ea, quæ dicta sunt: nempè vnam negationem vni affirmationi contradicere, & quot gradus contradictoriarum sint, & qui sint: dictum est: similiter alias oppositiones esse contrarias, & quo pacto non omnes contradictoriæ sint veræ, vel falsæ, sed quæ sunt ex primo & secundo genere, & quod tertij generis cōtradictoriæ non necessariò veræ, vel falsæ sint, & quare.

Vbi vides Arist. non ponere nisi duas oppositiones contrarias, & contradictorias: & sub contradictorijs includit tres gradus: nempè contradictorias communiter dictas & indefinitas, particulares verò ab oppositis reijcit.

6.

De affirmatione & negatione vna.

Cap. VII.

VNa autem affirmatio & negatio est, quæ vnum de vno significat, vel cum sit vniuersale vniuersaliter, vel non similiter, vt omnis homo albus est, non omnis homo albus est: est homo albus, non est homo albus: nullus homo albus est, aliquis homo albus est: si album vnū significat. Si verò duobus vnum nomē positum est, ex quibus non est vnum, nō est vna affirmatio, neque vna negatio: vt si quis ponat hoc nomen tunica, homini, & equo, quòd tunica alba est, hæc nō est vna affirmatio, nec vna negatio. Nihil enim differt hoc, qui diceret, quòd est homo [equus albus: hoc autem nihil differt, quàm dicere est homo albus, & [a.l. addit &.

TEXT.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est equus albus. Si ergo hæ multa significant, & sunt plures, manifestum est, quod & prima, vel multa, vel nihil significat, neq; enim est aliquis homo equus. Quare nec in his necesse est hanc contradictionem veram, illam verò falsam esse.

Cùm vnam negationem vnius affirmationis esse oppositam docuerit, optimo consilio in hoc capite, vt Ammo. tradit, quid affirmatio vna, & negatio vna sit, ostendit.

Est autem vna negatio, vel vna affirmatio, quæ vnum de vno significat, id est vnum, ac vniuocum habet subiectum similiter & prædicatum, vt homo est albus, omnis homo est albus, nullus homo est albus. Oiédit autẽ vniuocũ oportere esse prædicatum, dum dicit, si albus vnũ significat, id est, si vniuocum sit, nõ quod non sit vniuocum, sed vt ostendat necessariam esse vniuocationem prædicati, si militer est necessaria vniuocatio subiecti, & hoc ostendit, dum dicit, si tunica significaret idem, quod hæ duæ voces, homo & equus, tũc tunica est alba, vel non est alba, nec esset vna negatio, nec affirmatio, sicut necista, homo, equus, est albus, nam ista æquiualet istis, homo est albus, equus est albus, absque vlla coniunctione.

Nam quamuis in textu sit cõiunctio scilicet homo est albus, & equus est albus talis coniunctio est continuatiua sermonis, non constitutiua propositionis coniunctæ.

Quod aliqui non aduertentes dixerũt, æquiualere hanc, tunica est alba, illi, homo est albus, & equus est albus, quantum ad multiplicitatem propositionum, sed non quantum ad veritatem, quia tunica est alba, est vera, sivnum significatum est verum, & coniuncta pendet ex vtriusque partis veritate.

Sed hoc prorsus est præter mentẽ Arist. non enim illa est coniunctè sumẽda, sed tanquam duæ enunciationes inconnexæ: & tunc in omnibus sunt æ quiualẽtes, & vtraq; est plures, tam tunica est alba, quàm iste homo est albus, equus est albus, & hoc patet ex illa, quam sine coniunctione sumpsit, nempe homo, equus est albus, non ergo illud (&) sumendum est, nisi vt sermonis particula continuatiua.

Hinc docet quando negatio vel affirmatio non est vna, sed æquiuoca, non esse necesse, affirmationem & negationẽ esse veram vel falsam, sicut nec in contradictorijs de subiecto vniuersali, non vniuersaliter sumpto: quæ possunt esse veræ, ita & istæ, Petrus currit, Petrus nõ currit, si pro pluribus sumatur subiectum, & hæc est expositio communis.

Sed mihi videtur aliquid amplius præter hoc Aristotelem velle docere: videlicet, Non solùm quid sit vna affirmatio in se, & quid negatio vna in se, sed quid sit vna affirmatio, & negatio simul, vt vnitas cadat super vtramque simul. & dicit vnam affirmationem & negationem esse, quæ significant vnum de vno, id est, eodem prædicato, & subiecto participant, & pro eodem sumpto: vt quod altera affirmat, idem prorsus altera neget. 2. expositio.

Et hoc patet, nam tunica est alba, tunica non est alba, non vocat Arist. vnam affirmationem & negationẽ: si in vna pro equo, in altera pro homine sumatur, & tamen constat, vtramque per se esse vnã, quia æquiuocum pro vno significato est vniuocum, sumitur igitur hic Arist. vtrãque simul, docet, vt participent eodem subiecto, & prædicato.

Vnde si dicis, omnis homo est albus, eius negatio idem subiectũ habebit, nõ omnis homo est albus, hic enim de contradictorijs loquitur: & si dicis aliquis homo est albus, negatio erit, nullus, id est, nec aliquis homo est albus.

Et ex hoc apparet solutio dubij: præcedẽtis, ista enim homo est albus, habebit hanc, homo non est albus, non hanc, nullus homo est albus: ista enim non est vna cum illa affirmatione, quia nullus homo est albus, est illius, aliquis homo est albus quæ Solutio dubij.

quæ aliud habet subiectum.

Nota. Et considera: in subiecto numerat etiam signum quantitatis, & ex hac expositione nostra, facilis est cõtextus, & exẽpla Arist. manifestantur, quæ per contradictoria dantur, & hoc est obseruandum circa hoc caput.

Quo pacto in futuris contingentibus contradictionis regula veritatẽ habeat.

Cap. VIII.

TEXT. 1. IN ijs ergo quæ sunt, & quę facta sunt necesse est affirmationẽ vel negationem veram esse vel falsam. Et in vniuersalibus quidé vt vniuersaliter, semper hanc quidem veram, illam verò falsã esse, & in ijs, quæ singularia sunt, quemadmodum dictum est. In vniuersalibus autem, quæ non vniuersaliter dictæ sunt, non necesse est, dictum est autem & de his. In singularibus verò & futuris, non similiter.

2. Nam si omnis affirmatio & negatio vera vel falsa est: & omne necesse est esse vel non esse, † quare si hic dicat futurum esse aliquid: ille verò non futurum dicat, hoc ipsum manifestũ est, quòd necesse est verum dicere alterũ ipsorum: si omnis affirmatio vel negatio vera vel falsa est, vtraque enim nõ erunt simul in talibus.

† a.l. si enim hic quidam dicit.

3. Nam si verum est dicere, q album vel non album, necesse est esse album vel non album. & si est album vel nõ album, verum erat affirmare vel negare: & si nõ est, falsum dicit: & si falsum dicit, non est. Quare necesse est semper affirmationem aut negationem veram esse vel falsam. Nihil igitur neque est, neque fit, nec à fortuna, nec vtrumlibet contingit, neque erit, neque non erit, sed ex necessitate omnia, & non vtrumlibet contingit, aut enim qui dicit verum est, aut qui negat, similiter enim vel fieret, vel nõ fieret, q̃d enim vtrũlibet cõtingit, nihil magis sic vel nõ sic se habet, vel habebit.

4. Amplius autem, si est album nunc, verum erat dicere prius, quòd erit albũ: quare semper fuit verum dicere, quodlibet corũ, quæ facta sunt, quod est, vel erit, si autem semper verum fuit dicere quod est, vel erit, nõ potest hoc nõ esse, vel non futurum esse: quod autem non potest fieri: & quod impossibile est non fieri, impossibile est nõ fieri, necesse est fieri: omnia igitur quæ futura sunt, necesse est fieri. Nihil igitur vtrumlibet contingit neque à fortuna erit † nam siã fortuna, non ex necessitate. † a.l. addit sed omnia ex necessitate.

5. At verò nec quod neutrum verum est dicere contingit: vt quod neq; erit, neq; non erit. Primum enim cum sit affirmatio falsa, negatio non vera erit: & cum hæc falsa sit, contingit affirmationem non veram esse. Et ad hæc, si verum sit dicere, quòd albũ est simul & magnum, oportet esse vtrumque, si verò erit cras oportet fore cras, si aũt neque erit, neq; nõ erit cras, non erit vtrumlibet contingens: vt est nauale bellum: oporteret enim neq; fieri nauale bellũ neq; nõ fieri.

6. Quæ ergo contingunt incõuenientia hæc sunt, & huiusmodi alia: si quidẽ omnis affirmationis & negationis, aut in vniuersalibus dictis vt vniuersaliter, vel in ijs, quæ sunt singularia, necesse est oppositarum, hanc quidem veram esse, illã verò falsam: nihil autem vtrumlibet cõtingit esse in ijs, quę fiunt, sed omnia esse & fieri ex necessitate. Quare neq; consultare oportebit, neq; negotiari: quòd si hoc quidem facimus erit hoc: si verò non hoc, non erit hoc.

7. Nihil enim prohibet, & in annum decies millesimum hunc quidẽ dicere hoc futurum esse, illum verò non dicere, quare ex necessitate erit vtrumlibet eorum, quod ab ipso verum erat dicere tunc.

8. At verò nec hoc differt, si aliqui dixerint contradictionem, vel non dixerint, manifestum enim, quòd sic se habẽt res, etiã si nõ hic quidem affirmauerit, quid ille verò negauerit, nõ enim propter negare vel affirmare erit, vel non erit, nec in decies millesimum annum, magis, quã

in quantolibet tẽpore. Quare si in omni tẽpore sic se habebat vt alterum verè dicetur, necesse erat hoc fieri: & vnũquodque eorum quæ fiunt, semper sic se habebãt, vt ex necessitate fieret, si enim verè dixit quis quod erit, non potest nõ fieri: & quod factum est, verum erat dicere semper quòd erit.

9. Si itaque hæc impossibilia sunt: videmus enim esse futurorum principium, & ab eo, quod consultamus, atque aliquid agimus: & quod est, omninò in ijs, quę nõ semper actu sunt, possibile esse, & non esse similiter, in quibus vtrumque contingit & esse & non esse, quare & fieri, & non fieri: & multa nobis manifesta sunt sic se habentia: vt quod hanc vestẽ possibile est incidi, & nõ incidetur, sed prius exteretur: similiter autem & non incidi possibile est. non esset eam prius exteri, nisi possibile esset non incidi. quare & in alijs generationibus, quæ secundum huiusmodi potentiam dicuntur.

10. Manifestum igitur est, quòd non omnia ex necessitate, vel sunt, vel fiunt: sed alia quidem vtraual. bet contingit, & nihil magis affirmatio, quàm negatio erat vera vel falsa: alia verò magis quidem, & vt in pluribus alterum, nihilominus contingit fieri, & alterum, alterum verò minime.

11. Igitur esse quod est, quando est, & non esse, quod non est, quando non est, necesse est, sed non omne, quod est, necesse est esse, nec quod nõ est, necesse est non esse. non idem est, omne quod est, necessario esse, quando est & simpliciter ex necessitate esse, similiter autẽ & in eo, quod non est.

12. Sed & in contradictione eadem ratio est. esse quidem vel non esse omne necesse est & fũturum esse vel non: non tamen dividentem, dicere alterũ necessarium: dico aũt vt necesse est futurũ esse bellum nauale cras, vel non futurũ esse: non tamen fieri cras bellum nauale necesse est, neque non fieri: fieri tamẽ, vel non fieri necesse est.

13. Quare cum similiter orationes veræ sint, quemadmodum & res, manifestum est, quòd quæcunque sic se habent vt sint vtrumlibet contingens, & cõtraria suscipiant, necesse est similiter se habere, & contradictionem: quod contingit in ijs, quæ non semper sunt, vel non semper non sunt: horum enim necesse est alteram partem contradictionis veram esse vel falsam, non tamen hanc vel illam, sed vtramlibet contingit: & magis quidem veram alteram, non tamen iam veram vel falsam.

14. Quare manifestum est, quòd non est necesse omnis affirmationis vel negationis oppositarum, hanc quidem veram, illam autem falsum esse: non enim quemadmodum in ijs, quæ sunt, sic se habent, & in ijs, quæ non sunt quidem, possibilibus tamen esse vel non esse, sed quemadmodum dictum est.

ANtequam hoc caput interpretemur, quod insignem & obscuram continet doctrinam: oportebit aliquot prius statuere fundamenta, vt eius facilior fiat interpretatio.

1. Funda. Enũciationum ex parte materię triplex est genus. Materia propositionum quid sit,

Est igitur primò aduertendum ex Ammon. capit. 5. præcedenti, quæ doctrina est celeberrima, & communissima, triplex esse genus enunciationum secundũ materiam, nempè necessarium, impossibile, contingens.

Est autem materia propositionum cohærentia prædicati ad subiectum, id est habitudo, & ordo quidam prædicati ad subiectum, secundum quem vel taliter prædicatum ad subiectum se habet: vt ei semper insit, nec ab eo separari possit: & talis materia dicitur necessaria, in qua genus enunciationum sit necessariarum, in quibus genera de speciebus, vel species de individuis, vel proprię passiones, vel accidentia inseparabilia prędicantur, & alia huiusmodi: vel secundum talem ordinem se habet, secundum quem prædicatũ nec subiecto insit, nec vlla ratione inesse possit.

Et

Et huiusmodi cohærentia, & ordo est materia, quam vocant remotam, in qua constituuntur enunciationes impossibiles affirmatiuæ, vt homo est leo, album est nigrum.

Summus enim has materias, secundum enunciationes affirmatiuas, quæ sunt necessarię vel impossibiles: nam negatiuæ sunt in eadem materia, cum suis affirmatiuis: & negatiuæ se habent opposito modo: in materia. n. necessaria sunt impossibiles, in remota necessariæ.

Tertio est talis ordo, secũdum quem prædicatum inest subiecto, ita, vt possit non inesse: vel nõ ineat, sed potest inesse: vt homo currit, homo disputat, & tales propositiones, tam affirmatiuæ, quàm negatiuæ dicuntur contingentes.

Est autem triplex gradus enunciationum contingentium: primus, quando prædicatum frequenter ineat subiecto: quamuis aliquando non insit: vt homo loquitur, homo meridie prandet. Secundus, quãdo prædicatum rarò ineat, & hoc dicitur contingens à fortuna, illud vero contingens in plurimum, vt fodiens vineam inuenit thesaurum. Tertius, quando prædicatum frequenter ineat, & frequenter non ineat, vt homo ambulat, Petrus cantat, & tale cõtingens dicitur ad vtrumlibet.

Propositionũ de cõtingẽtitriplex gradus.

2. Funda. Est secundo aduertendum: enunciationes cõtradictoriæ possunt fieri in hac triplici materia, secundum triplex tempus, præsens, præteritum, & futurum, vt omnis homo est animal, non omnis homo est animal, omnis homo fuit animal, non omnis homo fuit animal, omnis homo erit animal, omnis homo non erit animal, similiter in alijs omnibus, vt facilè erit cuilibet, tales contradictiones constituere: præterea possunt fieri contradictiones & de subiecto vniuersali, vt in exemplis propositis & de subiecto singulari etiam in omni materia, & secundum quodlibet contingens, ex quo est tot copiosiũ enunciationum oppositarum numerus.

3. Fund

Enũciatio quæ nã dicat determinatè vera.

Aduerte tertiò in contradictionibus de præsenti, & de præterito in omni materia, altera est determinatè vera, altera determinatè falsa: est aũt determinatè vera enũciatio, quę sic est vera, vt pro tempore, quo est vera, nõ possit esse falsa: è cõtrà determinatè falsa est, quę pro tẽpore, quo est falsa, non potest esse vera: v. g. Petrus currit, Petrus non currit: Petro currente, affirmatiua est determinatè vera, quia quo tempore currit, non potest esse falsa: negatiua verò determinatè falsa, quia pro eodem tempore non potest esse vera.

Hoc ergo in omni materia inuenitur in contradictionibus de præterito, & de præsenti: vt vna sit determinatè vera, altera determinatè falsa, siue affirmatiua, siue negatiua sit.

At in contradictionibus de futuro est ambiguum, an vna sit determinatè vera, altera determinatè falsa: non est autem in omnibus de futuro dubium: nam in materia necessaria & remota, tam determinata est de futuro, sicut de præsenti: & de præterito: similiter in materia cõtingenti, quando in plurimum, vel rarò euenit prædicatum, non est magnum dubium: quia iam fere est determinatè vera affirmatiua in plurimum euenies, & falsa rarò cõtingens, sed dubiũ est de cõtingenti ad vtrumlibet: similiter nec est difficultas, quando subiectũ est vniuersale, quia iam istæ vniuersales ferè etiam determinatæ sunt, cùm in plurimum vniuersales affirmatiuæ, vel negatiuæ falsæ sint. Sed summa difficultas est in enunciationibus de futuro cõtingenti ad vtrumlibet, de subiecto singulari, vt Petrus cantabit, Petrus non cantabit.

Et hic est scopus huius capitis, nempè examinare, an in cõtradictionibus istis vna pars sit determinatè vera: altera falsa, sicut in his, quæ sunt de præterito, & præsenti: est autem in duas partes diuisum caput: in priori sunt argumenta circa hanc difficultatem: in posteriori est quæstionis determinatio.

In

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. *In ijs ergo, quæ sunt, & quæ facta sunt, &c.*

Boet. hæc verba non initium capitis, sed præcedentium epilogum esse existimat: at S. Tho. noui capitis initium asserit: parum autem refert hoc, quamuis cõformior sit Arist. sententia S. Tho.

Proponit igitur in contradictorijs de præsenti, & de præterito, necessariò affirmationem vel negationem esse veram, vel falsam: tam in contradictorijs de subiecto vniuersali vniuersaliter, quàm contradictorijs de subiecto singulari: nã in alijs de subiecto vniuersali non vniuersaliter sumpto, id nõ est necessarium: cùm vtraque possit esse vera.

Et nota ista verba esse legenda disiunctiuè, vt sit sensus: affirmatio vel negatio est vera, vel falsa, id est, vel affirmatio est vera, & negatio est falsa, vel negatio est vera, & affirmatio est falsa: non enim est legenda disiunctim, hoc modo: affirmatio est vera vel falsa, negatio est vera vel falsa: ac propterea dixit necesse est hãc quidem veram, illam verò falsam esse: quod vocamus determinate veram, & determinatè falsam, scilicet quando in contradictione, do tibi vnam partem, quæ vera sit, & alteram, quæ falsa sit: at verò in singularibus & futuris, id est, in contradictionibus enunciationum de futuro, & de subiecto singulari, non est necesse, vt vna pars determinatè sit vera, altera falsa.

S. Thom. vult, vt addamus verbum in futuris, nempè contingentibus, at Porphy. & Alexan. in hoc, quod dicit singularia volunt contingentiam includi: nã singularia cõtingentia sunt: sed melius est, si dicamus cum Ammo. in hoc, quòd dicit futura, notat contingentiam, necessaria enim non fore, sed semper esse proprius dicuntur.

2. *Nam si omnis affirmatio, vel negatio vera vel falsa, &c.*

Hic Aristot. incipit probare non omnem affirmationé vel negationem esse veram vel falsam: & facit hoc argumentum: omnis affirmatio vel negatio, est vera vel falsa, ergo quæ sunt, necessariò sunt, & quæ non sunt, necessariò nõ sunt, illud enim (Et) legẽdum est illatiuè pro igitur: alterum enthymema facit de futuro: omnis affirmatio vel negatio est vera vel falsa, ergo si vnus dicat Petrus leget, & alter, Petrus non leget, necessariò vnus dicet verum, alter dicet falsum: & sic necessariò leget vel necessariò nõ leget: consequentiam & antecedens primi enthymematis probat: & prius consequentiam. Nam si verum dicit, qui dicit, album est: necessario albũ est: aliter enim non diceret verum: & si quid dicit, albũ non est, falsum dicit: ergo necessario nõ ita est, aliter non esset falsum.

3. *Et si est album, vel non album, verum erat affirmare, &c.*

Hic probat Arist. antecedens, quòd affirmatio præsentis vel negatio sit vera vel falsa, nã fieri nõ potest, quin albũ sit, vel non sit: vtroque autem modo verum vel falsum dicitur: nam si est, verum est dicere, quòd est, falsum, quòd non est, si verò non est, è contrà verum est dicere, quod non est, falsum verò quod est: semper igitur talis affirmatio vel negatio erit vera vel falsa: posteà probat consequentiam in enthymemate secundo: nã antecedentis eadem est probatio, & posterius iterũ probabitur: si, inquit, in his affirmatio vel negatio est vera vel falsa: ita, vt vnus dicat verum, alter falsum, omnia necessariò erunt, nec quicquam à fortuna, nec ad vtrumlibet, nec erit, nec non erit, id est, nullum erit contingens, nec rarò, nec ad vtrumlibet, nec in plurimum, sed omnia fient, vel non fient, id est, vel necessario fiẽt, vel necessario nõ fient: & ita non est vtrumlibet, hoc enim est, quod potest fic esse, vel nõ esse, fore, vel non fore: necessaria autẽ non habẽt hanc indifferentiam.

4. *Amplius autem, si est albũ nunc, &c.*

Hæc est altera ratio, qua ex determinata veritate futurorum, infert necessitatem in omnibus: aliunde tamen sumit necessitatem, scilicet ab ipsa re iam existenti: argumentatur sic, modò sit albũ, ergo verum fuit dicere heri, album erit: & omnia, quæ facta sunt, antequam fierent, verum fuit dicere fient: tunc sic: verum fuit dicere fore, ergo necessario futura erant, nam si verum erat, quòd futura essent: non potuerunt non esse, si nõ potuerunt non esse, impossibile fuit non fore: si impossibile fuit non fore, ergo necessarium fuit, vt fierent, & sic necessario euenient omnia, & euenerunt.

5. *At verò quoniam neutrum verum est dicere, &c.*

Posset quis dicere, neutrũ verum est, scilicet, album non erit, album erit: hoc reijcit: nam sequeretur in contradictorijs negatiuam esse falsam, affirmatiuam non veram: & è contrà & ita vtraq; pars esset falsa, cùm non sit vera ista, album erit, nec ista, album non erit: præterea si ex hoc, quod dicitur album est, sequitur si verum est, q; album sit, & magnum est, quòd magnum sit: ita si verum est dicere erit cras, oportet fore cras: si ergo verum est dicere nec erit, nec non erit, sequitur, quòd res nec erit, nec non erit, & ita nõ est: cõtingens hoc enim est, quod potest esse, & non esse: non ergo dicendum est, neutram partem esse verã contradictionis, sicut non est verum dicere, nec est, nec non est, nec erit, nec nõ erit, cùm alterum necessarium sit: vel est, vel non est, vel erit, vel non erit, non ergo est conueniens ista solutio harum.

6. *Exigitur absurda, quæ contingunt, hæc sunt, &c.*

Infert Arist. inconuenientia, quæ sequuntur ex affirmatione hac, quòd omnis negatio vel affirmatio est vera vel falsa determinatè, nullũ scilicet esse contingens ad vtrumlibet, sed omnia euenire ex necessitate: hinc sequitur aliud absurdum, quòd scilicet nõ esset negotiandum, nec consultandum, negotia enim & consilia sunt de his, quæ sic vel aliter possunt euenire: negotiamur autem, vel consultamus, vt hoc vel illo eueniant modo, si autem omnia necessario euenirent, non oporteret hæc facere, quod absurdum est.

7. *Nihil enim prohibet, & in annum decies millesimum, &c.*

Hic Arist. reijcit vnum, quod posset quis dicere: nempè enunciatio de futuro proximo tẽpore enunciata, est vera vel falsa, & tunc est effectus necessarius: tamen à multo tempore ante rẽ, est contingẽs, hoc repellit: quia si in decies millesimum annum aliquid enunciaretur futurum vel nõ futurum, tunc vnum illorum esset verum necessariò, siue futurũ, siue non futurum: & iam necessario euenire: imò cùm omnia, quę facta sunt, antequam essent, possent enunciari verè futura esse, necessariò euenerunt, nota illa verba superioris textus. (Quoniam si hoc quidem facimus, & reliqua) esse verba negotiantium: ac si diceret, si omnia necessario sunt, non oportet negotiari, & dicere, si hoc facimus, erit hoc, si hoc non facimus, non erit hoc: cùm tamen omnia ex necessitate sint.

8. *At verò nec hoc differt, si aliqui dixerint, &c.*

Excludit aliam responsionẽ aliquorum. Posset enim quis dicere esse res cõtingentes in se, tamen quãdo quis enunciat eas sub affirmatione, vel negatione fieri necessarias, vel impossibiles: hoc excludit dicens, propter nostrã affirmationem vel negationem res nõ ita esse, vel non esse: imò quia ita sunt: vel non sunt, inde affirmatio vel negatio, dicitur vera vel falsa: vnde si necessaria est omnis affirmatio vel negatio: profectò & rẽ esse, est necessarium, vel non esse: & ita omnia eueniunt necessario absq; nostra affirmatione, de quibus affirmatio, si fieret, vera erat futura.

9. *Si quidem hæc impossibilia sunt, videamus enim, &c.* Nota.

Hic ratione probat non esse in rebus necessitatem semper, sed multa esse cõtingentia. Pro quo aduerte duplex esse effectuũ genus: est Duplex genus effectuum cõtingentium: quidam contingentium. sunt genti-

sunt voluntarij, qui radicem, & causam suæ contingentiæ habent in voluntate nostra, vt legere, non legere, studere, nõ studere, & similia: quædam alij sunt naturales, qui contingentiam habent à materia rei: ex quo enim res factæ sunt ex materia apta, ad multa recipienda, fit, vt ipsæ res expositæ sint varijs accidentibus: vt quòd infirmentur, quòd non infirmentur: quòd moriantur, vel non, q̃ caleſiant, vel non: hæc est materia proueniunt. An verò sola voluntas, & sola materia horum cõtingentium sit causa, non est præsentis disputare.

Aristot. ergo has duas radices contingentiæ ponit, & argumentatur a causa: nempè, datur voluntas in nobis libera: datur potentia in rebus materialibus ad esse, & non esse, ergo sunt effectus contingentes, & de primo probat, quia consultamus, & negotiamur, & apti sumus à natura ad consilia & negotia, frustrà ergo natura hoc faceret, nisi consilia & negotia profutura essent: quòd si omnia necessariò euenirent, illa omnia essent frustra: similiter probat in naturalibus potentiam ad esse & nõ esse: hæc vestis potest incidi, vt manifestum est, potest etiã nõ incidi forcipe: patet: quia potest deteri, & vsu consumi: si ergo potest vsu cõsumi, potest non incidi: ergo potest incidi, & non incidi: & sic in rebus est potentia ad esse, & non esse.

10. *Manifestum igitur est, quoniam non omnia ex necessitate. &c.*

Hic sententiam suam cõcludit: nempè, non omnia ex necessitate esse vel fieri, sed aliqua esse contingentia ad vtrumlibet, in quibus tam affirmatio, quàm negatio non est magis dicenda vera quàm falsa, & esse cõtingens in plurimũ, quod frequenter accidit, quãm aliquando deficiat, & non accidat: & esse similiter contingens non in plurimum, scilicet raro euenient: quæ sententia sine dubio digna est laude, cùm hominem liberum constituat, & in naturalibus multa contingentia affirmet, quod & veritati & religioni Christianæ maximè est conforme, est enim homo in suis operationibus liber, nec omnia secundum naturã euenirent, id est, in rebus ipsis, naturaliter euenirent, sed multa contingenter.

Igitur esse quod est, quando est. &c. 11.

Hæc est huius capitis secunda pars, in quo Arist. quo pacto veritas in affirmatione & negatione sit, manifestat: distinguit autem primò res, posteà enunciationem, res igitur vna simplex, dupliciter potest esse necessaria: vno modo absolutè, quando nullo alio supposito aliter se habere non potest, vt Sol est quid necessarium absolutè, secundũ enim naturam suam aliter se habere non potest, similiter in simplicium enunciationũ significatis, vt hominem esse animal. Res dupliciter dici potest necessaria.

Alia res est necessaria secũdum quid nempe ex suppositione aliqua, vt homo currit, pro illo tempore, pro quo currit, necessario currit: quia simul non potest currere, & non currere, & hoc est, quod dicit, res quando est, necesse est esse, & quando non est, necesse est non esse.

Est autem notandũ non valere consequentiam ab isto necessariò secundum quid, ad necessarium simpliciter: vt non valet, Petrus quando currit, necessario currit, ergo Petrus necessario currit: Petrus quãdo non currit, necessario nõ currit, ergo necessario non currit.

Huiusmodi fallacia peccat argumentum primum, quando absũ est, dicitur, si est vera, ergo necessario ita est, ergo res necessario est alba, dicitur, quod est necessitas secundum quid, vt pro illo tẽpore, quo propositio est vera, res sit, tamen absolutè rem esse, non est necessarium: vnde in cõtradictione de præsenti datur pars determinatè vera, & determinatè falsa: sed ista determinatio veritatis vel falsitatis, non est secũdum necessitatem absolutam, sed secundum tempus, scilicet, pro illo, in quo vnum est, alterũ non est, seu pro tempore quo Petrus currit, & Petrus non currit: quo tẽpore est vnum determinatè verum, alterum falsum.

Et

12. *Et in cõtradictione eadem ratio est. &c.*

Distinxerat rem simpliciter, id est, nõ in comparatione ad suum oppositũ, modò rem in ordinem ad suum oppositum distinguit, scilicet, currere non currere, cantare vel non cantare, & in communi vocat esse vel non esse, futurum vel non futurum.

Inquitq̃ dupliciter esse posse hoc totum necessarium, nẽpe cantare vel nõ cantare, legere vel non legere: vno modo, vt cadat necessitas supra vtrunque disiunctim, & simul, vt necesse sit cantare, vel non cantare, esse vel non esse, futurum vel non futurum, quæ necessitas dicitur disiunctionis: & sic asserit omne disiunctum esse necessarium etiã in contingentibus præteritis, præsentibus & futuris, vt necessarium est Antichristum fore vel non fore, Petrum cantaturũ vel non cantaturum, cantare vel non cantare, cantasse vel non cantasse.

Altero modo necessitas potest cadere supra illa mẽbra diuisiuè, vt necessarium sit cantare, aut necessarium nõ cantare, necessarium sit fore, aut necessariũ sit non fore: & isto modo, nõ est necessitas in contingentibus, nec enim est necessarium quod cantet, nec necessariũ quod nõ cantet, nec necessariũ, quod futurus sit Petrus al. ut. nec necessarium quod non sit futurus albus.

Imò est maxima fallacia argumentari à necessitate disiuncti ad necessitatẽ partium per se in contingentibus, nõ enim valet: necessariũ est Petrum cantaturũ, vel non cantaturum, ergo necessarium est Petrum cantaturum, vel necessarium est Petrum non cantaturum.

Talis igitur necessitas est in contingentibus, similiter & talis veritas, nempe disiunctim, sed non diuisiuè, quãus sit discrimen inter præsens & futurum, nam in præsenti datur pars determinatè vera: & falsa determinatè altera, sed talis determinatio non est absoluta, sed secũdum quid, nempe pro tali tempore. At in futuro nõ est pars determinate vera, nec determinate falsa, sed de singulis partibus dices, est vera vel falsa: vt Petrus cantabit, est vera vel falsa. Petrus nõ cantabit, est vera vel falsa.

Quare cũ similiter orationes veræ sint. &c. 13.

Id quod Arist. dixit de ipsis rebus oppositis, in ipsis enunciationibus esse idem prorsus cõfirmat: vt sicut necessariũ est, rẽ esse vel non esse simul: nõ tamẽ singula per se: ita similiter necessaria est affirmatio vel negatio disiuncti modi: vt Petrum fore, vel non fore: neutrã tamẽ partem per se: imò quælibet pars est indeterminata, vt nec sit dicenda vera, nec sit dicẽda falsa, sed vera vel falsa, quia in cõtingentibus de futuro tã indifferens est, quẽ res sit, quãm q̃ res non sit, quãus, vt dicit Arist. aliqua contingentia magis determinata sint ad esse, nempe, quę frequentius accidũt: tamen cũ & hæc possint aliter esse, nondũ veritatẽ habent determinatam, ac ideo nec vera, vel falsa per se sunt dicenda, sed vera vel falsa simul.

Quare manifestum est, quoniam nõ est necesse. &c. 14.

Hic concludit nõ esse necessarium, vt omnis affirmatio vel negatio sit determinatè vera vel falsa, sed aliter in futuris aliter in præsentibus & præteritis: in futuris neutra pars per se determinatè vera vel determinatè falsa, sed vtraq; vera vel falsa: at in præsentibus, & præteritis vna determinate vera, altera determinatè falsa: sed ista determinatio est secũdum quid: nempe, secundum tale tẽpus, quo sunt vel fuerunt, vt diximus.

Dubitabis tu, sicut in enunciationibus de præsenti, vna est determinatè vera, altera falsa: & similiter in enũciationibus de præterito: talis autem determinatio est secundum tempus, quare non dicemus idem in his, quæ sunt de futuro, vt vna sit vera nempe pro tẽpore, quo futura sit res, & vna falsa, quo tempore non futura sit res? Dubium

Dico esse latissimum discrimen, nam antequam res sit, semper manet indifferentia vt possit esse & non esse, fieri vel Solutio.

non

non fieri: propterea enunciatio de futuro non potest habere cõstantem veritatem: at quando iam res est, vel non est secundum tempus præsens vel præteritum vacat ista indifferentia: quod enim est, non est indifferens, vt illo eodem tẽpore non sit, similiter quod non est, nõ potest illo eodem tempore esse: propterea ista constantem habent veritatem vel falsitatem, sed secundum quid, scilicet secundum tempus præsens.

Ex quo soluitur argumentum secundũ superius, nempè si album est modò, fuit heri verum determinatè dicere, album erit: nego cõsequentiam, quia antequã esset, erat indifferens ad esse, & nõ esse: propterea talis propositio hesterna nõ magis erat determinatè vera, quã falsa, erat igitur illa de futuro indeterminate vera, licet de præsenti sit determinata.

QVAESTIO I.
De contingentibus.

QVamuis non sit præsentis loci ista exactius, quim ab Arist. dicta sunt examinare, tamen vt saltem ea melius intelligantur, vnum, aut alterum circa hoc dicemus, solet autem summa in hoc versari difficultas, quo pacto cum gloriosus Deus horum futurorum, antequam sint præscius sit, possint contingenter euenire. Deus enim in sua scientia non decipitur, sed infallibilis est.

1. Error. Circa hoc fuerunt duo philosophorũ errores, quidam enim Stoici, inter quos fuit Chrysippus, vt refert Cicero de fato, & Aul. Gel. li. 6. cap. 2. existimabant omnes effectus euenturos esse necessario: existimabãt enim causas omnes esse destinatas ad suos effectus: & talem ordinẽ constitutum ab eterno in mente diuina, qui mutari non posset: quem ordinem vocabant fatum, & hæc est opinio ferè Poetarum. Virgil. Te tua fata trahunt, nec cœpta relinquere possis, & similiter, Parce metu, manent immota tuorum fata, & Lucanus: Quo tibi seruor abijt? aut quò fiducia fati? similiter matremq; secundum, Iam, nisi de genero fatis debere recusat, & alia plurima.

2. Error. Alij contingentiam in rebus, & libertatem asserebant, tamen Deum esse præscium horum singularium futurorum negabant, cuius sententiæ, seu dementiæ fuit Cicero lib. de natura deorum, vt refert Augustinus 5. de ciuita. ca. 9. idem etiam impiè sensit Auerro.

3. Sẽtẽ vera. At veritas Christiana consistit in medio, nec modo Christiana, verùm etiam Philosophica: quam ferè omnes veteres Peripatetici sunt assecuti, vt videre est apud Ammonium hic, qui eam tribuit Arist. Psell. & Magent. ibidem apud Alexand. Aphro. in lib. quem de fato ex sententia Aristotelis cõscripsit ad Antoninũ & Seuerum Imperatores, capit. 16. & apud eundem, primo naturaliũ quæstionum, cap. 4. & 25. & in cap. 14 apud Themistium in Paraphras. 12. Metaphysica apud Philoponum in 1. Post. suo com. 94. & pulcherrimè apud Simplicium. 8. Physic. in secunda digressione contra Philop. Paulo post principium, vbi ait, Dei Optim. cognitionem esse omnium simul præsentium præteritorum, & futurorum: idem super Epictetum cap. 67. & 2. Physic. 77. & 2. de cælo. 56. idem etiam Eustratius 10. Ethicorum, capit. octauo ad calcem

Effectus cõtingentes in rebus reperiri & libertatẽ actionem in homine fatũ rerumque cognitionẽ in Deo.

Tenet ergo hæc sententia, esse effectus contingentes in rebus, esse libertatem in homine suarum operationum, & omnium futurorum Deum esse ab æterno præscium.

Pro cuius expositione aduerte primò duplex esse genus causarum: quædam causæ sic operantur, vt nunquam naturaliter impediantur, vt Sol oritur, Sol occidit, & istæ causarum superiorũ actiones & motus naturales non impediuntur. Aliæ causæ impediuntur à suis operationibus, & effectibus naturaliter, vt equus impeditur à productione equi, quia aliquando vel producit monstrum, vel non prouenit embrio ad perfectionem, impeditur

1. Fundã. Causas sublimes in suis effectibus edẽdis impediri a-

aliis verò peditur etiã aliud à contrario suo, vt patet in his causis naturalibus inferioribus.

bum impediri naturaliter. Causa ité alia naturalis, alia est libera.

Præterea adhuc est duplex causa, quædam quæ est determinata ad operandũ ita, vt propositis necessarijs ad operãdũ non possit non operari, vt ignis proposito combustibili nõ potest non combure re, quæ esse dicuntur naturales: quædam non est determinata ad operandum, sed propositis necessarijs potest nõ operari, qualis est voluntas hominis, quæ, si ei proponatur aliquod bonum, vt velit, potest velle, & non velle, & hæc dicitur causa libera.

4. Fundã. Omnium effectuum positiuorũ Deum esse causam.

Aduerte secundo omnium effectuum positiuorum Deus est causa: quod est dicere, ignis solum nõ comburit, sed Deus cum igne, & omnis res operatur, sed simul concurrente Deo ad talem operationem cum illa re, & est maximè necessarium: ita autem Deus concurrit cum illa re, vt simul operetur secundum modum naturæ illius rei: cum igne enim cõcurrit eo modo, quo ignis operatur, nempe necessario calefaciendo, & cum voluntate hominis libere volendo, nõ enim cogit res vt agant, sed secũdum modum illarum rerum, & naturam: iuuat eas, vt agant cum ijs, quæ necessario agunt, necessario, cum his, quæ impediuntur, modo etiam, quo impediri possit operatur, nec earum destruit naturas.

3. Fundã. Deum omnia ab æterno præscire.

Aduerte tertio omnia antequàm fiãt, Deus cognouit, & omnium est ab æterno præscius, non tamen eodem modo omnia cognoscit, sed necessaria cognoscit futura necessaria, & cõtingentia cognoscit, vt cõtingentia: id est, ita cognoscit futura esse, vt simul cognoscat posse non fieri.

Præscitis Dei, rebus futuris nullam imponit necessitatem.

Vnde sicut ex hoc, quòd omnium est author, & cum omnibus causis operatur non sequitur, quòd causæ necessario operentur omnes, quia secundum modum illarum concurrit ita ex hoc, quòd omnia præscit ac præcognoscit, nullam futuris necessitatem imponit, sed illa vt futura sunt cognoscit, vnde sic cognouit me hodie lecturum, vt etiam cognosceret libere lecturum, & me posse non legere.

Vnde respondetur ad argumentum commune in hac materia. Deus scit me lecturũ eras, ergo ego nõ possum nõ legere: concessio antecedenti negatur cõsequentia: quod si dicas Deus non potest falli, ergo non possum non legere: dico, stante præscencia diuina non possum nõ legere, quod alij vocant in sensu composito: sed hoc nõ colligitur absolutè, me nõ posse non legere: explicatur: ego necessario lecturus sum, vel non lecturus: libere tamen me applicabo, vel ad hoc, vel ad illud extremũ, Deus præscit, ad quod liberè me postea sum applicaturus: dicere itaque stante præscientia diuina non possum non legere, est dicere, Deus non decipi potest in cognitione illius, quod ego sum postea libere facturus: ex quo non colligitur, quod ego postea necessario sim operaturus, & hoc vocant aliqui non licet arguere à sensu composito ad sensum diuisum: & hæc sufficiũt de hac difficultate in præsenti.

FINIS LIBRI PRIMI.

ARISTOTELIS
DE INTERPRETATIONE,
LIBER SECVNDVS.

SVMMA LIBRI.

¶ De Enunciationibus infinitis. De Enunciationum vnitate, & pluralitate. Et prædicationibus coniunctis, atq; diuisis. De Enũciationibus modalibus. Et quæ Enunciationes magis inuicẽ sint contrariæ.

¶ *De Enunciationibus infinitis cuiuscunq; generis, ipsarumq; oppositionibus, ac consequentijs. Nominaitemac verba transposita, idem significare.*

Cap. 1.

1. QVoniã autẽ est aliquid de aliquo affirmatio significãs: hoc aũt vel nomẽ est, vel innominatum: vnũ autẽ oportet esse & de vno id, quod est in affirmatione: nomen aũt dictum est & innominatum prius: (nõ homo enim nomẽ quidẽ non dico, sed nomẽ infinitũ: vnum enim significat aliquomodo infinitũ nomen: quẽadmodum & nõ valet nõ verbum: sed infinitum verbum) erit igitur omnis affirmatio & negatio, vel ex nomine & verbo, vel ex infinito nomine & verbo.

a. l. addit dico.

2. Sine verbo aũt nulla affirmatio vel negatio est: est enim, vel fuit, vel erit, vel fit, vel quęcunque alia huiusmodi verba, ex ijs sunt, quæ posita sunt: consignificãt enim tempus.

3. Quare prima erit affirmatio & negatio, est homo, non est homo: deinde, est nõ homo, nõ est nõ homo. Rursus est omnis homo: nõ est omnis homo: est omnis non homo, nõ est omnis non homo. Et in ijs, quæ extrinsecus sunt temporibus, eadem ratio est.

4. Quando autem est, tertium adiacens prædicatur, dupliciter dicuntur oppositiones: dico autem vt est iustus homo, ipsum est, tertium dico adiacere nomẽ, vel verbum in affirmatione. Sectio tertia secundũ Græcos

5. Quare ob id ipsum quatuor erunt illæ, quarum duæ quidem ad affirmationem & negationem se habebũt secundũ consequentiam, vt primationis: duæ verò minime. Dico aũt quòd est, [aut iusto adiacebit, aut nõ iusto: quare etiã negatio, quatuor igitur erunt. Intelligimus verò quod dicitur ex ijs, quæ subscripta sunt. Est iustus homo, huius negatio est, non est iustus homo, est nõ iustus homo, huius negatio est nõ est non iustus homo: est n. hoc in loco & nõ est, iusto & nõ iusto adiacebit. Hæc igitur, quemadmodum in Resolutorijs dictũ est, sic sunt ordinata.]a.l. adhic

6. Similiter autem se habebunt, & si vniuersaliter nominis sit affirmatio, vt omnis est homo iustus, negatio huius, nõ omnis est homo iustus: omnis est homo nõ iustus, non omnis est homo nõ iustus. In fine primi Priorũ.

Tamen nõ similiter angulares veras esse cõtingit: cõtingit autem aliquãdo.

¶ *Enunciationum infinitarum dispositio, ex primo Priorum in fine.*

Simplex affirmatio.	Simplex negatio.
Homo iustus est.	Homo iustus non est.
Priuatoria negatio.	Priuatoria affirmatio.
Homo iniustus non est.	Homo iniustus est.
Infinita negatio.	Infinita affirmatio.
Homo non iustus non est.	Homo non iustus est.

EARVN-

EARVNDEM DISPOSITIO IN TERMINIS vniuersaliter, ac in parte.

Simplex affirmatio vniuersaliter.	Simplex negatio in parte.
Omnis homo iustus est.	Non omnis homo iustus est.
Priuatoria negatio in parte.	Priuatoria affirmatio vniuersaliter.
Non omnis homo iniustus est.	Non omnis homo iustus est.
Infinita negatio in parte.	Infinita affirmatio vniuersaliter.
Non omnis homo non est iustus.	Omnis homo non iustus est.

Vt dispositæ sunt hæ Enunciationes de subiecto finito, eodem pacto disponi possunt Enunciationes de subiecto infinito, addendo ipsi homini distinctionem, non.

7. Hæ igitur duæ oppositæ sunt mutuo. Aliæ autem duæ ad non homo, quasi ad subiectum aliquod additum: vt, est iustus nõ homo, non est iustus non homo: non est nõ iustus nõ homo: non est nõ iustus non homo: plures autem his non erunt oppositiones. Hæ autem extra illa, ipsæ secũdum se erunt, vt nomine vtentes eo, quod est non homo.

9. In quibuscunq; autẽ est, nõ conuenit, vt in eo, quod est sanum esse, & ambulare, in ijs idem facit sic positum, ac si esset, adderetur: vt, sanus est omnis homo: nõ sanus est omnis homo: sanus est omnis nõ homo: nõ sanus est omnis non homo: non enim dicẽdum est, nõ omnis homo, sed nõ negationem ad id, quod est homo, addendum est: omnis enim nõ vniuersale significat, sed quòd vniuersaliter. Manifestum est autem ex eo, quod est, valet homo, nõ valet homo: valet non homo, nõ valet non homo: hæc enim ab illis differunt, eõ, quòd vniuersaliter non sunt, quare omnis, vel nullus nihil aliud consignificat, quàm quòd vniuersaliter de nomine vel affirmationem, vel negationem: ergo & reliqua eadem oportet apponi.

10. Quoniam verò contraria est negatio ei, quæ est, omne est animal iustum, illa, quæ significat, q nullum est animal iustum: hæ quidem manifestum est, quòd nũquam erunt neq; veræ simul, neque in eodem: his verò oppositæ erunt aliquãdo: vt nõ omne animal iustum est, & est aliquod animal iustum. Sequuntur verò & hæ, eam quidem, quę est, omnis est homo nõ iustus, hęc, nullus homo est iustus: † illam verò, est non omnis homo non iustus, opposita, quòd est aliquis nõ iustus, necesse est enim aliquem esse. † a.l. illam verò, quæ est, aliquis est homo iustus opposita, & non omnis homo est noniustus.

11. Manifestum est autem etiam, quòd in singularibus si verum est interrogatũ negare, quod & affirmare verum est: vt putà ne, Socrates sapiens est nõ: Socrates, igitur est nõ sapiens. In vniuersalibus verò non est vera, quæ similiter dicitur: vera autem negatio est: vt, putà ne, omnis homo sapiens est? non: omnis igitur homo non sapiens est: hoc enim falsum est: sed non, igitur omnis homo sapiens est, verum est: hæc enim opposita est: illa verò contraria.

12. Quę verò secundum infinita cõtraiacẽtes sunt nomina & verba, vt in eo, quod est nõ homo, vel: nõ iustus, quasi negationes sine nomine & verbo esse videbuntur: sed nõ sunt, semper enim vel veram vel falsam esse necesse est negationem: qui verò nõ homo dixit, nihil magis, quã quid dicit homo, sed etiã minus verus vel falsus fuit, nisi aliquid addatur.

13. Significat autem, est omnis homo iustus

sius nulli illarum idem, nec huic oppositæ, quæ est, non est omnis non homo iustus: illi, quæ est, nullus est iustus non homo, idem significat.

14. Transposita verò nomina & verba idē significant: vt est albus homo, & est homo albus. Nam, si hoc nō est eiusdē multæ erunt negationes: sed ostēsum est, q̄ vna vnius est. Eius enim, quæ est, est albus homo, negatio est, nō est albus homo: eius autem, quæ est, est homo albus, si nō eadem est ei, quæ est, est albus homo, erit negatio, vel ea, quæ est, non est nō homo albus, vel ea, quæ est, nō est, homo albus: sed altera quidem est negatio ea, quæ est, nō est nō homo albus † eius, est nō homo albus: altera verò eius, quæ est, est albus homo: quare erunt duæ vnius. Quòd igitur transposito nomine & verbo, eadem sit affirmatio & negatio, manifestum est.

† 2.l negatio eius, quę est, est non homo albus.

DE ENVNCIATIONIbus infinitis.

¶ *De nomine & diuisione huius libri, ac primi eius capitis.*

Nomē libri huius

HIC est secundū Latinos, secūdus Perihermenias liber: secundum Græcos verò, apud quos vnicus est tantùm continuus liber in Sectiones diuisus, est ista sectio tertia: cùm autem hoc nihil doctrinæ veritatem impediat, diuisionem Latinorum Latini sequemur.

Obscuritas libri huius.

Est quidem obscurus liber, & quorundam locorū difficultate alijs Logicæ partibus non postponēdus: sed vtilis valdè eius cognitio est, ac sine ea, Logici nomen nullus sibi iure vēdicabit. Dabimus operam, vt sensum Arist. simul & ipsius verba ita interpretemur diuino auxilio, vt vel minimum aduertenti, admodum facilia sint: nec obscuritas ignorantiæ, nec labor tædij cuiquam sit causa.

Diuisio libri.

In hoc igitur libro cōtinentur quatuor. Primū est, de enūciationibus, quæ aliquam particulam additam alicui extremo recipiunt, nempè infinitum sortiuntur subiectum vel prædicatum, vel vtrunque. Secundum est, quomodo se habeant propositiones, quæ præter verbum substantiuum aliud recipiunt prædicatum, quātum ad coniunctionem & diuisionē verbi cum illo prædicato. Tertium de enūciationibus habētibus modum aliquem ipsas modificātem. Quartum cuidam dubio de enūciationum oppositione satisfacit.

Nota. In quibus omnibus docemur præcipuè multiplicare enunciationes innumeras. Etenim in priori libro, vt tradit Albert. libro. 2. hoc, capitu. 5. tradita sunt ea, quæ ad cōstitutionem enūciationis pertinebant, tam essentialem, quàm accidentalem: nempè eius partes, nomen, verbum eius genus, oratio: eius constitutio, vna, plures, simplex, composita: eius species, eius quantitas, quæ accidēs est, eius veritas, vel falsitas: eius oppositio: nunc eius multiplicatio, secundum aliquod additum: atque etiam, vt docet Albertus eius consequentia: nempè vnius ad alteram, vt patet etiam in tractatu.

Diuisio 1. capitis. In hoc igitur capite tria principaliter cōtinentur. Primò tractat de enunciationibus de verbo (est) extremum finitum, vel infinitum habentibus. Secundò de enūciationibus aliorum verborum. Tertiò aliquid de harum oppositione tradit.

2. *Quoniam autem est aliquid de aliqua affirmatio significani, &c.*

Variationem enunciationum secundum extrema, & partes ipsarum assignare intēdens, meritò ea, quæ dicta sunt, repetit, ex quibus colligit, primò variari enūciationem secundum nomē subiectum vel verbum: cùm hæc primò, & necessariò ipsam constent, ac componant: ac propterea talia verba, sub nota causali assumit, dum dicit (Quoniam autem) dicit autem, (omnis affirmatio aliquid de aliquo significat, aliquid autem nomē est vel innominatum) id est, quod

quod de aliquo dicitur, vel de quo aliquid dicitur, vel est nomen vel innominatum, scilicet finitū, vel infinitū, ipsum enim infinitum vocat innominatū, quia ante Arist. nomine vacabat, propterea dicit innominatum prius.

Nomen infinitē vt vnum aliquid significet.

Et quantum existimo, in his verbis etiam includit verbum, vt sit sensus aliquid vel est nominatum, vel innominatum, & colligit enunciationem significare vnum de vno: ex quo infert omnem enūciationem cōstare ex nomine & verbo, vel ex nomine infinito & verbo, vt totus discursus sit iste, omnis enūciatio vnum de vno significans ex nomine vel ex infinito nomine & verbo constat, at omnis enunciatio vnum de vno significat, ergo omnis enunciatio constat ex nomine, & verbo, vel ex infinito nomine, & verbo: maiorem nō explicat, minorem assignat, & prima verba minoris sunt probatio, nēpè, enūciatio aliquid de aliquo siue innominatum siue nominatum sit, significat, ergo vnum de vno: interponit autem parenthesim, qua explicat, quid vocet innominatum, dicit autem (infinitum nunc dictum est nomen): d est, nominatum est, quod tamen prius nomine carebat: non tamen dicitur nomen, sed infinitum nomen: sicut non sanatur, non verbum, sed infinitum dicitur verbum: & reddit rationem, quare nomen infinitum tamen dicatur, & inquit, quia vnum aliquo modo significat.

Dubiū. 1 Dices, quare hic solùm loquitur de affirmatione in principio? dico, & aduerte, hic Aristotel. multiplicationem enūciationum docere intendit, propterea quærit omnium primam, hęc autem est affirmatio, quę simplicior est, & prior negatione.

Dubiū. 2 Dubitabis, quomodo infinitum nomen, & verbum vnum significant, cùm ante & quæ sunt, & quæ non sunt significare dicta sint? dico, non significare vnum ex parte rei, nam quæ sunt, & quæ non sunt, in nulla re conuenire queunt: sed vnum ex parte intellectus apprę-

hendentis ea, sub negatione alicuius scilicet, quòd non sunt homo, non sunt leo, non sanantur: ac propterea dicit vnum aliquo modo significant, at quia sub hac minima, & debili entitate nihil certi continetur: sed quæ sunt, & quæ non sunt infinitum nomen, vel verbum dicitur.

Dubiū. 3. Dubitabis, quare non enumerat etiam eam enūciationem, quæ fit ex verbo infinito? Respondetur ex Alexādro, Boetio, Alberto, & Ammonio, quòd in propositione verbum infinitum nō differt à negato, & hæc est sentētia Arabū, quamuis etiam doceat Ammo. posse dici sub verbo inclusisse finitum, & infinitum, sed prior sententia est potior, quæ intelligenda est, vt superius declarauimus cap. de verbo.

3. *Præter verbum autem nulla est affirmatio, vel negatio, &c.*

Hoc dicit Aristoteles, vt ostēdat multiplicandam esse enūciationem per nomen, quando est finitum vel infinitum: nō per verbum, quod non sic dicatur in enūciatione. Ostendit non sic nomen vt verbum se habere ad enūciationem: aliquando enim enūciatio est sine nomine, vt potè, cùm nomē habet infinitum, at sine verbo nec affirmatio, nec negatio esse potest, vel vt sit sensus, affirmationem, & negationem in verbo cōsistere: quādo enim negatio in verbum non cadit, non est negatiua enūciatio, similiter de affirmatione: cùm igitur verbum semper sit necessarium in enūciatione, variatio erit secūdum nomen finitum vel infinitum, & hoc cum verbo est, fuit, erit, fit, vel simile, quæ sunt verba, cùm significent tempus, & quibus definitio præcedēs verbi competit: & nota sicut suprà assumpsit affirmationem, quia erat prior, hic assumit verbum substantium, & similia, quæ sunt omnium verborum prima, ex his enim primæ enūciationes sunt.

3. *Quare prima est affirmatio, & negatio, &c.*

Infert primam omnium affirmationem & negationem esse hāc homo est, homo non est, secunda de nomine infinito, non homo est, non homo non est. Tertia affirmatio, & negatio vniuersalis simplex, vocatur enim simplex enunciatio finita, vt omnis homo est, nō omnis homo est. Quarta infinita, omnis nō homo est: hoc similiter docet in alijs esse temporibus: nempe, præterito, & futuro, secundum quæ etiam similes ordinari possunt enunciationes, & erunt viginti quatuor simplices, siue duodecim oppositiones, vt facilè est cuilibet exemplo comperire: quòd si his velis addere oppositiones singularium, & particularium multiplicabis multas alias, secundum finitum, & infinitum, & secundum diuersa tempora, non tamen secundum vniuersalitatem: ac propterea forsan Arist. harum non meminit, nec enim singulare, nec particulare capax est vniuersalitatis.

4. *Quando autem est tertium adiacens prædicatur, &c.*

Postquam de enunciationibus simplicibus, quæ ex vnico nomine, vel infinito nomine, & verbo constant, egit, accedit ad compositiones, quę cum verbo etiam aliud admittunt prædicatum, quas vocant de tertio adiacente: & ipsum est tertium adiacens prædicatur, id est, est prædicatum tertio loco superueniens, nō quòd in enunciatione tria sint prædicata, sed quòd ipsum prædicatur tanquam tertium nomē, vel verbum, id est, tanquam tertia dictio: hic enim secundum omnes ferè, nomen pro dictione significante sumit, & dicit. Est, tertiam dictionem, in enūciatione dico adiacēs, quam etiam vocat verbum, vt non quamcunque dictionem esse significet: vnde sic est litera ordināda, dico, est, adiacere tāquam tertium nomen, seu vt potius dicam verbum, in enūciatione.

Nota. Vbi hic aduerte cū Ammo. quod nos suprà docuimus, ipsum, est, tertium adiacens prædicari, quod hic expresiè docet Arist. quādo enim dico homo est albus, esse album de homine prędico, licet Albertus, cap. 2. huius doceat, est, tertiū adiacens, non esse prædicatum, sed copulam extremorum: idem Boet. cap. de verbo, & Suesa. ibidem.

Dices, quare vocatur tertium cum potius locum obtineat medium vel primū apud Aristotel. qui suo loquendi modo verbum præponit? dico cum Alber. pro latione quidem non esse tertium, at re tertium est, vt enim composita præcedunt formam componentem, nempe lapides, & ligna formam domus, ita & nomina seu subiectum, & prædicatum ipsum verbum.

Dubium Cur verbū est tertium adiacens dicatur.

Quamuis iudicio meo mihi videatur istle locus aliter interpretandus, & tunc cessat hoc dubium, est enim sensus, dico est tertium, quando adiacet nomen vel verbum, id est, quando verbum, est, est tertium, vel nomen aliquod est tertium: dummodo enim sint tres dictiones, vel verbum, tertium, vel nomen dicetur tertium, vnde si verbum dici tertium velimus, fiet propter rationem Albertus, nomen verò potest dici tertium, quia vltimo prædicatur.

Quando igitur talis est enūciatio, tūc insurgunt aliæ nouæ oppositiones: nempe, & de prędicato finito & infinito: quare dupliciter erunt oppositiones, altera oppositio erit secundum prędicatum finitum, altera oppositio secundum prædicatum infinitum, ac propterea subiunxit, quatuor erunt enūciationes: ex duabus enim oppositionibus quatuor eiecgunt enunciationes: hic autem præsupponit subiectum finitum: postea enim dicet, quando subiectum est infinitum: harum quatuor exempla subdit, homo est iustus, homo nō est iustus, homo est non iustus, homo non est non iustus, & tali ordine collocantur, quo enarratæ sunt, vt habetur 1. Prio. cap. vltimo.

Hæc exempla de iniusto non sunt ex textu Arist. nec exempla enūciationum vniuersalium, sed postea ab Arist. traduntur: aliqui tabulā hanc inseruerunt, non tamen in textu continuanda sunt.

5. *Quarum duæ quidem ad affirmationem & negationem, &c.*

Textus hic insignem & celeberrimam difficultatem continet: quem variè viri doctissimi interpretantur, & Græci, & Latini ne tamen tyronem, in re hac tā diuisis sententijs obruamus: vnam, quæ magis Arist. videtur conformis, adducemus: quæ expositio est Porph. Boe. Alb. & S. Tho. ea nimirum est: inter has quatuor assignatas enunciationes (duæ quidem secundum affirmationem & negationem) id est, quarum vna est affirmatiua, altera negatiua: (dicuntur ad consequentiam) vt ab affirmatiua ad negatiuam valeat, (duæ verò minimè dicūtur) id est, a negatiuis ad affirmatiuas non valet: vel vt alij volunt (duæ verò minimè) id est, nec affirmatiuæ inter se, nec negatiuæ dicuntur secundum cōsequentiam: sed primum sequamur.

V.g. ab affirmatiua simplici ad negatiuam infinitam valet, nō è contra, vt homo est iustus, ergo homo nō est nō iustus similiter ab affirmatiua infinita, ad negatiuam simplicem, non è cōtra, vt homo est nō iustus, ergo homo nō est iustus: sunt enim ita compositæ, vt affirmatiua finita simplex simul sit cum negatiua infinita: & affirmatiua infinita, cum negatiua simplici, ac propterea Theophr. vocabat has transpositas.

A negatiua verò non valet, nō enim dices, homo non est iustus, ergo est non iustus: quia prima nō existente homine est vera, quia est negatiua, at posterior falsa, similiter in alijs duabus.

Nota. Ac propterea Arist. has infinitas cōparat priuatiuis, in quibus vt Arist. docet 1. Prior. cap. vltimo, nō valet à negatiuis ad priuatiuas, sed valet è cōtra, vt homo nō est iustus, non valet, ergo est iniustus: quia de equo potest dici, quòd nō est iustus, nō tamen quòd est iniustus valet tamen, homo est iniustus, ergo nō est iustus.

Plura enim comprehendit negatio, quàm priuatio, & infinitatio: quāuis infinitatio ipsius se habeat, quàm priuatio, vt docet Ammo.

Nota. Negatio latius se extēdit quā priuatio aut infinitatio.

Dices enim de equo, quod est nō iustus, non tamen quòd est iniustus: neutrū tamen dices de homine nō existente, nec quod est nō iustus, nec quod est iniustus, dices tamen, quòd nō est iustus: in plus ergo se habet negatio, deinde infinitatio postea priuatio, vltimò affirmatio, quæ solum de habente dicitur, ac propterea bene dicitur affirmatiuam simplicem, & affirmatiuam infinitam habere se ad negatiuas, sicut priuationes: quia ab eis valet consequentia ad negatiuas, non è contra.

Hęc est huius loci explanatio diligenter mēte obseruanda horum doctorum insignium, secundum quam Aristot per duas quæ secundū consequentiam dicuntur, intelligit affirmatiuas: per eas verò, quæ minimè, negatiuas duas significat, à quibus non valet consequentia.

Altera expos.

Quòd si licet inter tot graues doctorū sententias vnum, quod mihi diu cogitanti se obtulit, interponere: dicā vnū, quod quantum conijcere possum, ipsius Arist. proprium explicat sensum: verba igitur Aristote. fideliter in Latinum conuersa sunt ista eadem, quæ in Boetij versione habentur, quam etiam Græci interpretes suis commētarijs insinuāt (Quatuor erunt illæ, quarū duæ ad affirmationem & negationem se habent secūdum consequentiam, vt priuationes, duę verò minimè) habere se ad affirmationem & negationem, nō est aliud, quàm opponi, vt patet de cōtextibus omnibus præcedentibus, semper enim affirmationem vel negationem vocat ipsam contradictionem. sensus igitur est, duę ex illis quatuor opponuntur, sicut priuatiuæ, duæ verò non opponuntur priuatiuę illæ, quę sunt de extremo infinito. Affirmatiua infinita est, sicut affirmatiua priuatiua, negatiua infinita est, sicut negatiua priuatiua. Aliæ duæ nō sic opponuntur, nempe

Universidad de Deusto
Biblioteca

affirmatiua, & negatiua simplices, & hoc est, quod dicit, se habent secundum consequentiam, vt priuationes, id est, se habent ad modum, & similitudinem priuationum, vt interpretatur Boet. in prima Editione: & similitudo in hoc consistit, vt enim in priuatiuis tam affirmatio, quàm negatio habent prædicatum cum negatione, vt homo est iniustus, homo nõ est iniustus: ita in infinitis: vt homo est nõ iustus, homo non est non iustus.

Nec oportet intelligere hic cõsequentias, quòd valeat ab vno ad alterum, quę sine dubio nõ sunt certa: vt enim diximus superius etiam ex mente horum doctorum: infinitũ de his quæ sunt, & quæ non sunt, prædicatur: vnde affirmatiua infinita tam ampla est, quàm negatiua, vt enim dicitur chimæra non est homo, ita chimæra est non homo, quamuis sit infinitum superius priuatiuo: ista expositio non mihi displicet, quamuis huius iudicium ab alijs potius, quàm à me sit exhibendum.

6. *Similiter autem se habebunt & si vniuersalis, &c.*

Eandem rationem obseruandã docet, quando prædictæ oppositiones in vniuersali sumuntur: sunt enim aliæ quatuor enũciationes, eodem ordine, omnis homo est iustus, nõ omnis homo est iustus, omnis homo est non iustus, non omnis homo est non iustus, dicit has similiter se habere, sicut priores, tu intellige, secundum sententiam priorem illorum doctorum: similiter, id est, affirmatiua simplex infert negatiuam infinitã, & non infertur ex ea, vt omnis homo est iustus, ergo nõ omnis homo est non iustus: præterea affirmatiua infinita infert negatiuam simplicem, non è contra: vt omnis homo est non iustus, ergo non omnis homo est iustus, sicut fiebat in illis prioribus, ac secũdum expositionem nostram, similiter se habent istæ, quia priuatiuis assimilantur duæ: nẽpe infinita, vt declarauj.

7. *Sed non similiter Angulares: vtras esse contingit, &c.*

Hic est alius locus difficillimus expositorum iudicio: dixit enim Arist. has quatuor esse similes illis quatuor superioribus, nunc discrimen ostẽdit vnum: nempe in illis Angulares simul esse veras, in his verò non, sed aliquãdo, id est, aliquas Angulares.

Dubium


Difficultas est, quas vocet Angulares enũciationes, vocat enim positas per diametrum: in cuius expositione laborauerunt Græci, tamen expositio Boet. est amplectenda, vocat Angulares affirmatiuas finitam, & infinitam inter se, vt homo est iustus, homo est non iustus: & negatiua finita, & infinita inter se, homo non est iustus, homo est non iustus. Similiter in vniuersalibus omnis homo est iustus, omnis homo est nõ iustus, sunt angulares, similiter negatiuæ, non omnis homo est iustus, nõ omnis homo est non iustus.

Est autem modò discrimen: in primis enim, quia indefinitæ sunt, omnes angulares simul esse veræ possunt, in materia contingenti: at in his vniuersalibus impossibile est, quòd simul sint omnes verę, aliquæ possunt quidem, nempe illæ negatiuæ particulares.

Dubium

Dices quare vocat Angulares seu oppositas per diametrum? dico, cum talem habeant ordinem, vt affirmatiua simplex sit prima, eius negatiua secunda, affirmatiua infinita tertia, eius negatiua quarta si constituas quadratum, & singulis angulis tribuas singulas ex his, ita vt primo superiori angulo sit affirmatiua simplex, secundo eius negatiua: tertio inferiori dextro affirmatiua infinita, quarto eius negatiua: hoc enim ordine tales anguli numerantur, tunc inuenies affirmatiuas in angulis per diametrum oppositis, & negatiuas similiter, vt hac sequẽti figura intelligęs.

Solutio.



Altera expositio.

Simili figura constituendæ sunt particulares. Alij variæ sumebant angulares in figura: nam vtrasque affirmatiuas superioribus angulis describebant, & tunc dicebant opponi per diametrum, id est, per lineam rectã, similiter negatiuas in inferioribus, ac per diametrum opponi lineam, videlicet perpendiculariter cadentem supra vtramque ad inuicem, sed ista expositio non est recipienda: diameter enim non est quæcunq; linea recta aliter constat quadrati dicẽtur diameter, quod absurdum est, sed vt diximus, diameter est linea in duas medietates figuram per oppositos angulos diuidens: patet igitur sensus huius loci.

Concludit Arist. hæ igitur duæ oppositiones præcedentes, altera quando est prædicatum finitũ, altera quando est infinitum.

8. *Alię autem duæ ad non homo, &c.*

Illæ duæ oppositiones erant subiecto existente finito: at si sumatur infinitum, nempe non homo, sunt totidem: nõ homo est iustus, non homo non est iustus, non homo est non iustus: similiter in vniuersali, nec possunt esse plures oppositæ secundum finitum, vel infinitum, quàm hæ, vt patet (istæ autem extra illas sunt) id est, nõ est consequentia inter has, & illas: inter se tamen istæ eandem rationem, quam superius diximus, obseruant, vt ab affirmatiuis ad negatiuas valeat cõsequentia, nõ è contra, vel vt dixi, de similitudine ad priuatiuas (vtentes tamen nõ homo, vt nomine) id est habent semper tã affirmatiuæ, quàm negatiuæ simplices vel infinitæ in prædicato idem subiectum infinitum, sicut in alijs erat subiectum finitum semper, nec mutabatur in aliqua.

In quibus verò est non conuenit, &c.

9.

Hæc est secunda pars, in qua de alijs verbis adiectiuis differit: docetque quãuis in his non sit ipsum (est) perinde tamen esse oppositiones faciendas, ac fiũt in ipso (est) hoc intellige de (Est) secundo adiacente, ista enim verba adiectiua quamuis re ipsa, tertio adiacenti æquipolleant, tamen voce, vt dicit Boet. similia secundo adiacenti sunt, propterea in finitionem subiecti solam habent, vt homo sanatur, homo nõ sanatur, nõ homo sanatur, non homo non sanatur, similiter in vniuersali.

Et quamuis ista exempla Boet. sint per verbum (est) scilicet, homo sanus est, legenda sunt tamen per verba adiectiua, vt habetur Græcè, & ipse met legit in suis editionibus.

Nota. 1.

Hic aduerte ex. 1. Prio. c. 43. ista verba adiectiua aliquando aliquod additũ recipere post se, vt amat homo Deum, & similia, & ratione talium appositorum recipiunt infinitatem, vt homo amat nõ Deum, video non album: tamen quia ista prædicati principalis nõ obtinẽt rationem, sed potius sunt verbi significationis adiũcta, non vocantur tales enunciationes infinitæ absolutè: propterea maximè cauendũ est in illis, ne argumentemur ab illis tanquàm ab infinitis affirmatiuis ad negatiuas, non enim valet, video non album, ergo non video albũ, possum enim album & nigrum simul videre nec valet

Nota. 2.

Enũciationes quę post verbũ adiectiuũ vocem aliquã negatã ha-

bent nō sunt absolutè in finitæ dicendæ.

valet,amo non Deum, nempe Petrum, qui non est Deus,ergo non amo Deum, nec valet possum non currere,ergo non possum currere:quia argumētamur a nō distributo ad distributum,ex parte participij inclusi in verbo adiectiuo vt aliàs dictum est.

Dubitat autem Arist.quando infinita sit vniuersalis,an addēda sit negatio signo an subiecto,vt dicamus nō omnis homo,an dicendū sit omnis non homo? Respondetur,negationem non esse addendam signo,quia illud non significat vniuersale,sed vniuersaliter,id est,modum quendam,secundum quem notamus cuilibet parti vniuersalis cōuenire prædicatum,vel à qualibet remoueri:probat aūt quòd nō significat vniuersalem rem,sed modum quia hæ enunciationes, homo currit, non homo currit, non differunt ab illis,in quibus talia signa sunt, nisi in hoc,quòd illæ sine tali signo rem enunciēt vniuersalem,nō vniuersaliter, hæ verò cum signo,rem vniuersalem, sed vniuersaliter,nōn ergo illa signa addunt, nisi hunc modum vniuersalitatis:& vide quod diximus suprà, capite quinto inde finitas,& vniuersales non differre in re significata,sed in modo significandi.

Concludit Arist.(ergo & reliqua eadem oportet apponi)id est,si istæ oppositæ de verbis adiectiuis sunt similes aliis, reliqua oportet apponi,id est,obseruanda sunt ea,quæ diximus de aliis, quātum ad angulares veras vel falsas, vel possumus interpretari(ergo & reliqua debēt apponi eadem)id est,si non est differentia inter has,nisi in signo:negationes sīe in vniuersalibus vniuersaliter ponendæ in ipsis vniuersalibus,sicut in illis in quibus non est signum,vt dicatur omnis nō homo est iustus,quādonegatio infinitat.

10. *Quoniam verò contraria est negatio ei, quæ est, &c.*

Hæc est tertia pars,in qua Arist.ostendit,quæ propositiones simul veræ esse possint,quia docuerat angulares nō posse simul esse veras aliquando, sunt ergo tria dicta primum: contraria simul esse vera nequeunt,vt omne animal est iustū nullum animal est iustum.

Secundum oppositū,his nempe particularia vera possunt esse in materia contingenti,vt nō omne animal est iustum, aliquod animal est iustum.

Tertium dictum,hæ duæ oppositę:nēpe,nullū animal est iustum, aliquod animal est iustum,se consequuntur cum aliis duobus oppositis infinitis,nempe,omne animal est non iustum, non omne animal est non iustum,pari modo vniuersalis affirmatiua infinita,cum negatiua infinita,& particularis negatiua infinita, cum particulari affirmatiua simplici, vt nullus homo est iustus,cū hac, omnis homo est non iustus,& nō omnis homo est non iustus,cū hac,aliquis homo est iust⁹.

Aduertē quod propterea dixit has cōsequi se cū illis,quia illæ primę non sunt Angulares. At quia Angulares se cū illis consequuntur,hi vt eadem sit harum & illarum ratio.v.g istæ non sunt simul veræ,omne animal est iustum,nullum animal est iustum:sed non sunt Angulares. At omne animal est non iustum, quæ est Angularis affirmatiua,est idem cum hac nullum animal est iustum. Ergo sicut hęc cum affirmatiua simplici,non erat simul vera:ita nec illa infinita,quæ æquipollet negatiuæ:Similiter in particularibus, vt aliquod animal est iustum, aliquod animal non est iustum, sunt simul veræ:sed nō sunt Angulares. At affirmatiua æquipollet negatiuæ Angulari, scilicet, non omne animal est non iustum. propterea ostendit veritatem vel falsitatem in illis primis, quia illic est magis nota, postea ostendit, has illis æquipollere.

Sed vnum dubium magnum superest, an ab affirmatiua sit procedendum ad negatiuam,an è contra, sunt enim varij textus Latini & Græci in hoc. in primis hic Boetius legit ab affirmatiuis esse procedendum.at in suis commentarijs, in vniuersalibus a negatiua ad affirmatiuā procedendum,in particularibus ab affirmatiua ad negatiuam.quod idem docet Alber.c.3. Dubiū.

At in textu Græco præsenti, & traductione noua sic habet, vt ab affirmatiua vniuersali ad negatiuam, & a negatiua particulari ad suam affirmatiuam sit cōsequentia,quod etiam recipit Psellus.

Solutio. Ego exilimo dicēdum:cum Ammo. vt mutuò se consequantur affirmatiua & negatiua. Quod si dicas,infinitum nō prędicatur affirmatiuè de his,quæ non sunt, non enim dicitur Chimæra est non homo.dico, superius diximus ita affirmatiuam sicut negatiuam esse veram, & hoc hic dicit Ammo.& hoc corroborat expositionem, quam attuli in illis verbis (Dux verò minimè.)

Quòd si hoc non placet,dic cum Psello, hic Arist.loqui de supponentibus terminis,& his,quæ existunt.

Vel cum Alberto,vt ponatur constantia,qua indicemus rem subiectam esse aut quę tunc est mutua consequentia.

11 *Manifestum est autem etiam quoniam in singularibus, &c.*

Ostendit diuersimodè se habere negationem in enunciationibus singularibus & in vniuersalibus.In vniuersalib⁹ in singularib⁹ enim nihil prohibet vel in principio,vel in medio,vel in fine collocare, vt Socrates est non sapiens,vel Socrates non est sapiens,vel non Socrates est sapiens,idem est dicere:at in vniuersaliter vniuersalibus non idem est.differt enim dicere,omnis homo est non sapiens,& nō omnis homo est sapiens, quia illa est contraria vniuersalis, hæc contradictoria: vnde in interrogationibus multum differt,quærere de vniuersali,& de singulari,nam si respondeas verè negat singulare, possum ego verè affirmare per indefinitū,vt puta,sine Socrates est sapiens? si verè respondet interrogatus, non est, possum inferre,ergo Socrates est non sapiens:in vniuersali non licet,vt putas,omnes homines est albus?non,non dicam,ergo omnis homo est non albus,sed non omnis homo est albus:in quo docemur ex negatiua vniuersali non inferre affirmatiuam:vniuersalem,vt non omnis homo est iustus,ergo omnis homo est non iustus:in singularibus id licet semper ex negatiua inferre affirmatiuam:vbi constat secundum Arist.valere a negatiua ad affirmatiuam infinitam, vt Socrates non est sapiens,ergo Socrates est non sapiens,exceptis tamen illis,in quibus non licet propter vniuersalitatem, non autem propter suppositionem, vel non suppositionem, vt aliqui interpretantur superius.

Illæ verò secundum infinita contra iacētes nomina, &c. 12.

Arist.vnum hic dubium remouet, cùm enim negationes nominibus per se apponantur,& verbis per se, vt non homo,non iustus,non currit,posset quis dubitare esse negationes absque nomine, & verbo,nō homo enim est negatio absque verbo,non currit,est negatio absque nomine,quod suprà negatum est,cùm dixit affirmationem & negationem esse ex nomine,vel ex finito nomine & verbo simul:& hoc est,quod dicit,(illæ negationes contraiacentes)id est,compositæ secundum infinita nomina,& verba. (Sunt autem compositæ ad finita nomina & verba) videntur esse negationes: respondet,nullo modo esse negationes & probat.omnis negatio verum vel falsum significat,at illæ voces negatæ nec verum,nec falsum significant, quousque aliud eis addatur,ergo non sunt negationes. Quòd autem nihil veri vel falsi significent,manifestat ex oppositis, nempè: homo,animal,per se item vincit,currit, nihil per se veri vel falsi significant, quo fit,vt multò minus illa. Huius ratio est secundum Ammo.& Alber quia cùm illa aliquam naturam significent,magis videbantur verū vel falsum significare,quàm illa infinita,quæ nihil videntur significare,vel secundum Cajetanum, illæ voces simplices sunt propinquiores enunciationi,quàm infinitæ,quia enunciatio simplex & finita prior est,& cùm hæ veri vel falsi nihil

Infinita nomina & verba nō esse negationes

nihil significent, ergo minus significabunt infinitæ voces per se.

13. *Significat autem est omnis non homo iustus, &c.*

Illo dubio de negatione interposito, reuertitur Aristo. ad ostendendam consequentiam in infinitis: superius autē dixit de infinitis ex prædicato, subiecto manente finito, nunc docet eas, quæ subiectum habent infinitum, & primum dicit, has omninò esse extra illas, quod superi' dixit: id est, nō valet cōsequentia ab his, quæ de subiecto infinito sunt ad eas, quæ infinitum habent subiectum, tamen inter se habēt similem rationem cum illis: vt de istæ, omnis homo est iustus, non omnis homo est iustus nihil significant, cum illis de infinito subiecto: tamen quemadmodum illæ duæ sunt æquiualentes, omnis nō homo est nō iustus, & nullus non homo est iustus: adde tu, sicut etiam illæ idem valent, aliquis homo est iustus, & nō omnis homo est non iustus, ita & hæ, aliquis non homo est iustus, & non omnis non homo est non iustus, eadem enim in his est inter se ratio.

14. *Transposita verò nomina & verba idē significant, &c.*

Dubium vltimò soluit, quod oritur ex eo, quod modò nomen, modò verbū ponit, modò substantiuū, modò adiectiuum: posset quis decipi existimans esse propterea diuersas enūciationes: quod repellens Aristot. docet nomina & verba trāsposita idem significare v. g. idem est, est albus homo, & est homo albus: q probat, quia aliter vna affirmatio duas haberet oppositas negationes, quod suprà reprobatum est: pater, sumo has, est albus homo, & est homo albus: illa prior habet hanc negationem, nō est albus homo, illa posterior, quā habebit? vel hanc nō est non homo albus: & hoc non, quia ista correspondet illi, nō homo est albus vel hanc, non est homo albus, sed ista est negatio etiam illius, est albus homo, ergo vel ista, est albus homo, habebit duas negationes, priorem scilicet, nō est albus homo, & hanc, non est homo albus vel istæ erunt eadem negatio: ita vt est, quòd si vna negatio sunt, nō est albus homo, & non est homo albus, ergo & eadē affirmatio erunt, est albus homo, est homo albus.

Hic vnum probandum superest, nempè illas duas negationes, nō est homo albus, & non est albus homo esse negationes illius, est albus homo: hoc facile est, quia eodem modo se habet, quantum ad oppositionem, cum vna sicut cum altera nec in veritate vel in falsitate vllo modo illæ differunt.

Colligit ergo, (nomina, & verba trāsposita idem significant.) circa quam aduerte, duplicem esse transpositionem, ex Ammo. & Caietano: est situalis solū, in qua solus situs terminorum mutatur, sicut qui solū mutat duo loca: altera est situalis & formalis, quando non solùm locus, sed aliqua mutatur forma, vt qui cū loco valetudinem, vel dispositionē mutat: ita similiter, quando nō solùm termini, quo ad situm mutantur, sed quo ad formā, quia ex subiecto in prædicatū, vel ex prædicato in subiectum mutantur.

Verborū & nominū in enūciatione duplex est transpositio.

Propositio aūt Arist. de sola transpositione situaliter, intelligenda est, quando nomen vel verbum situm mutant, nō formam, sed prædicatum manet, & subiectum manet idem, nec proprietas Logica mutatur.

Ex hoc capite duos vsus maximos percipimus: alter est, abundantia enunciationum multiplex: nam vel est verbum adiectiuum vel substantiuum: si adiectiuum, tunc vel subiectum est finitum, vel infinitum, tam in affirmatione, quàm in negatione, vel vniuersaliter, vel non vniuersaliter, & tunc sunt octo propositiones de præsenti, totidem de futuro, totidem de præterito, si fuerit verbum substantiuum, tunc vel de secundo adiacente, vel de tertio, si de secundo, eodē modo sunt octo, secundum quodlibet trium temporum: si de tertio, tunc vel subiectum est infinitum, & tunc secundum prædicatum finitum vel infinitum sunt octo secundum quodlibet temporū, vel de subiecto infinito, & tunc sunt totidē secundum tempora, vnde resultat magnus numerus, quem describere exēplis cuilibet erit facile. Quòd si velis hic sumere subiecta singularia, & particularia facies tot enunciationes, quot præcedētes, demptis vniuersalibus vniuersaliter: quia singula, vel particularia vniuersalitatem non recipiunt.

Duplex modus arguendi penes finitum & infinitū.

Alter fructus est modi arguendi penes finitum & infinitū: qui sunt duo, quando subiectum est finitum: alij duo subiecto existēte infinito. In subiecto finito, alter ab vniuersali affirmatiua infinita ad negatiuam simplicem vniuersalem: & è contra subiecto supponenti: vt omnis homo est non iustus, ergo nullus homo est iustus. Alter ab affirmatiua finita particulari ad negatiuam infinitam particularem, & è contrà, vt aliquis homo est iustus, ergo nō omnis homo est nō iustus, ijdem modi sunt seruato subiecto infinito, vt omnis non homo est non iustus, ergo nullus non homo est iustus: & aliquis nō homo est iustus, ergo non omnis non homo est nō iustus, & hæc sufficiant circa hanc materiam de infinitis enunciationibus.

De enunciationum vnitate, ac pluralitate. Et quo pacto veritas & falsitas in eis reperiatur in prædicationibus connumeris, atque diuisis.

Cap. II.

1. TEXT. AT verò vnum de pluribus, vel plura de vno affirmare vel negare, nisi fit vnum aliquid, quod ex pluribus significatur, non est affirmatio, neq; negatio vna. Dico autem vnum, non si vnum nomen positum sit, non sit autē vnum aliquid ex illis, vt homo est sortasse & animal, & bipes, & mansuetū, sed ex his vnum fit: ex albo autem, & homine, & ipso ambulare non est vnū. Quare nec si vnum aliquid de his affirmet aliquis, erit affirmatio vna: sed vox quidem vna, affirmationes verò multæ, nec si de vno ista: sed similiter multæ.

2. Si ergo Dialectica interrogatio responsionis est petitio, vel propositionis, vel alterius partis contradictionis, propositio verò contradictionis, est vnius pars non erit vna responsio ad hæc neque enim interrogatio vna, neque etiā si sit vera: dictum est autem de his in Topicis.

8. Top. 3. Simul autem manifestum est, q nec hoc ipsum quid est Dialectica interrogatio est: oportet enim datum esse ex interrogatione eligere, veram velit contradictionis partem enunciare: sed oportet interrogantem determinare, vtrū hoc sit homo, an non hoc.

4. Quoniam verò hæc quidem prædicatur composita, vt vnum omne prædicatū fiat, eorum, quæ extra prædicantur: alia verò non: quæ est differentia? De homine enim verum est dicere, & extra animal, & extra bipes: & hæc vt vnum: & homine, & album: & hæc vt vnum: sed non si coriarius est, & bonus: etiam coriarius bonus. † Si enim quoniam vtrumq; verū esse oportet & simul vtrumq; multa inconuenientia erunt. De homine enim & hominem verum esse dicere & albū: quare & omne: rursus si album ipsum, & omne, quare erit homo albus, albus & hoc in infinitum: & rursus musicus albus ambulans, & hæc eadem frequenter implicita in infinitum. Amplius si Socrates Socrates est & homo: & Socrates Socrates homo: & si homo & bipes, erit homo bipes. Quòd igitur, si quis simpliciter † dicat complexiones fieri, multa accidit dicere inconuenientia, manifestum est.

† a. l. quare non si alterum verum.

† a. l. addit & vt cōtingit.

5. Quemadmodum autem ponendū est nunc dicimus. Eorum igitur, quæ prædicantur, & de quibus prædicari accidit, quæcunque secundum accidens dicūtur, vel de eodem, vel alterū de altero, hæc non erunt vnum: vt homo albus est, & musicus: sed non est vnum album & musicū, accidentia enim sunt vtraque. Nec si album, musicum verū est dicere, tamē non erit

Universidad de Deusto
Biblioteca

erit album musicum vnũ aliquid: secundum accidens enim album musicũ: quare non erit album musicum vnũ aliquid: quo circa nec coriarius bonus simpliciter, sed animal bipes mon enim secundũ accidens.

6. Amplius, nec quæcunq; insunt in altero: quare nec album frequenter, neque homo, homo animal est vel bipes insunt enim in homine animal & bipes.

7. Verum est autẽ dicere de aliquo & simpliciter: vt aliquem hominem hominem aut aliquem album hominem, hominẽ album, non autem semper. Sed quando in adiecto quidem aliquid oppositorum insit, quod consequitur contradictio, nõ verum, sed falsum est, vt hominem mortuum, hominem dicere: quando autem non insit, ſ verum.

[2. Addit semp

8. Aut quãdo insit quidẽ, semper nõ verũ est: quando verò non insit, nõ semper verũ est, vt Homerus est aliquid, vt poëta, vtrum igitur est, an nõ secũdum accidens enim prædicatur, est. de Homero, q enim est poëta) sed non secundum se prædicatur de Homero ipsum est.

9. Quare in quibuscũque prædicationibus neque contrarietas inest, si definitiones pro nominibus dicantur, & secũdum se prædicentur, & nõ secundum accidẽs, an his aliquid & simpliciter verum erit dicere. Quod autem non est, quoniam opinabile est, non est verum dicere esse aliquid: opinio enim eius est, non quid est, sed quod non est.

HVius capitis scopus est: cùm multæ sint enũciationes cõiunctæ, quæ plura prædicata, vel subiecta habẽt, & multæ sint simplices, quæ singula ex illis per se prædicantur, aliquãdo cuenit, vt quæ verè cõiuncta prædicamus, diuisim enunciemus falso: vt cadauer est homo mortuus, vera est coniuncta, diuisa falsa, cadauer est homo, aliquãdo diuisa vera enũciamus, vt homo est musicus, homo est albus, tamẽ coniuncta falsa est, Musicus albus. Aristoteles igitur hoc capite docet, quãdo diuisa coniungere, quãdo coniuncta diuidere liceat, & hic est scopus capitis, quod in tres particulas claritatis causa diuidi potest. Primò docet quæ multiplex, quæ vna enunciatio sit: hoc enim necessarium est ad doctrinam de coniunctis & diuisis. Secundò mouet quæstionem circa hoc, & argumentis disputat circa illam. Tertio soluit difficultatem hanc, docendo quod iurendit.

At verò vnum de pluribus, vel plura de vno, &c. 1.

Primò ergo constituit, quid enunciatio vna, quid multiplex sit. est aduertendum, quod possumus quadruplicere enũciare, vel plura de pluribus, vt homo & leo est fortis, & mansuetus, vel vnum de vno, vt homo est albus, vel plura de vno, vt Deus est iustus, fortis & patiens, vel vnum de pluribus, vt homo & leo est fortis: inter has vnam enunciationẽ vocat Aristoteles, quæ vnum de vno enunciat, reliquas verò multiplices. Quatuor modis alia de alijs enunciare possumus.

Explicat autem, quid vocet vnũ, quid plura, vnum non solum debet esse voce sed re significata, ita, vt si vna vox sit, multa tamen æquiuocè significet, talis enũciatio simpliciter sit multiplex, secundum quid vna: nempè voce, vt canis currit, similiter plura intelliguntur re, quæ non faciunt vnam rem per se, nam si sint plures voces, vnam tamen rem significent, vel plura vnam rem facientia per se, sicut animal bipes, mansuetum, quę est definitio hominis: tunc talis erit enunciatio vna. In summa, est considerandum vnitas, vel pluralitas rerum significatarũ, non vocum.

Dubitabis, quare Arist. dixit hæc verba cum connectione & dubitatione, nẽpè, homo fortasse est animal, & mansuetum & bipes? respõdens Bort. ex Porphyrio in secunda Edit. docet, quod istę partes definitiõis dupliciter possunt prædicari aut per se, & tunc faciunt plures enũciationes, homo est animal, & homo est bipes, & homo est mansuetus, aut coniunctæ, & tunc faciunt enunciationem vnam, vt homo est animal, bipes, mansuetum

Dubium.

Solutio.

suetum: hic autem illam coniunctionem (de) notat per se sumi: vt sit sensus, istæ partes, quæ per se sumptę enunciationes plures faciunt, cõiunctæ tamen, & quando de vno subiecto prædicantur, vnum faciunt enunciationem, quia significant rem vnam: dixit autem (fortasse) quasi aliquãdo accidat ex illa vna plures fieri enunciationes, quando separatim partes sumantur.

2. *Si ergo Dialectica interrogatio responsionis, &c.*

Iuxta Alber. & Escula. & alios, hic probat Arist. illam esse enunciationẽ multiplicem, in qua plura enunciamus de pluribus, vel vnum de pluribus, vel plura de vno: probat autẽ ex responsione: propositio enim est responsio interrogationis, sed illa non est vna interrogatio, quæ fit per tot prædicata vel subiecta ergo necesse erit vna responsio, nec vna enunciatio, sed multiplex. vnde qui petit, canis ne est substãtia? multa petit: ideò nõ debemus vnica responsione respõdere: etiam si verum sit, illa multa enunciare simul. Accidit enim q; vera sit, vt Deus est iustus, & sapiens. verum quidem vtrũque, sed interrogatio est multiplex, & ideò non debet esse vnica responsio, hęc est interpretatio horum.

Altera expositio.

At melius est cũ Græcis ista verba non tanquã probatiua, sed illatiua legere, vt sit sensus: ex quo tales enũciationes sunt multiplices, fiet vt interrogationes harũ non mereantur vnam responsionem.

Nota. 1. Sed vt ista rectius intelligantur, aduerte, quod hic non de Dialectica in cõmuni loquitur, quæ in partem demonstratiuam, & Topicam est diuisa, sed solum de parte Topica.

differimẽ q; sit inter eũqui demonstratiõe & syllogismo topico vtiẽ.

Est autem discrimen inter eum, qui demonstratione vtitur, qualis est ille qui habet rei scientiã, & illum qui syllogismo Topico, qualis ille est, qui rei habet opinionẽ: qui demõstrat, quęrit semper necessaria, quæ semper vera sunt, nec aliter se habere possunt: vt q; homo sit risibilis, quod ignis sit calidus: & ea intentione circa illa versatur, vt eorũ causam indager, & consequatur. At Topicus considerat probabilia, quæ taliter se habẽt vt aliter se habere possint, & ea inquirit, vt probabiliter, & opinatiue cognoscat.

Hinc sequitur vnum: quod qui vtitur demonstratione, sumit vnam partẽ contradictionis probandã, nempè quæ necessaria est, nam ambę partes simul necessariæ esse non possunt: at qui Topicè procedit, quia vtraque pars contradictionis potest esse probabilis, probat vtramque, modo hanc, modo illam: quod docet Arist. 1. Elenchorum cap. 11.

Hinc etiam sequitur quod aliter vtitur interrogatione sciẽtificus, & qui demonstrat, aliter Topicus. Qui demonstrat, interrogat vnam partẽ, quę necessaria est, vt sibi demõstretur: petit enim Physicus, an anima sit immortalis, vt demõstret: petit Geometra, an triangulus habeat tres æquales duobus rectis, vt demõstret. At Topicus petit vtramque partem contradictionis, siue hanc, siue illam, vt probabiliter circa vtramque disputet.

Est igitur interrogatio Dialectica, seu Topica contradictionis petitio, vt sibi hæc vel illa detur pars: & hoc est, quod docet Arist. sed considerãda sunt verba, inquit, (est petitio responsionis vel propositionis, vel alterius partis contradictionis,) omnia idem sunt, sed notat varios modos vel respondendi vel interrogandi Topicè, aliquando solet responderi per particulam non, vel sicut est anima diuisibilis? potest dici, sic vel non: propterea dicit est petitio responsionis: aliquando reperitur eadem propositio, vt si dicat, anima est diuisibilis, ideo dicitur petitio propositionis, aliquando qui interrogat, exprimit duas partes, vt anima est diuisibilis an non? & tunc respondetur, per vnam partem cõtradictionis, propterea dicit, est respõsio alterius partis contradictionis.

Nota. 2.

Nota. 3. Topicũ licet nõ semp for

Tamen hic aduerte, licet Topicus aliquando interroget vnam partem formaliter, aliquãdo ambas partes, virtualiter

maliter, virtutetamé vtrãque contradictionis partẽ semper gare.

ter, tamen semper interrogat inter vtramque partem contradictionis, siue hoc, siue non, quod non facit demonstrator, nec virtualiter, nec formaliter.

3. Mota. Triplicẽ esse interrogationem.

Simul autẽ manifestum est, quoniã, &c.

Hic vnum infert, quod maximè declarat interrogationem Topicam, nempè petere, quid est homo? non est Topica interrogatio, nec petere quid hoc est? Pro quo aduerte, ex Boetio in secunda editione triplex est interrogatio, prima est Topica, quæ cõtradictionis partẽ quærit, ita vt determinet contradictionem, sed liberum relinquat respondenti, quamlibet eligere, vt qui dicit, anima est vna, an nõ? hic, coarctat interrogans respondentem, vt intra has partes respondeat, quanquã maneat in electione, hoc vel illud respondere: hæc igitur est interrogatio Topica. Alia est interrogatio nõ Dialectica, seu non Topica, quæ inter cõtradictionis partes non quærit, ed vaga est, quæ si fuerit rei necessariæ, est demonstratiua, vt quid est homo? hic enim nullam partem determinat, similiter, quæ differentia est animalis? si verò fuerit rei accidentis, seu contingentis, est interrogatio familiaris: vt cuius est domus? quando venisti? hic patet sensus Aristotelis, dicit enim, quid est non esse interrogationem Dialecticam, id est, Topicam, quia non determinatur ad aliquot partes cõtradictionis alicuius, & obserua hanc doctrinam.

Dubium

Obijcies primò Top. cap. 4. inter interrogationes Topicas est vna, definitionis problema, definitio autẽ explicat quid est, ergo est interrogatio Topica ipsius quid est. Dico ad hoc. Duplex est quæstio, seu interrogatio, quid est, altera vaga & indeterminata ad partes contradictionis, vt si dicas, quid est homo? quid est Angelus? & talis nõ est Topica, vt hic dicitur, altera est determinata sub cõtradictione, vt vtrum animal rationale sit definitio hominis, nec ne? & talis est Topica, & hoc docet primo Topico. Idem est dicendum de Genere, de Differẽtia, quæ si interrogentur vagè, non sunt interrogationes Topicæ, vt, quod est Genus hominis? quæ est Differentia hominis? si verò determinatè petantur, sunt Logicæ: vt an rationale sit differentia hominis nec ne? & hanc solutionem maximè serua, quam etiam Aristot. hic exprimit: dum dicit, Dialecticum determinare, an hoc sit homo, an non hoc.

Duplicẽ esse ipsius quid est interrogationem.

Quoniam verò hæc quidem prædicantur composita, &c. 4.

Incipit Arist. quæstionem de coniunctis & diuisis proponere: huiusmodi autem est interrogatio. Cùm multa diuisim vere enuncientur, quæ si coniuncta prædicemus, enunciatio falsa erit: alia autem multa & coniuncta, & diuisa verè enuncientur, quæ erit huius distinctionis causa? quod autem illud ita eueniat, patet: dicimus enim verè diuidentes, Socrates est homo, & Socrates est albus, & etiam verè coniungimus, Socrates est homo albus: similiter, homo est animal, & homo est bipes, & coniunctè homo est animal bipes: aliquando non ita, dicitur enim, est homo cytharœdus, & homo est bonus, nõ autem est cytharœdus bonus. si enim ille sit studiosus, non tamè ad modum peritus artis cytharizandi, diuisa est vera, coniuncta est falsa.

Diuisa attributa quando non licet coniugere.

Quid igitur dicetur ad hoc? posset quis respondere, & assignare regulam hanc, quando diuisa enunciare verum est, tũc enunciare coniuncta verum erit. hoc reijcit Arist. tanquã falsum. Primò de homine est verum dicere, quòd est homo, & quod est albus, ergo coniunctè, quod est homo albus, vlteriùs de illo homine verum est dicere, quod est homo albus, & iterũ quod est albus, ergo dicetur, quod est homo albus, albus: & iterũ sumã illud idem, & facia ꝝ multas negationes quod non licet præterea, de homine est verũ dicere, quod albus, & diuisim quod est Musicus, & quod est ambulans, ergo quod est albus Musicus, ambulans, & iterum de homine est verum ista coniunctè dicere & iterum vnum ex illis, ergo omnia coniunctæ

Quando cõiuncta attributa non licet diuidere.

iunctè, & iterum sæpius illa replicabo, quod absurdum maximè est: præterea Socrates est, Socrates, & est homo, ergo dicam Socrates est Socrates homo, quę est negatio, nec admittenda.

Quemadmodum autẽ ponendũ est, &c. 5.

Determinat hanc difficultatẽ, & primò de coniunctis, quando liceat diuisa coniungere, postea de diuisis quando liceat coniuncta diuidere: circa primum duas regulas assignat, quando non licet diuisa coniũgere. Altera est, quãdo quæ diuisim prædicantur, sunt accidentia ad inuicem, vel respectu alicuius tertij tunc talia non faciunt vnum per se, verbi gratia, homo est albus, & homo est musicus, non valet, ergo albus musicus, quia vtraque accidũt homini, similiter homo est cytharœdus, & est bonus, non valet ergo est cytharœdus bonus, quia vtraque accidunt homini, & ad inuicem etiam: dico ad inuicem) quia si vnum alteri accidat, non è contra, non impedit, vt Socrates est homo & est albus, valet, ergo est homo albus, quia vnum est accidens alterius, non autem è contra.

Nec quæcunque insunt in altero, &c. 6.

Altera regula est, nec his, quæ ita diuisa prædicantur, vt vnum includatur in altero actu: qua ratione superiora argumenta non valent coniuncta, quia in vna parte actu includitur altera: dico (actu) quia potentia nihil prohibet, dicimus enim, homo est animal, & rationale, ergo animal rationale, & tamen animal, quia genus est, differentias continet in potentia.

Verum est autem dicere de aliquo, & simpliciter, &c. 7.

Hic de diuisis agit, ostenditq; coniuncta diuidere aliquãdo licere, vt hic est homo albus, ergo est homo, & est albus: sed nõ semper id licet, quãdo verò non licet, quia duabus regulis explicat, altera est, quando coniunctum constat ex partibus repugnantibus non licet vti diuisione, dicitur enim, cadauer est animal mortuum, sed non diuides, ergo est animal: similiter imago est homo pictus, non valet ergo est homo: quia illa duo repugnant quod sit mortuus, & animal, quod sit homo & quod sit pictus dices tu, si repugnant, quomodo coniunguntur, non enim dicitur homo irrationalis. Dico, & aduerte: quando iunguntur, vnum nõ retinet significationem principalem, sed transumptiuam, ibi enim fit distractio termini, vt non pro significato proprio, sed improprio supponat, at quando non additur membrũ distrahens, non fit coniunctio, propterea non dicitur homo irrationalis nec animal insensibile.

obiectio.

dilutio.

Ac etiam quando inest, semper non verum est, &c. 8.

Dubitat Arist. an sicut semper est falsum huiusmodi cõiuncta repugnãtia diuidere, ita semper verum sit reliqua coniuncta semper diuidere, & docet adhuc non esse: quod explicat Auer. & Boetius quando partium coniuncti, vna per aliter ratione est subiecto, & dicitur per accidẽs, vnde non valet, est Cytharœdus bonus, ergo est bonus, quia bonus inerat subiecto per artem cytharizandi, non per se: vide Caietanum hic.

Et ponit alterã regulam quando vnum prædicatur per accidens, non licet diuidere, vt Homerus est poeta, est vera, non tamen licet dicere ergo Homerus est: quia est, per accidens prædicatur.

Dubium

Dices tu, quid est, quod (Est) per accidẽs prædicetur? nota ex Boet. & Ammon. aliquando (Est) vnit suam significationẽ, nempe existentiam immediatè subiecto & mediatè vnit prædicatum, vt homo est albus, id est, existit albus, & & tunc dicitur per se prædicari, id est, immediatè de subiecto, aliquando non immediatè subiecto vnitur, sed mediante prædicato, vt Homerus est poëta, non dicitur hic, quod Homerus immediatè per se existat, sed existentia illi applicatur ratione poëtę, vt sit sensus: Homerus in sua poësi existit, non in se, & tunc dicitur per accidens prædicari de subiecto, quia nõ ratione sui, sed ratione talis prædicati,

Ve. bum est, quando per se & quando per accidẽs prędicetur.

& hoc obtenta, vbi videa clarè ipsum (Est) de tertio adiacente prædicari.

9. *Quarenim quibuscunque prædicationibus, &c.*

Concludit Arist. hic ostendés, quãdo ita non fit, vt in his duobus casibus, coniũcta diuidi possint, & pro primo casu ostẽdit, quãdo cognoscatur repugnantia illorum coniunctorũ, nempè si definitiones eorum assignentur, vt patet, si definiatur animal, & mortuum, tunc cognoscitur repugnantia: animal enim est viuẽs, mortuum verò primatum vita.

Secundam regulam ostendit pulchro exemplo, de re quę nõ est, dicimus quod est imaginabilis, seu opinabilis, dicere, quòd opinabilis est, non est dicere, quòd est in se, imò nõ est: sed dicitur quod existat, non in re, sed in imaginatione, ita fit in illis, Homerus est poeta, &c.

Nota. In diuisione & cõiũctione attributorũ, quæ nã sint seruanda.

Circa hoc aduerte, quando diuisa coniungis, vt serues idem subiectum pro eodem, & secundum idem tempus, & coniungas totalia prædicata, vnde non valet, animal est cygnus, & animal est nigrum, ergo est animal cygnus niger, non enim pro eodem sumis subiectũ, nec valet, Cicero fuit puer & fuit sapiens, ergo fuit puer sapiens, non enim idem tempus sumis, nec valet, video hominem, & video nigrum, ergo video hominem nigrum, quia totalia prædicata non iungo, prædicata autem totalia sunt videns hominem, & videns nigrum: circa diuisionem aduerte, quando negata diuidis diuide disiunctiuè, vt Socrates non est homo albus, ergo non est homo, vel non est albus, at affirmata copulatiuè, vt Socrates est homo albus, ergo est homo, & Socrates est albus: hæc de hoc capite.

De enunciationibus cum modo, & earum adinuicem oppositionibus, ac consequẽtijs: tũ ex aliorũ, tũ ex propria opinione.

Cap. III.

TEXT.

1. Sectio quarta se cundum Græcos.

HIS verò determinatis considerandum est, quemadmodũ se habent negationes & affirmationes ad se inuicem, quæ sunt de possibili esse & nõ possibili, & de cõtingenti, & non cõtingẽti, & de impossibili & necessario: habent enim aliquas dubitationes. Nam si eorũ quæ cõplectuntur, illæ sunt sibi inuicẽ oppositæ contradictiones, quæcunq; secundum esse & non esse disponuntur: vt eius quæ est, esse hominẽ, negatio est nõ esse hominẽ, nõ ea quæ est esse non hominẽ: & eius quæ est, esse albũ hominẽ ea quæ est nõ esse album hominem, sed non ea quæ est, esse non album hominẽ (si enim de omni aut affirmatio, aut negatio est lignum erit verum dicere esse non albũ hominẽ:) † q si hoc modo & in quibuscunq; esse non additur idem faciet quod pro eis dicitur: vt eius quæ est. homo ambulat non hæc, ambulat nõ homo negatio erit, sed hæc, nõ ambulat homo nihil enim differt dicere hominẽ ambulare, vel hominem ambulantem esse. Quare si hoc modo vbiq;, & eius quæ est possibile esse, negatio erit possibile nõ esse, sed non ea quæ est, non possibile esse.

† a. l. ad di: q. inconueniens est

2. Videtur autẽ, idẽ posse & esse & non esse: omne enim quod est possibile diui di vel ambulare, & non ambulare, & nõ diuidi possibile est. Ratio autem est quoniam omne quod sic possibile est, nõ iemper in actu est: quare inierit ipsi etiã negatio: potest enim & nõ ambulare quod est ambulatiuum, & nõ videri quod est visibile: at verò impossibile est de eodem oppositas veras esse affirmationes & negationes: nõ igitur eius quæ est, possibile esse, negatio est hæc, possibile non esse.

3. Contingit enim ex his, aut idem affirmare & negare simul de eodem, aut non secundum esse vel non esse, quæ apponuntur, fieri affirmationes, & negationes si ergo illud impossibile est, hoc erit magis eligendũ est igitur negatio eius quæ est, possibile esse, ea quæ est, non possibile esse sed nõ ea quæ est, possibile nõ esse. Eadẽ quoq; ratio est, & in ea quod est contingẽs esse: etenim negatio eius est, nõ contingẽs esse: & in aliis quoq; simili modo, vt in necessario & impossibili.

Fiunt

Fiunt enim quemadmodum in illis esse & non esse appositiones, subiectę verò res, hoc quidem album, illud verò homo: eodem quoque modo hoc in loco, esse quidẽ & non esse, vt subiectũ sit, posse vero & contingere appositiones sunt, determinantes (quemadmodum in illis esse & non esse) veritatem & falsitatem: similiter hæ in eo quod est, esse possibile, & esse non possibile.

9. Eius verò quæ est, possibile non esse, negatio est, non ea quæ est, non possibile esse, sed ea quæ est, nõ possibile non esse, & eius quæ est, possibile esse, non ea quæ est, possibile non esse, sed ea quę est nõ possibile esse. Quare & sequi sese inuicem videbũtur, possibile esse, & possibile non esse, idem enim possibile esse, & nõ esse: non enim contradictiones sunt sibi inuicem huiusmodi possibile esse, & possibile non esse. Sed possibile esse & non possibile esse, nunquã simul in eodẽ veræ sunt: opponũtur enim: neq; ea quę est possibile nõ esse, & nõ possibile nõ esse, nunquam simul in eodem veræ sunt. Similiter autem & eius quæ est necessariũ est esse, negatio non est ea, quæ est, necessariũ nõ esse, sed ea quæ est, nõ necessariũ esse: eius verò quæ est, necessarium non esse, ea quæ est, non necessariũ non esse: & eius quæ est, impossibile esse, non est ea quę est, impossibile nõ esse, sed hęc non impossibile esse: eius verò quæ est, impossibile nõ esse, ea quæ est, nõ impossibile nõ esse. Vniuersaliter verò (quemadmodum dictum est) esse quidẽ & non esse oportet ponere, quemadmodũ subiecta: negationẽ verò & affirmationem hæc, facientem, ad esse & nõ esse apponere: & has oportet putare esse oppositas dictiones: possibile, & nõ possibile: cõtingens, non contingens: impossibile, nõ impossibile: necessarium, non necessarium: verum non verum.

6. Consequentiæ verò secundum rationẽ fiunt cum ita ponuntur: illam enim quæ est, possibile esse, sequitur ea, quę est, contingit esse: & hæc conuertitur illi, & non impossibile esse, & non necessarium esse: illam verò quę est possibile nõ esse, & contingens non esse, ea quæ est, non necesse non esse, & non impossibile nõ esse, illam autem quæ est, non possibile esse, & nõ cõtingens esse: ea quæ est impossibile esse, & necesse non esse: illâ verò quæ est, nõ possibile nõ esse, & nõ contingens non esse, ea quæ est impossibile non esse, & necessarium esse: consideretur autem ex subscriptione, quemadmodum dicimus.

ENVNCIATIONVM MODALIVM CONSEQVENTIA SECVNDVM ALIOS

ORDO. I.
Antecedentes.
Possibile esse.
Contingens esse.
Sequentes.
Non impossibile esse.
Non necessarium esse.

ORDO. II.
Antecedentes.
Possibile non esse.
Contingens non esse.
Sequentes.
Non impossibile non esse.
Non necessarium non esse.

ORDO. III.
Antecedentes.
Non possibile esse.
Non contingens esse.
Sequentes.
Impossibile esse.
Necessarium non esse.

ORDO. IIII.
Antecedentes.
Non possibile non esse.
Non contingens non esse.
Sequentes.
Impossibile non esse.
Necessarium esse.

HAE igitur impossibile, & non impossibile, eam quæ est contingens & possibile, & non contingens, & possibile sequuntur quidem contradictoriæ: sed conuersim: eã enim quæ est possibile esse, negatio impossibilis sequitur, quæ est, non impossibile esse: negationem verò affirmatio, nam illam, non possibile esse, ea quæ est, impossibile esse: affirmatio enim est impossibile esse: non impossibile verò negatio.

8. Necessarium verò quemadmodũ se habet, considerandum est. Manifestum est ‡ enim quòd non eodẽ modo se habet, sed contrariæ sequuntur, contradictoriæ autem sunt extra non enim est negatio eius, quæ est necesse non esse, ea quæ est, non necesse esse: contingit enim veras esse vtrasque in eodem: quod enim est necessarium non esse, non est necessarium esse.


‡a. Autẽ

9. Causa autem huius est, cur non sequitur necessarium similiter cæteris: quoniam contrariæ, impossibile esse, necessario redditur idem valens: nam quod impossibile esse, necesse hoc, non quidem esse, sed potius nõ esse, quod verò impossibile non esse, hoc necessarium esse, quare si illa similiter sequuntur possibile, & non possibile: hæc è contrario: quoniam non significant idem necessarium & impossibile: sed (quemadmodum dictũ est) conuersim.

An certè impossibile est sic poni contradictiones necessarij: nã quod necessarium esse, possibile esse, nam si non, negatio consequetur: necesse enim est aut affirmare aut negare: quare si non possibile esse, impossibile esse, igitur impossibile esse, quod necesse esse: quod est inconueniens. At verò illam quæ est, possibile esse, non impossibile esse, sequitur: hanc verò, ea quæ est, non necessarium esse, quare contingit quod necessarium esse, non necessarium esse: quod est inconueniens. 10. 11.

At verò neque necessarium esse, sequitur eam quæ est possibile esse, neque ea quæ est necessarium non esse: illi enim vtraque contingit accidere, harum autem vtralibet vera fuerit, non erunt illa vera: simul enim possibile esse, & non esse: si verò necesse esse vel non esse, non erit vtrumque possibile: relinquitur ergo non necessarium non esse, sequi eam quæ est, possibile esse: hæc enim vera est & de necesse esse: hæc enim fit contradictio eius, quæ sequitur illam, quæ est, non possibile esse: illam enim sequitur ea quæ est, impossibile esse, & necesse non esse, cuius negatio est, non necesse non esse. Sequuntur igitur & hæ contradictiõnes secundum prædictum modum: & nihil impossibile contingit sic positis.

ENVN-



TEXT. 12. Dubitatio.

DVbitabit autem aliquis, si illã quæ est, necessariũ esse, ea quæ est, possibil esse sequitur. Nam si nõ sequitur, contradictio sequetur, quæ est, nõ possibile esse: & si quis hanc non esse dicat contradictionem, necesse est dicere possibile nõ esse: quæ vtræq; falsæ sunt de necesse esse. [a.l. ad- Atverò rursus idem videtur esse possibile incidi & non incidi, & esse & non esse: quare erit necesse esse, contingens non esse: hoc autem falsum est.

Manifestum est autem, quòd non omne possibile vel esse, vel ambulare, etiã opposita potest: sed est in quibus non sit verum: primum quidem in ijs, quæ non

ditquare ad necessariũ esse possibile esse sequitur. 13.

secundum rationem possunt, vt ignis calefactiuus est, & habet vim irrationalē. Quæ igitur secundum rationem potestates sunt, eædem plurium etiam contrariorum sunt: irrationales verò nō omnes: sed (quemadmodum dictum est) ignem nō est possibile calefacere, & nō: neq; quæcunque alia semper agunt, alia verò possunt & secundum irrationales potestates simul oppositas suscipere, sed hoc huius gratia dictum est: quoniam nō omnis potestas oppositorum susceptiua est, neque quæcunque secundum eandē speciem dicuntur.

30. Quædam verò potestates æquiuocæ sunt: possibile enim non simpliciter dicitur: sed hoc quidem, quoniam verum est quod in actu est, vt possibile ambulare, quoniam ambulat iam, & omninò possibile esse, quoniam iā est in actu quod dicitur esse possibile: illud verò, quoniam actu esse posset: vt possibile ambulare, quoniam ambulare posset, & hæc quidē in solis mobilibus est potestas, illa verò & immobilibus: vtrunque verò verum est dicere: possibile ambulare vel esse, & quod ambulat & actu est, & ambulatiuum. Sic igitur possibile non est verum de necessario simpliciter dicere, alterum autem verum est. Quare quoniam partem vniuersale sequitur, illud quod ex necessitate, consequetur posse esse: sed non omne. 15.

Et est quidem fortasse principium, quod necessarium est, & quod non necessarium est: omnium vel esse, vel non esse: & alia, veluti horum consequentia considerare oportet.

ALIORVM MODORVM AD IPSVM NECESSARIVM CONSEQVENTIA.

ORDO. I.

Necessarium esse.
Non possibile non esse.
Non contingens non esse.
Impossibile non esse.

ORDO. II.

Non necessarium esse.
Possibile non esse.
Contingens non esse.
Non impossibile non esse.

ORDO. III.

Necessarium non esse.
Non possibile esse.
Non contingens esse.
Impossibile esse.

ORDO. IIII.

Non necessarium non esse.
Possibile esse.
Contingens esse.
Non impossibile esse.

TEXT. 16. MAnifestum est autem ex ijs, quę dicta sunt, quod id, quod ex necessitate est, secūdum actum est, quare si priora sunt sempiterna, & quæ actu sunt, potestate priora sunt. Et hęc quidē sine potestate actus sunt, vt primæ substantiæ: alia verò cum potestate, quæ natura quidem priora sunt, tempore verò posteriora: alia autem nunquam actus sunt, sed potestates solū.

2. *His verò determinatis perspiciendum est, &c.*

ISTA est huius libri tertia principalis pars, in qua de enunciationibus modalibus differit, id est, de enunciationibus, quæ aliquem habent modum ex his possibile contingens, impossibile, necesse, ratione quorum enunciationes nouum habent oppositionis modum præter reliquas.

Atque hoc caput in tres partes principales est diuisum: in prima de harum oppositione differit: in secunda de earū mutua cōsequentia: in tertia dubium quoddam soluit de possibili & necessario.

Circa primum quærit an oppositiones in his fiat sumendæ (ab eo, quod est esse vel non esse) ideōst, an illæ sint contradictoriæ, quarum vna dicit rem esse, altera rem non esse: & ex vna parte probata esse, quia in alijs omnibus enunciationum oppositionibus ita fit, vt patet, si discurramus per omnes: primū his, quæ sunt de secundo adiacente, homo est, opposita non est, non homo est sed in qua ipsum est negatur, homo non est. similiter de tertio adiacente, est albus homo, negatio est, non est albus homo, non autem illa, est non albus homo nam si ista esset, duæ contradictoriæ verę esse possent, quæ tamen non possunt, sed si negatio vera est, affirmatio falsa est, & è contra, & si negatio falsa, affirmatio vera est, at istæ si sunt oppositæ, est albus homo, est non albus homo, sequitur quod esset verūm dicere de ligno quod est non albus homo, quæ tamen falsa est, quod tamen si vera patet, quia eius affirmatio est falsa, est albus homo de ligno, ergo non est illa eius negatio, sed hæc in qua negatur (est) non est albus homo, idem fit in alijs verbis, quæ quamuis non sunt ipsum, est, tamen se habent ad ipsius modum, vt homo ambulat, negatio non est, non homo ambulat, sed homo non ambulat, simili ergo ratione huius negatio possibile esse, erit, possibile non esse, in qua ipsum est, negatur sicut in alijs.

2. *Videtur autem idem posse esse & non esse, &c.*

Ex oppositā parte argumēntatur Aristot. si oppositio huiusmodi sumatur in his, sequitur duas cōtradictorias esse veras simul, hoc autem impossibile est, ergo oppositio nō sic est sumēda secundum esse, & non esse in his illa maior patet, nam idem potest esse, & non esse: ambulare & non ambulare: incidi & non incidi, quia non omnia semper actu sunt, id est, non omnia semper habent operationem, sed aliquādo sunt, & operantur: postea non sunt nec operantur. propterea idem & potest esse, & potest non esse, ecce quo pacto duæ oppositæ simul veræ de eodem existunt.

Contingit enim ex his autem idem affirmare, &c. 3.

Ex his concludit Arist. vel asserēdum esse duo opposita esse vera, vel oppositionem non penes esse vel non esse sumendam esse in istis: at minus inconueniens est hoc asserere, quàm docere duas oppositas simul veras: propterea hoc erit dicendum, oppositionem in istis non secundum esse, vel non esse consistere sed secundum modum ipsum, vnde huius possibile esse, negatio nō erit, possibile nō esse, sed non possibile esse, & huius cōtingens esse, hæc nō contingens esse, & vniuersaliter obserua, vt semper verbum relinquas in vtraque simile, modum autem neges vel affirmes, & sic oppositionem certam in omnibus facies, vt in exemplis poteris comperire.

Fiunt autē quemadmodū in illis esse, &c. 4.

Comparat Arist. has modales ad reliquas enunciationes, & assignat duo discrimina notanda. Alterum est: in illis ipsum (est) habebat locum principalis oppositionis, & prædicati, nomina verò erant subiectū, vt homo est albus, ipsum (est) hic est forma, homo, & albus, sunt respectu eius subiecta. At hic in modalibus ipsum (esse, vel non esse) habet locū subiecti, ipse verò modus est prædicatum vt possibile est esse, possibile est nō esse.

Alterum est: illic, veritas vel falsitas secundum esse vel non esse considerabatur, vt homo est, homo non est, & harum veritas vel falsitas à verbo dependet, id est, quando res ita se habet, sicut verbum ipsum enunciat. At hic, non à verbo, sed à modo dependet, vt possibile est esse, huius veritas non ab eo, quod res est vel non est, vt verbum notat, petenda est: sed à modo nempe ab eo, quod esse potest, quamuis actu non sit.

In quo vnum docemur maximè necessarium, pro modalium veritate vel falsitate indaganda non respicere solū tempus per verbum importatum, sed ipsam modi qualitatem, nec respicere solum, an ita sit, vt verbum enunciat, sed mo- Nota.

dus est considerandus. Si quis enim dicat, Petrus impossibiliter currit, quamuis non currat est falsa, quia modus denotat sic non currere, vt non possit non currere.

Et inde alij qui nouas regulas faciunt nempe aduertatem enunciationis, de possibiliter requiri non quod res sit, sed q possit esse sicut ad falsitatem non quod res non sit, sed quòd non possit non esse: & alias similiter constituunt regulas pro alijs, quæ ex modorum significatione cuilibet aduertenti patũ, notæ esse possunt, & olim dictum in introductione.

5. *Eius verò, quæ est possibile non esse negatio est, &c.*

Prosequitur Arist. exempla proponere harum oppositarum, quæ secundum modi negationem constituuntur: & operius ponit exempla, quando esse est affirmatum, modo ponit, quando esse est negatum.

Nota. Et vt verbo vno dicã, aduerte, oppositionem consistere in negatione ipsius modi inuariato manente ipso infinitiuo verbi si in vna opposita fuerit negatum, ita maneat in altera, si affirmatum verò, simili modo. v.g huius, possibile est esse, est negatio, non possibile est esse: & huius, possibile est non esse, hæc, non possibile est non esse: & huius, impossibile est esse, hæc, nõ impossibile est esse: huius autem impossibile est non esse, hæc, nõ impossibile est non esse, idem in alijs est faciendum, atq; hæc est prima pars huius capitis, in qua harũ oppositio cõtinetur.

In secunda parte continentur harum consequentiæ, & quia multa circa hoc diximus in introductione nostra, non admodum in hac immorabimur, sed aliqua repetemus, quãtum pro huius partis intelligentia sufficiat, vt auditores has enũciationes memoria tenere valeant.

2. funda. Erit igitur primò aduertendum, quatuor esse enunciationes secundum modos quatuor, hoc ordine constitutas, vt prima sit de possibili: secunda de contingenti, tertia de impossibili: quarta de necessario, in singulis autẽ ex his duæ sunt partes, altera verbum infinitiui, vt possibile est currere, cõtingens est esse, quod habet locum subiecti, & dicitur communiter dictum, altera pars est ipse modus cum verbo.

Secundum quas duas partes constituitur quadruplex ordo modalium: primus earum in quibus tam modus, quam dictum, sunt affirmata, vt possibile est currere: cõtingens est ambulare, & reliqua. Secundus ordo est earum, in quibus modus affirmatur, sed dictũ negatur, vt possibile est nõ currere, cõtingit nõ ambulare, impossibile est nõ viuere, necessariũ est nõ moueri. Tertius ordo earũ in quibus negatur modus, sed affirmatur dictũ, vt non possibile est currere, & similia. Quartus earum, in quibus negatur vtrũq; vt non possibile est non currere.

Ex quo fit, vt singuli modi faciant quatuor enunciationes hoc ordine, vt in prima totum affirmetur, in secunda affirmetur modus negato dicto, in tertia negetur modus affirmato dicto, in quarta negetur vtrunq;, vt facile est cuilibet in tabula has describere ordine hoc modo: possibile, cõtingẽs, impossibile, necesse.

Sit secundum fundamentum. Quælibet harum de possibili habet alias tres sibi respondentes, vnã de cõtingenti, alteram de impossibili, tertiã de necessario. 2. fund.

Vnde efficitur, vt in omni ordine sint quatuor æquiualenter, v.g in ordine primõ enunciationum de possibili, scilicet quando totum est affirmatum, vt possibile est currere, respondet ei altera de cõtingenti scilicet, contingens est currere: alia de impossibili, nempe non impossibile est currere: vltima de necessitate, non necesse est non currere: idem fit in alijs ordinibus.

Sed vt optimè sciatur, qui quibus æquipolleant, in singulis ordinibus oportebit dictiones quasdam antiquorum explicare: aduerte igitur tertiò esse quatuor has dictiones. Amabimus, Edentuli, Iliace, Purpurea, in quibus omnes hæ æqui- 3. fund.

æquipollentes cõtinentur: circa quas aduerte Primas syllabas significare modales de possibili. Secundas de cõtingenti. Tertias de impossibili. Quartas de necessario: præterea sunt quatuor vocales. A, designat modalẽ totã affirmatiuã. E, designat negatiuam de dicto, affirmatiuã de modo. I, negatiuã de modo, affirmatiuã de dicto. V, negatiuã de vtroq;.

In his ergo dictionibus facilè comperies omnes q quipollẽtes, si obserues, quę syllaba correspondet cui modali, & qualis litera fuerit, talẽ facies modalem. v.g. in Amabimus. Prima syllaba est de possibili, & quia est A, erit tota affirmata: possibile est currere. Secunda est de cõtingenti: & quia est A. erit etiã tota affirmata, vt cõtingens est currere. Tertia est de impossibili, & quia est I. erit negata de modo, sed affirmata de dicto, nõ impossibile est currere. Quarta est pro necessario, & quia est, V, erit tota negatiua, non necesse est non currere: hæ igitur quatuor sunt æquiualentes, eadem arte tu poteris inuenire in alijs, & in tabula describere: quæ quia latè à me iam sunt in introductione disputata: præterea sunt: nõ quòd necessaria nõ sint, sunt enim maximæ, sed quia facilè ex illis intelligi possunt.

4. Funda. Sit quartum fundamentum. Si velis oppositiones omnes harũ cognoscere: scias eas, quæ in prima & tertia dictione continentur, sibi esse inuicem contradictorias, similiter quæ sunt in secunda, & quarta, & tertia: quarta sunt contraria, prima & secunda subcontraria, quamuis Arist. præcipuè hic contradictorias cõsiderat: his suppositis ad textus explanationem accedamus.

6. *Consequentiæ verò secundum rationem sunt, cum ita ponuntur, &c.*

Hic Arist. harum modaliũ consequẽtias, secũdum antiquorũ opinionem ponit: & ita constituit quatuor ordines modalium, in quibus hoc vnum discrimẽ ab his, quas Arist. assignat, & nos supra assignauimus, inuenies: quòd in primo ordine, loco huius, non necessarium est non esse, habet nõ necessarium est esse, sicut nõ impossibile est esse, ponunt enim hæc possibile est esse, cõtingens est esse, non impossibile est esse, non necessarium est esse, & ita, sicut nos dicimus Amabimus, ipsi dicerent, Amabitis: præterea in secũdo ordine, sicut nos dicimus, nõ necessarium est esse, dicunt, nõ necessarium est non esse, & dicerent Edentulu, permutãt nam q; quartum modalem primi, & secundi ordinis, in reliquis idem dicũt, cũ Arist. & his, quæ supra diximus.

Hæ igitur impossibile, & non impossibile eam quæ est, &c. 7.

Approbat Arist. aliqua, quæ dicta sunt ab antiquis circa tres modos primos, possibile enim, cõtingẽs, impossibile, se mutuo sequuntur contradictoriè, ita, vt nõ possibile, & non cõtingens inferant impossibile, & è contra, & non impossibile inferat possibile, & cõtingens, & è contra dicto inuariato manẽte in omnibus contradictione facta sola in modis.

Necessarium verò quemadmodum se habet, &c. 8.

Circa necessarium verò non bene antiqui senserant, & vt intelligas istum textum, recordare illius, quod diximus: primum, & tertium ordinem sibi contradicere: similiter secũdum & quartum. duos verò vltimos, tertium & quartum esse cõtrarios, cum igitur isti antiqui in tertio, & quarto bene assignauerint modales, sequitur, vt in contrarijs de necessario, nõ errauerint imò rectè assignabãt: quarta enim de Iliace est necessariũ nõ esse, quarta de Purpurea est necessariũ esse, quæ contraria sunt, possunt enim ambo esse falsa, simul autem vera esse nequeãt: at in primo, & secundo ordine errabant circa quartas de necessario: propterea nõ assignabant veras contradictorias, nã primus ordo contradicit tertio, secundus quarto, in tertio autẽ quarta de Iliace est necessarium non esse, in primo ordine, quia dicebant, amabitis est ita, non necessarium est esse, & sic constituebant has

has contradictorias necessarium est nō esse, & non necessarium est esse: similiter in secundo cōstituebant has contradictorias, nō necessarium est nō esse, & necessariū est esse, in Purpurea, & Edentula, quæ contradictoriæ veræ nō sunt.

Hoc igitur est, quod dicit Arist. (circa necessarium cōtrariæ sequantur) id est, bene sunt assignatæ, (at contradictoriæ sunt extra) id est, non sunt veræ contradictoriæ: & hoc in enūciationibus de necessario, aliæ enim bene assignantur, & hoc est, quod dicit, illius, necesse est non esse, quæ est in Iliace, non est cōtradictoria hæc, quam illi assignant, non necesse est esse, dicentes, Amabitis: & probat nō esse oppositas, quia ambæ veræ simul esse possunt vt patet, nam Chimeram necesse est nō esse, & eādem nō est necesse esse: & hoc est, quod dicit, (quod enim necessarium est non esse, non est necessarium esse) vt exemplo patet, non igitur sunt contradictoriæ.

9. *Causa autem huius est, quod nō sequitur similiter in cæteris, &c.*

Dicet aliquis, cur sicut dicimus, possibile est esse, contingens est esse, non impossibile est esse, vbi semper manet esse affirmatiū, nō etiam dicemus nō necessariam est esse? vt in omnibus quatuor cōsequentibus remaneat dictum eodē modo, causā huius docet: quia sicut ipsi modi possibile, & impossibile, quia idē non significant, modo opposito se cōsequuntur: vt impossibile, & non possibile, similiter possibile, & non impossibile: ita impossibile, & necessarium idem dicūt sed opposito modo secundum dictum, nam quod est impossibile esse, est necessariū non esse, & quod est necessarium esse, est impossibile non esse: cum ergo secundā dictum opposito modo se sequātur, non potest eodem modo esse in vtraque, vnde istæ non æquivalent, nō impossibile est esse, non necessarium est esse sed non esse, vt dicet inferius, sicut nec illæ æquipollent, possibile est esse, impossibile est esse, sed nō impossibile est esse.

10. *At certè impossibile est sic poni contradictiones de necessario, &c.*

Argumento probat non sic ponēdam contradictionem de necessario, ac si dicat, nō illæ sunt æquivalentes, possibile est esse, cōtingens esse, non impossibile est esse cum hac nō necesse est esse: argumētum est huiusmodi, quod necessariū est esse, possibile est esse, quod possibile est esse, nō impossibile est esse, quod non impossibile est esse per se nō necessariū est esse, ergo de primo ad vltimum, quod necessarium est esse, nō necessarium est esse, quod absurdum est, & implicat: dicesta, nō valet, quod necesse est esse, possibile est esse, probat, quia si nō valet, necessarium est esse ergo possibile est esse, necessarium erit nō possibile, quod si nō possibile, ergo impossibile, erit ergo necessariū impossibile, quod fieri vllo modo nequit: non ergo æquivalent: non impossibile esse, & possibile esse, cum hac non necessarium esse.

11. *At verè neque necessarium esse sequitur eam, &c.*

Dicet quis, si non sequitur, illa nō necessarium est esse, vt dicūt antiqui, sequetur vna ex his, aut necessarium est esse, vt dictio sit Amabitas, vel illa necessarium est nō esse, vt dictio sit Amabites, respondet nullo pacto vllā ex his cōstare cū ea, quæ est possibile est esse, nam possibile esse, simul vera est cum hac, possibile nō esse, vt suprà docuimus, at necessariūm esse nō admittit illam possibile nō esse, similiter necessarium nō esse nō admittit illā possibile est esse, ergo nulla ex his sequitur eā, quæ est possibile esse: à sufficiēti ergo partium diuisione colligit hanc esse illi cōsequentē, non necesse nō esse, & ita dictio nō erit amabitis, nec amabitas, nec amabites, sed amabimus: & ita est vera contradictio cum illa, quæ est in Iliace, scilicet necesse est non esse, hæc nō necesse non esse: dices, quare non loquitur de secūdo ordine, in quo etiā errabant antiqui: dico, quia cùm duo vltimi rectè assignati sint, & hic primus sumat illam,

illam, quæ est in secūdo, relinquit manifestum nullam aliam ponēdam in secundo, nisi eā, quæ erat in primo, quia nulla restat, & erit ista, non necesse est esse, vt dictio non sit Edentulus, sed Edentuli.

12. *Dubitabit autem aliquis, si illam, quæ est, &c.*

Cōstitutis ordinibus modaliū secundum cōsequentias & oppositiones sequitur tertia pars principalis capitis, in qua Arist. dubium monet circa id, quod paulò superius dictum est, nempè valere hāc cōsequētiam, est necessariū, ergo est possibile: dubium igitur est: an valeat necessarium est esse, ergo possibile est esse, & ex altera parte videtur sequi, nā si nō valet, necessariū est esse, ergo possibile est esse: ergo sequitur vel non possibile est esse, vel possibile est non esse, vt suprà diximus, quæ vtraq; de necessario asserere falsum est. At ex altera parte, quòd non sequatur, probatur, quia quod possibile esse, potest esse, & non esse: quod possibile est ambulare, & incidi, potest nō ambulare, & nō incidi: at quod necessarium est esse, non potest non esse, ergo necessarium non est possibile. Solutio Aristot. consistit in hoc, nō omne possibile potest esse, & non esse, sed aliquod, vnde superius est ad necessarium, & sicut nō valet homo est animal, & animal est leo: ergo homo est leo, quia homo non est omne animal, ita nō valet, necessarium quod est, possibile est esse, possibile esse potest esse, & non esse, ergo necessarium potest esse, & non esse, sed hanc solutio nē oportet latius explicemus ipsum textum interpretantes.

13. *Manifestum autem quoniam non omne possibile, &c.*

Docet nō omne possibile esse ad opposita, s. ad esse & non esse, ambulare, & nō ambulare: aliquod enim possibile est solùm ad vnum vel esse, vel operari.

Nota. 1. Quid sit potētia.

Pro cuius explicatione aduerte. Potētia vt habetur 5. Meta. ca. 12. nō est aliud, quàm principium operationis, vel essetis illud enim principium, quo operamur sue agentes, sue patientes, dicitur potentia, sue talis potentia tēdat ad solam operationem, siue tendat ad esse, potentia enim ambulandi est ad operandum, at potentia vt sit ignis vel rosa, vel animal, est potentia ad esse.

Nota. 2. potentia alia est irrationalis, alia rationalis.

Duplex est autem potentia, vt habetur, 9. Meta. altera irrationalis, altera rationalis: illa est rationalis, secūdum quā operamur ex electione voluntatis, vt ipsa voluntas est potentia rationalis, quia liberè secūdum eam operamur, similiter intellectus est potentia rationalis, secundum quem hoc vel illud intelligimus, & denique quæcunque potentia operatur non ex se, sed à voluntate imperata.

Potentia irrationalis est, quæ non ex electione, sed ex sua dispositione naturali habet operationem, vt potentia ignis ad calefaciendum, visus ad videndū, hæc autem adhuc duplex est, altera activa ad agendum vel faciendum, altera passiua ad patiendū, vt lignum habet passiuam potentiam, vt cōburatur: rationales autem potentiæ activæ sunt.

Nota. 3.

Est autem considerandum, vnum discrimen inter has potentias: rationales enim & irrationales passiuę, sunt indifferentes ad plura oppositā, non quòd simul recipiant, vel agant opposita, sed quòd ipsæ sint principia ad operandum non magis hoc oppositum, quàm illud v.g. voluntas est potentia indifferens nō magis ad volendum hoc, quàm ad nolendum, intellectus ad assentiendum vel dissentiendum: similiter in passiuis irrationalibus lignum est in potentia non magis ad calorem recipiendum, quàm ad frigiditatem, & materia secundum se nō est in potentia magis, vt fit hoc, quàm illud, vel aliud: at potentia activa irrationalis est ita determinata ad vnum agendum, vt per se aliud non faciat, nec possit illud non facere: vt ignis est in potentia ad calefaciendū, ita, vt per se nō possit frigefacere, imò nec nō calefacere, nā non calefaciere, aliquando nō provenit

ex

ex potentia ignis, sed eximpedimento extrinseco.

Nota. 4. Quotmodis potétia dicit, totidé & posibile dicitur.

Aduerte præterea, cùm tot modis dicatur potetia, totidem dicitur posibile, quod à potétia dicitur: posibile enim & secúdum potentiam rationalé, & secundum irrationalem tã actiuã, quàm passiuam, & sicut nõ omnis potentia est ad opposita, ita nec quodcunq; posibile.

Expositio text.

His suppositis, accedamus ad textus explanationem. (Manifestum, inquit, est, nõ omne posibile esse vel ambulare) id est, operari (esse ad oppositа) nempè, vt posit operari, & non operari, vt posit hoc vel illo modo operari: est enim aliquod posibile, quod ad vnum est, & huiusmodi est id, quod secundum potẽtiam irrationalem dicitur posibile, vt ignis potest calefacere, sed ex se non potest non calefacere vel frigefacere, nec omnis potentia irrationalis est huiusmodi, sed ea, quæ actiua est, nam passiua oppositorum est susceptiua, sicut & potentiæ rationales, quæ cõtrariorum modorum potentiæ sunt: volũtate enim & intellectu multos actus cõtrarios operamur circa varia oppositа.

Concludit, nõ igitur omnis potestas suscipit oppositа, nec solùm de potestate in communi loquendo, imò in eadé specie potestatis scilicet irrationalis inuenitur potestas, quæ non sit oppositorum, qualis est actiua.

Duplex est potẽtia irrationalis actiua.

Vnum verbum hic considera circa verba ista Aristo. (ignem non est posibile calesacere, & non: neque quæcunq; alia semper agunt) duas hic insinuat potentias irrationales actiuas, altera, quę semper ex se determinatur ad agendum, nec ex se potest nõ agere, tamen ab extrinseco impeditur, vt ignis se habet ad calefaciendum, qui ex defectu combustibilis, non calefacit. Altera, quæ nunquam deficit, vt potentia, secundum quam cælum mouetur, nec naturaliter impediri potest, & ab vtraque potentia dicitur posibile.

14. *Quadã verò potestates æquiuocæ sunt, etc.*

Adhuc potestatem, seu potentiam distinguit: est enim nomen nõ simpliciter, id est, nõ vniuocè dictum, & hæc dictio comprehendit omnes potẽtias, quę dictæ superius sunt: quędam est potẽtia includens actus priuationem, secundum quam ea, quæ in potẽtia sunt, actũ nondum habent, sed actus principium, dicitur enim posse ambulare, qui nondũ ambulat & esse, quod nondum est. Altera dicitur potentia, quæ est simul cũ actu, secũdum quam id, quod currit, dicitur posse currere, quod operatur, posse operari, & quod est, posse esse, quæ potentia aliquando non aliud dicit, quàm nõ repugnantiam ad actum, vt idem sit, qui currit, potest currere, & dicere, qui currit nõ habet repugnatiũ, nec impedimentum ad cursum, quæ dicitur potẽtia Logica, & in rebus Mathematicis potentia Mathematica.

Quæ sit potentia Logica.

Est autem discrimen inter has: prior enim est in rebus mobilibus, & corporeis, quæ aliquãdo sunt actu aliquando non sunt, seu aliquando operantur, aliquando non: at posterior est etiam in necessarijs & his, quæ semper sunt, & semper operantur.

Posibile ergo vtramque comprehendit, ac propterea est superius ad necessarium, & conuenit ei, sicut vniuersale conuenit parti, scilicet inferiori, ideò infertur ex necessario posibile, sicut ex inferiori superius.

Et est quidem fortasse principium, etc. 15.

Alium ordinem cõsequentiarum modalium perfectionem ponit, & quia prius erat præter communem, ideò (fortasse) dixit, nõ dubitationis, sed modestiæ causa: ordo est, vt incipiamus à necessario ad posibile, cõtingens, imposibile, quandoquidem inferius est in cõsequentia, & ab inferioribus ad superiora rectior est consequentiarum processus.

Sumendæ sunt igitur quatuor de necessario, eo ordine, quo constituebantur de posibili. Prima tota affirmatiua de necessario. Secunda negatiua de dicto: affirmatiua de modo. Tertia negatiua de modo, affirmatiua de dicto. Quarta negatiua de vtroque: modorum autem hic erit ordo, necesse, posibile, contingens, imposibile.

Et vt rectius hæc memoria teneas, accipe quatuor dictiones nostras, in quibus omnes æquualentes inuenies: obseruando eandem rationem, sicut in alijs: solũ ordinem mutando, semper enim prima syllaba pro necesario. Secunda pro posibili. Tertia pro contingenti. Quarta pro imposibili deseruit: dictiones autẽ hę sunt: Argutule, vestigia, sine metu: mutabatis: circa quas aduerte primam tertiæ, secundam quartæ, contradicere, & vlterius, primam, & secundam esse contrarias, tertiam, & quartam subcontrarias, poterit ergo quilibet in tabula assignare omnes has.

16. *Manifestum autem ex his, quæ dicta sunt, etc.*

Hunc ordinem cõsequentiarum, rerum vniuersi ordini cõparat, & ipsa comparatione comprobat. In vniuerso enim tres rerum naturas comperimus, quæ dã sunt semper actu, ita, vt nunquam defuturæ sint, nec defuerint, & hæ sunt primæ substantiæ, vocat autem hic primas substantias, non vt in prædicamento substãtiæ, ipsa singularia, sed glorioſum Deũ, & intelligẽtias, & hæ sunt secundũ Aristot. naturę sempiternę, & omnium principia prima, & istæ habent actum sine potentia, id est, quę habent in se, semper habuerunt, & habebant, nihil illis defuit, nec deerit: propterea dicuntur nõ esse in potentia, scilicet, quæ est cum primatione: & his assimilatur necesarium: qui modus significat, quod semper est.

Sunt aliæ naturæ, quæ habent actum cum potentia, id est, ita sunt, quòd non semper fuerunt, vel nõ semper erunt, & istæ si comparentur secundum id, quod actu sunt, & id, quod potentia fuerunt, inueniemus actũ perfectiorem esse, & naturam priorem, id est, nobiliorem potẽtia, quia res perfectiori modo existit, quando est, quàm quando esse potest: at potẽtia prior est tẽpore actu ipso, quia prius tempore potuerunt esse, quàm sunt, & fuerunt, quales sunt naturæ istæ corruptibiles, & in his inuenitur posibile propriè, & contingens.

Aliæ sunt naturæ, quæ nunquam perueniunt ad actum perfectum, sed semper manent in potẽtia, vt si velis numerare numerum maximum, nunquam peruenies ad illum, si diuidatur continuum, non dabitur minima pars, tempus, motus secũdum Arist. nõ perueniet ad actũ consummatum: in his inuenitur imposibile, quatenus nunquam ad actum perfectum peruenire possunt.

Cùm igitur harũ rerum iste sit ordo, vt primæ res primo loco, mediæ secũdo, vltimo verò ista postrema cõstituantur: ergo & modi eis correspondentes eundem obseruabũt ordinem, & ita à necessario incipientes ad posibile, cõtingens & imposibile deueniemus: istum rerum ordinem exactius prosequi Metaphysici est: satis sit ista circa explanationem attigisse, hæc de textus interpretatione.

QVAESTIO.

Quid sit modus, quid modalis enunciatio, & quotuplex? & de eius quantitate.

Circa caput hoc, oportet breuiter examinare, quid sit modalis, & quotuplex, & de eius quantitate: hæc autem facilius percipiẽtur, si quid sit modus, examinauerimus.

Quid sit modus.

Circa quod antiqui & moderni Græci, ac Latini laborárunt nõ parum, inter Latinos S. Thom. tract. de enũc. cap. 11. inquit, modus est rei adiacens determinatio, id est, additum aliquod extremis enũciationis, vel totam enunciationem determinãs, dicimus enim, homo doctè disputat illud (doctè) prædicatum determinat, & limitat, vt stet pro disputatione docta, at quia ista definitio omnibus modis communis erat, eam limitat dicent, modum esse enunciationis compositionem determinantem: duo enim in

1. Sent. 6.

verbo

verbo consideramus, alterum est eius significatio, id est, res, quam significat, vt disputo disputationem significat, & lego lectionem, alterum est verbi cõpositio, quod est ipsius formale.

Quotuplex modus.

Sunt igitur modi in duplici differentia: quidam determinant verbi significationem, vt doctè disputat, velociter currit: alij determinãt verbi cõpositionem, vt Petrũ currere est possibile, id est, ista compositio est possibilis Petrus currit. tales autem sunt isti modi præsentes.

Quòd si obijcias, esse plures modos, nempè verum, falsum, respondet S. Thomas nihil addere ad simplices enũciationes, idem enim est dicere Petrus currit, & Petrum currere est verum, propterea nõ habẽt peculiarem difficultatem, ideò hic prætermittuntur.

2. Sentẽ. Albert. tract. 2. capite 1. dicit illos modos verum, falsum, differre ab illis, quia non ampliant tempus dicti, sicut isti quatuor.

Alij plures etiam modos multiplicãt etiam compositionem determinãtes, vt scibile, optabile: sed hoc est multiplicare modos præter artem, & rationem.

3. Sentẽ. Græci alijs verbis quamuis eundem sacientibus sensum, modum definiunt.

4. Sẽten. Ammo. & Pseil. modus est vox significans, qualiter prædicatum subiecto insit, quę definitio est etiam Auerroat Græci hanc definitionem communem pluribus modis faciunt, dicuntque Aristo. hic solùm præcipuos considerasse.

5. Sentẽ. 1. Funda. At circa hoc aduertendum est primò, triplex est enunciationis materia, vt superius diximus, materia enim est habitudo prædicati ad subiectum: tripliciter autem prædicatum se habet ad subiectũ, vnde est triplex materia: primò prædicatum aliquod ita inest subiecto, vt non possit non ineste, vt homo est animal, & talis est materia necessaria: alterum non inest, sed nec potest ineste, vt homo est lapis, & talis est materia remota, seu impossibilis: aliud non inest, sed potest ineste, vel inest, sed potest non ineste, vt Petrus currit: & talis est materia contingens.

Attributũ se trib' modis habet ad subiectũ.

Est igitur modus vox significatiua enũciationis materiam explicans, vt patet in illis modis assignatis, & ita sumitur in præsenti. Cùm autem triplex sit materia, triplex erit modus rei, necessarium, impossibile, contingens: nam possibile, vt docet Boet. sola voce differt à cõtingenti, & quia possibile componitur, dicimus enim impossibile, sed non dicimus incontingens.

2. Fundamẽ. Duplicẽ esse compositionem modalis enũciationis.

Aduerte secundo, duplex est compositio in modali enũciatione, altera est dicti, vt hæc compositio, sortem currere, altera est modalis totius, vt sortem currere est possibile: quando audis modũ determinare materiam totius enunciationis, seu cõpositionis, intellige de dicto, vt notant Albert. tracta. 2. capite primo, & Alexan. qui dicit enim sortem currere est possibile, determinat compositionẽ illam sortem currere, non autem totam ipsam modalem, nam modalis ipsa nulla est cõtingens, sed vel impossibilis, vel necessaria.

Præterea quãdo dicimur modum explicare materiam, intellige cum Ammon. & Pseil. modum non esse materiam, materia enim est ipsa enunciatio dicti, sed explicat modus materiam illã, & aliquãdo explicat materiã quæ non est, vt qui dicit Petrũ currere est necessarium sicut aliquando diuidimus, quæ diuidenda nõ sunt, & componimus, quæ componenda non sunt, vt quando dicimus homo non est animal, leo est rationalis.

Ex his omnibus facilè colligitur, quid sit enunciatio modalis, & quotuplex, & quomodo non sunt plures quàm hę, quas Aristoteles enarrat, & quantum ab alijs omnibus differant.

De quãtitate modalium.

Circa quantitatem modalium, aduerte in eis esse triplicem quãtitatem: duas ex parte subiectorum, tertiam ex parte modi, est enim in modalibus duplex subiectum. Alterum ipsius dicti quod Albertus vocat subiectum locutionis, vt in hac, sortem currere est possibile: sortes est subiectum locutionis: alterum est subiectum totius modalis, quod vocat subiectum enunciationis.

Et iuxta hæc duo subiecta, insurgit duplex quantitas, secundum quid, altera ex dicto & secundum hãc quędam modalis dicitur vniuersalis, quædam particularis, quædam indefinita, quædam singularis, vt enunciationes simplices.

At secundum subiectum enunciationis, quod est ipsum dictum integrũ, semper modalis est singularis, quia illud integrum dictum locum habet vnius singularis subiecti, cùm non possit distribui totum ipsum.

Tertia quãtitas est præcipuè à modo: sunt enim duo modi vniuersales, necesse & impossibile, & æquiualentes, & duo particulares, possibile, cõtingens, & æquiualentes, & secundum hos, modales vniuersales vel particulares dicuntur.

Dubium. Dices quare illi duo sunt vniuersales, hi duo particulares? dico, quia necesse est quod omni tẽpore ineat, impossibile quo nullo tempore: propterea vniuersalitatem tẽporis claudunt, reliqui duo aliquãdo vel non aliquãdo: propterea temporis particularitatem habent.

Solutio.

Præterea necesse, vel impossibile, si superiori vel vniuersali termino iungantur, distribuunt virtualiter: idem enim est dicere, homo necessario est animal, & omnis homo necessario est animal, & homo impossibiliter est leo, & nullus homo est leo: reliqui nõ similiter. Hęc sufficiãt quia quæ restant, latè iã in introductio ne dicta à nobis sunt.

Quæ enunciationes contrariæ magis sibi inuicem esse dicantur.

Cap. IIII.

Sectio. 5. secũdum Græcos.

VTrum autem contraria est affirmatio negationi, an affirmatio affirmationi, & oratio orationi, quæ dicit, quòd omnis homo iustus est, ei quæ est, nullus homo iustus est, aut omnis homo iustus est, ei quæ est, omnis homo iniustus est: vt, est Callias iustus, non est Callias iustus, Callias iniustus est, vtra harũ contraria est? Nam si ea, quæ sunt in voce, sequũtur ea, quæ sunt in intellectu, illic autem cõtraria est opinio contrarij, vt q. omnis homo iustus est, ei quæ est, omnis homo iniustus est, etiam in ijs, quæ sunt in voce affirmationibus, necesse est similiter sese habere: q. si neq; illic cõtrarij opinio cõtraria est, nec affirmatio affirmationi erit contraria: sed ea quę dicta est negatio: quare considerandum est, quæ opinio falsa opinioni veræ contraria est, vtrum negationis, an ea, quę contrarium esse opinatur. Dico autem hoc modo, est quædam opinio vera boni, quòd bonum est: alia autem quòd non bonum, est falsa: alia verò, quòd malum: vtra harum contraria verę? & si est vna, secundum quamnam contraria.

Idem in principio primi huius.

1.

Nam arbitrari contrarias opiniones definiri, eò quòd contrariorum sunt, falsum est. Boni enim quod bonum est, & mali quòd malum est, eadem fortasse opinio est etiam vera, siue plures, siue vna fit: sunt autem ista contraria, sed non eo, quòd contrariorum sint, contraria sunt, sed magis eo, quòd contrariæ.

2.

Si ergo est boni quidem quòd est bonum opinio, alia autem quod non bonum est, est autem aliquid aliud quòd non est, neque esse potest: aliarum quidem nulla ponenda est, neque quæcunque esse quod non est opinantur: neque quæcunque non esse quod est: infinitæ enim vtræque sunt, & quæ esse opinantur quod non est: & quæ non esse quòd est.

3.

Sed in quibuscunque fallacia est: hæ autem

4.

autem sunt in his, ex quibus sunt generationes: ex oppositis verò generationes: quare etiam fallaciæ.

5. Si ergo quod bonum est, & bonum & non malum est: & hoc quidem secũdum se, illud verò secundum accidens (accidit enim ei non malum esse) magis autẽ in vnoquoque vera est quæ secundum se est etiam falsa, siquidem & vera: ergo ea quæ est, quod non est bonum quod bonũ est eius quæ secundum se, falsa est: illa verò quæ est, quod malum est, eius quæ secundum accidens: quare magis erit falsa de bono, ea quæ est negationis opinio, quàm ea quæ est contrarij. Falsus est autem maximè circa singula, qui contrariam habet opinionem: contraria enim sunt eorum quæ plurimum circa idẽ differunt. Si igitur harum contraria est altera: magis verò negationis est contraria: manifestum est quod hæc erit cõtraria. Illa verò quæ est, quod malum est quod bonum est, implicita est: etenim quod non bonum est, necesse est fortè ipsum eundem opinari.

6. Amplius, si etiam in alijs similiter oportet se habere, & hoc modo videbitur benè esse dictum. Aut enim vbiq; ea quę est contradictionis, aut nusquam: quibus verò non sunt contraria, de illis quidem falsa, quæ est verè opposita: vt qui hominem non putat esse hominem, falsus est: si igitur hæ contrariæ sunt, etiam & alię, quæ sunt contradictionis.

7. Amplius, similiter se habet opinio boni quod bonum est, & non boni quod nõ bonum est & præter has boni quod non bonum est, & non boni quod bonum est. Illi ergo quæ est, non boni quod non bonum veræ opinioni, quæ est contraria? Nõ enim ea quæ dicit, quod malũ est, † si aliquãdo fuerit vera: nunquam autem vera veræ cõtraria est: est enim quoddã non bonum malũ: quare cõtingit simul esse veras. At verò nec illa quæ est: quod nõ malum: vera enim & hæc: simul enim & hæc erunt. Relinquitur igitur ei quæ est nõ boni, quod † nõ bonum est, contraria ea quæ est nõ boni, quod bonum falsa enim hæc. † quare & ea quæ est boni quod non bonum est, ei quæ est boni, quod bonum est.

† s.l. simul enim alĩquando.

† s.l. nõ bonum verè

Manifestum ergo est, quod nihil interest, nec si vniuersaliter ponamus affirmationem: vniuersalis enim negatio cõtraria erit vt opinioni quæ opinatur, quod omne quod est bonum, bonum est, ea quæ est, quod nihil eorũ quæ bona sunt, bonum est: nam ea quę est boni, quòd bonum, si vniuersaliter sit bonum, eadẽ est ei, quæ opinatur, quod quicquid bonum est, quod bonum est: hoc autem nihil differt ab eo quod est, quod omne quod est bonum, bonum est: similiter autem & in non bono.

Quare si in opinione sic se habet: & sunt hæ, quæ sunt in voce affirmationes & negationes, notæ earum quæ sunt in anima: manifestum est quod affirmationi contraria quidem negatio est, quæ de eodem vniuersaliter: vt ei quæ est, quod omne bonum, bonum est, vel quod omnis homo bonus, ea quæ est, quod nullũ vel nullus: contradictoriæ autẽ quæ est quod non omne, [aut non omnis. Manifestum est autem, quod & veram verę nõ cõtingit esse contrariam: neque opinionem, neque contradictionem: cõtrariæ enim quæ circa opposita sunt: circa eadem autem cõtingit verum dicere eundem: simul autem non cõtingit idem inesse contraria.

] s.l. & g.

Verum autem contraria est affirmatio negationi, &c. 1.

HAEc est quarta & vltima pars huius lib. in qua Arist. dubium vnum proponit circa oppositionem: quod caput aliqui non esse Aristotelis existimãrunt, inter quos est Porphy. & dubius est Ammo. At quia reliqui antiqui Græci, & Latini hoc tanquam Aristot. recipiunt, non erit inutile illud exponere.

Quæstio igitur huiusmodi est. Vtrum affirmationi opponatur magis negatio cõtraria an affirmatio deprędicato cõtrario? verbi gratia, huic affirmationi, omnis homo est iustus, vtra est magis opposita, vel hæc nullus homo est iustus, an hæc, omnis homo est iniustus? & huiusmodi sortes non est iustus, vtra magis opponitur sortes non est iustus, an hæc sortes est iniustus: vbi prædicatum est contrarium. (Nam si ea, quæ sunt in voce sequuntur ea) Proponit viam, secundum quam ista quæstio determinanda est, nempè vt ea, quæ in mente sunt, consideremus: voces enim non aliud sunt, quam signa eorum, quæ menti insunt. Considerandum ergo est, quæ opinio in mente opinioni opponatur, an quæ est secundum negationem an quæ est secundum contrarium. Voces enim eodem modo opponentur.

Vade fit quæstio huiusmodi: aliquis habet hanc opinionem, bonum est bonum, verã; habet aliam falsam, bonum non est bonum, & aliam etiam falsam, bonum est malum. Peto, quæ opinio harum duarũ illi opposita est? & nota ista verba Aristotelis (Si est vna, secundum quam contraria) poterit esse vnus sensus, in vna harum duarum est contraria, vtra est: siue illud (Si) sit dubitantis, siue asserentis: & hic sensus est bonus, & ita exponit Caietanus.

2. Expositio. Nota.

Aliter interpretatur Ammo. & Boetius, nocantq; vnum, quod nos supra explicuimus capite de oppositis. Duplex est contrarium: quoddam habet mediũ, quando non est necesse, vt alterum extremorum proprio insit subiecto, vt album, & nigrum: non enim est necesse vt corpus vel sit album, vel sit nigrum: potest enim esse rubrum. Talia dicuntur habere medium. Alia medio carent, quorum alterum necesse est in esse proprio subiecto, vt par, impar, sanum, ægrum, calidum, frigidum; necesse est enim numerum esse parem, vel imparem, corpus calidum, vel frigidũ, animal sanũ vel ęgrũ. In contrarijs habentibus medium negationis vnius contrarij, non est eadem cum affirmatione alterius contrarij, vt non est idem non est albũ, & est nigrum; at in alijs vna est res, idem enim re est, non est par, & est impar, non est sanum, & est ægrum.

Intelligitur in his respectu proprij subiecti, alias enim non idẽ sunt: nam Chimæra non est calida, non tamen propterea est frigida: respectu ergo subiecti susceptiui vtriusq; contrarij oportet intelligere.

Hoc supposito, est clarus sensus Aristotelis: dicit enim, an bonum non est bonum, opponatur huic: bonum est bonum: an ista, bonum est malum? (quod si vera sit) id esse, si aliquando idem re sit, vt in contrarijs medio carentibus sit respectu proprij subiecti: hinc, vtrum assumemus tanquam oppositam, negationem an affirmationem? & hic est sensus etiam bonus.

In ista quæstione aduerte, quod vocatur opinio iudicium intellectus, quo assentimus, vel dissentimus alicui enuntiationi: & opinari, aliquando iudicare dicitur, vt patet tertio de anima, capit. 3. imaginari, inquit, possimus cùm volumus: opinari autem, id est, iudicare, non, quando alijs locis aliter opinio sumatur, vt videbitur.

Nota. Quid nomine opinionis hic intelligatur.

Nam arbitrari contrarias opiniones definiri, &c. 2.

Excludit responsionem quam aliquis ei poterat dare, nempè contrarias opiniones esse, quę sunt circa res cõtrarias, vt opinio boni, & opinio mali cõtrariæ sunt. Docet id non sufficere ad contrarietatem opinionum: quod dupliciter probat. Primò quia eadem est sortasse opinio contrariorum. Et secundo, quod si non est eadem, sed plures sint, possunt ambæ veræ esse, vt opinio de bono, quod bonũ est, & opinio de malo, quod malum est: hæ opiniones vel vna sunt, vel sine vna, siue plures sint, verę simul sunt, vtrumque autem repugnat opinionibus contrarijs.

Hoc est ergo vnum: aliud, nempè quod opiniones contrario modo se habeant, & tum contrariæ sunt: nõ tamen propterea quod contrariorum sint: oportet

Nota. 1.

tet ergo in inuestigandis opinionibus contrarijs, quomodo contrariæ se habeant inuestigare.

Nota. 2. Aduerte quando Aristoteles dicit eãdem opinionem esse contrariorum, vt, quod bonum est bonum, & malum est malum, non intelligas de opinione, & iudicio actuali: hoc enim fieri non potest, cum alio actu iudicem, bonum esse bonum, & alio diuerso numero actu, malũ esse malum: sed de eadem opinione, intellige habituali, id est, eodem habitu vtrumque cognoscitur.

Quo eadẽ sit opinio cõtrariorum.

Vel, quod melius est, intellige de iudicio actuali, & tunc sit sensus, quod est vna opinio specie, contraria autem nõ sunt vnius speciei: propterea illæ duæ actuales opiniones non sunt contrariæ, scilicet, quod bonum est bonum, & quod malum est malum.

3. *Si ergo est boni quidem quoniam bonum est, &c.*

Incipit Aristoteles determinare hãc quæstionem, docetque oppositionẽ consistere in negatione eiusdem prædicati de eodem subiecto, non autem in affirmatione oppositorum: & primo probat non consistere in alio, quàm in negatione eiusdem: Vnum vnitantum opponitur, sed infinita essent opposita quæ illo opponuntur modo, nempè affirmando opposita vel negando propria alicuius: ergo non hoc modo est sumenda oppositio: minor probatur, sit hæc opinio, bonum est bonum, si eius opposita sunt quæ affirmant id, quod bono non conuenit, vel remouent quæ conueniunt, sunt hęc innumera, nam dici potest bonũ est malum, bonum est odibile, bonum est inhonestum, bonum est inutile, similiter remouendo propria, bonum non est amabile, bonum non est vtile, bonum non est sectãdum: si igitur opposita hęc sunt, infinita sunt. Non ergo sumenda est oppositio affirmationis alicuius, per affirmationem, oppositorum, nec per negationem eorum omnium, quæ insunt alicui subiecto.

4. *Sed in quibus fallacia est, hæ autem sunt, &c.*

Ostendit secundum quam affirmationem & negationem sit sumenda oppositio, ac docet consistere oppositionem in negatione & affirmatione eiusdẽ prædicati de eodem subiecto: hoc autem dicit his verbis (in his consistit oppositio, in quibus fallacia: fallacia verò in his est, in quibus generationes, generationes verò ex oppositis fiunt, secundum idem.)

Pro quorum verborum intelligentia Nota. 1. est aduertendum, quod generatio est mu- Generatio quid tatio alicuius ex non esse ad esse: quãdo sit. fit aliquid quod nõ erat ante, tunc generari dicitur. Corruptio autem est mutatio ab esse ad non esse, scilicet quando aliquid quod erat, non est, dicitur mutatum fuisse, vnde terminii generationis & mutationis primi sunt ens & non ens: generatio incipit à non ente, & terminatur in ens. Corruptio incipit ab ente, & terminatur in non ens. Versantur igitur inter opposita secundum idem, nempè inter ens & non ens.

Aduerte secundo, intellectus noster Nota. 2. in rerũ cognitione proportionaliter se habet his mutationibus, vera siquidẽ cognitio rei assimilatur generationi, sicut etenim generatio procedit ex eo quod erat ad id, quod est, ita vera cognitio procedit ex eo, quod non erat cognitum, ad id quod cognitũ est, & sicut corruptio est ab ente in non ens: ita error & deceptio est ab ea cognitione, qua verè res cognoscenda erat, recessus in illã cognitionẽ, qua ré aliter, quàm est, cognoscimus. Vnde si petas, in quo cõsistit vera cognitio? dicam in eo, quòd res, vt est, cognoscitur. Si petas in quo error & deceptio: dicam ante omnia in eo, quod cognoscis de re, quod non est: Sunt igitur termini cognitionis & fallaciæ ens, & nõ ens, homo & non homo & reliqua, oppositio ergo sumenda est per affirmationem & negationem eiusdem de eodem.

Hęc doctrina in hoc cõsistit, vt quem admodũ

admodũ generatio in hoc cõsistit, quod aliquid fiat ex eo quod non erat, siue fiat ex terra, siue ex aere, siue ex alia quauis re, & deceptio in eo quòd intelligat qđ non est res, siue intelligat hoc vel illud falsum, ita & oppositio in hoc quòd idẽ neget de eodem, de quo affirmatũ erat, & est subtilis non solum doctrina sed etiã probatio eiusdem cõclusionis, quod oppositio sit secũdum affirmationem & negationem eiusdem de eodem.

5. *Si ergo quod bonum est, &c.*

Tribus rationibus probat conclusionem illam. Primò: illa sunt magis opposita, quæ magis secundum se repugnant in veritate, & falsitate, id est, quorum vnum magis est falsum & alterum est magis verum, sed ita se habent affirmatio, & negatio eiusdem, ergo ea sunt magis opposita: maiorem probat, quia contraria maximè distant, minorem ostendit: ista propositio, bonum est bonum, est magis vera quàm hæc, bonum non est malum, ergo & ista, magis falsa, bonũ nõ est bonum, quàm hæc, bonum est malum, & ita illæ duæ opponũtur, bonum est bonum, & bonum non est bonum: & aliæ duę inter se, bonum est malum, & bonum non est malum.

Probat quòd illa sit magis vera, quia secũdum se est vera, id est, immediate, & sine causa. Si enim dicat quis, quare bonũ est bonum, non est causa: at illa, bonum non est malum, est secundum accidens, id est, mediata, quia causam habet: propterea enim, bonum non est malũ, quia bonum est bonum. Ista ergo opponetur, bonum nõ est bonum, nõ autem illa, quę implicita est, id est, bonum est malum: istam vocat implicitam, quia includit illam tanquam priorem, bonum non est bonum: attende rationem hanc quę subtilis est.

6. *Amplius si & in alijs oportet similiter soluere, &c.*

Idem probat secunda ratione, quæ talis est: inueniuntur oppositiones, in quibus non potest aliter, quàm per affirmationem & negationem sumi contrarietas: ergo in omnibus ita sumetur, vel in nullis, quandoquidem oppositio est eiusdem rationis: antecedens patet in his, in quibus non est contrarium: vt homo est homo, hic enim non aliter contradicimus quàm per negationem eiusdem falsam, scilicet homo non est homo, ergo etiam in alijs ita erit, in quibus cõtrarium est: quòd si in his dicas non esse oppositionem, ergo nec in illis: quòd si in istis saluatur oppositio per affirmationẽ & negationem, eadem erit oppositio in illis, cum etiam possimus illic negare & affirmare.

7. *Amplius similiter se habet opinio boni, &c.*

Hæc est tertia ratio, qua idem probat Aristoteles: argumentum autem est huiusmodi: ista, bonum est bonum, & ista, non bonum nõ est bonum, sunt veræ & de subiecto opposito penes finitũ, & infinitum, hæ autem falsæ, bonum nõ est bonum, & nõ bonum est bonum, & oppositæ secundum subiectum, vnde harũ duarum, & illarum æqua est ratio, sed huic non bonum non est bonum, opponitur illa, non bonum est bonum, ergo & illi bonum est bonum, altera bonum nõ est bonum: quòd autem illi, non bonum nõ est bonum, opponatur illa, non bonum est bonum, patet, quia nõ opponi potest ista, non bonum est malum, nec ista, nõ bonum non est malum, nam essent duæ oppositæ veræ.

Quod probatur: & vt hoc inconueniens appareat, sume in vniuersali, omne non bonum non est bonum, quę vera est, si ista est contradictoria, nõ bonũ est malum, est vera cum illa, si ista non bonum non est malum, etiam est vera, aliquod enim non bonum non est malum: sunt enim, quæ nec sunt bona nec mala moraliter loquendo: lapis enim nec est bonus, nec malus, id est, nec iustus nec iniustus, neutra ergo illi opponitur: sed ista nõ bonum est bonum, quæ negatio eiusdem est, & falsa, ergo & illa ita oppo

nentur bonum non est bonum, & bonũ est bonum: est autem argumentum hoc ab oppositis: ita se habet negatio & affirmatio de non bono, sicut affirmatio, & negatio de bono, & illa opponuntur secundum affirmationem, & negationem eiusdem. ergo & hæc.

8. *Manifestum ergo quoniam nihil interest, &c.*

Concludit Arist. oppositionem omnem secundum affirmationem, & negationem esse primo sumendam, tam in contrarijs, quàm in contradictorijs, vt enim opinioni, omne bonum est bonum opponitur opinio contradictoriæ, quæ dicit, non omne bonum est bonum, ita & opinio illa contrariæ, quæ dicit, nullum bonum est bonum, vtraque enim negatio est eiusdem, siue in vniuersali, siue nõ vniuersaliter sumatur negatio.

9. *Quare sim opinione sic se habet, &c.*

Determinata quæstione oppositarũ opinionum facilè concludit, quid de voce dicendum sit, si enim vox est nota eorum, quæ sunt in intellectu, in intellectu autem oppositę sunt illæ opiniones, quę secundum affirmationem, & negationẽ sunt, in hoc etiam eodem enunciationũ vocalium consistit oppositio, & sicut contrariæ opiniones de eodem simul esse verę nequeunt, ita nec in voce contrariæ vel contradictoriæ enunciationes verę simul erunt de eodem.

Dico (simul) quia de eodem cõtrariæ verę, & contradictoriæ possunt enunciari, vt de Petro quòd est albus, & quòd non est albus, quòd sedet, & non sedet, sed simul, id est, pro eodem tempore id omnino repugnat, vt supra diximus.

Hic est finis capitis, & totius libri de interpretatione Aristot. si aliqua prętermissa sunt, eo factum est, quia suis locis copiosè, & exactè tradentur Deo fauente, cui sit gloria in sempiternum.

Amẽ.

FINIS.

LAVS DEO.

B. Q. V. M.

FRANCISCI TO
LETI SOCIETATIS IESV
COMMENTARIA.

Vnà cum Quæstionibus, in libros Posteriorum Analyticorum Aristotelis.

¶ De subiecto, inscriptione, ordine, procedendi modo, & diuisione horum librorum.

Dignitas qualis sit librorũ de Posteriori analysi.

POsteriorum libri & dignitate, & vtilitate reliquas omnes Logicæ partes antecellunt, hi enim sunt qui alijs tùm scientijs, tùm artibus, magnum vsum exhibent, & à quibus, & vniuersalis peritia, & exacta cognitio Logico cõparantur, adeò, vt Arist. Themistio visus fuerit cõsulto in his, ob eorũ sublimitatem, obscuritatẽ affectasse.

Antequam autem ad cõtextum descendamus, non abs re erit quinque prælibare, ex quorum cognitione facilior erit processus: primũ est libri obiectum, alterum inscriptio, tertium ordo, quartum procedendi modus, postremo diuisio: Ex his enim reliqua, quæ pręmitti solent, manifesta fient.

QVAESTIO. I.

Prologomenorum de subiecto libro Post. Analy.

2. Funda. Logica in quem finem sit reperta.

CIrca primum aduertendum est Logicã, vt sæpè diximus, in hũc vsum fuisse inuentã, vt modũ aperiret, quem intellectus noster obseruat in rerũ veritatibus cognoscendis & indagãdis: vt enim artes docẽt modũ quo res operamur, ita & Logica modum quo nos intelligimus. Duplex autem est rerum veritas, altera, quæ per se ipsam, postquam intellectui obijcitur, nota fit, nec intellectũ erga eã errare cõtingit, quales sunt veritates eorum, quę principia dicuntur: vt omne totum est maius sua parte: quodlibet est vel non est, & similia, de quibus Arist. in 2. Meta. in principio dixit, in tanuis quis aberrat? hęc autem non opus habẽt Logica, sunt enim per se manifesta, nec aliter intellectus ea cognoscit, quam sensus, puta visus, suum obiectum præsens, vt benè dixit Linconien. 1. Posterior. capit. 3. & Aegid. 2. Poste. cap. vltimo.

Altera veritas rerum est, quæ non statim per se intellectui est manifesta, nisi vtamur aliquo discursũ & ratiocinatione qua talem veritatẽ per aliam notiorem deducamus: quales sunt eæ veritates, quę de conclusionibus habentur, non enim sine discursu tales cognosci possunt: hæc autẽ Logica indigent, quæ talẽ modum nempe discursum & ratiocinationem ostendat, explicet, & doceat: atq; hic est vsus & necessitas Logicæ. Licet enim modum cognoscendi etiã simplicia tradat, quod factum est in prædicamẽtis, tamen ea omnia in compositam, & discursiuam cognitionem ordinantur.

2. Funda. Veritatẽ discursu cõparatã esse duplicem.

Est præterea aduertendũ, veritatem hanc, quę discursu habetur, esse in duplici differentia, quędã est, cuius cognitio dicitur sciencia, quædam verò cuius cognitio dicitur opinio: seu clarius, quasdã res opinione, quasdam scięntia discurrentes cognoscimus, ea scitur, quę sic se habent sicut cognoscuntur, nec aliter se habere possunt, quàm vt intelliguntur: ver bigratia, scimus hominem esse risibilẽ, quiare vera ita est, nec aliter esse potest quin homo sit risibilis, & nobis manifestũ est ita id esse, propterea scientia, cognitio vera, necessaria, & clara dicitur: de his verò opinamur, quę sic se habere non constat, sed coniectura & probabilitate quadam cognoscuntur, quare aliter se habere possunt, quàm opinamur, & ideo opinio incerta, obscura, ac mutabilis cognitio dicitur.

Iusta has duas cognitiones duplex est in nobis discursus, & is, quo scientiã consequimur, qui demonstratio dicitur, & is, quo opinionem, qui syllogismus Topi-

Duplicẽ esse in nobis discursum.

cus nunc patur: vnde fit, vt Logica maximè in hac vtraq; parte versetur, nempè & Demonstratiua, & Topica, quę Dialectica peculiariter dici solet, harũ altera his libris continetur, nempe demonstratio, altera vero lib. Topicorum.

1. Cõclu. demonstratio, horum librorũ est obiectũ.

Est igitur horum librorum obiectum & materia circa quam versantur, demõstratio, nempe syllogismus, quo scientiã rerum consequimur, quæ sententia est communis omnium Græcorum, & ferè omnium Latinorum, imò ipsius Aristot. qui. 1. Priorum, cap. 4. proposuit obiectũ Analyticæ partis ipsam demonstrationem, præmittendo tamen cognitionem syllogismi in communi, tanquam vniuersalioris. ex obiecto autem apparet quanta sit vtilitas huius partis Logicæ, à qua, velut ab instrumento necessario scientiæ reliquæ dependent.

Opi. contraria, & eius rationes.

At circa hoc fuit Auerr. sententia in hoc prologo, non in his libris demonstrationem solã per se, sed etiam definitionem cõsiderari: propterea demonstratio obiectum non erit, cum non omnia, quę in hac parte cõsiderantur, cõplectatur. Hãc sententiam receperunt quidam inniores, quorum rationes præcipuę sunt.

1. ratio.

Primò, ad Logicum spectat tractare per se de definitione, est enim instrumentum cognoscendi; qua cõsideratione ad Metaphysicum pertinere nõ potest: sed nulla pars Logicę est, quę definitionem cõsideret, nisi ista: ergo ad hanc partem pertinet: probãt minorem, quia si ad aliquam partem aliam spectaret, maximè ad. 6. Topicorum, sed ad eam non pertinet, cum Topicus ibi non definitionem construat, sed constructam examinet, vt notat Alex. ibidem in principio.

2.

Secundò, etiam si non esset demonstratio, adhuc definitio esset, & à Logico consideraretur, ergo definitio non propter demonstrationem, sed propter se in Logica consideratur.

3.

Preterea nobilior est definitio ipsa demonstratione, ergo non ipsius causa debet à Logico considerari, sed potius demonstratio propter definitionem: antecedens patet, ex Arist. 7. Meta. tex. 4. nobilius, inquit, est scire quid sit homo, quã qualis sit. Sed illud habetur per definitionem, hoc autem per demonstrationẽ: ergo potius instrumentum est definitio, quam demõstratio. Ob hęc igitur asserunt horum librorum tàm demõstrationem, quam definitionem esse obiectũ.

Confut. huiusopinionis.

Hęc sententia non est recipienda, multis ex causis: primo, quia est contra communem omnium Græcorum & Latinorum opinionẽ. Secũdo est etiam contra Aristo. nam. 1. Priorum, ca. 4. proponit se intendere de demonstratione disserere, prius agit de syllogismo, tanquã de superiori: quo loco definitio non per se; sed cũ demõstratione sumpta ponitur, aliàs enim ante syllogismũ esset tractãda, cum syllogismus non sit definitione superior. Tertiò, sententia ista est contra rationẽ primò, sicut totius scientiæ vnicũ est commune obiectum, ita partium scientię vnicum est per se particulare obiectum, sed libri hi vna pars Logicæ sunt, ergo vnicum est eorum per se obiectum: nõ ergo definitio simul & demonstratio per se cõsiderantur, præsertim cum maximè differant, definitio enim est instrumentum simplicium, demonstratio compositorũ; definitione, quid res sit, demonstratione qualis, & propter quid sit scimus. Hoc argumento cogũtur illi ponere obiectum horum librorum modum sciendi: conplantes autem talium instrumentorũ diuersitatẽ, asserunt tale obiectũ esse æquiuocum: Sed confutatur hoc argumento: Vel illud est purè æquiuocum vel analogũ, si purè æquiuocũ, ergo iam nõ datur vnũ obiectum, cùm in eo nulla sit vnitas rei, sed solius vocis: si verò sit analogum, ergo vnum significatum est propter alterum. Quarto, rationes huius sententiæ inualidissimæ sunt.

Ad. 1.

Ad primũ, respondetur cũ Eustrat. prologo. 2. Post. definitionem hic non considerari secundum se, sed vt est causa vna, qua probamus passionẽ inesse subiecto, quo etiam modo aliæ causæ quoque hic considerantur. Ad maiorẽ autem argumenti Eustrat. admittit Metaphysicum per se considerare definitionẽ, sed mihi hoc non satisfacit, nã Metaphysicus eã considerat, vt dicit rei substantiã, non vt est cognitionis instrumentũ: hoc enim Logicum est, vt dixit Auer. 7. Meta. com. 42. Propterea neganda est maior. Logicus enim non per se, & immediatè definitionem considerat, sed vt ad demonstrationem pertinet: q optimè dixit Aegid. in Prohemio. 1. Priorum: vt enim intellectus operationes simplices nõ sunt propter se, sed ad cõpositas ordinantur: ita & definitio, quæ simplicium est, nõ propter se, sed ad argumentationem ordinãda est: nec ex hoc sequitur definitionẽ non tractari exactè in Logica: vt enim Physicus exactè de forma & materia dicit, & de anima, & reliquis, licet vt ad corpus naturale ordinantur, ista consideret, ita & Logicus de definitione.

Definitio vt à Logica considerat.

Albert. tract. 1. sum Logicæ ca. 5. dicit hanc partem Logicæ, de definitione, nõ extare: vnde posset optimè dici, quod quamuis Logicus de definitione per se ageret, tamen talis tractatus omnibus libris de argumentatione anteponendus esset, cùm sit simplex: esset enim immediatè post prædicamenta.

Ad. 2.

Ad secundum respondetur facilè, si demonstratio esset ablata, maneret definitio, sed Logica esset manca, nec haberet eam rationem, quã modo habet, cum eius finis mutetur.

Ad. 3.

Ad tertium negatur definitionẽ esse potiorem: nec ille textus quicquam contra nos probat: illic enim, inquit nobilius esse scire quid res sit, quàm solũ qualis sit: at demonstratio non solùm ostendit qualis res sit, sed propter quid etiam talis sit: in hoc aũt includitur, quid sit & hæc est maxima cognitio, ne pe scire res per suas causas, q demõstratione fit: imò si textus consideretur, est cõtra eos: nam subdit Arist. rationẽ, quare sit melius scire quid: quia, inquit, qui scit, quid, facilè

sciet, quale: ac si dicat, qui scit definire, scit demõstrare: hactenus de subiecto, nũc de inscriptione horũ librorũ dicamus.

QVAESTIO. II.

De Inscrip. lib. Post. Analyt.

Inscriptio huius libri Græcè est, τῶν ἀναλυτικῶν ὕστερων. 1. resolutoriorũ posteriorum: in cuius gratiã prius quid resolutio sit explicemus: circa quam vehementer neoterici digladiantur.

Quid resolutio.

Resolutio igitur, vt Alexand. & Philoponus. 1. Priorum in principio asserũt, non est aliud, quàm regressus quidam rei in ea principia, ex quibus est, seu à quibus pendet: verbi gratia, est corpus aliquod ex elementis constitutum, dissolui tur, in eadem elementa redit: talis reditus resolutio dicitur.

Resolutio alia est realis alia rationis.

Est autem hęc resolutio duplex, quædam realis, quædam rationis: realis est quę in ipsis fit rebus, actione in ipsis realiter existente: vt quãdo verè mixtũ in elementa resoluitur: quãdo totũ in partes secatur: resolutio rationis est quę ipsis rebus accidit, non quidẽ actione existẽte in ipsis, sed intellectus operatione, vt enim mixtum fuit corruptione in elementa realiter resoluitur, ita intellectus sua cõsideratione mixtũ in elemẽta redigit, talisque resolutio rationis dicitur.

Resolutio rationis duplex. Mathematica & Logica.

Hæc resolutio rationis duplex est, altera Mathematica, altera Logica. Mathematica est qua propositã conclusionẽ in propria causas, per quas demõstretur, reducimus: vt nihil aliud sit talis resolutio, quàm inquisitio & perscrutatio quædam causarum illius cõclusionis: sicut in Moralibus, cõsultationes sunt inquisitiones mediorum ad res faciendas, vt docet Aristoteles. 3. Ethicorum. ca. 3. ex quo patet, hanc resolutionem non esse demonstrationem: demonstratio enim per causam effectum monstrat, resolutio verò posito effectu, causam indagat: resolutio tamen ipsi demonstrationi deseruit, vt docet Eustrat. in prologo. 2. Post. talis resolutio Mathematica dicitur, nõ quod solus Mathematicus ea vtatur, cùm &

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliæ scientiæ etiam in propriascausas conentur sua redigere, sed quod Mathematici frequentius,& clarius id efficiant.

Quid resolutio rationis Logica & quotuplex.

Logica resolutio alia est particularis alia vniuersalis.

LOgica resolutio, quãuis multiplex sit, vt 1. Prior diximus, tamen quantum ad id spectat, duplex est, altera vniuersalis, altera particularis: vniuersalis est qua cõclusione aliquã in figuras quasdam,& modos,quibus est syllogizãda, redigimus ab his enim tanquã à principijs illationis dependet: similiter eadẽ resolutione reliquas argumẽtationis species in syllogismũ, in cuius viribus innituntur, resoluimus, & ipsum etiam syllogismum in duas propositiones & in tres terminos reducimus. Resolutio verò particularis est qua propositã conclusione, figura & modo iã suppositis, in præmissas, & principia quædam necessaria: & quæ ipsius causam importent, reducimus: quæ quidem resolutio maxime deseruit Mathematicę resolutioni: hæc enim in causam resolutæ effectũ, Logica verò particularis præmissas necessarias secũdum causam disponit & quærit. Possumus enim in syllogismo aliquo duo cõsiderare, & illationem quandã qua conclusio ex præmissis infertur,& probationẽ etiã qua conclusio per principia necessaria, & per suas causas probatur: vndẽ dupliciter resoluimus cõclusionẽ, & in principia inferẽdi, nẽpè in figuras,& modos, quæ resolutio à Latinis dicitur resolutio formæ, à Græcis resolutio syllogismi simpliciter: & in principia probantia, non vtcunque, sed necessariò & per causam, quæ resolutio à Latinis dicitur, materiæ, à Græcis particularis: alla resolutio prior est, cùm sit formæ, & cõmunior: hæc posterior, cùm sit materię, & particularis: vnde fit vt pars Logicæ qua communis resolutio traditur, liber Priorum dicatur: pars verò qua particularis continetur, liber Posteriorum.

Cõclusio quæst.

Hæc igitur est inscriptionis huius ratio: de resolutione Posteriori, id est, de modo inquirẽdi principia necessaria, & præmissas, quę causæ sunt per quas cõclusio est demonstranda, ac in eas resoluenda. Hic autem oportebit vnum adnotare, has partes Logicę resolutiuas dici, nõ quod ipsę resoluendo procedãt: sed quod resoluere doceant iuxta duos hos resolutionis modos: cùm autem resolutio non fiat nisi cõposito, vel eo, quod resoluendum est præcedẽte, hinc fit vt illæ partes Logicæ ostendant quod est resoluẽdum, nempe conclusionem aut syllogismum, & ea, in quæ ista sunt resoluenda.

Dubium. An his lib. aliqua ex parte sint compositiui.

DVbitatur. An hi libri aliqua ex parte cõpositiui sint, & nõ semper resolutiui. Respondẽt Philopon. & Bura. 1. Priorũ, in his aliquid compositionis cõtineri: nam in lib. Priorum docemur syllogismum componere: in libro verò Posteriorum demõstrationem: tamen quia potior est resolutio & difficilior, idcirco libri resolutiui dicuntur.

Aliorum sentẽtia.

Mihi alitervidetur dicendum, nempè hos libros docere conclusionem propositam in præmissas, quibus inferatur, resoluere, quod simpliciter syllogizare dicitur, & conclusionem etiam in præmissas necessarias resoluere, quod est demõstrare: & quia hæc tradi non potuerunt, quin prius quid syllogismus, quid demonstratio esset explicaretur, propterea ista in his continentur: hoc tamen non est componere, sed ea ostendere, in quæ resolutio facienda est. Fatendum est tamen cùm ex resolutione nota fiat compositio, eadem arte nos doceri & resoluere & componere, sed illud prius.

Propria opinio.

QVAESTIO III.

De Diuisione Logices in partem Iudicatiuam & Inuentiuam.

Est aliud dubiũ, in quo elaborauerũt qua ratiõe hęc pars Logicę Analytica iudicatiua dicatur, Topica verò inuentiua.

Ad quod aliqui respondẽrunt nõ tam verè, quam subtiliter: nempe Topicam argumentari ex signis quibusdã, Analyticã verò à causis: & quia signa ad inuentionem

1. Aliorũ sentẽtia.

tionem, causæ ad resolutionem spectare videntur, inde ad Topica inuẽtio, ad Analytica resolutio & iudiciũ spectat: sed hoc postea quam quod leuè est, non satisfacit, nam pars prior Analytica, cum non per causam syllogisset, non esse iudicatiua, quod falsum est.

Refelli-tur ea sẽtentia.

Alij respondent in Topica & Analytica esse inuentionem & iudicium, liber enim Priorum medium syllogizandi inuenit, & de inuento iudicat: & posteriorũ liber docet etiã inuenire mediũ, nempè causas & præmissas, & de eisdẽ iudicare an ita sint, & demũ liber Topicorum docet inuenire probabilia, & de ipsis, an talia sint, iudicare. tamẽ quia in parte Analytica difficilius est iudicare quã inuenire, iudicatiua dicitur: est autẽ difficilius iudicare, quia cõclusioni demonstrãdæ vnũ est mediũ, quia nõ nisi necessariũ demõstramus, nõ enim vtraq; pars cõtradictionis demonstratur: at illud innumeras habet leges & conditiones, propterea inuentio est facilis, quia est vnius, iudicium difficile, quia multa debet habere: at in Topica facilius est iudicare, quia cõsiderat probabile, quod facilè examinatur, sed difficilius est inuenire, quia oportet vtrãq; contradictionis partẽ probabiliter ostẽdere, ac propterea à principalioribus inuẽtiua dicitur. Hęc sententia habet aliquid apparẽtiæ, sed caret fundamẽto.

2. fund. Inuenire & iudicare qd sint.

3. fund.

4 fund. Qualis inuentio qualęq; iudicium ad logicũ pertineat.

3. sententia.

Alij respondẽt, aliter Topicũ & Analyticũ esse inuentiuũ, nã præmissas vterq; quærit ad cõclusiones probãdas, interest tamẽ inter vterũq;, nã demonstrator solũ verũ probat, & à falso separat, at Topicus verũ à falso nõ discernit, cũ solũ probabile cõsideret, quod aliquando verum, aliquando falsum esse potest, ideò alter iudicatiuus, quasi discretiuus veri à falso dicitur, alter solum inuentiuus manet.

Propria authoris opin. 2. fund.

Dicẽda est meo iudicio, primò duas esse argumentationis partes, alterã habentem se, vt materiã, nẽpè propositiones ipsas & terminos rerũ significatiuos, alteram vt formã, dispositionẽ nempè secũdum figuram & modum: vnde qui argumentationẽ aliquã componere vult, opus habet quærere hæc duo, & formam, & materiam aliquam, quæcunque sit.

Secundò inuenire non esse aliud, quã occultum siue ignotum inquisitione aliqua manifestum & notum facere, vt exẽplo eorũ qui inueniũt aliquid comprobari potest: iudicare verò est assensũ, vel dissensũ rẽ sic vel aliter sẽ habere cognoscere, verbi gratia inuenimus rem, dum vario discursũ tandẽ in eius cognitionẽ deuenimus, iudicamus, dum talem, qualem quærebamus, consideramus.

Tertiò ignorãti argumentationẽ opus esse prius duplici inuẽtione, similiter duplici iudicio, oportet enim materiã inuenire, ex qua confici debet argumentatio similiter de ea iudicare, an talis sit, qualem quærebat: oportet præterea formã quã eã disponat inuenire, & an talis forma sit iudicare: his enim omnibus absoluitur argumẽtatio: atq; ad Logicũ aliqua spectant, qui argumentationem docet: dico aliqua, quia materia non est negotij Logici, non enim res considerat, sed formam argumentandi ipsis applicat.

Quartò inuenire argumẽtandi formas, nõ esse ipsius Logicę artis, cũ sit ante ipsã nã id est inuenire Logicam, sed artis est, ipsas formas inuẽtas docere, probare, & declarare, & rebus applicare: quod totũ ad iudiciũ pertinet: propterea liber prior formæ iudicatiuus dicitur. Similiter inuenire res, seu terminos, quibus forma applicatur, nõ Logici, sed aliarũ scientiarũ seu habituũ qui res cõsiderãt mun' est: ea tamẽ secũdũ propositiones ordinare, & an tales sint, quales petũtur dignoscere, hoc est iudicare, & ad Logicũ spectat.

5. fund.

Quintò materiam hanc esse triplicẽ, necessariã, probabilem, apparentem, in quarum singulis est inuentio, & iudicium propriũ. Omissa apparenti, de qua dicemus postea, necessariã ad librũ præsentẽ Topicã, seu probabilẽ ad libros Topicorũ referri certum est. Cùm autem inuentio non sit Logici, sed iudiciũ materiæ necessariæ, inde liber Post. iudicatiuus dici-

dicitur, qui nihil ex hoc Logico, præter ipsum iudiciū accedit: dices, eodē modo liber Topicorum indicativus dicitur, cū inuenire probabile, non sit Logici, sicut nec inuenire necessarium, vt diximus: Respōd. esse valdè diuersam rationem.

Obiectio.

Vltimò ergo maximè aduertendū, q. Logicus, vt Logicus purus est, nullā rem contēplatur, sed tantū res alio habitu cognitas ordinat secundū formā argumentationis, aut diuisionis, aut definitionis, aut enūciationis, aut alterius similis, qua propter antiqui Stoici, & Plato Logicā à reliquis scientijs non separabant, sed coniunctā eis addiscebāt, vt dicit Philop. 1. Priorū in principio: hinc est quod Dialecticum scientem, ac Metaphysicū vocabant, vt videre est apud Plot. 1. Aenea. lib. 3. c. 4. At Peripatetici eā separārunt, ac prius ipsam puram addiscebāt: postea scientias, vt docet Arist. 2. Metaphy. c. 3. stultum est, inquit, simul scientiam, & modum sciendi discere.

Hoc idem Alb. c. 1. huius lib. & lib. 1. Met. cap. 5.

Id refert Origen. super Cāt. hō. 1.

Cùm igitur res quædam sint necessariæ, quarum scientiæ sunt, quædam probabiles, quarum sunt opiniones, quæ solo intellectu absque habitu sæpè producuntur, Logica à rerum necessariarum cognitione fuit seiuncta omninò, ac illarum cognitio fuit scientijs reseruata: at à cognitione probabilium non fuit prorsus abiuncta, imò cum illa sub nullo habitu comprehendantur, relicta fuerunt Dialecticæ, hinc est quod sæpè clamat Arist. Dialecticam considerare, quid in vnaquaque re sit probabile, non quo talis cognitio ipsius propria sit, sed illi relicta est. Hinc fit quod Topicus maximas habet reales, quibus vtitur, sed vt probabiles sunt. Ex hoc apparet inuentionem probabilium Logicam esse, ac ob id liber Topic. inuentiuus dicitur non sic de necessario, in quo solum Logicus iudicio vtitur, & hoc est admodū memoriæ mādandum, est enim ianua multarum veritatum, quæ in Logica occurrunt.

Respōsio ad quæst.

Dialectica vt dicatur cōsiderare quid in quaque re sit probabile.

Libri Topic. vt ad inuētionē sit verò ad iudiciū dicātur pertinere.

QVAESTIO IIII.
De ordine horum librorum.

EX his quæ proposuimus superiùs tertiū erat ordo, quo nempe loco hic liber sit addiscendus, sermo enim est de ordine doctrinæ, hic autē doctrinæ ordo triplex esse potest, vt cōstat ex Aristotele vari s in locis, primus est secundū necessarium, id est, quando vnū in doctrina prius altero traditur, quia hoc sine eius cognitione haberi non potest, quo pacto multi ex grauioribus Arist. interpretibus primò de anima docēt cognitionē & scientiā de anima præcedere scientiā de aīalib' quia aīalia absq; animæ cognitiōe cognosci nequeūt. Alter est ordo secūdū notius quādo id præmittit, q. est notius, licet ex eius cognitione alterū nō depēdeat quo pacto liber Metheo. præmittit libris de anima, quia mixta illa metheora logica notiora sūt. Tertius est secundū dignius, quando id præmittitur q. dignius est: quo pacto Arist. 1. de anima anteposuit vilium reliquis sensibus, q. a dignior erat & nobilior.

Triplex ordo doctrinæ.

Hoc igitur supposito, petimus quo ordine liber hic aliis sit anteponendus, vel postponendus: & nulli dubiū est librum Priorum præcedere ordine doctrinæ, propter necessitatē, & quia notior est, cuius rei ab auctoribus triplex in hoc prologo ratio reddi solet: prima est, notiora sunt prius tradenda minus notis, sed syllogismus in cōmuni notior est demōstratiuo, quia est vniuersalior, vniuersaliora autē notiora nobis sunt, ergo liber Prior. qui de syllogismo in communi est, debet antecedere. Et hæc ratio est etiā ipsius Aristotelis. 1. Priorū. c. 4. Altera ratio est: Rectus & necessarius doctrinæ ordo poscit, vt passiones prius de proprio & immediato subiecto demonstrentur, quam de mediato, ergo subiectū immediatum prius est tradendum: declaro antecedēs: mobile est passio quæ dā primo corpori naturali inhærens, mediatè verò & secūdariò elemento, cælo, alijsq; corporibus: talis passio recto doctrinæ ordine necessario prius de corpore naturali, quam de hoc vel illo corpore demonstranda est, sequitur ergo vt necessariò antecedat corporis naturalis doctrina. Hoc igitur supposito, sequitur argumentū: inferre, est passio tradenda de demōstratione: hęc aūt immediatè cōpetit syllogismo, prius ergo de syllogismo est ostendēda, ob idque syllogismi doctrina antecedit. Tertia ratio est: quia nisi cognitio syllogismi in cōmuni præcederet, idē multotiēs inutiliter repeteretur, nam in demonstrationis doctrina oportebat explicare ea quæ insunt ratione syllogismi in communi, & eadem iterum repetere in syllogismo Topico: & hæc est ratio quā Arist. 1. de partibus. c. 1. ostendit communia particularibus esse prius tradenda: non igitur de hoc dubitabit vllus.

Libri priorū cur hac ordine doctrinę præcedant.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. ratio.

Dubium. Sententia Philopo. & Auic.

Dubium tamen est de libris Topicorum & Elenchorum an huic sint anteponendi. Philopo. & Auic. quorum etiā meminit Auerro. in hoc prologo, asserunt librum Topicorum immediatè sequi librum Priorum, & huic nostro esse anteponendū. Est autem vna ratio Philoponi, quādo intellectus ad aliquā veritatē capiendam disponitur, prius rationibus probabilibus, quam demōstratiuis præparatur, ergo cognitio & doctrina probabiliū quæ Topica est, antecedere debet doctrinam demōstratiuam, antecedēs est notissimum, est enim hic mos cōmunis, & præsertim Aristo. qui prius veritatem rei probabiliter & Dialecticè exagitat, quā demonstratiuè cōuincat. Altera est ratio Auicennæ: cōmuniora sunt præmittenda, sed probabile est superiꝰ necessariò, quod vocat intelligibile, nā omne necessarium est probabile, non tamen omne probabile est necessariū, præmittenda ergo est doctrina probabilium. Circa librum Elench. Philoponi docet esse postponendum libris Posteriorum, quia sunt de syllogismo decepto rio, prius autem oportet docere veritatis instrumenta, quam erroris.

Probatur sententia Philopo.

1. ratio.

2. ratio.

Refellitur sententia Philopo.

Hæc opinio nō est recipiēda, imò asserendum est cū Alex. 1. Elench. c. 4. & Alber. hoc libro, tracta. 1. c. 1. & S. Thoa. atq;

etiam Auerr. in hoc prologo, & reliquis, librum Posteriorum immediatè coniūgi cum libris Prior. & profectò nō debet quis dubitare hoc esse de mente ipsius Arist. vt diximus. 1. Prior. c. 4. vbi se velle demonstrationem tractare proposuit, à syllogismo tamen inceptum sū, quia communior erat post syllogismi igitur cognitionem immediatè demonstrationis doctrina sequitur.

Ratio quā probatur authoris sententia.

Ratio autem huius ab authoribus in præsenti multiplex assignatur, qua nō solū dignitate, sed etiā cognitione, & necessitate hūc librū esse anteponendum probatur: imperfectū nō cognoscitur nisi ex perfecto, sed Topicus syllogismus est imperfectū quid, demonstratio verò perfectū, ergo huius cognitio anteponēda est: maior est certa, quia in imperfecto est aliqua priuatio, quæ sine positiuo cognosci nequit: nullus enim quid cæcitas, quid tenebræ, quid mors cognoscet, nisi visum, lumē, & vitā prācognoscat: minor ostēditur ex effectibus ipsorū nā Topicus syllogismus inducit opinionem conclusionis, demōstratiuus verò scientiam: at opinio est quæ dā scientia imperfecta, est enim cognitio incerta & obscura.

Ratio cōfirmatur. Tres esse rationis processus.

Potest etiam minor aliter explicari & probari, propter ea aduerte cū Alberto. & S. Thoma, in prologo, tres esse rationis & intellectus processus: primus quo ex necessarijs & semper veris propositionibus deducit cōclusiones necessarias ac semper veras, quas non contingit aliter esse, & hic processus est perfectissimus, cū cognitionem discursuam perfectissimam generet, nempe scientiā, talis est demonstratio: alter est processus abisto deficiēs & imperfectus, quo intellectus non ex necessarijs & semper veris, sed ex his quę maiori ex parte vera sunt, infert conclusionem nō semper veram, sed quæ aliter se habere possit: & talis est processus Topicus: tertius est qui non ex necessarijs aut probabilibus, sed ex apparētibus inducit conclusionem apparentem, & hic est imperfectissimus, efficit enim deceptionem,

nem, sicut secundus opinionem. Cũ igitur hi duo processus sint obliqui & imperfecti, regulandi sunt ex perfecto, ob idque eius cognitio anteponi debet: eademque ratione libri Topicorum antecedunt libros Elenchorum.

Soluit. 1. Philopo

Ad argumentum primum Philopo. Respondet Auer. in præsenti concedendo prius oportere rationibus probabilibus rem attingere, quàm demonstratione ostendamus, negat tamen eundem ordiné obseruandũ esse in eorũ doctrina: imò prius oportet docere necessaria, quorũ sunt demõstrationes, quã probabilia.

Soluit. 2. Auice.

Ad secundum Auicen. etiam respondet Auerroes dupliciter, primò admittẽdo necessaria esse probabilia: nõ tamen sequitur, vt doctrina probabiliũ sit præmittenda, quia in Logica nõ considerantur ipsa ꝓbabilia aut necessaria, sed traditur regulæ ad cognoscẽda probabilia & necessaria, quæ sunt diuersæ inter se nec aliorũ regulæ in aliquo cũ aliorũ regulis cõmunicant, & sic soluitur primò argumentum. Alteram etiam affert solutionẽ, nempe negando omnia necessaria esse probabilia, hoc enim falsum est, cũ multa sint necessaria quæ sunt nõ probabilia vt diximus lib. 1. Topicorum.

QVAESTIO V.

De modo procedendi.

SEquitur modus procedẽdi, hic asit facilis est, nẽpe definitiuus, diuisiuus, inductiuus, & syllogisticus, eiusmodi enim instrumentis demõstrationis naturam manifestat.

Dubiũ. Sed dubiũ est vnum, à quo vix aliqui se possunt expedire: nũ demõstratione vtatur circa ipsam demõstrationẽ. nõ enim fieri posse videtur antequã cognita sit demõstratio, posse quenquã vti demonstratione, ob idq; aliquid negãt, inter quos fuit Paulus Venetus, quod profectò est clarissimè contra Aristotelẽ, qui. c. 2. huius libri demõstratione probauit demonstrationem constare ex veris & primis, &c. quia facit scire, vnde à fine materiam probauit, quod est demonstrare: &

1. opin.

hoc idẽ etiã sæpè facit: propterea dico sine dubio Aristotelem in inuestigandis his, quæ ad demonstrationem exigũntur, vti etiam demonstratione.

Solutio.

2. opin.

Atq; vt hoc ex suo principio intelligatur, aduerte hominẽ solo intellectu absque alio habitu & scientia sæpè syllogizare, & discurrere, & demõstrare, & rationibus ac demonstrationibus acquiescere, licet earum naturã ignoret, quod docuit Arist. 1. Rhetor. ad Theodect. c. 1. perfectè verò cognoscere hos discursus, & ratiocinationes perfectè facere, Logicæ artis est, nec pertentum fuit ad eorũ cognitionẽ, nisi eisdem rationibus naturaliter exercitis, & imperfectè cognitis, quod dostè dixerunt Philopo. & Alb. 1. Prior. c. 2. docentes in artibus & scientijs præsupponi notiones naturales. Iuxta hoc respondeo, qui tradit doctrinam demonstrationis, cùm iam demonstrationem cognouerit, poterit circa eã demõstratione vti, qui verò discit, talem demonstrationem recipit notione naturali, quã cognoscit esse rationem bonam, quamuis non cognoscat exactè naturã illius, quousque demonstrationẽ in vniuersum didicerit.

hominé sine habitu vllo & scientia sæpè discurrere.

Quod si obijcias, quomodo demõstratio probat demonstrationem? nam se ipsam probaret, dico, demõstratio qua probat, sumitur vt instrumentũ probandi, demonstratio quæ probatur tanquã obiectum commune omnibus demõstrationibus: nõ repugnat autẽ vt idem probe se ipsum diuersa ratione sumptũ, scilicet vt instrumentum est, & vt sub eo, quod probatur, continetur, quo pacto definitio definitionis se ipsam definit.

obiectio & solutio.

De Diuisione.

SVperest vt de diuisione dicamus, & quidem in duas partes principales diuiditur hic totus liber, in priori sunt ea, quæ ad demonstrationem ipsam pertinent, in posteriori verò quæ ad ipsius medium, sub quo definitio est, & sufficiat ista generaliter diuisisse quæ postea particularius sunt enarranda.

ARI-

ARISTOTELIS
STAGIRITAE, PERIPATETICORVM PRINCIPIS,
POSTERIORVM RESOLVTORIORVM.
LIBER PRIMVS.
SEVERINO BOETHO INTERPRETE.

SVMMA LIBRI.

¶ De demonstrationis essentia, conditionibusque ad eam requisitis. De differentia demonstrationum quòd scu quia, & propter quid. Quæ figura aptior sit demonstrationi. De ignorantiæ speciebus, quæ in scientijs accidunt. Finitos esse demonstratiuarum propositionum terminos. De Demonstrationum variis speciebus, ac earum inter se comparatione. De variis demum Theorematibus ad demonstrationem conferentibus.

¶ *Omnem doctrinam, omnemque disciplinam intellectiuam ex præexistenti fieri cognitione. Quot sunt præcognitionum modi, quæque, quæ præcognoscuntur. Dubitationum solutio circa hanc propositionem contingentium.*

CAPVT PRIMVM.

TEXT.

1. ¶ Verbum hoc quod discursus. Interpretatum est, ab ijs qui sunt in syllogizare, alij intellectualis ratiocinatio, cogitatio, &c. & alibi vertunt. [s. i. perficiunt. [Orationes aliqui vertunt.

OMnis doctrina, & omnis disciplina † ex præexistente fit cognitione.

2. Manifestum autem hoc speculantibus in omnibus. Mathematicæ nanque scientiarum per hunc modum [accedunt, & aliarum vna quæque artium. Consimiliter autem & circa [rationes, & quæ per syllogismos, & quæ per inductionem. ambę enim per ea, quæ præcognoscuntur, faciunt doctrinam: illæ quidem accipientes, tanquàm à cognoscentibus, istæ verò monstrantes vniuersale per id quod manifestum sit singulare. Itidem & Rhetoricæ persuadent: aut enim per exempla, quod est inductio: aut per enthymemata, quod est syllogismus.

3. Bifariam autem necessarium est præcognoscere: alia nanque quòd sunt præsuscipere necessarium: alia verò quid est quod dicitur, intelligere oportet: alia autem ambo: vt quod quidem omne aut asserere, aut negare, verum, quòd triangulum verò, quòd hoc significat, vnitatẽ autem ambo, & quid significat, & quòd est: non enim consimiliter horum vnumquodque manifestum nobis est.

4. Est autem cognoscere, alia quidem prius cognoscentem, quorunda m verò & simul accipientem cognitione m: vt quæ cunq; sunt sub vniuersalibus, quorum habet cognitionem, quòd enim omne triãgulum habet duobus rectis æquales, præscisit: quod autẽ hoc, quod est in semicirculo, triangulum est, [simul inducens. cognouit. Quorũdam enim in hunc modum disciplina est, & non per medium, extremum cognoscitur: quæcunque iam singularia sunt, & non de subiecto aliquo.

[s. i. simul dicens cognouit. Ita vt coniunctim hęc verba legatur hoc modo legit Io. gran. il lo The. & Auer.

5. Antè verò, quàm inductum sit, aut acceptus fuerit syllogismus, modo quidem aliquo fortasse dicendum est scire, modo autem alio non.

6. Quod enim non sciuit si est simpliciter, hoc quomodo sciuit, q duos rectos habet simpliciter? sed manifestum quòd ita quidem scit, quoniam vniuersaliter scit,

scit, simpliciter autem non scit.

7. Si verò non, quæ in Menone, dubitatio continget, aut enim nihil addiscet, aut quæ nouit.

8. Vide. 2. Prior. c. 2. Non enim iamveluti quidam nituntur soluere, dicendum: an ne nosti omnem binarium, quòd par est, aut non? asserentem autem, attulerunt quendam binarium, quem non existimabat esse: quare neque parem. Soluunt enim, non dicentes omnem scire binarium parem esse, sed quę sciunt, q̃ binarius. At qui sciũt quidẽ cuius demonstrationẽ habet, & cuius acceperũt aũt nõ de omni, de quo vtiq; noscãt, q̃ triangulum aut q̃ numerus, sed simpliciter de omni numero, atq; triangulo: nulla enim propositio accipitur talis, q̃ quem tu nosti numerum, aut quam tu nosti rectilineam: sed de omni. Cæterum nihil, puto, verat, quod addiscit aliquis, est sic scire, est autẽ sic ignorare: absurdum enim, non si nouit quodammodo quod addiscit, sed si ita, vt in quantum addiscit, & sic.

Omnis doctrina & omnis disciplina.

1. ARistoteles optimus artifex ea omnia, quæ de qualibet re proposita peti solent de demonstratione tradit, quærimus enim primò an res sit, deinde quid sit, tertiò qualis sit, postremò quare talis sit, his enim scięntia absoluitur. Atq; hęc quatuor de demonstratione docet, quia multi negarunt demonstrationem esse, negãtes scientiam haberi de rebus, cum eadęm & mutabiles sint quales fuerunt Heraclitus, Democritus, & alij. Alij asserentes nihil de nouo sciri, sed scientiam nostram non esse aliud, quã recordationem & reminiscentiam eorũ quæ anima sciebat: qualis fuit Plato, vt quidam asserunt, hos remouet errores, docens & scientiam esse, ac de nouo haberi affirmans, ideoq; demonstrationẽ esse. Propterea statuit omnem doctrinã fieri ex præexistenti cognitione: atqui postea intendit inferre ex ista, vt notat Philop. demonstrationem, quę doctrina est fieri ex præexistenti cognitione.

Demonstrationẽ esse & quę sit eius quidditas negarunt.

De sensu propositionis omnis doctrina, &c.

Sed dubium est de sensu huius celebratissimæ propositionis: quidam recentiores per doctrinam & disciplinam, intelligunt quamcunque cognitionem intellectus, propterea enim additur illud verbum, intellectiua, ad excludendas cognitiones sensuum. Cognitio autem intellectus duplex est, altera simplex seu incõplexa, in qua non est verum vel falsum, quam Auerroes in præsenti vocat secundum viam formationis, altera est cognitio composita & complexa, in qua inest verum aut falsum, quam vocat Auerroes secundum viam verificationis: hæ autem cognitiones sic se habent, vt nunquã sit composita, quin simplex præcedat, simplex tamen esse potest, vt nulla alia simplex, aut composita præcedat in intellectu: non tamen esse potest quin præcedat aliqua cognitio sensus, cum non contingat intellectum intelligere absque præcedenti sensus cognitione: quo supposito, secundum horum sententiam sensus propositionis est, omnis cognitio intellectus sit antecedenti cognitione sensus.

Prima opinio recentiorum.

Cognitio intellectus alia est simplex, alia cõposita, & inter se quomodo sese habeant.

Improbatur prima expositio.

Hæc doctrina vera est, sed non videtur ad mentem Arist. esse, non enim simplices notitias intellectus quis doctrinas aut disciplinas vocabit, sicut nec ipsas notitias sensuum exteriorum.

Secunda sententia Themistii.

Aliorum sunt opinio asserentium per doctrinam & disciplinam intellectuam esse intelligendam cognitionẽ complexam veritatis: hæc autem duplex est, quędam prima & immediata, quæ ex alterius veritatis cognitione non dependet, qualis est cognitio principiorum per se notorum, altera est veritatis cognitio, quæ ex altera pendet, quæ discursiua dicitur, & hæc vtraque veritas semper præsupponit aliquam cognitionem: non enim quis totum maius esse parte intelliget, quin prius quid totũ, quid pars sit cognoscat, & tunc dicunt illud verbum, intellectiua

lectiua, addi ad excludendas cognitiones sensuum, quæ etiam doctrinæ dicuntur, vt patet in multis brutis, quæ discunt, & doctrinam aliquam capiunt.

Improbatur. 2. Sẽtia. Hæc sententia non est spernenda, est enim Themist. Philopon. S. Thomæ, & doctrina vera est, & conformis Aristoteli, sed quæ non videtur admodũ ad mentem Aristotelis: nam nõ videtur de quacunque cognitione veritatis loqui, sed de discursiua, vt patebit, nihilominus tamen est sententia probabilissima.

Tertia sẽtia Albanorum.

Alia est sẽtẽtia quæ maximè mentẽ Aristotelis exprimit, nempè per doctrinam & disciplinam intellectuam intelligi veritatem discursiuam, quæ ratiocinatione & discursu habetur: hoc enim illud verbum, intellectiua, græcè significat, & tunc est sensus, omnis cognitio, vel omnis assensus qui ratione & discursu habetur, fit ex aliquo alio antecedenti iudicio, nempè præmissarum, aut principiorum, aut antecedentis, ex quo illa discursiua cognitio deducitur: hæc est expositio Auerrois, Albert. Linconien. Apollin. Pauli & Aegidij: & mihi videtur ad mentem Aristotelis esse.

Nota 1. Doctrinã & disciplinam eandem rẽ esse cognitionem.

Circa verba autem notare oportet cum Philopon. & alijs per doctrinam & disciplinam eandem re cognitionem intelligi, nam eadem cognitio vt à magistro procedit, doctrina dicitur, vt verò à discipulo recipitur, disciplina: attẽde autem ex Linconien. non solùm doctrinam seu disciplinam dici quam à magistro viua voce quis accipit, sed etiam quam ex scripturis vel proprio labore inuenien-do consequitur.

Nota. 2. Aduerte prætereà per cognitionẽ intelligi, non inuentionem, vt voluit Alexand. sed quid superiùs, nempè cognitionem tam discursiuam, quàm non discursiuam, inuentam, aut à magistro traditam, intellectiuam, aut sensitiuam: vt sit sensus, doctrinam, id est, iudicium conclusionis haberi ex præexistenti cognitione siue hæc sit alio discursu habita, siue immediatè cognita, siue sit intellectiua, siue ipsius sensus.

Nota. 3. Aduerte præterea, cùm illa præpositio, ex, dicat habitudinem termini, aut partium, aut materiæ, aut causæ efficientis, hic causam efficientem denotat, vt sit sensus, cognitio, seu assensus præmissarum faciunt doctrinam seu assensum ipsius conclusionis: atque hæc est huius propositionis explicatio.

Manifestum autem hoc speculantibus, &c. 2.

Inductione propositionem probat in omnibus artibus & disciplinis quæ ratione vtuntur, nec hæc probatio est per exẽpla, vt quidã ex recentioribus asserũt, sed est inductio vt docet Auerr. Philop. Themist. & alij.

Inductio igitur est, primò in mathematicis artibus, hæ enim doctrinam faciunt suarum conclusionum ex præcedẽti cognitione principiorum: & sub his disciplinis intellige alias scientias speculatiuas.

Refellitur sẽtẽtia Auerr. de artibus operatiuis.

Secundò inductio sit in alijs artibus, & per eas intelligit Themist. artes operatiuas, licet id non placeat Auerr. sed tamen verum dicit Themist, his enim non contingit veritatem discursu consequi, nisi ex præexistenti cognitione, quã uis Themist. explicet de veritate nõ discursiua secundum suam interpretationẽ vt diximus.

Nota. Tertiò in orationibus dialecticis, id est, in ratiocinationibus probabilibus, quæ sunt syllogismi, & inductiones, in quibus fit doctrina, id est, cõclusionis cognitio ex præcedẽti cognitione, nã in syllogismo dialectico accipimus præmissas tã quã notas & datas, in inductione verò ex singularium cognitione doctrinam vniuersalis facimus. Hic nota dixisse syllogismos pluraliter, nã dialecticus de quo hic fit sermo, non solũ vnam partem contradictionis sicut demonstrator, sed vtrãque probabiliter ostendit, propterea syllogismos dicitur facere.

Vltimò inductio sit in discursibus Rhetoricis, quæ sunt enthymema, & exẽplũ,

in

Enthymema sit syllogismus & exemplū inductio nē appellet ex Themistia.

in quibus non fit doctrina consequentis, nisi expræcognitione antecedentis.

Vocat autem enthymema syllogismum, & exemplum inductionem, vt notat Themist, quia enthymema sit imperfectus syllogismus, & exemplum imperfecta inductio.

Refutatio sententiæ Themist.

Sed non mihi admodum hoc placet, nam licet enthymema dici possit imperfectus syllogismus, cum syllogismo perficiatur, tamen exemplum cū non ad inductionem, sed ad syllogismum reducatur, & in ipso perficiatur, non dicetur imperfecta inductio, exemplum enim per singulare probat singulare, at inductio per singulare vniuersale.

Sententia authoris.

Propterea mihi videtur sensus Aristotelis esse, enthymema esse apud Rhetoricum, quod apud Dialecticum syllogismus, & exemplum, quod apud Dialecticū inductio, & hoc solum intendit Aristoteles: cum vocat enthymema, & exemplum inductionem & syllogismum.

3. *Dupliciter autem præcognoscere oportet, quædam enim, &c.*

Postquàm Arist. omnem doctrinam ex præexistenti cognitione fieri docuit, nunc ea, quæ ante demonstrationē præcognoscere oportet, ac modos quibus præcognoscantur tradit.

Nota de præcognitiõ bus aliqua

Pro quorum intelligentia aduertendum est ea dici præcognita, quorum cognitio est necessaria ipsi demonstrationi, adeò vt demonstratio absque tali eorum cognitione non possit procedere, non tamen in ipsa demonstratione, sed extra cognoscuntur, modus autem cognitionis quo hæc præcognoscere necesse est, præcognitio dicitur, vt modò clarius explicabitur: concurrunt enim ad demõstrationem tria, quæstio quæ demonstrãda proponitur, vt an animus sit immortalis: propositiones ex quibus est demonstranda quæstio, nempè omnis actus immixtus materiæ est immortalis, omnis animus est actus immixtus materiæ: ex his enim sequitur, animus ergo est immortalis: tandem principia quorum virtuti & robori innituntur & probant hæ propositiones, nempè impossibile est duo contradictoria esse simul vera, ex huius enim veritate prouenit vt illæ duæ propositiones illam quæstionē probēt, aliter enim illis concessis, negaret conclusionem aliquis, cui sequeretur, negata conclusione animum esse actum immixtum, & non esse actum immixtum, q fieri non potest, & talia principia demõstrationis dicuntur dignitates, quarum vsus clarius & frequentius in mathematicis perspicitur.

Tria ad demonstrationē concurrere & quæ nã illa

Nota secũ.

Est secũdo aduertendum non omnia hęc tria demonstrationem componere & constituere, sed duo priora, quæstio enim mutata forma fit conclusio, nã sub forma dubitandi, quæstio est, sub forma verò assertionis illata, est conclusio, præterea ipsæ propositiones intrinsecæ demonstrationem componunt tanquam præmissæ, at dignitates extra demõstrationis compositionem manent, non enim eam formaliter componunt.

Expositio.

His duobus suppositis Arist. docet eum qui aliquam demonstrationem facit, aut ea conuincitur, præcognoscere debere tria, duo ex parte quæstionis, vnũ ex parte propositionũ in quæstione enim sunt partes duæ, prædicatum, quod à Latinis passio, à Græcis quæsitum seu interrogatum dicitur, q demonstrandum de altera parte proponitur, quam Latini subiectum, Græci datum vocant, vt in superiori quæstione, an animus sit immortalis, immortale, quæsitum, animus verò datum dicitur.

Ex parte quæstionis duo esse p cognoscenda.

De subiecto cui qd sit & quod sit præcognoscatur.

In hac ergo quæstione de dato, duo præcognoscere necesse est, nempè quid animus significet, & an sit, nisi enim hæc duo iam de animo præcognouerimus, nequaquàm ad demonstrationem accedemus, nam quæstio hæc de illo supponit, est enim sensus, supposito cognosci, quid animus significet, & animum esse, petitur an sit immortalis, hoc enim est demonstrandum.

De quæsito verò vnũ præcognoscere oportet,

De quæsito solũ quid sit non aũt quod sit præcognosci.

oportet, nempè quid significet, vt quid per immortale significetur: nam q immortale sit, hoc ipsum in demõstratiõe cognoscitur, dũ de subiecto demonstratur. Ex parte autem præmissarum vnum oportet præcognoscere, nempè dignitates quę extra demonstrationē sunt, his enim nõ præcognitis non fit demonstratio: opus autem est de his præcognoscere an sint, id est, veras esse, nã sicut an sit de re simplici, petit an ens sit, ita de cõplexo an sit petit an verũ sit, patet igitur, tria esse præcognita, datum, seu subiectum, quæsitum & dignitatē, duas autem esse præcognitiones an sit, quid significet.

Dignitates an veræ sint ea præmissas debent præcognosci.

Expositio verborum.

His suppositis ad textus verba accedamus, in quibus notare oportet per vnitatē intelligi subiectum seu datũ, per triangulũ, quæsitũ seu passionē, per verum est affirmare vel negare, quamlibet dignitatem. Nec decipiaris existimãs hæc ad vnam & eandem demonstrationem pertinere, vnitas enim & triangulus non ad eandē demonstrationē pertinēt, sed diuersam, vt notat Philop. Alb. & alij, nam triangulus est primum quęsitũ in Geometria, & vnitas primum datum in Arithmetica, dignitas verò illa omnibus est communis demonstrationibus.

Dubium.

Dubitabis, nonne maiorem & minorē oportet præcognoscere, cũ cõclusionis doctrina nõ nisi ex propositionũ præcognitione fieri possit, quare ergo dignitatē solã præcognoscendã docet? aliqui sub dignitate etiã ipsas propositiones intelligẽdas dicũt, q tamẽ nõ est ab Arist. mẽtem in hoc textu: quapropter diligenter aduerte, hic intendit Arist. ea præcognita manifestare, quę in ipsa demonstratione non cognoscuntur, sed ante, cũ in ea nõ reperiantur, cùm autem duo sint quæ demonstrationem præcedant, ad ipsam tamen necessaria, nempè dignitas, & quæstio (hæc enim formaliter nõ faciunt demonstrationẽ, licet sint necessaria) hæc oportet præcognoscere: reliqua enim sicut propositiones, & cõclusio vt conclusio est, in ipsa demõstratione cognoscuntur:

Solutio. 1.

Solut. alter. & verior.

ob id igitur talia præcognita assignauit.

Est autem cognoscere aliquidem.

Ilium textũ magnæ difficultatis esse varia & multiplex grauissimorum interpretum expositio cõprobat. In medium adducam ea omnia quæ dicuntur, ex his enim vtilitatẽ decerpemus, licet ad mentẽ Arist, hæ omnes expositiones nõ sint. Latini ferè omnes hunc textũ ita explicant, vt velit Aristot. explicare & docere quo ordine maior & minor ante conclusionem præcognoscantur: in præcedenti enim textu (vt diximus in dubio prępositio) ipsi existimãt Aristotelẽ inter principia præcognita maiorem & minorem cum dignitatibus annumerasse, nunc verò inter has duas præcognitiones ordinẽ assignare intendit, qui talis est, ac duplici propositione cõtinetur, quarũ altera, maior, multo tempore ante cognosci potest, quã conclusio, potest enim quis ante scire omnem triangulum habere tres angulos, quàm sciat hunc in particulari triangulum habere tres angulos: altera minor, simul tempore cum conclusione cognoscitur, non enim stat quenquã scire hunc esse triangulum, quæ minor est, quam simul sciat habere tres angulos æquales duobus rectis, quæ erat cõclusio. Notant tamen, licet simul tempore minor cum conclusione cognoscatur, prius tamen natura ipsa minorem cognosci, cùm sit causa conclusionis.

1. expo. Latinorũ.

Ex qua expositione sumunt communẽ dictum tanquàm hic traditum, Cognita maiori & minori, simul tẽpore cognoscitur conclusio, & hoc dictum limitant, docentes esse intelligendũ suppositā cognitione consequentiæ bonæ, nisi enim bonam esse consequentiã cognoscamus non opus est simul cognoscere conclusionem: & ita interpretantur Aristotelẽ cùm dicit, singularia cognoscimus inducentes, id est, illa singularia quæ in minori cognoscuntur, quæ sunt vltima, id est, minores extremitates, absque altero medio, sed simul inducentes & inferentes conclusionem cognoscimus ita expo

nunt. S. Tho. Aegid. Lincon. Paul. Appolli. & alij cum his.

Impro-bat. 1. exposi.

Hæc quidem doctrina vera est, sed pace eorum dicam, extra mentem & textum Aristotelis: nam id quod de maiori dicuat etiam de minori dici potest, vt enim minori cum maiori cognita statim cognoscitur conclusio, ita maiori cum minori posita cognoscitur conclusio: quod si dicas, maiori per se absque minori cognita, non cognoscitur conclusio, ita etiam dicam, minori absque maiori cognita non cognoscitur conclusio, & vtramque per se prius tempore cognoscere possumus, quàm ipsam conclusionem. Præterea ista doctrina est generalis omnibus minoribus, vt quid ergo Aristoteles limitauit ad singularia, quæ non dicũtur de subiecto? præterea quia verba textus non admittunt expositionem hanc, vt consideranti patere potest.

2. exposi. Philopo.

Philoponus aliter locum interpretatur, vt Aristoteles velit in hoc textu ostẽdere inuentionem etiam fieri ex præexistente cognitione, cũ superius probatũ fuerit de doctrina & disciplina, quãtum autem ex ipso Philopon. conijci potest, per doctrinam intelligit ipse cognitionẽ conclusionis, quæ per aliud medium habetur, siue à nobis inuentum, siue ab alio acceptum, per inuentionem autem intelligit cognitionem singularium, quam per nos acquirimus ex aliquo vniuersali prius cognito, vt qui scinit omnem triãgulum habere tres angulos æquales duobus rectis, perspecto aliquo triãgulo per sensum, statim cum tres angulos duobus rectis æquales habere cognoscit. Et talis cognitio inuentio dicitur, & de hac dicit Aristoteles in præsenti, quod fit ex præexistente cognitione, nempe ex ipso vniuersali prius cognito. & non per medium aliquod, sed ex ipso sensu illud singulare esse ostendente: at quia est alius modus, qui videtur esse in præexistente cognitione, ne mpè cùm prius aliquid cognouimus, & rursus illud obliuione intercedente cognoscimus, quæ recordatio dicitur, hunc modum Aristoteles in principio textus posuit, vt etiam explicaret omnes modos cognoscendi ex præexistente. tamen vt vult Philopo. ista non est cognitio, sed recordatio.

Improb. 2. exposi.

Ista est sententia Philoponi quamuis admodum obscurè ipse loquatur, nec videtur admodum literæ consona, nam Aristoteles non loquitur de cognitione illa, qua cognoscimus hunc triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, quam ipse Philopon. inuentionem vocat, sed de hac cognitione sensus, qua hunc triangulum esse absque medio percipitur.

3. exposi. Themist.

Themistius verò quem sequitur. Auer. multo aliter exponere videtur, interpretatur enim Aristotelem velle excipere duas cognitiones quæ videntur ex præexistente cognitione fieri, & non fiunt: altera est, quæ est per recordationẽ seu reminiscentiam, cum idem eodem modo, quo ante cognouimus, obliti tamen fuimus, rursus cognoscimus: atque hæc non proprie fit ex præcedenti, cum sit eadem cum præcedenti, id est, eiusdem rei eodem modo cognitę: & hoc est, quod dicit Aristot. est quædam cognoscere præ cognoscentẽ, id est, quædam cognoscimus, quæ ante cognouimus. Altera cognitio est singularium, quorum vniuersale cognouimus, hæc enim videntur ex præexistenti fieri cognitione, sed non fiunt, nam qui scit omnem triangulum habere tres angulos æquales, duobus rectis, si postea videat triangulum hunc tunc cognoscit eũ habere tres angulos æquales duobus rectis, sed non totum ex præexistente cognitione vniuersalis, sed hunc triãgulum esse absque præcedenti cognitione solo sensu percipit, sed habere tres angulos æquales duobus rectis, id mente & ex præcedenti cognoscit: proinde statim docet Aristoteles quo pacto etiam illam conclusionem singularem partim ante cognoscamus, in verbis, quæ in textu sequuntur. Ista est expositio Them. quam obscurè satis tradit Auer. nec mihi displicet, maximè enim videtur textui & sensui cõgruere, quamuis illa priora verba non sint exactè declarata, vt infra videbimus.

4. exposi. Alb.

Albertus ca. 4. aliter videtur exponere, dicit enim hic Aristotelem velle ostẽdere, quo modo conclusiones vniuersales & singulares cognoscamus: ac de vniuersalibus primò dicit, eas cognosci alia prius cognoscendo, id est, earum cognitio procedit per præmissas quæ habeant medium proprium ipsarum, sicut quando hominem risibilem per animal rationale, aut per medium proprium hominis probamus: at singulares non possunt per medium proprium probari, sed solùm per applicationem communis & vniuersalis, quod sensus sit: vt probamus hunc triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, non proprio medio, sed solum applicando vniuersale, id est, cognoscendo illum esse triangulum, & hoc est quod Arist. dicit absq; medio cognosci, id est, sine medio demõstratiuo, sicut cõclusio vniuersalis. Hæc sentit Albertus.

5. Auct. exposi.

His propositis existimo Aristotelem sic esse exponendum, vt velit ostendere ea, quæ in doctrina aliqua discursiua continentur dupliciter cognosci, docuerat enim ante ipsam demonstrationem præcedere cognitionem dignitatum, dari, & quæsiti: superest vt ostendat quo modo assentiamur his, quæ in ipsa demonstratione, seu doctrina discursiua continentur, ac docet aliqua esse quibus nõ assentimus nisi per aliquam rationem præcedentem, vt quando præmissas sumimus vniuersales, & quæ præcedente indigent probatione, qualis est maior in hoc discursu, omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis: iste est triangulus, ergo iste habet tres angulos æquales duobus rectis & hoc est quod dicit, est cognoscere, id est, aliqua cognoscimus in discursu alia cognoscẽtes, id est, propter præcedentem alium discursum. At verò aliqua sunt in discursu quæ non alias cognouimus, nec discursu præcedenti, sed solum in illo eodem discursu inducentes cognouimus, & hæc sunt singularia, quia sub vniuersali maiori subsumimus, non enim sicut ipsa maior, per discursum cognoscuntur, sed sine medio, solo sensu, vt quòd iste sit triangulus: non enim loquitur de conclusione, sed de minoribus sub vniuersali sumptis, & ista expositio iudicio meo est valdè notanda, maximè enim Aristotelem explicat, quod si hæc non placet, placeat expositio Them. posita.

Antequàm autem sit inductus. 5.

Cum præmissæ quomodo cognoscantur in discursu proximè docuerit, nunc de ipsa conclusione loquitur, ac docet ipsam conclusionem antequam inducta & illata sit, quodammodo esse cognitam & quodammodo non. Verba textus sunt notanda, dicit: antequàm sit inductus, aut acceptus syllogismus: nam cum iam minor est adhibita, siue particularis, siue singularis, quod vocat inductũ, vt quando sub illa vniuersali additur, iste est triangulus, siue vniuersalis, quod vocat acceptus sit syllogismus, vt in vera demonstratione, nullo modo ignoratur conclusio, imò perfectè scitur. at antequàm minor addatur, & syllogismus perficiatur, sed tamen vniuersales ac maiores propositiones constitutæ sunt, tunc partim scimus, & etiam partim & aliquo modo ignoramus.

Quod enim nescius si est simpliciter. 6.

Incipit declarare quo modo talẽ conclusionem aliquo modo sciamus, & aliquo modo ignoremus, idque docet in illa singulari dicens, ignoramus, illam singularem in particulari, cum nesciamus illum esse triangulum, at scimus vniuersaliter, dum scimus in illa maiori vniuersali, illum habere tres angulos: similiter de alijs conclusionibus, quas in præmissis scimus in virtute: non autem in propria forma & actu, quousque inferantur. Hæc est explicatio iusta textũ quæ cõmuniter habetur. & profectò auderem dicere ista verba sub interrogatione le

Universidad de Deusto
Biblioteca

genda sic: Quod enim nescivit si est simpliciter, hoc quomodo sciuit quod duos habeat rectos simpliciter? ac si dicat, nos in illa vniuersali simpliciter & particulariter non scire illam conclusionem singularem, nam de quo ignoramus, an sit, quomodo perfectè scire poterimus, habere tres angulos æquales duobus rectis? ac si dicat, non scimus perfectè, hûc trianguluin habere tres angulos, quousq; illũ triangulũ esse sciamus, ac ob id cõcludit in illa vniuersali maiori conclusionẽ nõ actu & in ꝓpria forma cognosci, sed vniuersaliter & in potẽtia, & hic locus est notandus, quem doctè quidem Bura. sub interrogatione interpretatus est.

7. *Si verò non Menonis ambiguitas,*

Ex modo, quo partim sciamus conclusionem antequam sit inducta, & partim nesciamus, soluit duos cauillos, vt declarat Themist. & communiter omnes: alter est Menonis apud Platonẽ in dialogo sic inscripto: hic enim probabat nõ posse cuiquam contingere scientiam per inuentionem, tali argumento, nam qui inuestigat, vel scit id, quod inuestigat, & tũc non est inuenire nec discere, cùm iam id cognoscat, si verò non scit, frustra quærit cum etiam si illi occurrat, non deprehensurus sit.

Ad hoc autem respondendum est, nos quærere & inuenire ea, quæ scieramus & cognoueramus, in vniuersali tamen & in virtute, ignorabamus autem in particulari, ac propterea id discimus, nec est absurdum nec impossibile, quemquam dicere id, quod cognoscebat, sed cognoscebat in vniuersali, discit autem in particulari, inconueniens esset, si eo modo quo sciuit, postea disceret.

Nota. Vbi aduerte discrimen esse inter Platonem & Aristotelẽ. Plato enim dicebat non sciri quicquam de nouo, sed scire esse reminisci, Aristoteles verò etiam docet prorsus conclusionẽ non sciri de nouo, sed eius cognitio in virtute præcesserit, est autem inter hæc duo magnum discrimen, nam reminiscentia est cognitio illius quod ante eodem modo & sub eadẽ forma cognouimus, obliuio tamẽ intercessit, & hic Plato existimabat nos scire de nouo: at illa cognitio vniuersalis seu virtualis quæ præcessit, secundum Aristotelem, non est quæ postea redit, sed primò rem in suo principio & in vniuersali sciuimus, postea eam in particulari discimus.

8. *Nos enim sicut quidam coniantur.*

Hic est alter cauillus, vt supra diximus secundum Themist. qui est Sophistarum volentium probare nos nõ scire, quia si sciremus, tunc esset scientia huius, omnis dualitas est numerus par, quod concedẽdum est: tum autem faciebant sophisma: tu scis omnem dualitatem esse parem, hæc, quæ est abscondita, & quam tu nõ cognoscis, est dualitas, ergo tu scis illam esse parem, quod est falsum, nam cũ nescias esse dualitatem, non scies esse parem: reijcit solutionem quorundam, ali qui enim conuicti sophismate respondebant se non scire omnem dualitatem esse parem, sed omnem eam, quam scirent esse dualitatem. Aristoteles hoc reprehendit, ac dicit absq; vlla limitatione fatendum esse omnem dualitatem sciri esse numerum parem, cuius ratio est pulchra, nam quando demonstratio illius sit, absq; vlla limitatione sit, nec præmissæ quibus demonstratur, limitantur ad has vel illas dualitates, sed ad omnes, oportet igitur respondere, non scire nos hanc dualitatem distinctè & particulariter esse parem, quousque sciamus illam esse dualitatem, scimus tamen eam incõmuni & vniuersali.

Alij ferè omnes hunc cauillum posteriorem cum eo qui Menonis est coniungunt, ac vnum faciunt, & tunc sic debet continuari, nam aliqui respondebãt ad primum argumentũ nos scire ea, quæ ignorabamus, aduersus quos erat argumentũ probans nos scire antequàm inducta sit conclusio: nam si scis omnem dualitatem esse parẽ, etiam scieus hãc quæ est in manu mea esse parem, quæ est conclusio, & tunc

tic respondebãt aliqui, quod superius diximus. Hæc circa capitis expositionem.

QVÆSTIO I.
De iis quæ in expositione textus dicta sunt.

1. argu. VT magis quæ dicta sunt elucidentur, vt moris est nostri, aliquantulum oportebit disputare, ac est argumẽtum primũ. Multæ sunt scientiæ ac doctrinæ, quæ non expræexistenti fiũt cognitione, ergo illa prima propositio est falsa: probatur antecedens, angelorũ scientia est doctrina, & tamen nõ est ex præexistenti cognitione, nam à Deo simul cum omnibus scibilibus naturalibus creati sunt: præterea multa homines discunt quę ignorabant, & non ex præexistenti cognitione & iudicio.

2. argu. Secundò contra id quod dicitur oportere de subiecto seu dato præcognoscere quid est, aut intelligitur de quid est rei, aut de quid est nominis: si dicas de quid est rei, videtur expresè contra textũ, in quo sermo est de definitione nominis, si verò dicas intelligi de definitione nominis, tũ est diminutus Arist. nã in demonstratione propter quid, oportet præcognoscere definitionem substantialẽ subiecti, nam per eam demonstramus passionem de ipso.

3. argu. Tertiò contra id quod dicitur de quęsito seu passione, supponimus quid significet, non tamen quia est, videtur hoc falsum, nam cognoscentes passiones cõuenire & esse in suis subiectis, mouemur ad quærendas causas & demonstrandum: & Philosophi ex admiratione effectuum & passionum quas experiebantur, cœperũt philosophari, ergo ante demonstrationem oportet præcognoscere passionẽ esse, sicut de subiecto.

4. argu. Quartò non est idẽ quia est subiectum, & quia est dignitas, nam alterum est incomplexum, alterum complexum, ergo sunt diuersæ præcognitiones, & ita sunt plures quàm duæ: imò quæritio an sit seu quia est solum est de simplici, de complexo enim est qualis res sit.

5. argu. Quinto non existente subiecto est de eo demonstratio & scientia, ergo nõ debet de eo præcognosci an sit: probatur antecedens, nam propositiones quarũ est scientia sunt sempiternæ veritatis, quæ semper sunt veræ: etiam si extrema non supponant.

6. argu. Sextò non potest intellectus simul plura cognoscere, cùm sit potẽtia finita, ergo non cognoscit simul maiorem & minorem cum conclusione, nã fidicas posse intellectum simul illa tria cognoscere, ãltem non poterit centum, tunc demus q; intelligat simul omnia quæ potest demptis duobus, tunc fiat syllogismus, clarum est quòd assentiet maiori & minori quia potest, sed non conclusioni, quia vtera tam non potest.

7. argu. Septimò nullus est defectus illius syllogismi sophistarum, ergo responsio Arist. nulla est: probatur antecedens, nam benè sequitur, scio omnem dualitatem esse parem, ista occulta est dualitas, ergo illã scio esse parem etiã in particulari: nõ apparet quis sit huius defectus. Hæc videntur magis examinanda in præsenti.

Ad primum. Pro solutione primi notandum superiorem esse cognitionem, doctrina ac disciplina discursiua, nam doctrina discursiua solum significat cognitionem & iudicium rei quod aliquo discursu habetur vnde non omne iudicium intellectus dodoctrina discursiua dicitur, cùm iudicii principiorum per se notorum non sit doctrina, non enim per discursum habetur, sed ipso lumine naturali, absque ratiocinio illis assentimur: at cognitio significat quodcunque iudicium, siue sine discursu, siue cum discursu habeatur, siue sit in intellectu, siue sit in sensu, quale est iudicium singularium, & tunc est sensus, omne iudicium ex discursu aliquo procedens sit ex præexistenti cognitione, id est, iudicio altero, siue hoc sit altero discursu habitum, siue absque vllo discursu, siue sit in intellectu, siue in sensu, nam

Cognitionẽ doctrinæ ac disciplinæ discursiuæ latè patere.

Angelorũ scientiam à solo Deo esse non verò discursu cõparari.

multorum vniuersalium iudicium intellectus sit ex præexistẽti iudicio singularis quod est in sensu: ex his soluitur argumentum primum, scientia enim angelorum non ex discursu aliquo habita, sed à Deo solo infusa est, præterea etiam ipsi absque discursu tes intuentur, propterea non dicitur doctrina discursiua, de qua solum dictum est, ex præexistenti fieri cognitione.

Ad secundum.

Hoc idem dicimus de illis veritatibus alijs & iudicijs quæ absq; discursu sunt, quamuis multoties latet occultus discursus & præexistens iudicium. Cùm enim credo alterius dicto, latet iudicium antecedens, viris cordatis esse credendum, & hoc frequenter accidit in his quę authoritate dicentis ratione alia non interueniente recipiuntur.

Prima ob.

Ad secundum Caietanus contẽdit per quid est, intelligẽtiam esse definitionem substantialem subiecti, hanc enim oportet præcognoscere quod per eam demõstranda sit passio de ipso subiecto in demonstratione propter quid, quæ procedit per causam, nam in demonstratione quia, qua per effectum rem demonstramus, non est opus definitione subiecti, ac ob id non opus est præcognoscere. Hæc sententia Caietani est contra omnes ferè expositores Græcos & Latinos, & contra ipsum textum Arist. vbi expressè loquitur de definitione nominis.

Nota diffẽtiam inter definitionem nominis, & rei.

Oportet in hac re aduertere multum interesse inter definitionem nominis & definitionem substantialem rei, nam definitio rei explicat rei ipsius naturam, resoluendo in omnes partes essentiæ: vnde per talem definitionem rẽ cognoscimus cognitione & cõceptu distincto, quo conceptu cognoscitur res, & omnes partes essentiæ eius: at definitio nominis solum applicat significationem nominis ad rem significatam, indicando quæ res sit quã significat, non autem rem ipsam ita explicat, vt naturam & essentiam distinctè manifestet, sed solùm cõsuetã dicit, quatenus intelligatur esse quædam res ab alijs distincta & separata, quomodo rudes recipiunt res ipsas vocabulis expressas.

Primum. Vnius rei plures esse posse definitiones nominis, nõ autẽ rei

Ex quo fit primum discrimen quòd vnius vocis possunt esse plures definitiones nominis modis varijs explicantes rem voam quam vox significat: at definitio rei vna est, cùm vnicum sit genus proximum, & differentia per quæ res definitur.

Secundum. Accidẽtis definitiões rei nõ esse perfectas nominis verò esse perfectas.

Est secundum discrimen: accidentia non habent perfectas definitiones rei, cùm enim eorum essentia sit imperfecta, & à substantia dependens, non definiuntur absq; substantia: quam definitionem Arist. 7. Metaph. ca. 5. vocat per additamentum: substantia est quæ perfectam definitionem habet, cum non desinatur per aliquid extra genus suum: definitio verò nominis tam substantiæ, quã accidentis, perfecta est, cum nominum accidentis, & substantiæ significatio perfecta sit & propria.

Tertium. Definitiõis nominis esse rẽ etiã esse rerum quæ finguntur.

Tertiò differunt, nam voces significatiuæ res veras & naturales definiuntur definitione etiam rei: at definitio nominis ineſt vocibus significatiuis rerũ tã veraꝝ & impossibilium, vt Chimæra infinitum, vacuum.

Quartum. Cõplexam habere definitionem rei posse tamen habere nominis.

Postremò differunt, nam complexa non definiuntur definitione rei, vt homo albus, cùm non faciant vnam essentiam per se, at definitur definitione nominis, nam si vestis significaret id quod hoc totum homo albus, posset definiri, vt dicitur 7. Metaph. ca 4.

2. Solutio authoris.

His suppositis, circa harum definitionum declarationem, dico primò, in omni demonstratione, quæcunque se oportere præcognoscere de subiecto quid significet, & hæc est mens Arist. in præsenti, vbi generaliter loquebatur. Dico secundò contra Caietanum multæ sunt demõstrationes, potissimum propter quid in quibus non opus est præcognoscere quid sit subiectum: & hoc profectò patet, nam Astrologi demonstrant Lunam eclipsari per suam causam, & nesciunt quæ

In demonstratione potissimum nõ semper præcognoscitur quid sit subiectũ

quæ sit natura cælorum & lunæ: demonstrant multa Mathematici de figuris, de numeris, ignorantes naturas eorum, nõ ergo oportet præcognoscere naturã subiecti, sed rem hgnificatam percipere. Dico tertiò, neque in ipsa demonstratione quæ fit aliquãdo per definitionem subiecti, ipsa definitio est præcognoscenda, nã quãuis ante conclusionem præcognoscẽda sit, nõ tamẽ ante totã demonstrationem, imò in ipsa cognoscitur demonstratione, cùm sit medium. Aristoteles autem loquitur de his quæ extra demonstrationem præcognoscuntur, ex quibus infertur hic de definitione nominis, non de definitione rei Aristotelem loqui.

Ad 3. 2. fundam. Doctrinã alij inuentione alij acquisitione haberi, & quid inter se distinguatur.

Ad tertium oportet distinguere scientiam, seu doctrinam esse in duplici differentia: quædam est, quam inuentione cõsequimur, cùm nimirum per nos ipsos speculantes ex aliquibus notionibus ad ea, quæ erant incognita nobis peruenimus, quomodo scientiarum inuentores sunt adepti scientiam & cognitionẽ rerum, quædam est scientia, quæ acquisitione habetur, quando ab alterius dictis, vel scriptis eorum, quæ ignorabat aliquis cognitionem consequitur: hæ duæ scientiæ, nempè inuenta, & acquisita non differunt ex parte obiectorum & eorum quæ sciuntur, sed ex parte modi inuestigandi & acquirendi, nam scientia quam habuit primus inuctor huius, triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, eadem est specie cum ea quã nos habemus, cùm sit eiusdem rei, & per eandem causam, sed ille per se causam inuestigauit, nos à magistro recipimus: sicut eadem est via quam duo peragunt, alter ignorans, sed ducem habens, alter etiam ignorans, sed per se perage re intendens, vnde sicut hoc est difficilius illo, quia mens vagatur & laborat studio certam viam consequendi, ita inuenire est difficillimum & multis expositum erroribus.

2. fundam. In inuentione scitũ quandoq; effectus non nunquam est causa præcedere.

Est præterea aduertendum aliã viam obseruare cum qui inuenit, aliam cum qui discit: qui inuenit semper à sibi notioribus incipit, & ab eis ad reliqua procedit ignota, siue illa sint priora, siue posteriora: at qui addiscit incipit frequenter etiam à notioribus natura & prioribus, licet ei sint ignota, cùm sit doctor, qui ea sibi manifestat faciat, neuter tamen dicitur scire quousque effectum per causam, & posteriora natura per priora cognoscat, hoc enim est scire, tem per causam cognoscere.

3 fundz. Causę in mathematicis nobis esse notiores, effectus autẽ in physica.

Est præterea aduertendum discrimen esse inter res Mathematicas, & res Physicas seu metaphysicas: in Mathematicis enim causæ sunt nobis notiores effectibus, notius enim nobis est lineas omnes à centris æqualiũ circulorum esse æquales, quam semper datam lineam æquilaterum triangulum constituere, illud tamen est huius causa: at in naturalibus effectus sunt nobis notiores causis, quippè sensibiles ferè sunt: similiter in Mathematicis quæ partim sunt Physicæ, vt in Astrologia, notius enim est eclypsim esse, quam interpositionem terræ, quæ illius est causa. Ex his fit, vt quamuis in addiscendo semper causæ præcedant effectus & passiones, in inueniendo tamen aliquando præcedant effectus, vt in naturalibus, aliquando causa, vt in Mathematicis.

In inuentione scitiarũ quandoq; effectus non nunquam est causa præcedere

3. solutio

His suppositis dico primò, in scientia acquisita, cùm causam primò cognoscamus, ac per eam probemus effectum, seu passionem ineſſe subiecto, non opus esse præcognoscere, effectum esse: dico secundo in inuentione Mathematica non etiam opus esse effectum esse præcognoscere, cùm is per causam quæ primò cognoscitur, demõstretur: dico tertiò in inuẽtione naturali effectũ esse præcognosci, cùm per eum indagemus causam: dico vltimo hoc non esse contra Aristotelem qui docuit ad demonstrandũ vniuersaliter non esse opus præcognoscere passionem esse, quod si aliquando præcognoscitur, id est in via inuentiua, non autem in via demonstratiua, de qua

Effectũ seu passionẽ esse nõ ita perfectè ac antè quàm demõstratione cognosci.

loquimur. Præterea non ita perfectè & vniuersaliter præcognoscitur illum effectum se passionem esse, sicut post demõstrationem, quod probatur ex eo quod postquàm cognouimus illum esse per inuentionem, iterum per causam eundem demonstramus.

Ad .4.

Ad quartum respondetur, non dubiũ esse, non eandem esse præcognitionem re, subiecti, & dignitatis, nam sicut aliud est ens existens, aliud ens verum, vt dicitur 6 Metaphysic. cap. 2. nec aliter quã analogicè conueniunt, ita alia quæstio & præcognitio vnius, alia alterius: at quia vnicum est ens in vtrumque diuisum licet analogum, vox tamen vna & conceptus idem, vnica est præcognitio, quia est, vtriusque: sicut quamuis substantia & accidens analogicè sub ente contineantur, tamen vna censetur quæstio, an sit de substantia & accidenti, nec instantia valet, nam quando de aliquo subiecto accidens petimus, dicitur quæstio qualis sit, at quando de toto complexo per modum vnius sumpto quærimus, est quæstio simplex an sit. Dicet, quare ergo non petimus de dignitate, quid sit? Respondet Caietanus dupliciter, primò quia non habẽt cõplexa definitionẽ re: secũdò quia nec habent secundum se definitionem nominis, nam significatio complexi est significatio partium, non sua: sed neutra solutio placet: non prior, quia vt diximus, hic non de definitione rei sermo est, sed de definitione nominis: non posterior, quia licet significatio complexi pendeat ex partibus, tamen modo alio significat complexum: propositio enim modo compositionis & diuisionis rem significat, & hoc poterit explicari nomini definitione. Propterea dico significationẽ dignitatũ esse notissimam cuilibet etiã addiscenti scientiã, cum vocabulorum illorũ significatio sit communis & vulgaris: Propterea non curat Aristoteles explicare per se hanc præcognitionẽ sed cum ea quæ est, an sit, coniunxit: at significationes subiectorum & passionum

Quomodo vna sit præcognitio, quia est subiecti & dignitatũ.

Dubium.

Solutio Caietani.

Confutatio sol.

Solut. alia auto.

Ad .5.

Ad quintum. Respondetur præcognoscere subiectum esse, est præcognoscere subiectum existere, non quod in præsenti modo existat, sed temporibus à natura statutis, quo pacto scientia est de fulgure, vento, eclypsi quæ dicuntur esse, q̃ suis temporibus existant, quamuis aliqua alia omni tempore existant, sed an propositiones essent verę, etiam si nullo tempore existant, alibi dicemus.

Ad .6.

Ad sextũ Respondetur sensum illius, maiori & minori cognitis simul cognoscitur conclusio, esse, si quis assentit maiori & minori, tales ascensus necessario efficient assensum conclusionis absque vlla mora. Quod si petas, an quando aduenit assensus conclusionis, maneant alij assensus, respondeo pro præsenti manere, nec est inconueniens aliquibus simul varijs assensibus assentiri, cùm sint per modum vnius: ad instantiam dico in illo casu, si quis assentit maiori & minori, etiam assentiet conclusioni, sed propter necessitatem huius assensus intellectus perderet aliquem assensum ex alijs octo quos habebat.

Ad .7.

Ad septimum. Respondetur Aristot. non assignasse defectum illius syllogismi, sed concedit conclusionem de scientia in vniuersali loquendo: at si inferatur de scientia particulari & impropria forma, tunc dicendum est variari appellationem verbi, cum modo vniuersali, modo significationem particulari & singulari applicet. Alij dicunt maiorem esse modalem compositam, sub qua non licet singularia subsumere, cùm persuadeine esse regulanda sit immediatè. Sed hæc de hoc capite sufficiant.

Quid sit Scire, quid demonstratio, & quæ conditiones ad eius propositiones requirantur. Quid sit propositio. Immediatum principium, ac eorum species. Propositiones magis quam conclusiones credendas esse.

CA-

CAPVT. II.

TEXT.

1. SCire autem arbitramur vnũquodque simpliciter, sed nõ sophystico modo, qui est secundũ accidẽs, cùm causam existimamus cognoscere, propter quã res est, quod illius causa est, & non cõtingere hoc aliter se habere.

2. Planum igitur, quod tale aliquid scire est: nanque & nõ scientes, & scientes: illi quidem existimant † ipsi sic se habere, scientes verò & habent.

† a.l. ipsũ.

3. Quare cuius simpliciter est scientia, hoc impossibile est aliter se habere. Si igitur & alter est sciẽdi modus, posterius dicemus. Dicimus autem & per demonstrationem cognoscere: demõstrationẽ verò dico syllogismum sciẽtialem: scientialem autem dico, secundum quem eo quod ipsum habeamus, scimus.

4. Si itaq; est ipsum scire, quale posuimus, necesse & demonstratiuam scientiã ex veris esse, & primis, & immediatis, & notioribus & priorib⁹, & causis cõclusionis.

5. Sic enim erunt & principia propria eius quòd demõstratur: syllogismus enim erit & sine his, demonstratio autem non erit: nõ enim faciet scientiam.

6. Vera quidem igitur oportet esse: quoniam non est non ens scire, vt quod diameter commensurabilis.

7. Ex primis autẽ in demonstrabilibus, quoniam non sciet non habens demonstrationem ipsorum: scire enim quorum demonstratio est, non secundum accidens, habere demonstrationem est.

8. Causas quoque, & notiora oportet esse, & priora: causas quidem, quoniã tunc scimus, quãdo causam cognoscimus: & priora, siquidem causæ: & præcognita, nõ solum altero modo: eo quòd intelligãtur, sed & eo quod cognoscãtur quòd sunt.

Priora verò sunt, & notiora bifariam: non enim idem prius natura: & ad nos prius, neq; notius natura & nobis notius. Dico autẽ ad nos quidem priora, & notiora, quæ sunt propinquiora sensui: simpliciter autẽ priora, & notiora, quę longius. Sunt autẽ longissimè quidẽ ipsa maximè vniuersalia, proximè verò ipsa singularia: & opponuntur hæc sibi inuicem.

9.

Ex primis autẽ est, q̃ ex principijs proprijs: idẽ † enim dico primũ & principiũ.

† a.l. idem autem est.

10.

Principium autem est demõstrationis propositio immediata: Immediata verò, quia non est alia prior.

11.

Propositio autẽ est enunciationis altera particula, vnum de vno.

12.

Dialectica quidẽ, quę similiter accipit vtramuis: Demonstratiua verò, quæ determinatè alteram, quoniam veram.

13.

Enũciatio autem cõtradictionis vtrauis particula. Contradictio verò oppositio, cuius nõ est medium secũdũ seipsam. Particula autẽ cõtradictionis: quę quidẽ aliquid de aliquo, affirmatio: quę verò aliquid ab aliquo, negatio.

14.

Immediati verò principij syllogistici positionem quidẽ dico, quam nõ est mõstrare, neque necesse habere docendum quippiam: quã autem necesse est habere docendũ quippiam, dignitatem: sunt enim quædã talia: [hoc enim maximè in talibus cõsueimus nomen dicere. Positionis verò, quæ quidẽ accipit vtrãlibet particularũ enũciationis, vt dico esse aliquid, aut non esse aliquid, suppositio: quę verò sine hoc, definitio: definitio enim positio quidem est: ponit enim Arithmeticus vnitatem indiuisibilẽ esse secundũ quantũ: suppositio autem nõ est: nã quid est vnitas, & esse vnitatem non idem.

] Aliqui cod. etiam antiqui addunt hæc verba: quę è domo discens emit. secundum vnamquamque scientiam: & ita videtur legere Themist. & Io. Gram.

Quoniam aũt oportet credere, & scire rem, eo quòd talẽ habemus syllogismũ, quem vocamus demonstrationẽ: est aũt hic eo, q̃ hæc sunt, ex quibus est syllogismus: necesse est nõ solum præcognoscere prima, aut omnia, aut quædam. sed magis: semper enim propter quod est vnumquodque, illud magis est, vt propter quod amamus illud amicum magis.

15.

Vide. 2. Met. tex. 4

Quare siquidem scimus per prima & credimus, & illa scimusque & credimus magis, quoniam per illa posteriora.

Fieri autem nõ potest vt credat, magis ijs quę scit, quę non est, neque sciens neque melius dispositus quam si esset sciẽs.

16.

Acci-

† Alexan. exponit credentiũ, pro creditorum.

17. Accidet autem hoc, nisi aliquis præcognoscet per demonstrationem † credentium, magis enim necesse est credere principijs, aut omnibus aut quibusdam, quam conclusioni.

Habiturum autem scientiam, quę est per demonstrationem: non solum oportet principia magis cognoscere, & magis ipsis credere, quam ei quod monstratur: sed neque aliud ipsi credibilius esse, neque rotius his, quę sunt oppositа principijs, ex quibus erit syllogisimus, qui est contrariæ deceptionis: siquidem oportet scientem simpliciter à credulitate impermutabilem esse.

1. *Scire autem opinamur vnumquodque simpliciter. sed non sophystico modo, &c.*

SCopus & finis huius capitis est in generali describere ea, ex quib⁹ demõstratio conficitur, & in quæ resoluenda sit, postquam in capite præcedenti statuit esse demonstrationem, cùm doctrina ex præcedente cognitione fiat, caput autem diuiditur in quinque partes, secũdum numerum eorum quæ ad demonstrationem sunt necessaria.

Cur quid scire sit ante demonstrationẽ tradiderit.

Ante omnia verò, quid scire sit explicat, & meritò, cùm enim optima via construendi, & cognoscendi instrumẽta sit, ipsum finem in quem ordinantur cognoscere, iuxta finem namque media sumuntur: finis autem demonstrationis sit scire, oportuit primo explicare quid ipsum sit, vt rectius demonstratio, quæ instrumentum est quo scimus, manifesta fieret.

Scire & demonstratione tribus modis distingui.

Differunt enim demõstratio, & scire, vt notat Philopo. tripliciter, primo scientia est ipsius demõstrationis effectus & finis: demonstratio instrumentum est & modus quo scientiam rei consequimur: secundo notius est quid scire sit, cùm omnes ferè id intelligant, quam demõstrare, quod non omnes quid sit percipiunt: tertio scire est vniuersalius, cùm etiã sine demõstratione sciamus: est enim scientia immediatorum principiorum, est etiam scientia per definitionem.

Describit igitur in principio Aristoteles ipsum scire, nempe scire est rei cognoscere causam per quam est, & quod illius est causa, & quod non potest aliter se habere: tria secundum Auerroem hic petuntur vt scire dicamur, primo vt rei causam cognoscamus, talem autem causam vt sit causa in esse, & non solùm causa cognitionis, quomodo sumus posset dici causa ignis, quia per eum ignem cognoscimus: hæc autẽ causa quæ necessaria est ad scientiam debet esse causa etiã esse rei, ac ob id dicitur, propter quam res est: secundo vt talem causam effectui applicemus, id est, sciamus huiusmodi causam illius rei esse causam: si enim causam rei cognosceremus, & non illam causam esse rei illius intelligeremus, non diceremur scire: tertio quod non contingit aliter se habere.

Vt scire dicamur tria ex sẽtia Auerr. requiri.

Hoc tertium aliqui exponunt, vt res quæ scitur, aliter se habere non possit: nam scientia non est propositionum cõtingentium, sed necessariarũ. Alij verò aliter, & benè, inter quos est Albertus, dicunt hoc cadere supra necessitatem illationis, vt sit sensus, non contingit aliter se habere, quin posita causa ponatur effectus, tunc enim scimus, cùm per talem causam scimus. Philoponus melius exponit, nempè non est contingere aliter se habere, id est, non potest res absque tali causa esse, nec similiter poni causa quin talis sit effectus: Hæc igitur necessaria sunt vt scientiam consecuti dicamur.

Nota. Scire sophysticũ & scire modo sophystico quo distinguantur.

Aduerte autẽ hoc dici simpliciter, id est, propriè & perfectè scire, & nõ modo sophystico: Notat Philopon. & Themist. aliud esse scire sophysticum, aliud modo sophystico: scire sophysticum est cognitio procedens ex argumento fallaci & deceptorio, quæ fallacia vocatur accidentis, quia ipsa est præcipua qua vtuntur sophystæ, & ad quam reliquæ reduci possunt

possunt, & ita scire ipsum dicitur secundum accidens, est autem hæc accidentis fallacia, propter vicinitatem accidentis cum subiecto, tribuere vni quod non nisi alteri inest, vt si dicas, omne album est color, nix est alba, ergo nix est color: hoc est scire sophysticum: at scire sophystico modo est, non per causam, sed per aliquod accidens procedere, etiam si ratio sit probabilis, & non sophystica: vnde per scire modo sophystico siue secundum accidens, intelligit quãcunque cognitionem discursiuam, quæ non est per causam.

2. *Manifestum igitur erit, quoniam, &c.*

Definitiões nonnunquam quomodo probentur.

Probat prædictam descriptionem ex communi modo loquendi omnium, sic enim nominis definitiones & descriptiones, qualis hęc est, probari debẽt: omnes enim tam ignari, quàm sapientes tunc opinantur se scire, cum rei causam se habere existimant, nec in rei cognitione quiescunt, quousque causam teneant, licet differant ignari à sapiẽtibus: ignari enim non veras causas habent, sed quas solum opinantur esse causas: at sapientes habent causas quas opinantur esse causas, & verè sunt, vterq; tamen se scire opinatur, cum causam habet. Et notaverbum, opinatur, est enim commune scienti, & nescienti, quia vterque opinatur se scire, cum causam habet, licet per opinionem sapiens etiam verè sciat, rusticus verò non.

3. *Quare cuius simpliciter est scientia, hoc impossibile aliter, &c.*

Si expositionem Latinorum obseruamus, Aristoteles ipsum scibile seu obiectum scientiæ, definit, vt sit sensus: illud scitur, quod aliter se habere non potest, id est, quod simpliciter est necessarium, & omni tempore, vt homo est risibilis, triangulus habet tres angulos, vel quod vt posita terræ interpositione necessaria est eclypsis, & tunc illud, quare, non illationis, sed continuationis sermonis legunt. At mihi magis placet expositio Auerrois, vt ex probatione præcedenti velit Aristoteles inferre, non posse alio modo scientiam alicuius haberi, quam prædicto, nempe per causam: & huic subnectit, si quis alius est sciendi modus posterius dicetur, qui nempe modus non sit per causam. Auerroes per hunc modum intelligit definitionem, secundum quam rem incompletè scimus: de qua tractaturus est libro secundo Posteriorum, sed melius mihi videntur exponere Themist. & Philopon. vt per hunc sciendi modum intelligat cognitionem principiorum immediatorum, quæ non sit per causam, sed ex se ipsis cognoscuntur ipsa, quamuis non præter mentem Aristotelis possemus etiam exponere per hunc modum intelligi demonstrationem quia, nempe scientiam quæ ab effectu sumitur, de qua primo Posteriorum, cap. 10. agitur.

Dicimus autem scire & per demonstrationem, &c. 4.

Aliqui Latini hanc versionem considerantes existimarunt hanc esse aliam descriptionem ipsius scientiæ, nempe scire est per demonstrationem intelligere: at ille sensus est præter sensum Aristotelis, Græce enim nõ habetur, nisi, per demõstrationem cognoscimus, ac si vellet Aristoteles dicere, postquã quid sit ipsum scire explicui, volo te intelligere demonstratione nos scire, & ipsam esse scientiæ instrumentum & modum: oportebat enim vt ipsam demonstrationem coniungeret cum suo fine, cum demonstrationis declarandæ causa ipsum scire definierit. Posles autem dubitare quę est illa demõstratio per quam cognoscimus, respondent esse syllogismũ scientificũ, id est, quem habentes, scimus. Nota causam finalem, & per talem causam definitionem, scilicet demonstratio est syllogismus faciens scire, id est, per quem habemus causam rei veram, vt exponit

Auerr.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Auerro, non causam cognitionis solam, aut causam fictam, vt per reliquos syllogismos fieri solet.

Si igitur est scire, vt posuimus.

4. Hæc est secunda capitis particula, in qua Arist. ex ipso scire colligit q̃ alis sit demõstratiua scientia, quæ demõstratione habetur, ac subinde quid sit ipsa demonstratio, dicit igitur, si tale est scire quale dictum est, profectò demõstratiua scientia est ex veris, primis, & immediatis, prioribus, notioribus, & causis cõclusionis: vnde sumitur definitio materialis demonstrationis à fine demonstrata: demõstratio est syllogismus procedens ex veris, primis, & immediatis, priorib', notioribus, & causis cõclusionis. Aduerte autem hic per scientiam demõstratiuam intelligi posse ipsum scire, quod est effectus demõstrationis, idem notat Albert. tract. 2. cap. 2. & Linco. dicentes, ex, posse sumi pro causa materiali, & etiam effectiua, secundum quod per demõstrationem ipsum syllogismũ demonstratiuum possumus intelligere, aut per demonstrationem, ipsam scientiam demõstratione acquisitam, melius autem interpretabimur, si per eam intelligatur ipsa demõstratio, quę scientiam efficit, & ipsius est via & modus: singulas huius partes postea Arist. discutere incipit.

Sic enim principia erũt propria eius, &c.

5. Græci & Latini exponunt hic Arist. satisfacere cuidã obiectioni, nã vt sit scientia alicuius, debet ex causis proprijs, non ex generalibus & communibus procedere, non enim scit nisi qui causam propriã tenet: vnde non scit hominem respirare qui ob id scit, quia animal est, nisi sciat quia pulmonem habet: hęc enim est propria causa: oportebat igitur dicere demõstrationẽ procedere ex proprijs: ad hoc velut respõdens, dicit, si demonstratio ex his, quæ dicta sunt, procedit, etiã ex proprijs procedet, vera enim prima & exterra, erunt etiam propria. Auerroes aliter exponit, & melius: vt dicat Arist. sic erũt propria eius quod demonstrandum est, id est, si vera sunt principia, & propositiones similiter primæ, priores, notiores, & causæ, erunt propriæ, id est, accõmodatæ, & aptæ ad demõstrandum: quasi dicat, si aliter se habuerint, nõ per ea quic quam demõstrabitur, quamuis syllogizari posit: ac propterea subiunxit. syllogismus quidem erit, etiam si non ex his proceda t, nõtamen demonstratio. Nota ex Themist. posse syllogismum procedere ex falsis, & ex his verum inferre, sequitur enim omnis lapis est animal, omnis homo est lapis, ergo omnis homo est animal, non tamen demõstratio: prętera posse syllogismum procedere ex effectibus, nõ tamen demonstrationem, vt omne risibile est animal rationale, omnis homo est risibilis, ergo omnis homo est animal rationale: præterea potest syllogismus ex causis nõ proprijs procedere, nõ tamen demõstratio, vt si Chirurgus probaret vulnus circulare difficilius curari, quia figura rotunda habet latera distantio, cum sit capacissima nõ esset hoc demõstrare, quia causa est Geometrica, non ipsius propria, potest igitur syllogismus esse, licet ex his non procedat.

Syllogism ex falsis verum posse colligere, nõ autẽ demõstrationem.

Vera quidem igitur oportet esse. 6.

Incipit singulas definitionis partes discutere, ac primò quod procedat ex veris ratio est, quia quod non est, non scitur, id est, vt dicit Philop. falsi non est scientia, vt, non est scientia, diametrum esse commensurabilem costæ, quia id falsum est, dices vnde sequitur? quia scientia est verorum, propterea demõstrationẽ ex veris procedere: nonne ex falso etiã infertur verum, vt superius diximus? dico, verum quidem ex præmissis falsis sequi quantum ad vim illatiuam, & propter syllogismi dispositionem, sed non sequitur quantum ad vim probatiuam, & tãquam ex causa, quia quod non est, quomodo potest esse causa, aut probare id quod est? cum igitur in demõstratione non solum in vi vis probatiua quæcunque præter illatiuam, sed etiam probatiua per causam rei, non poterit in ea verum nisi ex

Verum qđo ex falsis sequatur.

ex verò procedere, & ita docet Arist. lib. 2. Priorum, cap. 2. vbi hæc ipsemet fatetur de demonstratione.

Ex primis autẽ & indemonstrabilibus.

7. Partem aliã definitionis explicat, nempe quod procedat ex indemõstrabilibus sensus est, quoties aliquid demonstrandum proponitur, tales propositiones adducendæ sunt, vt ipsæ iam alia demonstratione nõ egeant: quod si aliquãdo accideret per propositiones demõstrabiles demonstrare, non erit perfecta demonstratio, quousq; hæ per indemõstrabilia tandem demonstrentur: & hoc est, quod dicit, quod non sciet, qui ipsorum demõstrationem non habet, sensus est, non quod ipsa demonstrentur, sed qui ipsorum demõstrationem non habet, id est, qui per ea non demonstrat. Vbi aduerte, hic non negare Arist. eam esse demonstrationem, quæ per demonstrabilia, vt malè putauit Auer. probat, est enim ista demonstratio, animum esse impassibilis substantiæ, quia est immortalis, licet demonstretur etiam esse immortalis, sed non erit ista perfecta demõstratio, quousq; illæ per vltimas demõstrentur, quæ iam amplius non valeant demonstrari, quæ expositio est D. Tho. & Philippo. & hoc patet ex Arist. 1. Top. ca. 1. vbi dicit, demonstrationem procedere ex primis & veris, aut ex his quæ per prima & vera fidem sumpserunt: quo in loco illam esse demonstrationem fatetur, quæ ex demõstrabilibus procedit, cognitis tamen & per indemonstrabilia demõstratis. Probat autem Arist. quod opus sit per indemonstrabilia tandem demonstrare, virtualiter autem est hic supplendus discursus: non scitur conclusio nisi sciantur præmissæ, sed præmissæ cum demonstrabiles sunt, non sciuntur nisi demõstrentur, nec illæ nisi per prima, & immediata, ergo non contingit sine his demonstrare perfectè, minorem probat, quia scire demonstrabilia, est ipsorum habere demõstrationem, ergo propositiones demonstrabiles sine demonstratione nõ sciuntur, dixit autem scire quæ demonstrationem habent, nam quæ non demonstrari possunt, sicut ipsa prima, absq; demonstratione sciuntur.

Demonstratione ex demonstrabilib' propositionib' etiã cõponi.

Dubitabis, quare dixit prima & indemonstrabilia? Philop. duas adfert solutiones, quas possumus ad vnã reuocare, quia nempe sunt aliqua prima, sed nõ indemõstrabilia, vt animum esse immortalem est prius quam esse impassibilẽ, sed non est illud indemonstrabile. Prętera aliquid est indemonstrabile, sed non est primũ: nam vestem esse candidam, indemonstrabile est, cũ sit per accidens. & nõ est primũ: propterea Arist. vtrumq; conIunxit, melius tamen est si dicamus per primũ intelligi principiũ, vt ipse Aristo. paulò inferius dicit, & tunc cũ Buran. oportet legere absq; cõiunctione, scilicet ex primis indemonstrabilibus. Dubiũ. 1. Solutio.

Dubitabis, quid per ista prima indemonstrabilia oportet intelligere. The. Alber. & Philop. intelligunt dignitates ipsas, quæ proloquia, & profata dicẽtur, hæc enim sunt prima, ex quibus demonstrationes procedunt, & in quibus sistunt & finiuntur: at quãuis hoc probabile sit, possumus melius cum Auerroe intellegere ipsas propositiones quę in ipsa demõstratione sumuntur, quæ primæ sunt, cũ iam amplius non valeant demonstrari: & profecto videtur esse hæc mens Arist. qui loquens de primis, dixit, nõ scire, nisi qui per hæc demonstrat, sed per dignitates non fit demonstratio, sunt enim principia extrinseca, ergo nõ de his oportet intelligere: prętera quia paulò post explicans quid per prima intelligat, dicit, principia propria, sed dignitates sunt cõmunes pluribus demõstrationibus, ergo non de his loquitur in hoc verbo. Dubiũ. 2. Solutio.

Causas quoq; & notiora oportet esse, &c. 8.

Prosequitur probare reliquas definitionis partes, & quia duæ sequentes ex vltima pendebant, incipit eam probare, nempe quòd procedat ex causis: cum enim demonstratio faciat scire, & scire sit rem per causam cognoscere, sequitur eã proce-

procedere ex causis: & ex hoc patet q̃d etiam procedat ex prioribus, nam causę priores sunt effectu, subdit debere esse notiores non solum altero modo, id est, quantum ad quid significant, sed etiam quantũ ad quia sunt, vt exponunt Philo. & Themist. non enim solum propositiones oportet cognoscere & apprehẽdere quid significent, sed etiam quòd sint veræ iudicare: in quo loco apparet id quod supra diximus contra Caietanum, complexa habere nominis definitionem, apparet etiam contra Themist. non hoc esse intelligendum de dignitatibus, nam de his solum quia sunt oportet intellige re, vt superius dictum est.

Cõplexa habere etiã nominis definitionẽ

Dubitatur cum dictũ fuerit demõstrationẽ procedere ex primis, superfluũ videtur addere ex prioribus. Phil. Respon. per priora hic intelligẽda esse proxima, ex enim sunt causę priores, quę proximę sunt & propinquæ effectui: at hoc nõ videtur correspõdere menti Arist. nam in textu per hoc, quod ppositiones sunt causæ, probat debere esse priores: quę probatio esset nulla, si per priores, proximas intelligeret, non enim sequitur si est causa, quod sit proxima. Alb. Resp. & secundũ expositionem Themi. etiã oportet dicere, quod nõ de eodẽ dicuntur illa duo, scilicet prima, & priora, sed prima dicuntur dignitates & proloquia ex quibus procedit demonstratio: at dicũtur priores propositiones ex quibus tãquam præmissis demonstratio cõficitur, & est bona solutio; tamen secundum expositionem nostram dubium non est, nam per primũ intelligebamus principium.

Dubium

Solut.

8. *Priora autem & notiora dupliciter sunt.*

Cum propositiones priores & notiores ostẽdisset, quia id multipliciter euenire potest, nẽpe vt aliquid sit prius & notius, distinguit, sunt enim quędã notiora & priora natura, quædã notiora & priora nobis, non enim hęc eadẽ sunt, sed opponuntur, priora & notiora natura sunt vniuersalia, quę à sensu remota sunt: priora verò & nobis notiora sunt singularia. Hic textus est obscurus satis, occurrunt enim aliquot circa ipsum dubia.

Primũ, quo modo hic vniuersalia notiora natura asserit, cum. 1. Physic. cap. 1. vniuersalia nobis notiora doceat? Dubiũ 1.

Præterea quomodo hic opponi notiora nobis, & natura dicitur, cum. 1. Physi. ca. 1. eadem esse tradat? Dubiũ 2.

Præterea qua ratione ista distinctio assignatur, non enim videtur quid ex ea colligi possit. Multæ sunt sententiæ, tamẽ duæ mihi videntur dignæ vt proponantur, vt vna aut altera eligi possit, prius tamen terminos, prius nobis & natura, intelligere oportebit. Dubiũ 3.

Aduerte igitur, quemadmodum natura non simul producit omnia, nec simul omnibus dat esse, sed ordinem quẽdam obseruat, vt quibuldam prius, quibusdam posterius det esse, atque hic ordo naturę dicitur: ita & noster intellectus nõ simul per se omnia cognoscit: sed quędã prius, quædam posterius cognoscit: atque cum nõ eundẽ obseruet semper ordinem quẽ natura, fit vt aliud sit prius natura, aliud nobis, priora natura scit quæ prius esse sortita sunt, qualia immaterialia respectu corruptibilium, causæ respectu effectuum, partes respectu totius, simplicia respectu compositorum ex eis: priora verò nobis sunt, quę occurrunt prius nostrę cognitioni, sicut sensibilia priora immaterialibus, composita simplicibus, totum partibus, & aliquando effectus causis. Hinc est quod illa dicuntur notiora natura, id est, ex se prius cognoscibilitatem sortita, cum enim prius habuerint esse, inde cognoscibilitatem, si non esset defectus ex parte nostra, qui alligati sensibus magis natura posteriora cognoscimus. 1. Fundã. Naturã in omnibus rebꝰ quædam tenere ordinẽ.

Hoc igitur supposito est prima expositio Auerr. per singularia oportere hic intelligere composita sensibilia, & quæ eis proxima sunt, at per vniuersalia ipsas causas, & causas causarum, quæ ob id vniuersales dicuntur, quia multos effectus producãt, sicut materia, forma, primum ens, & ita interpretatur vniuersalia longinqua 1. Expoſitio.

longinqua à sensu, nam causæ occultæ sunt, composita verò sensibilia proxima sensui propter eorum accidentia, quę sensu percipiuntur, nec hic locus cõtradicit alteri. 1. Physic. hic enim est sermo de vniuersalibus in prædicando, quæ nobis notiora sunt. Hæc expositio probabilis est, & possumus eã secundum dubiũ ipsius doctrinam respondere ad secundũ quomodo. 1. Physic. dicit, eadem aliquando esse nobis nota, & natura: id enim intelligẽdum est de causis mathematicis, quæ notiores sunt effectibus: hic verò locus est de causis sensibilium, quæ ignotiores sunt nobis effectibus, quæ omnia capite præcedenti explicuimus.

2. Expo. D. Tho. verior. Vniuersale duobus modis posse spectari.

At S. Thomas & Aegid. cui videtur cõsonare etiam Themistius, aliter exponunt. Propterea aduerte per vniuersalia hic vniuersalia in prædicando intelligi, per singularia verò indiuidua sensibilia: possunt aũt vniuersalia dupliciter comparari, aut ad ipsa singularia indiuidua, aut inter se, secundum quod vnum est magis vniuersale altero: tunc dicitur primo, si vniuersalia ad indiuidua comparentur, & loquamur de cognitione nostra in communi, siue sit intellectiua, siue sensitiua, indiuidua & singularia nobis sunt notiora: patet, quia prima cognitio nostra est sensus, qui incipit à singularibus, vniuersalia namque ab intellectu post sensum percipiuntur: & hoc est quod hoc loco Arist. voluit, vt verbo manifestant: dicitur secundo si vniuersalia inter se cõparentur, tunc vniuersaliora nobis sunt notiora, & hoc docet. 1 Physic.

5.

Ad 1. dubiũ &. 2. dubiũ.

Ex hac expositione soluitur secundum dubium, & pariter primum. Respondetur enim. 1 Physic. dici aliquando eadem nobis & natura esse notiora simul propter mathematicas causas, vt diximus: hic aũt dicũtur opponi relatiuè, nẽpe singularia, & vniuersalia: aut per opponi possumus intelligere diuersa esse & nõ eadẽ.

Ad 3. Ad tertiam dicitur, ad hoc Aristo. hæc distinxisse, vt ostenderet demonstrationem non ex singularibus, quæ nobis notiora sunt, procedere, sed ex notioribus natura, nempe ex vniuersalibus, nec hoc impedit quo minus ex nobis & natura notis posset demonstratio procedere, cum & vniuersalium quędam nobis nota sint. Hæc expositio mihi magis placet.

9. *Ex primis aũt est, quod ex propriis.*

Regreditur Aristoteles, vt verbum illud, primis, explicet ac declaret, dicitur que per prima intelligi principia, vbi nota, adnixisse, propria, vt indicaret non quæcunque prima se dixisse, sed quę propria & particularia sunt conclusioni demonstrãdæ, quales sunt immediatæ præmissæ, vt diximus. At si per prima dignitates intelligamus tunc propterea additum, vt intelligamus dignitates esse cõmunes multis demonstrationibus, & nõ esse vsui singulis, nisi limitentur secundum terminos particularium demõstrationum, vt dicitur 1. Met. ca. 3. & nos dicemus inferius, quam expositionem tetigit Auerroes.

10. *Est autem principium demonstrationis.*

Hæc est tertia capitis pars, in qua describit ferè omnia demonstrationis principia: & quia primũ, id est, principium interpretabatur, definit quid principium sit, dicẽs, principiũ est demõstrationis ppositio immediata, & iterũ immediata est qua nõ est altera prior. Alb. distinguit immediatã propositionem & respectu conclusionis, & respectu propositionum: alia est immediata respectu cõclusionis, quæ proximam causam continet illius, ita vt non sit alia propinquior, sicut immortalem esse animũ, est proxima causa, quòd sit impassibilis. Ea autem est immediata respectu propositionum, quę causam dicit, quæ vlterius per aliam antecedẽtem non potest demõstrari, sicut dignitates, & propositiones quibus definitio de definito prædicatur. Dubitat verò Albertus, quomodo hic sumatur, sed dubium non est, quin modo posteriori, nẽpe pro ea, quæ in demonstrabilis est, hæc enim principium dicitur. Aduerte ex Themistio, non sat fuisse dixisse est propositio imme-

Propoſitionem duobus modis dici immediatam.

Universidad de Deusto - Biblioteca

immediata, sed addere oportuit demonstrationis: nam sunt immediatæ aliæ, vt vestis est candida: quę principium nō est, quia ad demonstrationem non est apta, quod cōtingēs sit, & sensui videtur.

11. *Propositio est enunciationis altera pars.*

Quia principium per propositionem descripserat, nunc propositionem describit: est autem propositio enunciationis altera pars, vnum de vno. Notat Auerr. & Philop. discrimen inter hęc tria, enunciationē, q̄stionem, & propositionem, & addere possumus conclusionem: enunciatio dicitur oratio rem verè, aut falsò significans, nec alteri, quam rebus comparatur, at quæstio est enūciatio per modum interrogationis proposita, quæ iam probata dicitur conclusio: propositio verò dicitur, vt est præmissa, seu principium, ex quo aliquid probatur, vnde enunciatio superior est his, omne, enim verum ac falsum significat, ac propterea hic dicitur ꝓpositio vna pars, id est, vna species enunciationis, additur vnum de vno scilicet significans, propter eas, quæ ex æquiuocis conficiuntur, quæ plures enunciationes potius, quam enunciatio dicuntur, vt diximus in lib. Periher.

Enunciationē, q̄stionem, ꝓpositionē, conclusionē, inter se distingui

12. *Dialectica quidem est similiter accipiens*

Duas propositionis species constituit, dialecticam: id est, topicam & demōstratiuam: dialectica est accipiens similiter quamlibet scilicet partem enūciationis: ac si dicat, est ꝓpositio, siue vera, siue falsa, siue affirmatiua, siue negatiua: dicit accipiens quia dialecticus cum probabiliter procedat, ac ex probabilibus syllogizet, petit à respōdente propositiones aliquas, ex quibus procedat: ac propterea dicitur accipiens: dicitur similiter, quia Dialecticus nō magis vnā partem, quàm alteram eligit, dūmodo probabiles sint: Hinc apparet natura syllogismi dialecti ci, procedit enim ex quibuscunq; propositionibus tā veris quam falsis, dūmodo probabiles sint: prętera probat quācunque portem quæstionis, dūmodo sit probabilis: statim definitur ꝓpositio demōstratiua, nempe enūciatio quæ ad vnum est determinata, nempe ad verum: ac si dicat, demonstratiua propositio non est quælibet, siue vera, siue falsa, sed quę vera est & necessaria, vnde colligitur natura demonstrationis, non enim ex quibuscunque procedit, sed ex veris & necessarijs, nec probat quamcunque quæstionis partem, sed veram & necessariam.

13. *Enūciatio aūt contradictionis qualibet.*

Describit enūciationem, quam in descriptione ꝓpositionis sumpserat, est autem enūciatio contradictionis vtraque pars, id est, oratio, tam affirmatiua, quam negatiua, non quod simul vtraque pars dicatur oratio, vt vult Paulus Venetus, sed quælibet per se: explicat autē singulas partes, primum contradictio est oppositio, cuius non est medium secundum se: dicitur oppositio, quia in cōtradictione, sunt duo extrema repugnantia, sicut in alijs oppositis: dicitur, cuius nullum est medium, nam alia opposita habent medium in proprio subiecto, vt album nigrum habent fuscum, aut in extraneo subiecto, nam lapis non est cæcus, nec videns, nec sanus, nec æger: at cōtradictoria nullum medium habet, nam de quolibet est verū, aut affirmare, aut negare. Vide caput de oppositis, in quo diximus multa de his: dicitur, secundum se, quia reliqua opposita fundantur in contradictione, nam vnum oppositum dicit virtualiter alterius negationem, & ex hac parte medium non habent: at id non secundum se, sed vt at contradictoria reducuntur: at ipsa contradictoria secundum se medio vacant: statim partes contradictionis explicat, nempe affirmatio, quæ aliquid de aliquo enunciat, negatio verò quæ aliquid ab aliquo diuidit.

14. *Immediati autem principij syllogistici.*

Hæc est quarta pars capitis, qua immediata principia demōstrationis, quæ hactenus in tertia parte descripserat, diuidit: est enim duplex principium, & quod non est demonstrare, nec est necesse prę habere docēdum, & hoc positio dicitur, & etiam,

& etiam, quod non est demonstrare, tamen est necesse prę habere docēdum, in cuius gratiam adducte, in demonstratione non continentur ea omnia, quę ad generandam scientiam sunt necessaria, sed opus est, vt animus dispositus sit alijs etiā principijs, vt demonstratio in eo scientiam faciat: sunt autem hæc principia in duplici differentia, quædam quæ absque vlla demonstratione cognoscuntur, sed solo lumē naturale ea docet esse vera, adeo vt si semel quid significent apprehendimus, statim illis acquiescamus, & hæc dignitates dicuntur, & communes animi conceptiones, sine his enim non fit demonstratio, ipsę tamen absq; demōstratione cognoscuntur.

Demonstrationem nō omnia cōplecti quæ ad generationē scientiæ requirunt.

Dubium

Dices, quare necesse est vt hæ cognoscantur ante quam scientiam doceamur?

Solut.

Respon. cum Philop. quia sunt per se notæ & non opus est arte aut magistro esse tiori, vt eis assentiamur, sed lumen intellectus nostri solum est magister, ac obid cum tali cognitione ad artes discendas accedimus, & est optima respōsio, possumus tamen respōdere aliter, propter quā aduertere oportet has dignitates vt plurimum cognosci in materia vniuersaliori, quam sit ea, quam artes particulares tractant: nam omne totum est magis parte, & similia, non solum rebus geometricis, sed etiam alijs insunt, propterea non est illius artis hæc docere: dices, cuius igitur erunt artis? Respon. Aristo. 11. Meta. cap. 3. & 4. Metaphysi. c. p. 3. id esse Metaphysici, qui communia tradit.

Obiect.

Dices, ergo nō poterimus accedere ad artes alias, quæ his indigent principijs sine Metaphysica: dico, & nota, nullę artes habet res ita sui proprias, quin aliquibus earum ablq; vlla arte possimus alicuius: hoc tamen non efficit, vt illius artis esse definat: ita se habet hęc principia, quę ad Metaphysicam pertinent, licet sine Metaphysico habitu cognoscantur perfectè.

Dilutio.

Ex his sic manifesta definitio dignitatum, nempe principium, quod non est demonstrare, sed est necesse prę habere docendum. Alia sunt principia, ex quibus demonstrationes procedūt, sunt tamen magis particularia, quę positiones dicuntur, vt à puncto in punctum linea duci potest, in quolibet cētro circulum describere. Hæc autem principia in tribus differūt à dignitatibus: dignitates enim nunquā demōstrari possunt, at positiones nō demōstrantur in illa scientia cuius sunt, possunt tamē in alia scientia demōstrari prætereà dignitates sunt communes pluribus artibus, at positiones sunt ex materia peculiari illius artis: ac propter hæc duo definit eas Aristo. esse principia quæ non demonstrantur, nec est necesse præ habere docendum, nam propria ars quę libet declarat: prętera dignitates nulla via oportet probare, at positiones probātur, licet non demonstratione, inductione tamen aliqua, & exemplo manifestantur, cum non statim ex terminorum apprehensione cognoscantur, sicut dignitates. Hæc igitur principia hic Arist. manifestat, ex quibus demōstratio procedit.

Positiōes à dignitatibus tribus modis differre.

Positiōes vt dicant probari.

Statim positionem subdiuidit in eam, quæ propositio est, & rem esse, aut non esse significat, & hæc suppositio dicitur: & eam quæ non significat rem esse, aut non esse, & hæc definitio est: definitio enim nō est propositio, est tamē positio, nam in scientijs ponuntur definitiones subiectorum, & eorum de quibus tractāt tanquam principia: nam in Geometria ponuntur definitiones lineæ, puncti, superficiei, & aliorum: in Arithmetica ponitur definitio vnitatis scilicet quod est indiuisibile secundum quantitatem. Hic aduerte, inter suppositiones esse præmissas demonstrationis cuiuslibet, quæ supponuntur ad scientiam cōclusionis, sicut suppositiones aliquę communes in scientijs supponuntur ad scientiam multarum demonstrationum.

Præmissas cuiuslibet demōstrationis esse suppositiones.

Dubium

Hic est dubium, quomodo Arist. definitionem vocat positionem, cum positio sit principium, & principium propositio, at definitio non sit propositio. The mist dubium hoc proposuit, sed alijs dis-

curiendum reliquit, forsan quia existimauit Aristot. in hoc dormitasse. Albertus respondet docendo, non omnem positionem esse propositionem, sed nō respondet ad Aristot. qui positionem principium dixit, principium verò per propositionem definiuit S. Thomas respondet definitionem quidem secūdum se nō esse propositionem, sed ea cognita facilè esse propositionem constituere. Philopo. respondet sumendam definitionem applicatam cum definito, quod in propositione fit, ac ob id definitio propositio dicitur: at quia Aristo. dixit, non significare esse, aut nō esse explicat, talem propositionem definitionis non prædicare aliud esse prędicati de subiecto, sed idem prorsus, ac ob id dicitur non significare esse vel non esse. Auerroes tandem admittit definitionem sumendam cum definito, quod in propositione fit: sed dicitur non significare hanc propositionem esse, aut non esse, id est, existere, quia re vera illæ definitiones, quæ positiones dicuntur, sunt nominis, definitiones verò nominum, etiam si cum definito propositionem faciant, non ponunt rē esse, aut non esse, sed significationem manifestāt: hoc intellige, frequentius ita esse, nam etiā definitiones rei positiones dicitur: quælibet enim scientia definitionem sui subiecti non demonstrat, sed supponit: & ita tollitur omnis contradictio.

Solutio.

Definitio quo non significet esse vel non esse.

15. *Quoniam autem oportet credere.*

Hæc est vltima capitis pars, in qua Aristo. probat id quod superius dixit, nempe propositiones esse notiores conclusione & probat primo cognosci, postea cognosci magis, & tandem cognitionem propositionum aut esse scientiam, aut aliud genus cognitionis melius quam scientiā: argumentum autem huiusmodi est, quia demonstrationem tenemus & cognoscimus, scimus rem, sed demonstratio est præpositiones ipsæ, ergo quia tales propositiones cognoscimus, rem & conclusionem scimus: secundo, his propter quæ alijs credimus, magis credimus: sed propter propositiones, vt probatum est, cōclusioni credimus, ergo præmissis magis credimus: maior patet, propter quod enim vnumquodque tale est, illud magis est. Hic aduerte Arist. dixisse, quod oportet omnibus, aut quibusdam propositionibus magis assentire, quia vt notat Philop. aliquādo accidit propositiones esse demonstrabiles iterum, & tunc est scientia illarum, sicut & conclusionis, cum per aliud cognoscantur: quamuis vt benè dixit Albertus, quatenus per illas propositiones etiam si demōstrabiles alijs assentimur, magis eis assentimur.

Non potest autem credere magis quæ non scit. 16.

Hic Arist. probat propositionum cognitionem aut esse scientiam, aut aliam meliorem cognitionem, quàm sciētiam: & hæc litera est corrupta, cum non sit ita græcè: oportet enim sic legere, fieri non potest vt credat magis quæ scit: sensus est, non potest quis magis assentire propositionibus, quas nec scit, nec earum habet aliam meliorem cognitionem, quàm conclusioni, quam scit: cum igitur magis propositionibus assentiatur, quàm conclusioni quam scit, præmissarum profecto habebit aut scientiam, aut aliam meliorem cognitionem, & hoc intellige de dignitatibus & alijs principijs.

Aduerte tunc principiorum haberi scientiam, cum demonstrabilia sunt: & per causam cognoscuntur: cum verò indemonstrabilia sunt, illorum cognitio vocatur intellectus, qui est præstantior quàm scientia.

Principiorum quādo sit scientia, & quando intellectus.

Postea subdit illud absurdum, nempe assentire magis ijs, quæ nescimus, quam ijs quæ scimus sequi, nisi quis propositionum ipsarum habet talē cognitionem, quam diximus: sunt autem verba, (nisi aliquis præcognouerit per demonstrationem credentium) id est, nisi quis ex illis, quę per demonstrationem credunt, præcognouerit, id est, propositiones sic cognouerit: at melior est sensus, si sic interpretemur, nisi aliquis cognoscat ea, per

per quæ in demonstratione credimus, nempe propositiones, nam licet ille genitiuus, credentium, sit græcè, tamen significat fidem facere, nempe πιστευόντων.

17. *Debentem autem habere scientiam.*

Concludit eum, qui scit non solum propositiones habere notiores conclusione, sed præter propositiones nihil debere habere notius, quàm oppositas propositiones (ex quibus fit syllogismus contrarius demonstrationi, qui dicitur syllogismus ignorantiæ) esse falsas, nam qui scientiam habet, non potest mutari aliqua ratione opposita demonstrationi: & hęc circa capitis expositionem.

QVAESTIO. I.

Circa ea quæ secundo capite continentur.

ADuertus ea, quæ in textu docemur occurrunt aliquot difficultates & argumenta, primo contra definitionem ipsius scire: nam cùm definitio per genus & differentiam rei debeat assignari, nullū genus, nulla differentia in eiusmodi definitione apparet: ac ob id non videtur esse bona.

2. Secundo tunc, inquit, scimus, cùm causas cognoscimus, & ex causis ad effectus procedimus: angeli perfectè sciunt, & tamen non per causas cognoscunt, cùm nō sint discursui, nec ex cognitione causarum ad effectuum cognitionē procedāt, sed simul vtrumque cognoscant.

3. Tertio contra id, quod dicitur per demonstrationem nosci re: demonstratio non ostendit medium esse causam cōclusionis, sed solum procedit ex causa: at ad scientiam nō sat est cognoscere causam, sed quod illius est causa, ergo per demōstrationem non scimus.

4. Quarto multæ sunt demonstrationes potissimæ, quæ ex causis non procedunt, ergo videtur diminuta definitio: probatur antecedens, nam de Deo demonstramus esse infinitum, quia est actus purus, & vnum attributum per aliud, & tamen in ipso Deo non est aliquid quod sit causa aut effectus.

5. Quinto si demōstratio semper ex causis procederet, semper ex notioribus natura esset, sed notiora natura sunt sæpè ignota nobis, ergo ex ignotis nobis procedet: non ergo esset instrumētum scientiæ nostræ: non enim quis ex ignoto ad notius procedit.

6. Sexto non videtur esse vlla propositio immediata, ergo non benè per immediatam propositionem definit principium: probatur antecedēs, si enim aliqua esset, maximè ea, in qua definitio de suo definito prædicatur, sed hæc non est, cùm posit demonstrari per aliā definitionē: finalem enim per materialem demōstramus, & contra.

7. Septimo, Assensus præmissarū est causa necessaria assensus cōclusionis, sed causa necessaria non impedita producit effectum sibi æqualē, ignis enim ignē æqualem producit, ergo assensus conclusionis erit æqualis assensui præmissarum.

8. Octauo illa maxima, propter quod vnumquodque tale, & illud magis est falsa, ergo ex ea nihil probatur, patet antecedens, non enim sequitur, ego deambulo propter sanitatem, ergo sanitas magis deambulat: nec, homo inebriatur propter vinum, ergo vinum magis inebriatur. Hæc sunt præcipua dubia.

1. Fund. sciredupliciter sumitur.

Circa primum est notādum, scire dupliciter sumi, vno modo communissimè, pro quacunque cognitione, siue clara, siue dubia, siue certa, siue incerta: quo modo quicquid cognoscimus, dicimur scire: altero modo sumitur strictius, pro cognitione clara & euidenti rei, quæ dicitur comprehensio.

4 gradus comprehensionis.

Huius secundæ scientiæ quatuor sunt gradus, vt notat Alber. tract. 2. c. 1. & Lincon super hoc caput; primus est scientiæ impropriè dictæ, pro quacunque clara & euidenti cognitione rerum contingentium: dicimus enim, scio hominem currere, dum video: scio etiam quæ sensu dignosco: sed ista, licet euidens sit, propriè tamen non est scientia, cùm nec sit per causam, nec res sunt stabiles.

1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. Secundus gradus scientiæ est proprius pro cognitione rerum quæ plerumque sunt per suam causam: vt scimus in hyeme pluuias esse, tonitrua in autumno, licet id aliquando deficiat: ac propterea non est eorum perfectissima scientia.

3. Tertius gradus est magis propriè scientiæ, pro cognitione rerum simpliciter necessariarum quæ semper ita se habent qualia sunt principia immediata & per se nota: non tamen hæc scientia est per causam, cùm illa non habeant causam.

4. Vltimus gradus est scientiæ proprissimæ, pro cognitione rei simpliciter necessariæ per suam causam. & hoc scire est quod præsertim hic consideratur & describitur: quamuis etiam latius definiri possimus dicere, pro cognitione rei simpliciter necessariæ, aut quæ plerumque est per suam causam.

2. Funda. Scientiã rei q̃ causam habet esse ipsius rei per causam cognitionem tribus de causis.

Est secundò aduertendum ex Aegid. tres esse rationes per quas scientia perfecta rei debeat esse per causam, quando talis res causas habet: prima est ex parte rerum quæ semotur, cùm enim scientia sit perfecta cognitio esse ipsarum verum, esse autem rerum à suis causis pendeat & procedat, ob id scientia causas rerum cognoscimus, aliter enim esse earum perfectè nõ cognosceretur. Secunda est ex parte intellectus qui sumit cognitionem ab ipsis rebus, at res à suis dependent causis, ideò & intellectus noster in sua perfecta cognitione à causis depẽdet, & ad causas cognoscẽdas inclinatur: tertia est ex parte obiecti intellectus quod est verum ipsum transcendentale: sed rei veritas cõsistit in adæquatione & similitudine ad suas causas, ergo intellectus hoc verum perfectè non cognoscet nisi ex causis.

2. Ratio.

3. Ratio.

3. Funda. Definitionẽ scientię nõ rei, sed nominis esse.

Est tercio aduertendum hãc scientiæ definitionem esse nominis, vt omnes fatentur, nõ tamen adeo est nominis, quin per eã ipsam etiam rem posimus intelligere: definitio enim rei hæc est, scientia est cognitio vera, certa, & euidẽs, ex propriis causis rei genita, cognitio loco generis est; vera, ad excludendos errores: certa, ad excludendam opinionem, quæ est incerta, euidens, ad excludendam fidem, quæ cùm sit vera & certa, est obscura, ex causis, ad excludendam cognitionem principiorum, quę vera, certa, & euidens est: sed nõ per causam. Hęc omnia in illa definitione Arist. sunt: nam dicitur cognoscere: per causam, & quod res est, in quo manifestatur veritas: & nõ est aliter se habere certitudo, & quod illius est causa, claritas & euidentia: Ex his respõdetur ad primum, nõ esse in definitionibus nominũ genera & differentias, talis autem est hæc definitio: at quia simul explicat rem, ideo virtualiter genus habet & differentiam, vt diximus.

Ex dictis soluitur primum.

Ad secundum respondetur, & est maxime notanda solutio, aliud esse scire, aliud per demonstrationem scire. Scire solum dicit hoc, vt rem & causam rei cognoscamus applicando: at scire per demõstrationem est, nõ solum rem & causam cognoscere, sed ita vt per cognitionem causæ venerimus in cognitionem effectus: vnde scire per demõstrationem superaddit modum sciendi, qui est per discursum & demonstrationem, qui modus est & instrumẽtum sciendi: ipsa tamẽ ratio scientiæ in cognitione rei & causæ cõsistit: & hæc est in angelis, licet nõ per talem modum, nempe discurrendo, ob idque angeli habẽt perfectè scientias, & sciunt, licet nõ per cognitionem causarũ in effectuum cognitionem deuenerint, sicut nos, nam hoc est modus sciendi, nõ scire, nempè ipsum discurrere: & sic soluitur argumẽtum secundum, & nota solutionem.

Ad. 2. Aliud ẽ re, aliud p demõstrationẽ scire.

Ad tertium aliqui voluerunt particulam causalem addendam in maiori & cõclusione, vt dicamus, omne animal rationale est risibile, quia est animal rationale, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis, quia est animal rationale: sed ista opinio nõ consonat Aristo. nullus enim in scientijs talĩ demonstrationum est vsus, & talis opinio procedit ex eo, quod demõstrationes paucas

Ad. 3. Solutio aliorum

paucas habemus potissimas, in quibus experimur non esse opus tali additione: propterea dico demõstrationem ostendere causam, & ipsum effectũ, ex ipsa tamen cognitione causæ statim cognoscimus illã esse illius effectus, & non posse aliter habere: habet enim hoc causa vt ipsius cognitio perfecta simul etiam claudat applicationẽ ad effectũ: non ergo opus est addere, cùm in ipsa cognitione principiorum comprehendatur, & per hoc soluitur argumentum.

Solutio verior.

Ad quartum respondetur admittẽdo illas esse demonstrationes, & eiusmodi sæpè fiunt in Metaphysica, tamẽ per causam non solùm oportet intelligere causas illas quatuor physicas, sed rationes & conceptus quosdam obiectiuos, qui se habent per modum causarum: ex qua solui tur argumentum.

Ad. 4.

Ad quintũ Themist hoc. 1. cap. 4. dicit demõstrationem procedere ex notioribus natura, nec se submittere ad mensuram ingenij nostri, sed rectam tenere naturæ viam: sed ista sententia non videtur soluere dubium: propterea dico semper demonstrationem procedere ex notioribus natura, cùm ex causis procedat: similiter procedit ex notioribus nobis, nam in Philosophia, in qua causæ sunt ignotæ nobis, effectus verò notiores, non demõstramus effectus per causas, nisi cũ causæ notiores sunt effectus: sunt enim effectus quidam per se noti, alij verò occulti: per se notos causas indagamus, per quas indagatas & notas alios effectus nobis occultos demonstramus: & hoc est valdè notandũ: vnde semper etiam ex notioribus nobis procedimus, vel quia ipsa sunt simul natura, & nobis nota, vel quia aliqua via prius ea nobis nota fecimus.

Ex The. Reijcit solu. Themist.

Solutio vera.

Demonstrationem ex natura & nobis notioribus semper progredi.

Notãdũ valdè.

Dicet, quod cum per eosdem effectus indagamus causas, quos iterum per causam indagamus & demonstramus, videtur inutilis regressus, & quod causa non fit notior, cùm ab eodem effectu sumpse rit cognitionem. Auerroes has demonstrationes dicebat ostendere propter

Dub. cõtra solutiones.

Solutio Auerro.

quid ipsius effectus, sed non esse ipsius, cũ primo sit cognitus esse. 2. cæli. com. 35. & 2. Physi. com. 65.

At tu aduerte admodum, licet effectu indagemus causam, tamen per causam illũ eundẽ effectum multo perfectius cognoscimus: ante enim experientia aliqua particulari, nõ per causam vniuersaliter, & immutabiliter illum cognoscimus, propterea non est inutilis iste regressus. Præterea licet ab effectu inceperimus causam indagare, tamẽ illi inuentæ firmius adhæremus, & illius cognitio multo maiorem claritatem in nobis facit ex ipsius speculatione prouenientẽ: vnde notior est effectu, non enim illius cognitio tota ex effectu prouenit, quamuis ex eo sit orta: vnde tres sunt hic cognitiones, prima imperfecta effectus, per quam ad secundam causæ cognitionem perfectam deuenimus, & per hanc ad tertiam eius effectus perfectam cognitionem regressi sumus, & hoc nota.

Solꝫitur melius. Effectũ per causam melius & perfectiꝰ cognosci, licet idem in causæ cognitionem nos duxerit.

Ad sextum Respon. duplicem esse propositionem immediatam, alteram simpliciter, quæ nullo modo potest demonstrari, quales sunt dignitates, & per se notæ, alteram secundũ quid, quę in aliquo genere demõstrari non potest, licet in alio demõstretur, tales sunt definitiones, quæ per causas assignantur, nam licet propositiones earum per diuersum genus causæ demonstrentur, tamen secundum idẽ genus non demonstrantur.

Ad. 6. Propositionẽ immediatã esse dupliciter.

Ad septimum Respon. semper verum esse magis assentiri præmissis, quàm conclusioni, cùm conclusio non nisi ex præmissis cognoscatur, nã si conclusionẽ non solùm ex præmissis, sed etiam alia via, experientia nempè, aut fide teneremus, magis conclusioni, quàm præmissis assentiremur: cũ verò propter solas præmissas credimus, clarior est assensus præmissarum, quamuis non possit semper discerni iste claritatis excessus, nec argumentum conuincit, nam quando causa est vnius ota, & eiusdem speciei, effectũ aequalem producit, at quando est diuersæ spe-

Ad. 7. Præmissis magis quam cõclusioni quãdo assẽtiamur

Universidad de Deusto Biblioteca

ciei, non producit æqualem, sicut sol nõ producit solem: cùm igitur cognitio principiorũ sit alterius speciei, est enim sine medio absque causa, cognitio verò conclusionis per medium: & causam, præmissæ similem effectum non producunt in æqualitate.

Ad. 8. Limitat propter quid vñ quodque quatuor modis.

1.

2.

3.

4.

Ad octauum omissis aliorum sententijs, ista propositio, propter vnumquodq; tale, & illud magis, quadrupliciter est limitanda: primo, quãdo idem prædicatũ inest vtriq; vni propter alterum: vnde nõ valet: deambulo propter sanitatẽ, ergo sanitas magis deambulat, nõ enim vtriq; deambulare inest, & ita declarat Philo. secundo, vt tale prædicatum suscipiat magis & minus, aliter enim non valebit, vndè non sequitur. Ego sum risibilis: quia homo est risibilis, ergo homo est magis risibilis, nec valet, Petrus est homo propter patrem suũ: ergo pater est magis homo: & ita limitat Albertus, tertio, vt sit in rebus positiuis, nam in effectibus priuatiuis non valet, non enim sequitur Petrus est parum propter patrem, ergo pater est magis parum: propter Deum non diligo mundum, ergo magis non diligo Deum. ita limitant Doctores Louanien. quartò vt sint diuersa prædicata, aliter non valet, vt video propter oculos, ergo oculi magis vident, non sequitur, nam non aliud est videre meum, & oculorum.

At profectò si recte perpendamus, sub prima limitatione reliquæ clauduntur, quando enim aliquod prædicatum inest multis vni propter alterum, tunc magis, aut perfectius inest alteri: cùm igitur credamus præmissis, & conclusioni, huic autem propter præmissas, magis credimus præmissis, & per hoc soluitur argumentum. Est autem aduertendum cognitionem conclusionis dici scientiam, præmissarum verò immediatarum, & dignitatum intellectum, non vt potentiam significat, sed vt cognitionem quandam talium principiorum, & habitum significat 6. Ethicorum, cap. 6. at cognitio conclusionis simul & præmissarum sapientia, vt dicitur libr. 1. mag. mor. c. 35. quãuis sapientia in alia significatione etiam scientiam rerũ altissimarum significat, qualis Theologia supernaturalis, & Metaphysica inter naturales, vt dicitur. 1. Meta. cap. 2. & hæc pro capitis disputatione sufficiant.

¶ Opinionum confutatio, & eorum qui omnino demonstrationem tollunt, & eorum qui omnium demonstrationem esse ponunt.

CAP. III.

TEXT. 1.

NOnnullis quidem igitur, eò quod oportet prima scire, non videtur scientia esse: quibusdam verò esse quidem, verùm omnium demonstrationem esse, quorum neutrum, neque verum, neque necessarium.

2.

Qui quidem enim supponunt non esse omninò scire, hi in infinitum existimant reduci, tanquam non scientes posteriora per priora, quorum nõ sunt prima: recte dicentes: impossibile nãque infinita pertransire. Si verò stant, ac sunt principia, hæc esse ignota: cùm demonstratio de ipsis non sit, quod dicunt esse scire solum. si verò nõ est prima scire, neque quæ ex his esse scire simpliciter, neque proprie, sed ex suppositione, si illa sunt.

3.

Alij autem ipsum quidem scire cõfitentur, per demonstrationem enim esse solum, sed omnium esse demonstrationem nihil prohibere, contingere enim circulo fieri demonstrationem, & ex ijs quæ ad se inuicem.

4.

Nos verò dicimus, neq; omnẽ scientiam demonstratiuam esse, sed eam, quæ immediatorum est indemõstrabilem. Quodq; hoc sit necessarium, manifestũ: si enim necesse quidem scire priora, & ex quibus demonstratio, sint autem aliquando immediata, hæc indemonstrabilia necesse est esse.

5.

Hæc igitur ita dicimus, & non solum scientiam, sed & principium scientiæ

riæ esse quandam dicimus, quo terminos cognoscimus.

6.

Circulo q; quod impossibile demonstrare, simpliciter planum: siquidem ex prioribus oportet demonstrationem esse, & notioribus, impossibile enim est eadem eisdem vnui priora, & posteriora esse. Nisi altero modo, vt alia quidẽ ad nos, alia verò simpliciter, quomodo inductio facit notum. Si verò sic, non esset vtique simpliciter scire benè definitum, sed dupliciter: aut non simpliciter altera demonstratio, quæ sit ex nobis notioribus.

7.

Accidit autem dicentibus circulo demonstrationẽ esse, non solum quod nunc dictum est, sed nihil aliud dicere, quàm quod hoc est: si hoc est sic autem omnia facile monstrare. Manifestum autem, quod hoc contingit tribus terminis positis, per multos nanque aut paucos reflectere dicere, nihil differt: per paucos autem aut duos. Quando enim A, existẽte, ex necessitate sit B, hoc autem, ipsum C, A, existente, erit C, si itaque A, existente, necesse est B, esse: hoc autem existente, ipsum A, hoc enim erat circulo. Ponatur A, in quo C, dicere igitur. B, existẽte. A, esse, est ipsum C, esse dicere, hoc autem, quoniam A, existente, ipsum C, est: C, autem ipsi A, idem. Quare contingit dicere circulo asserentes esse demonstrationem, nihil alterum, quam quod A, existente A, est: sic autem facilè est omnia monstrare.

8.

Verum neq; hoc possibile, præterquã in ijs, quæcunque se inuicem consequuntur: quemadmodum propria. Vno quidẽ igitur posito, quod nunquam necesse est aliquid esse alterum, monstratum est. Di eo autem vno, quod neque termino vno, neq; positione vna posita: ex duabus ãũt positionibus primis & minimis cõtingit, si quidem & syllogizare. Si igitur & A, sequatur ex ipso B, & C: & hæc ex se inuicem, & ex ipso A: sic quidem cõtingit ex se inuicem monstrare omnia petita in prima figura: quemadmodum monstratum fuit in ijs, quę de syllogismo: mõstra

tum autẽ esse & quod in alijs figuris, aut non fit syllogismus, aut non de acceptis. Quæ verò non cõtra prædicantur, nullo modo est mõstrare circulo: quare, quoniã pauca talia in demonstrationibus, manifestũ quod vanumq;, & impossibile est dicere ex ijs, quæ ad se inuicem demonstrationem esse, & propter hoc omnium contingere esse demonstrationem.

Quibusdam autem igitur, &c. 1. Intentio Arist.

ARist. in hoc capite euellit duos errores quorundam, procedentes ex his, quæ dixerat in vltima parte capitis, nempe principia, & præmissas sciri, & earum scientiam esse, cum per eas conclusioni assentiamur. Ex hoc autem aliqui existimantes nihil sciri, nisi per demonstrationem, asserebant nõ posse sciẽ tiam esse. Alij idem arbitrantes, esse quidem existimabant scientiam, sed circulũ esse in demõstrationibus, nempe per conclusionem, præmissas, & per præmissas conclusionem, demonstrari: vtrumq; autem inquit Arist. scilicet scientiam non esse, aut circulum fieri, nec est verum, nec necessarium, id est, non est vera sentẽtia, nec rationes aut probationes habet necessarias, vt Latini exponunt: at melius possemus dicere, non est necessarium, id est, non necessario sequitur ex eo, quòd principia sciamus.

Dubitat Philop. cum quæstio, quid sit postponenda sit, quæstioni an sit, qui fiat, vt Arist. definita demonstratione, modo disputet, an sit, nempe cõtra priores, qui scientiam & demonstrationem de medio auferebant. Dubium Philop.

Respondent quæstionem quid nominẽ significet anteponendam quæstioni an sit, quando nomẽ obscurũ est, quod fecit Arist. 4. Physi. vbi primo quid vacuũ, id est, quid significet, postea an sit, disputauit: secus esset de definitione, quid res sit, hæc est enim postponẽda. Hæc sentẽtia mihi non placet, supponit enim definitionẽ nominis esse eã, quę data est de de- 1. respõ. dam. Reijcit 1. respõ.

monstratione, quod tamen est falsum, est enim definitio rei, & per materiam, & etiam altera, quæ datur per finem, cū præsertim nullibi aliam demōstrationis definitionem habeamus.

2. Respō sio Linconien.

Lincon. Respon. hoc caput nō esse de necessitate huius libri, quia non pertinet necessario ad artē errores repellere, est tamen id de artis perfectione: sed hoc dictum non tollit difficultatem.

3. solutio aliorum. Quæstio nē an sit quæstioni qd sit quādoq; postponi

Alij, & bene, dicunt quæstionem, an sit, aliquando postponi quæstioni, quid sit, sed per accidēs, nempe cum dubia, an sit res, oriuntur ex ipsa definitione rei, vt accidit in præsenti: nam isti auferebant demōstrationem, propterea quod ex præmissis notioribus deberet procedere, & mihi responsionis doctrina placet, licet hoc dubium alienum videatur ab instituto ipso Aristo: nam hic non de demōstratione videmur tractari, sed de sciētia, quā isti auferebant de medio, quamus credierint non esse scientiam sine demōstratione, ideoq; simul demōstrationem auferēbant: scientia tamen sermo est, quę in capite præcedenti definitione nominis definita est, vt diximus: & forsan hoc voluit significare Philop.

4. Séten. authoris

2. *Ponentes autem non esse, &c.*

Incipit in particulari vt unūq; errorem explicare: illi enim, qui scientiam negabant, sic argumentabantur, non scimus conclusionem, nisi sciamus præmissas, sed sciri nō possumus præmissas nisi alia demonstratione, ergo non scitur conclusio nisi demonstratis præmissis. Iterum hæ præmissæ non sciuntur, nisi sciantur aliæ præmissæ per quas demonstrantur, hę autem iterum per demonstrationem sciuntur, sic consequenter procedimus in infinitum, nec ad vltimas peruenire est, quæ sciantur, cum iterum demonstratione opus sit, ergo non erit scientia posteriorum conclusionum, nisi tantùm ex suppositione, nempe supposito, quod præmissæ sciantur: tamen re vera non est absoluta scientia, cum in processu infinito detur vltimum: in quo bene profecto dicunt, nempe quod in processu non sit vltimum, & quod nisi sciantur priora, non scientur posteriora.

Hs autem de eo, quod est scire. 3.

Alij scire esse fatebantur, tamen eundem errorem tenentes, nihil sciri nisi de monstratione affirmabant ac propterea contingere circulum in demōstratione, nēpe quod sit peruenire ad vltimas præmissas, & non in infinitum procedere. hę tamen vltimæ iterum circulo per priores conclusiones demonstrabantur, & sic erat scientia, & per demonstrationem, sed circularem.

Nos aūt dicemus neque omnē scientiam. 4.

Reijcit Arist. communem omnium errorem, existimantium, nihil sciri, nisi demonstratione, ac dicit, nō omnem scientiam esse per demonstrationem, sed esse scientiam indemonstrabilem: ac si diceret, non omnia, quæ scimus, per demonstrationem scimus, sed peruenimus ad aliqua prima, quæ scimus quidem, sed non alia demonstratione: & hoc patet, nam in discursibus conclusionem cognoscimus, præmissis cognitis, sed dantur præmissæ, & principia, quæ prorsus immediata sunt, nec demonstrari valent, vt patet de dignitatibus, & multis alijs propositionibus, ergo talium cognitio & scientia erit, & non per demonstrationem vllā aliam.

Et hoc igitur sic dicimus. 5.

Reperit iam in hoc sententiam, dicens de hoc sic dicimus, id est, de hoc nos ita sentimus, non solum esse scientiam, sed esse quoddam principium scientiæ, quo terminos cognoscimus: sensus horum verborum secundum plerosque Latinos est, esse quendam habitum, & cognitionem in nobis ipsorum principiorum, & dignitatum quæ cognoscuntur ex sola terminorum apprehensione absque vlla demonstratione: atque tales dignitates vocantur principium scientiæ. Philo. per hoc principium intelligit Deum, cuius lumine intellectus noster illustratus cognoscit terminos, id est, intelligētias, quæ sunt vltima in cognitione. At melius

lius mihi videtur locum intelligere Themistius, qui per principium intelligit in intellectum nostrum, per terminos, subiectum & prædicatum propositionum, vt sit sensus, non solùm est scientia, sed est intellectus & potentia: principium scientiæ, quo solo intellectu absq; demonstratione quid extrema significent, intelligimus, & ex tali sola apprehensione tales propositiones scimus absque vllo alio discursu.

Notādū. Nota tamē ex Alberto tract. 2. ca. 6. quemadmodum visibilia sunt in duplici differentia, quædam, quæ non proprio lumine videntur, sed externo indigent, sicut colores corporum opacorum, quæ non nisi solis, aut alterius luminosi extrinsecet videntur, quædam verò alia proprio lumine videntur, sicut luminosa ipsa, & aliqui vermes, & lapides: ita propositiones sunt duplices, quædam quæ non statim cognoscuntur verę, quantumcunque quid subiectum, quid prædicatum sit, apprehendatur, sicut multæ propositiones, quæ probatione indigēt: quædam verò sunt, quæ statim simul atque subiectum & prædicatum apprehendimus, eas absque vllo alio discursu cognoscimus, quales sunt dignitates, & hæ dicuntur propositiones per se notæ, & scientiarum principij, & de his loquitur Aristot. dum dicit, intellectu solo apprehendente terminos cognosci, cùm primum enim, quid totum, quid pars significet, apprehensum est, statim totum maius esse parte dignoscitur.

Propositiones aliæ per se notæ sūt aliæ verò non.

Duplex propositio per se nota secundum D. Tho.

S. Thom. distinguit duplicem propositionem per se notam, existimat enim idem esse immediatam propositionem, & per se notam. Est autem quædam immediata quæ caret medio, quo demonstretur, & termini illius sunt omnibus noti, vt omne totū est maius parte, & simile. & has vocat per se notas secundum naturam, & secundum nos: quædam verò sunt quidem immediatæ, non tamen res illæ sunt omnibus notæ, sicut propositiones, in quibus definitiones de definitis, seu passiones de suis proximis causis prædicantur, & hæ dicuntur per se notæ secundum naturam tantum, vtraq; tamē propositio est per se nota, & de his est sermo in præsenti.

Mihi magis videtur Arist. sensisse de principijs per se notis secundum nos, & naturam in præsenti textu vt Græci exponant, ita vt non omnis immediata sit per se nota, sunt enim immediatæ aliquæ, nempe multæ demonstrationum propositiones, quæ inductione colliguntur, vt docet 2. Poster. c. vltimo, & dicuntur principia scientiarum, vt dicitur. 1. Meta. ca. 1. quæ tamen non per se ex ipsis terminis cognoscimus.

Circulo autem quod impossibile sit, &c. 6.

Triplici argumento probat Arist. circulum non posse fieri in demonstrationibus, primum est, ex eo, quod demonstratio ex prioribus, & notioribus procedit: si autem esset circulus, sequeretur, quod idem esset prius & posterius, notius & ignotius, quod heri non potest: & patet, nam præmissæ hæ sunt priores, & notiores conclusione, si iterum per conclusionem eandem præmissas demonstras, ergo iam conclusio erit prior, & notior, cum facta sit præmissa demonstrationis: erunt igitur præmissæ notiores, & ignotiores, priores, & posteriores illa conclusione. Quod si dicas, non est absurdū, fieri enim potest vt aliquid sit prius natura, & notius, tamen posterius & ignotius nobis, quod sit in inductione, nam singularia nobis notiora, & priora sunt, per quę probamus vniuersale, quod notius est, & prius natura. Aduersus hoc instat Arist. nam si in circulo procedimus ex notioribus solum nobis, iam non est demōstratio, nec faciet sciētiam vera enim demonstratio ex notioribus natura procedit, quod si isti, qui circulo demonstrant, solum asserant in regressu procedere ad probandas præmissas ex nobis tantū notioribus hæc demonstratio non est, nec scientiam facit simpliciter, nisi velint alium modum scientiæ ponere, qui non

est

est per causam, & per priora natura, quod falsum est. Quę enim demonstratio ex notioribus tantum notioribus est, nō est simpliciter demonstratio: & quamuis per modum interrogationis hæc verba Aristo. proferantur, sunt tamen assertuè intelligenda.

7. *Accidit verò dicentibus, &c.*

Hæc est secunda ratio, qua Arist. eundem repellit errorē, nempe si circulo cōtingeret vti fieret, vt idem per idem demonstraremus, quod falsum est, esse aūt tunc satis leue, cuncta demonstrare scilicet, hoc est, quia hoc est. Hoc aūt probat sumendo tres terminos, nihil enim refert an tribus, aut pluribus, aut paucioribus loquar: idem enim sequitur in conuenienti ex circulo: sint termini, A. B. C. tunc supponit Arist. illum esse bonum argumentādi modum, quia A. est. B. est. & quia B. est, C. est, ergo de primo ad vltimū, quia A. est, C. est, nā si, B. sequitur ex, A. quic quid sequitur ex, B. sequitur ex, A. & cuius est causa, B. eius etiā est causa, A. quod enim sequitur ex consequenti, sequit etiā ex antecedēti, & cuius est causa cōsequēs, etiam est causa antecedens, quod est causa consequentis: tūc sumamus circulum in duobus terminis, quia, A. est, B. est, per circulum valet regressus, quia, B. est, A. est. argumentor igitur: quia, A. est, B. est & quia, B. est, A. est, ergo de primo ad vltimū, quia, A. est, A. est. Hoc significat illud, quod Aristo. dicit, ponatur, A. loco ipsius, C. id est, quemadmodū ex ipso, B. inferebatur, C. ita etiā infertur, A. ergo sicut C. inferebatur ex, A. quia ex eo inferebatur, B. ita &, A. quod infertur ex. B. inferetur ex eodē, A. ex quo ipsum, B. inferetur: vnde ex se ipso inferetur, & eandē demōstrare continget idem per idē, quod falsum, & absurdum est.

8. *At verò neque hoc possibile.*

Hoc est tertium argumentum, quo circulum in demonstrationibus reijcit: supponit vnum, quod dicit ostensum esse. 1. Prior. capit. 32. ex vno termino, aut vna posita propositione nihil inferri necessario, sed opus est tribus terminis, & duabus propositionibus minimis, id est, non paucioribus. Ex his autem necessariò sequitur alterum, & probat, siquidē contingit syllogizare, id est, ex his fit syllogismus, qui necessariò infert, ergo ex duabus propositionibus, alteram potest inferri necessariò, modo est argumentū, si circulus est in demonstrando, cum demonstratio sit syllogismus, opus est tribus terminis, & duabus propositionibus, nempe, A. b. c. sed circulus in his nō potest esse, nisi sunt omnia conuertibilia, conuerti igitur debent, A. b. c. adinuicem, tunc sic, ex tribus terminis conuertibilibus non fit syllogismus nisi in primo modo primæ figuræ, ergo omnes demōstrationes debent fieri in illo primo modo, aliter non esset circulus. Præterea essent in terminis conuertibilibus, alias non posset circulariter syllogizari: fit enim circulus, quando cum conclusione, & conuertente maioris inferimus minorem, vel cum eadem conclusione, & cōuertente minoris inferimus maiorem: vniuersales autem propositiones affirmatiuæ non possunt vniuersaliter cōuerti, nisi quando termini sunt æquales, & conuertibiles. Ex his concludit argumentum vanum esse asserere, omnium esse demonstrationes, & circulum in omnibus contingere, cum non id fit, nisi in vno modo primæ figuræ, & id in conuertibilibus, multo verò plura sint quæ demonstrantur.

Notatur in. 2. & 3. figura nō fiat circulus.

Hic oportet notare verba illa, quòd in secunda, & tertia figura non est circulus, aut nō de acceptis: explicāt. D. Tho. & ideò omnes, ob id in his duabus figuris, non esse circulum, quia cum in secunda, vna præmissa sit negativa, altera affirmativa, cōclusio verò negativa, si volumus circulo syllogizare affirmatiuam, fiet syllogismus ex puris negatiuis, qui inutilis est. In tertia verò cùm conclusio sit particularis, præmissæ verò, aut vniuersales ambæ, aut vna particularis, non poterit syllogizari circulo nisi particularis, non vniuersalis, alias enim esset argumētari ex puris particularibus, aut inferre conclusionem vniuersalem ex præmissa particulari: propterea in his figuris non est circulus: at quia aliqua præmissa syllogizatur, nempe negatiua in secunda figura, particularis verò in tertia, propterea addit Arist. si circulus fit, non de acceptis fit. Exponunt ergo, non de acceptis omnibus, id est, licet circulus fiat, non tamen ambæ præmissæ syllogizantur circulariter. Quamuis posimus exponere, licetin secunda aliquando, vtraque circulariter syllogizetur, hoc fit, mutando negatiuā in propositionem hypotheticam, vt dixit libro secundo Prior. capit. 6. & illic declarauimus, sed hic circulus non est, cum non sit in eisdem propositionibus, sed mutatis: propterea dixit, si circulus fit, non de acceptis fit. Hæc est huius capitis expositio.

QVAESTIO I.

De regressu demonstrativo.

Explicatur titulus quid videlicet sit regressus.

DVbitatur. An sit regressus in demonstratione: circa quod oportet aduertere, regressum vocari illū syllogismū, quo probamus conclusionē, quā ante ipsius præmissas probauerāmus, vt si quis per interpositionē terræ probat eclypsim, per quā cognouimus ipsam interpositionē: talis regressus etiā dicitur syllogismus circularis: difficultas autē nō est, an in eodē genere causæ fiat iste regressus, ita vt præmissæ sint talis causa cōclusionis, qualis est conclusio præmissarum, hoc enim fieri non potest, & hoc impugnat Arist. nec est difficultas, an in diuersis generibus causarū possit esse circulus, & regressu syllogizādo, cùm id manifestum sit: nam demonstrationem ex veris, primis, &c. esse probamus, quia facit scire, & è contra facere scire, quia ex veris, &c. constat, ostendimus syllogizando: nec etiam est difficultas, an syllogismi circulus fiat inter causam, & effectum: cùm sit etiam manifestum, causam per effectū, & iterum eundem effectum per causam eandem syllogizari aliquando posse: sed difficultas est an cùm talis regressus sit syllogisticus, sit aliqua probatio, & per talem regressum probemus, & cognoscamus.

Ratio dubitandi potissima hæc est, quia cùm præmissæ huius regressus sint probatæ prius per talem conclusionem non possunt esse ipsa notiores, & tunc syllogismus inutilis erit, cùm non ex notioribus procedat.

Ad hanc difficultatem respondent inniores, distinguentes duplicem demonstrationem propter quid, ex Auer. 1. cæli com. 32. & 8. Physi. com. 65. alterā, quæ est causæ & esse, id est, per quam ostendimus causam effectus, & simul probamus, effectum esse: vtpote cùm à causis notioribus nobis ad effectus occultos procedimus, & hæc est potissima demonstratio, alteram, quæ solum ostēdit effectus causam, sed non ipsum esse, & talis est demonstratio tantùm causæ, quæ sit, cum effectum primò cognouimus, ac per eum indagauimus causam, & sic admittunt regressum fieri à causa ad effectum cognitum prius quantum ad esse, sed regressus ostendit causam secundum quam ignotus erat effectus. Respondet Auer. illarum.

At quamuis ista sententia nō sit spernenda, aliter mihi videtur posse respondēri, & magis ad mentem Aristo. ex sententia potissimū D. Tho. 2. cæli. 59. vbi elegantissimè etiā defendit Alexandrū aduersus Simpl. & explicat totam vim regressus demōstratiui. Dico igitur, omnē demonstrationem probare effectū esse, & simul illius ostendere causam, quod absque vlla distinctione concedit Themist. 2. Post. c. 2. propterea aduerte, quod supra diximus, quamuis existentia effectus cognoscatur ante causam, id fit imperfectè & particulariter, at postquā demonstratio accedit, eā vniuersaliter cognoscimus, & certius ac clarius, quod docuit ex presse Arist. 1. Post. c. 24. vbi dicit etiam si videremus, triangulum habere Alia responsio, & verior.

tres

Universidad de Deusto
Biblioteca

tres angulos, adhuc demonstrationem quæreremus, quia id non cognoscere-mus vniuersaliter, nisi demonstratione, propterea semper demõstratio effectũ esse probat, licet cum discrimine, nam aliquando præcesit aliqua cognitio imperfecta effectus: dices, si illa cognitio effectus fuit imperfecta, & particularis, cùm per eam peruenerimus in causam, etiam cognitio causæ erit imperfecta: dico, nõ ita esse, nam illa cognitio effectus fuit via ad causam inueniendam: tamen ex ipsa causa inuenta, & alijs intellectus speculationibus perfectius cognoscim⁹ causam, adeò vt per eam regrediamur ad effectum vniuersaliter cognoscendum, q̃ ignotum erat ante causam, & hoc de regressu sentio.

Demonstrationis propositiones veras esse, veritate necessaria. Quid sit id, quod dicimus, De omni, quid per se, quid vniuersale.
Cap. IIII.

TEXT. 1 QVoniam autem impossibile aliter se habere, cuius est scientia simpliciter, necessarium vtique fuerit scibile, quod est secundum demonstratiuã scientiam: demonstratiua autem est, quam habemus, eo quod habemus demonstrationem: ex necessarijs igitur syllogismus est demonstratio. Accipiẽdum igitur ex quibus, & qualium demonstrationes sunt.

2. Primum autẽ determinemus, quid dicimus de omni, & quid per se, & quid vniuersale.

3. De omni quidem igitur hoc dico, quod sit vtique, non in aliquo quidem in aliquo autem non: neque aliquãdo quidem, aliquando autem non: vt si de omni homine animal, si verũ hunc dicere hominem, verum & animal, & si nunc alterum, & alterum, & si in omni linea pũctum consimiliter. Signum autem, etenim instantia sita ferimus, tanquã de omni interrogati, aut si in aliquo non, aut ẽ aliquando non.

4. Per se autem, quæcunquæ & insunt in eo quod quid est: vt triangulo linea, & lineæ punctum: substantia nanque ipsorũ ex his est, & in oratione dicente quid est, insunt.

Et quibuscunque inexistentium ipsis, ipsa sunt in oratione, quid est declarante: quemadmodum rectum inest lineę & circulare, impar & par numero, & primum & compositum, & æquilaterum, & altera parte longius: & omnibus his insunt in oratione quid est dicente, ibi quidem linea, hic autem numerus. Consimiliter autem & in alijs, talia singulis per se dico.

5. Quæcunque autem neutro modo insunt, accidentia: vt musicum, aut album animali.

6. Amplius, quod non de subiecto dicitur alio aliquo, vt ambulans alterũ quid existens, ambulans, est & album: subitantia verò, & quæcũque hoc aliquid significant, non alterum quid existentia sunt, quòd sunt, quæ quidem igitur nõ de subiecto, per se dico: quæ autem de subiecto, accidentia.

7. Amplius autem alio modo, quod quidem propterea ipsum inest vnicuiq; per se, quod verò non propter ipsum, accidẽs quemadmodum si ambulante fulgurauit accidens: non enim propter ambulare fulgurauit, sed contingit, dicimus, hoc si autem propter ipsum, per se, vt si quid iugulatum interijt, & secundum iugulationem, quoniam propter jugulari, sed non accidit iugulatum interire.

8. Quæ igitur dicuntur in simpliciter scibilibus per se sit, vt insint prædicatis, aut illa insint subiecti, & per ipsa sunt, & ex necessitate: nõ enim contingit non inesse, aut simpliciter, aut oppositum: vt lineæ rectum aut curuum, & numero impar aut par: est enim contrarium, aut priuatio, aut contradictio in eodem genere, vt par & impar in numeris, in quantũ sequitur, quare si necesse, affirmare, aut negare, necesse & per se inesse. Quid igitur de omni, & per se, determinatum sit

sit hunc in modum.

9. Viuersale autem dico, quod vtique, & de omni sit, & per se, & secundum quod ipsum. Manifestum igitur, quòd quæcunque vniuersalia, ex necessitate insunt rebus.

10. Per se autem & secundum quod ipsum idem: vt per se lineæ inest punctum, & rectum: etenim secundum quòd linea, & triangulo secundum quod triangulũ, duo recti: etenim per se triangulum duobus rectis æquale.

11. Vniuersale autem est tunc, quando in quodlibet, & primò mõstretur, vt duos rectos habere, neque figurę est vniuersale, quamuis est monstrare de figura, q̃ duos rectos habet, sed non de qualibet figura, neque vtitur qualibet figura monstrans: quadrangulũ enim figura quidẽ est, non habet autem duobus rectis æquales: equicrus verò habet quidem quodcunq; duobus rectis æquales, sed nõ primò, sed triãgulum prius. Quod igitur quodlibet primũ mõstratur duos rectos habens, aut quodcunque aliud, huic primò inest vniuersale, & demonstratio per se de hoc vniuersaliter est, de alijs verò quõdammodo nõ per se neque de æquicrure non est vniuersaliter, sed in plus.

1. *Quoniam autem impossibile est, &c.*

Cùm demonstrationẽ ex veris docuisset esse, nunc, vt dicit Themist. ex quibus veris procedat, explicare intendit, non enim ex quibuscunque, sed ex necessarijs demonstratio esse at quia adhuc necessarium multiplex est, quale debeat esse hoc capite explicat, ideoque explicat, quid sit dici de omni, quid per se, quid vniuersaliter: hæc enim ad necessarij cognitionem opus sunt, probat autem ante omnia demonstrationem esse ex propositionibus necessarijs, quia id, quod demõstratur, & demonstratione scitur, est necessarium: at necessarium nõ demonstratur nisi ex necessarijs, quamus syllogizari possit, vt dicitur. 1. Prio. cap. 1.

Argumentatur igitur Aristot. hoc pacto: quod scitur, aliter se habere non potest, ergo quod demonstratiuè scitur, est necessarium: nam id necessarium est, quod aliter se habere non potest. & argumẽtum est à superiori ad inferius ex parte subiecti, nam sciri superius est adsciri per demõstrationem: ex parte verò prędicati, à definitione ad definitum, nam non posse aliter se habere est definitio necessarij, tunc vlterius procedit argumentum, quod scitur demonstratiuè est necessarium, & tale est, quod per demonstrationem fit, ergo demonstratio est ex necessarijs. infert oportere accipere, ex quibus & qualibus sint demõstrationes, dicit ex quibus, propter propositiones: dicit ex qualibus, propter quæstionẽ, circa quã est demõstratio, nam omnia necessaria sunt, primò tamen sex tria illa, quæ diximus, proponit explicaturum.

De omni quidem igitur hoc dico.

2. Quid sit prædicatum de omni.

Explicat, id prædicatum dici de omni, quod omnibus inest inferioribus subiecti & omni tẽpore, vt risibile dicitur de omni homine, quia omnibus inest individuis, & omni tempore, & hoc negatiuè explicat dicendo, quando prædicatum non sic inest, vt quibusdam subiecti inferioribus insit, quibusdam non: vt aliquando insit, aliquando non, sed omnibus debet inesse, & omni tempore. Exempla ponit in his propositionibus, omnis homo est animal, & omni lineæ inest punctum: probat autem tale esse dici de omni, nam cùm instantia ferimus, id est, cũ redarguere volumus propositiones non de omni dici, dupliciter instamus, aut si non de omnibus dicitur prædicatum, aut si non omni tempore, signum igitur est, vtrumque esse necessarium ad propositionem de omni.

Dici de omni duplex: prioristicũ & posterioristicum.

Notat Themist. ca 9. & D. Thom. Aliud esse dici de omni in libris priorum, quod ad syllogizandum requiritur, quod vocant aliqui prioristicum: aliud dici de omni in libris posteriorum, quod ad demonstrationem quæritur, quod vocant posterioristicum: in illo enim solum vniuersalitas in inferioribus subiecti tat est, in hoc

in hoc verò alterius opus est vniuersalitate temporis: sed profecto declaratione indiget Themist. nam ad syllogizandum tantum, non opus est quod prædicatum insit omnibus inferioribus subiecti, cùm etiam ex falsis syllogizetur, sed sat est, quod vniuersaliter enuncietur: vnde tale dici de omni cõsilet in eo quod vniuersaliter prædicatum denotatur inesse subiecto: at in libro isto, quod enuncietur opus est, & etiam quod verè insit, & omni tempore, sicut in libro Topicorum requiritur, quod probabiliter insit, in libro verò Elenchorũ, quod apparenter: & hoc nota. Dices: nonne etiam est dici de nullo in hoc libro? dico esse quidẽ, nempè quod de nullo inferiori subiecti dicitur omni tempore, tamẽ quia ex affirmatione faciliè constat, vel quia affirmatiuum est præcipuum, & frequẽtius, illud prætermissum est.

Quid sit prædicat per se. Primus modus p dicandi per se.

Per se autem sunt, quæcunque sunt in eo.

Explicat modo, quid per se dicatur: ac in quatuor modos distinguit, primus est, prædicata quę sunt de definitione quidditatiua subiectorum, per se prædicãtur de ipsis, vt linea per se de triangulo dicitur, nam est de ipsius definitione: triangulus enim est figura plana tribus lineis terminata: similiter punctum est de definitione lineæ, est enim linea magnitudo, cuius extrema sunt duo puncta: atq; ad istum modum pertinent omnia prædicata, quæ sunt aut definitiones subiectorum, aut partes definitionum, vt genera, differentiæ, & horum partes. Notat autem Themist. quæ dicũtur per se hoc modo includere de omni, vt sit sensus, illa dicuntur per se, quæ cùm sint de omni, sunt etiam de quidditate subiecti: nec oportet hic sentire cum Paulo Veneto, qui non solùm propositiones has, sed earum conuertentes ad hunc modũ reducit, vt animal est homo, rationale est homo. Alij etiam identicas, & disparatas reducunt, quæ omnia sunt præter mentem Aristotelis, qui solum de propriis propositionibus & naturalibus prædicationibus, quales ad demonstrationẽ sunt aptæ, loquitur.

Et quibuscunque eorum quæ insunt.

4. Secũdus modus p dicandi per se.

Secundus modus est eorum, quæ sic insunt subiectis, vt de eorum definitione sint ipsa subiecta, quales sunt passiones propriorũ subiectorũ, quæ per se inesse dicuntur. Notant hic Philopo. & Them. & benè, quod primus modus est prædicãdi per se iste inhærendi per se: propterea dicũt ista, quæ per se inesse dicuntur, esse accidentia. Notant etiam ijdem authores hunc modum non includere necessario dici de omni, nam potest accidens dici per se, quamuis non omni insit, vt simum inest naso, & grammaticum homini. Huiusmodi Aristot. ponit quatuor exempla, primũ de curuo, & recto, hæc enim per se insunt lineę, ac per eam definiuntur, nam rectum est linea, cuius extrema non egrediuntur à medio, curuum est linea, cuius extrema egrediuntur à medio: alterum exemplum est de pari, & impari, quæ per numerum definiuntur, vt notum est, tertium de primo, & cõposito, hæc enim insunt etiam numero.

Dubium. Exposi. Philop. & Alex.

Sed dubitabis, quid per hæc intelligere oportet? Philopo. & Albertus per numerum primum intelligũt eum, qui non est ex alio numero compositus, qualis est solus binarius, per compositum verò intelligunt quemcunque alium numerum: at melius cum Alexan. quem hic refellit Philopo. & cum D. Thom. dicamus, numerus primus est, qui sola vnitate mensuratur, quales sunt binarius, ternarius, quinarius, & ali: compositus verò est qui alio numero mensuratur, vt nouenarius, qui ternario mensuratur, & similes alij multi.

Expos. verior Alexand. & D. Th.

Quartum exemplum est æquilaterum & altera parte longius. Hæc Alex. dicit esse passiones figuræ. Philopo. verò melius attendens Aristot. in his exemplis, non alia subiecta ponere, quàm lineam & numerum, hæc duo posteriora etiam numeris attribuit, nam & numeri aliqui sunt æquilateri, aliqui altera parte lõgiores, vt docent Arithmetici quamuis possimus pro Alexandro dicere, quod ista sunt quidem in numeris, sed vt numeri faciunt figuras, vel quod non ascribantur numero, sed lineæ, nam hæc per lineam definiuntur, æquilaterum enim est habens lineas æquales omnes, altera parte longius habens inæquales lineas, & ita figuræ competunt, quæ ex lineis fit. Auerroes sumens ista duo in vniuersali dicit, esse passiones habentis latera, sed constat Aristotelem non hæc duo in vniuersali, sed vt numeris insunt, considerasse, & benè dicit Philopon.

Explicat quartum exemplũ Arist. secundum Philop.

Reijcitur explicatio Auer.

Quæcunque verò neutraliter sunt.

Themist. asserit hunc esse modum tertium per se, secundum quem accidentia dicuntur immediatè inesse alicui subiecto, vt color per se, id est, immediatè inest superficiei, mediatè verò, & per accidens substantiæ, quem modum Aristot. assignauit 5. Meta. c 18. sed profectò ista expositio non quadrat textui, vt satis clarè indicant exempla, albũ nempè & musicum insunt animali, hæc autẽ non immediatè inhærent propterea cum Philop. D. Thom. & reliquis dicamus, vt vult Aristo. docere reliqua prædicata, quę nec sunt de subiecti definitione, nec subiecta de eorum definitione, non per se, sed per accidens dici, quo pacto album & musicum per accidens animali insunt, non enim de eius definitione sunt, nec animal de eorum definitione: & non sumpsit hominem, nam iam musicũ per se illi ineesset, cùm homo sit de definitione musici.

Amplius quod non de subiecto, &c.

5. Tertius modus per se.

Tertius modus, vt explicant Themist. D. Tho. & Philop. quos cæteri sequuntur, est per se existendi, vt illa dicantur per se quæ per se existunt, quod Themist. & Philop. putant solum conuenire primis substantijs, hæ enim per se existunt, secũdæ enim & accidentia in primis existunt, licet cum discrimine, nã secundæ substantiæ sunt de natura primarum, non autẽ accidentia.

Aliter etiam exponit Philop. vt secundæ substantiæ dicantur etiam per se hoc modo tertio, quia non dicuntur de subiecto, id est, non sunt in subiecto, vult enim, vt p dici de subiecto, intelligamus esse in subiecto. Sed sine dubio dicendum est hic, illa dici per se, quæ substãtię sunt, siue primæ, siue secundæ, cum neutra inhæreat, nec oportet mutare verbũ Arist. nam non dixit, quæ cunq; de subiecto dicuntur, sed quæ de subiecto alio, id est, diuersõ dicuntur, & quod verum subiectum sit, quod etiam secundis inest substantijs quæ non de subiecto alio quodam dicuntur, sicut accidentia, album, ambulans, ac propterea per se dicuntur. Et hoc notauit, & benè Alber. mag. hoc tract. 2. ca. 9. & sic notus est tertius modus.

Dubium an id tanquã commemorat primis vel etiã secũdis subsitãtijs. Solutio.

Item alio modo quod quidem propter ipsum, &c.

7. Quartus modus per se.

Quartus modus, vt benè notant Græci, & D. Tho. cum cæteris, non est prædicandi, sed est inter causam potius & effectum: licet etiã fiant prædicationes: primus enim modus fuit per se prædicandi, secundus per se inhærendi, tertius per se essendi, quartus per se causandi: vt accuratè cæteris explicat D. Thom. ille enim effectus est per se alicuius causæ, quando propter ipsam est, vt interire secundum iugulationem est per se effectus iugulati, dicit interire secundum iugulationem, vt verbum sumatur pro morte illa, quæ ex tali causa sequitur: similiter, domificium est per se effectus domificatoris at quando effectus non propter illud est, per accidens ei dicitur, vt ambulanti accidit corruscatio, non enim quia ambulauit, corruscauit, similiter accidit fodienti vineam inuenire thesaurũ: hoc igitur est per se quarto modo, quod propriè ad causam & effectum refertur: & hoc est de modis per se, in quo nota cum Philop. & Themist. & D. Tho. ad initiũ lectionis 9. non omne de omni, esse per se, nam cygnus est albus, coruus est niger, de omni quidem sunt, non tamen prædicata per se prædicãtur primo modo,

Nota. Non omnem ẽ propositionem quæ-

est deo ni esse per se.

do, nec per se insunt subiectis, cùm nec est de eorum definitione, nec ipsa de accidentiũ talium definitione sint, vt patet, omnia tamen & semper insunt. Aduerte etiam alios esse modos dicẽdi per se, vt patet ex. 5. Met c. 18 tamen illi qui hoc loco explicati sunt, videntur magis pertinere ad negotium præsens, quamuis non omnes ad demonstrationem apti sint, ter tius enim non est prædicãdi, propterea non est ad demonstrationem.

8. *Quæ ergo dicuntur in simpliciter scibilibus, &c.*

Secundum ferè omnium sententiam, hic Arist explicat qui modi sint ad demonstrationem apti, quãuis non omnes æqualiter exponant. S. Tho. & alij ex Latinis de secundo intelligunt, hic enim est conclusio, quæ scitur simpliciter, nempe in quo de suo subiecto passio prædicatur, & ad hanc vtimur quarto modo, nempe in quo passionem de definitione, quæ causa est, prædicamus, vt ad demonstrandum hominem esse risibilẽ, sumimus animal rationale esse risibile. Aliter exponunt alij, & si ea colligamus in quibus pene omnes alij conueniunt (vt interim omittamus peculiaria dissidia Themist. Philo. & auct.) hæc illorũ est sententia: vel e Arist duos modos enarrare, primũ, & secundũ, horum enim est vsus ad demonstrandum, & literæ istis videtur fauere, quam aliqui se vertunt: quæ igitur dicuntur in simpliciter scibilibus per se sic, vt in sint prædicatis, aut illa insint subiectis, id est, hæc sunt, quæ ad simpliciter scientiam opus sunt: quamuis hæc verba non sint ita expressa in Græco sermone. Boet. vertit ad literam sic: sicut esse prædicatis aut inesse, illi enim duo infinitiui, esse & inesse, sunt Græcè eiusdem verbi, sed alter est actiuus, alter passiuus: ac si diceret, quæ sic sunt per se vt existãt in prædicatis, id est, sint de eorum definitione, qui modus est secundus, & hoc est esse in prædicatis, vel quæ sic sunt, vt ita loquar, vt exi tant à prædicatis, id est, prædicata sint de eorum definitione, qui modus est primus, & hoc est prædicatis inesse: est enim infinitiuus passiuus. Ex hoc patet hos duos modos esse ad demonstrationem aptos.

Exposi-tio Di. Thom.

Dub. an quartus modus p se inseruiat demonst. Sententia Philop.

Duo tabis fortè de quarto, nam vtimur eo in demonstratione, vt si dicas, appetenti vindictam sanguis ebullit circa cor, iratus vindictam appetit, ergo irato ebullit sanguis: maior enim est in quarto modo, nam effectus prædicatur de causa propria. Respondet Philopo. modum quartum non esse ad prædicationẽ, sed ad causalitatem, propterea vtilis est demonstrationi, quæ ex causa procedit, sed non componit ipsam. Quod si dicas, fiunt prædicationes secundum ipsum, ergo demonstrationem componit: posset dici illas prædicationes esse tã in primo aut secundo modo, nam ille non est prædicandi.

Exposit. Auct. Primus & secundus modus p se quando ad demõstrationẽ conducãt.

At quamuis ista sit expositio communis, & non spernenda, possemus Aristot. interpretari, vt velit hic ostendere, quãdo hi duo modi, nempe primus & secundus ad demõstrationem simpliciter apti sint, id autem fieri, quando sunt propter ipsum, & sunt ex necessitate, non enim semper primus est propter ipsum, vt quãdo genus, & differentia remota prædicãtur, vt homo est sensibilis, homo est substantia, non enim his ad simpliciter demonstrandum, vtimur, similiter non semper secundus est ex necessitate, vt nasus est simus, linea est curua, tunc autem ad demonstrationem apta hæc sunt, cum & secundum se, seu propter ipsa, & ex necessitate sunt: at quia dubium videbatur, quando secundus modus ex necessitate sit, id explicat dicendo, quãdo tales passiones cum oppositione prædicamus, vt linea est recta, vel curua, numerus est par vel impar: sic enim hæc ex necessitate sunt, & probat, nam ista simul iuncta sunt sicut primationes, aut contraria aut contradictoria respectu propri subiecti, quę necessariò sub disiunctione affirmãtur. Nota literam par aut impar in numeris secundum quod sequitur, Græcè enim est par,

est par, quod non impar, vt sit sensus, in numeris idem est dicere, quantum ad cõsecutionem, par, & impar, seu non impar & impar, vt ergo impar vel non impar necessariò de numero prædicantur, ita etiã par & impar: sic igitur explicatum est, quid de omni, quid per se sit.

9. *Vniuersale autem dico, &c.*

Quid sit prędicatum vniuersale.

Explicat tertium nempè vniuersale: tunc autem est vniuersale, cum non solum de omni, & de per se, sed etiam secũdum quod ipsum est: id autem inest alicui secundũ quod ipsum est, cum illi primo inest, & immediatè, vt risibile inest homini, & habere duos rectos, triangulo: est enim per se. homo est sensibilis, sed nõ secundũ quod ipsum, quia non vt homo, sed vt animal, est sensibilis: tale igitur vniuersale est necessarium, id est, hoc est necessarium, quo in demonstratione vtimur, non enim quodcunque necessarium ad demonstrationem aptum est, sed quod est vniuersale.

10. Solutur cõtradictio in Arist.

Per se autem & secundum quod ipsum, &c.

Modo id quod per se est, secundum quod ipsum asserit esse, in quo apparet contradictio, quia videtur discrimen inter ista assignasse, imò differũt, vt notat Theoph. aliquid enim est per se, quod nõ est secundũ quod ipsũ & vniuersale, vt diximus, & ita est, sed respondet Philop. non idem prorsus esse per se, & secũdum quod ipsum: habent enim se, vt supernus & inferius, vt notat S. Tho. omne enim secundum quod ipsum, est per se, & non econtrà: hic autem voluit Arist. dicere in aliquibus idem per se, & secundum quod ipsum: quamuis possimus dicere idem prorsus esse per se, & secundum quod ipsum, & quod ad vniuersale requiratur aliud, nempe quod insit primo, & postea subiungit.

11. *Vniuersale autem est tunc, &c.*

Explicat quid vniuersale sit exactè, nẽpe cum aliquid primò inest, vt habere tres angulos, inest quidem figuræ, sed nõ secundum quod ipsum, cum non omni insit: similiter inest isoscheli, sed non primò, cum non soli, triangulo autem inest primò, & vniuersaliter, & huius est demõstratio tanquam vniuersalis, quia potissima est demonstratio, in qua passio cum subiecto conuertitur, vt notat Philopo. reliquæ non sunt potissimæ, demonstrationes, in quibus passio cum subiecto nõ conuertitur. Hæc de interpretatione huius capitis quarti.

QVAESTIO I.

Quomodo accidentia definiantur per subiectum.

Accidentia esse duplicia.

QVm oportet hic adnotare circa modum secundũ, quo accidentia per sua subiecta definiuntur: accidentia sunt in duplici differentia, quædam quæ consequuntur aliquod subiectum specificum, nec ad aliud se extendunt, intra vnam speciem semper cõclusa, sicut risibile, grammaticum, quæ soli insunt homini: quædam alia subiectum commune consequuntur. & genericum, ac multis speciebus insunt, vt color, quãtitas, albedo, omnia autem accidentia à subiecto, aut vno, aut altero modo depẽdent: vt enim nunquàm per se existunt nisi in subiecto, ita neq; eorũ natura est absq; dependentia à subiecto: illa, quæ à subiecto peculiari dependent, habent se in duplici differentia, quædam ipsam naturam specificam secundũ se consequuntur, vt risibile, disciplinabile, hominis naturam secundum se respiciunt, quædam naturam illam quidem specificam consequuntur, sed non absolutè, nisi vt dispositione aliqua determinatur, vt similitas sequitur nasum, non absolutè, sed cum quadam dispositione.

Hinc oritur latum discrimẽ inter ista quæ enim sequuntur naturam secundũ se vniuersaliter ei insunt, vt risibile homini: quæ verò naturã cum dispositione non semper vniuersaliter, nisi in his in quibus natura sic est disposita, vt similitas, cæcitas, crispitudo. Præterea quæ se-

quantur naturam secundum se, simplices passiones sunt, vt risibile, disciplinabile, quæ verò naturâ dispositâ, multæ sunt, & sub disiunctione de natura vniuersaliter prædicantur, quia variæ sunt dispositiones, vt nasi passiones sunt simitas, aquilinitas, & reliquæ, quarum singulæ non vniuersaliter de naso prędicãtur, nisi simul cum disiunctione: tamẽ, re vera, singulæ habent suam determinatam dispositionem in subiecto illo distinctam ab aliis, quæ simul cum illa specie posset dici adæquatum subiectum illius: cum tamen non inueniatur nomen, sumimus pro proprio subiecto speciem communẽ & hoc docet Auer. hic dicens, par per numerum definire non est per subiectũ proprium, sed per genus definite subiecti, similiter impar, nam adæquatũ subiectũ est ille numerus, qui solùm pares, aut solùm impares continet, quod non est nominatũ: hoc autem, quod dictum est de his, quæ consequuntur speciem, dicendũ prorsus de his, quæ genus consequuntur: quædã enim naturam ipsius communem respiciunt, & hæc vniuersaliter insunt, & simplicia sunt, vt quãtitas corpus ipsum sequitur, color mixtum, & reliqua: quædam non genus absolutè, sed cum dispositione, & hæc varia sunt, secundũ varias dispositiones, vt albedo sequitur quidẽ corpus taliter dispositum nigredo, & reliqua similia, quamuis autem multa sint, dispositiones tamen habent proximas determinatas singula.

Nota discrimen.

Est autem discrimen inter hæc cõmunia, & illa propria, & particularia, hæc enim cum vni tantum insint speciei, semper propria dicuntur: illa verò quamuis re vera, respectu suorum subiectorum etiam propria sint, tamen quia multis insunt communia dicuntur. Ex quibus sit vnum notandum, quoties hæc tam propria, quàm communia de suo subiecto prædicamus, dicuntur per se: perse enim dicitur, corpus est quantum, mixtum est coloratum, sicut homo est risibilis, & corpus est album, sicut nasus est simus: at cõmunia respectu aliorum subiectorum nõ per se dicuntur, non enim per se dicitur nix est alba, coruus est niger. Sequitur etiam præterea, vt si exactè velimus vtra que accidentia definire, per sua subiecta definienda sint, vt enim simum per nasum, ita & album per corpus: licet hic fit notandum discrimen: cũ enim in cõcreto ista definiuntur, per subiectũ in cõcreto loco generis definiuntur, vt simus est nasus curuus, cum verò in abstracto, per subiectum in obliquo loco differentiæ definiri oportet, vt simitas est nasi curuitas, quod qua ratione id fiat, alibi est discutiendum.

Accidentia si exactè definienda sint, per sua subiecta debent definiri. 11.

Quod modis circa prædicatum vniuersale primum errare contingat: quoquemodo ipsum verè cognoscatur.

Cap. V.

TEXT.

OPortet autem non latere, q̃ plerunque contingit peccare, & non esse, quod monstratur primum vniuersale, secundum quod videtur monstrari vniuersale primum. Decipimur autem hac deceptione, quando vel nihil sit accipere superius præter † singulare.

[Aliquico. le. singulare, aut singularia, sed fortè ea verba, aut singularia, addita fuere.

2. Vel sit quidem, sed innominatum sit in rebus specie differentibus.

Secũdus error.

3. Vel contingat esse, vt in parte totũ, in quo mõstratur: ips enim quæ sunt in parte, inerit quidem demonstratio & erit de omni, sed tamẽ non erit huius primi vniuersaliter demonstratio dico autem huius primi secundũ quod huius demonstrationem, quando sit primi vniuersaliter.

Tertius error.

Si quis igitur monstrauerit, quòd rectæ non coincidunt, videbitur vtiq; huius esse demonstratio. † eo quòd in omnibus est rectis: non est autem: si quidem non quoniam sic æquales fit hoc: sed secundum quòd quomodocunque æquales.

Exẽplũ tertij erroris.

[Aliquico. ad p. priè.

Et si triangulum non esset aliud, quã æqui crus, secundum quod æqui crus videretur vtique ineſſe. Et propor-

5. Exẽplũ primi erroris.

Exẽplũ secundi erroris.

tionale, quod [& alternatim, secundũ q̃ numeri, & secundum quod lineæ, & secũdũ q̃ solida, & secundum quod tempora: quemadmodum & monstrabatur aliquando seorsum, cõtingens vtiq; de omnibus vnica demonstratione monstrari: sed quia non sunt nominatum quiddam omnia hæc vnum, numeri, longitudines, tempora solida, & specie differunt à se inuicem, seorsum accipiebatur: nunc autem vniuersaliter monstratur: non enim secundum quod lineæ, aut secundũ quod numeri inerat: sed secundum quod hoc quod vniuersale supponunt esse.

[Multi codi- nõ habẽt illud &.

6. Propter hoc neq; si aliquis monstrauerit singulũ triangulum demonstratione, aut vna, aut altera, quod duos rectos habet vnusquisq; æquilaterum seorsum, & gradatim, & æquicrus: nondum nouit triangulum, quod duobus rectis, nisi sophistico modo, neque vniuersaliter triãgulũ, neq; si nullum est præter hæc triangulum alterum: non enim secundũ quod triangulum nouit, neq; omne triangulũ, nisi secundum numerum, secundum speciem autem non omne: & si nullum est, quod non nouit.

7. Quando igitur non nouit vniuersaliter, & quando nouit simpliciter? Manifestum, quòd si idem esset triangulo esse, & æquilatero, aut vnicuique, aut omnibus: si autem non idem, sed alterum, ineſt autem secundum quod triangulum, non nouit.

Quo pacto cognoscatur prędicatũ vniuersale.

8. Vtrum autem secundum quod triangulũ, aut secundum q̃ æquicrus ineſt, & quando secundũ hoc est in primo, & vniuersaliter, cuius est demõstratio? Planũ, quod quando ablatis inierit primò, quẽadmodum æqui cruri, æneo, triãgulo meruntur duo recti, sed & quod sit aheneum, ablato, & quòd æqui crus, sed non figura, aut terminus: sed non primis. Quo igitur primò? siquidem triangulo, secundum hoc ineſt & alijs, & huius vniuersaliter est demonstratio.

Oportet autem non latere &c.

1. Cùm potissimam demonstrationẽ vniuersalis esse ostendisset, nempè cùm passionem de primo subiecto demonstramus, nunc quando in hoc erremus, ostẽdit, nam accidit aliquãdo existimare nos demonstrãsse vniuersale, & tamen nõ demonstrauimus, quod tripliciter docet accidere, primò quando est aliqua passio alicuius speciei, cuius non est nisi vnum aut alterum individuum, tunc de tali in diuiduo demonstrantes existimamus vniuersaliter demonstrasse, & non demonstramus, verbi gratia, si quis demonstraret, lunam eclypsari, nempè hanc, quæ vna est, existimans hanc esse primũ subiectum, cùm vnica sit, deciperetur, cùm id illi, non vt hæc est, sed vt luna est, & secundum speciem insit.

1. error.

Aut si sit quidem, sed innominatum sit. &c.

2.

Hic est secundus error, cùm nempè aliqua passio ineſt multis speciebus propter aliquod commune, quod tamen innominatũ est, tũc demõstrantes de illis, vniuersaliter credimus demõstrasse, sed non ita est, nisi de illo primo demonstretur, v.g. progredi ineſt equo, homini, & multis, non propter specificas rationes, nec quia animalia sunt, cùm non omne animal progrediatur, ineſt tamẽ ꝓpter aliquid commune innominatum, tunc si de his aliquis, tanquàm de primis demonstraret, deciperetur.

2. error.

Aut contingat esse sicut in parte.

3.

Tertius error est, cùm demonstramus de aliquo toto, quod vere est, vt in parte id est q̃ est inferius illo, de quo demonstrandum est, existimantes vniuersaliter demõstrasse, quia omnibus inferioribus illius ineſt, verbi gratia, si quis de viuenti sensibili demonstraret, quod augetur, crederet se vniuersaliter demonstrasse, quia omni viuenti sensibili id ineſt, sed non demonstrat, nãid, nempè viuẽs sensibile est pars, scilicet in modo, respectu eius, de quo primò demonstratur, nempè viuentis, cui primò ineſt augeri: & nota admodum hanc esse deceptionẽ, quãdo totum sumimus cum parte, quæ vocatur

3. error.

parsim modo,& demonstrantes de illa parte existimamus demõstrasse primò.

Si ergo aliquis monstrabit, &c.

4. Exẽpla errorũ & prẽterti.

Exempla eorum quæ dixit, proponit. incipit autem à tertio errore: si quis demonstraret, minquàm concurrere, de lineis rectis æquè distantibus, crederet vniuersaliter demonstrasse, sed non demõstrat: nam licet omnibus rectis æquè distantibus insit, nõ tamen quia rectæ sunt sed simpliciter, quia æquè distantes, siue rectæ sint obliquæ, vt notat Philopo. sive etiam tortuosæ sint: & nota illum errorem, est enim declaratio nostra, licet exemplum Philopo. etiam partim declaret. Circa literam nota illud verbum: Ni si quidem, esse legendum pro, si quidem non, vt sit litera absq; parenthesi huiusmodi. Si quidem non quoniam sic æquales, fiat hoc, sed quia quomodolibet æquales, & sic est sensus manifestus.

Et si triangulus non esset alius.

5. Exẽplũ primi erroris.

Exemplum primi erroris ponit, si nullus esset triangulus, nisi Iloscheles, tunc de illo demonstrantes habere tres angulos æquales duobus rectis, existimaremus vniuersaliter demonstrasse, & non id est, cùm non vt Iloscheles est, talis passio ei inest, sed vt triãgulus est. Secundi autẽ erroris exemplum est, si quis demonstret, proportionatim commutari de numeris seorsum, aut de lineis, aut de tempore, vniuersaliter videtur demonstrasse, quia non est nominatum aliud commune propter quod talis passio eis accidat, tamen re vera non est demonstratio vniuersalis, non enim lineæ, vt linea est, nec numerõ, vt numerus est id eis inest, hic aduerte commutatam proportionem eã dici, qua sicut se habet primum ad secundum, ita tertium ad quartum, ita se habet primum ad tertium, sicut secundum ad quartum. v. g. sicut se habent duo ad quatuor, ita sex ad duodecim, ergo sicut se habent duo ad sex, ita quatuor ad duodecim. Aduerte illa verba. Nunc autem vniuersale monstratur: non mutanda esse, vt pro. Nunc, legamus, non, sed sic debent legi, & tunc notat Philopo. quod nunc non dicit tempus, sed sensus: nunc, id est, quando de illo superiori demonstramus, vniuersaliter demonstramus, quamuis possimus dicere, sensum esse, nunc quando illud vniuersale non apparet, tanquàm vniuersale demonstramus licet non ita sit.

Cõmutata ꝓportio quædicatur.

Propter hoc nec si aliquis, &c:

6.

Nota hic, quod quamuis de omnibus inferioribus nullo dempto, demonstremus passionem, adhuc vniuersaliter non cognoscimus, quousque de primo demõstremus: vt si de omnibus speciebus trianguli, seorsum demonstraremus illam passionem, adhuc secundum speciem non cognosceremus, omnem, id est, nondum ipsam rationem trianguli communem cognosceremus, & sic non esset demonstratio vniuersalis.

Quando ergo non nouit vniuersaliter.

7.

Philop. vult Arist. hic exponere, quando demonstrantes de omnibus inferioribus demonstremus vniuersaliter, & quãdo nõ & dicit, quãdo superius non est aliud prorsus quàm inferiora, tunc demõstrantes de inferioribus vniuersaliter demonstramus, quod in æquinoctio accidit, quã ìò verò superius est aliud quid vt in vniuocis, non sufficit demonstrare de inferioribus: sed mihi videtur Aristotelem probare, quod ille non sciat vniuersaliter, qui per inferiora scit, sed sophistico modo, quia si idem esset triangulũ esse, & Isoscelẽ, & reliquas esse, tũc qui de omnibus inferioribus demõstrat, vniuersaliter demonstraret: cùm id non sit, alia est enim ratio superioris & inferiorum, ob id non demonstraat simpliciter, & vniuersaliter, qui de inferioribus demonstrat.

Verum autem secundum quod est triangulus, &c.

8.

Ponit regulam cognoscendi quando est subiectum primum, & duas partes habet: alteram, quando semotis aliquibus àre, adhuc passio illi inest, talia semota non erãt illius passionis subiecta prima, vt si

Regula ad cogn. primum subiectũ.

vt si triangulo æreo inest habere tres angulos, semoto æreo, adhuc manet passio, etiam semoto æquicrure, non ergo erãt hæc subiecta prima: alteram, quando semotis aliquibus, passio ausertur, tunc illud, quo primo semoto proximè ausertur passio, est subiectum primum: verbi gratia, ablato animali, & etiam ablato homine, ausertur risibile, sed ablato animali non ausertur primò risibile, sed ablato homine, homo igitur est subiectũ primum, similiter ablata figura, ausertur habere tres angulos, sed non primò, sed quia ausertur triangulus: triangulus igitur subiectum illius primum, & vniuersaliter, id est, primum subiectum & vniuersale, quo primum ablato ausertur passio.

Quomodo fit intellẽda illa ablatio.

Hanc ablationem oportet intelligere per intellectum, intellectione enim separamus. Nota pulchram regulã ad res examinandas, qua vsus est capite de aliquid: nota literam, quo igitur primò, id est quo ablato, ausertur primò habere tres angulos? Resp. si triangulo nempè ablato ausertur illa passio. Est, id est, triãgulus est primũ, & secundum eum inest talis passio alijs inferioribus ipsius.

Dubium An omne vniuersale demonstret de omni.

Dubitatur hoc loco, nam sæpè demõstramus vniuersale, & illud nõ est de omni, cùm non omni tempore sit, luna enim deficit, in hyeme sunt pluuiæ, & similes affectiones demonstrantur, quæ tamen non sunt de omni, cùm non omni tempore sint. Aliqui illas, vt aptitudinem dicunt, sumendas esse docent, quod falsum est, cùm non secundum aptitudines demonstrentur secundum actum: propterea dicendum, aliqua semper esse & euenire, tripliciter cõtingere: quædã enim dicũtur semper esse, quia incessanter sunt, & continuò, vt hominem esse risibilem: quædam, quia temporibus à natura determinatis nunquàm deficiunt, vt lunam deficere, solem oriri, & occidere: quædam, quæ temporibus certis & statutis plerumque eueniunt, vt pluuias esse in hyeme, & similia: horum omnium est scientia & demonstratio, vt docet Arist. 1. Post. c. 7. & 24. licet non in æquali gradu, & similiter sunt de omni, id est, semper eueniunt, aut sunt, modo tamen quo diximus: & hoc est ad mentem Peripateticorum.

Demonstrationem esse ex ijs, quæ sunt per se, ac necessarij.

Cap. VI.

TEXT.

SI igitur est demonstratiua scientia ex necessarijs principijs, quod enim scitur, non potest aliter se habere: per se verò inexistentia necessaria sunt rebus: alia quidem enim in eo quod est quid insunt: alijs autem, quæ de ipsis prædicantur, ipsa insunt in eo quod est quid, quorum alterũ oppositorũ necesse est inesse: manifestum q; ex talibus quibusdam sit vtique demõstratiuus syllogismus: omne enim aut fit ineſt, aut secundum accidẽs: accidentia verò non sunt necessaria. 1

Aut igitur sic dicendũ, aut principium ponendum, q; demonstratio necessariũ est: & si demonstratum est: non potest aliter se habere. Ex necessarijs igitur oportet esse syllogismum ex veris quidem enim est & non demonstrantem syllogizasse: ex necessarijs verò non est, nisi demonstrantem, hoc enim iam propriũ demonstrationis est. 2.

Signum autem, quod demonstratio ex necessarijs: quoniam & instantias iaferimus ad eos, qui existimant demonstrare, q; non necesse si existimemus, aut omninò cõtingere aliter, aut sermonis vtique gratia. 3.

Planũ autẽ ex his, & quod fatui sunt, qui se existimant rectè principia accipere, si probabilis sit propositio, & vera: veluti Sophistæ, [quod scire est scientiam habere. non enim † quod probabile, aut nõ principium est: sed [primum ipsius generis, circa quod monstratur: & verum & non omne proprium. 4. [a. quoniam. † a. l. eoq; [a. a. l. q; primũ.

Quod autẽ ex necessarijs oportet esse syllogismũ, manifestũ, & ex his. Si enim qui nõ habet rationẽ eius q; est propter quid, existente demonstratione non est 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

scienst esse autem posset, vt A. de C. ex necessitate esset. B. verò mediũ, per q̃ demonstratũ est, non ex necessitate mò scit propter quid, non enim est hoc propter medium: hoc enim contingit non esse, conclusio autem necessaria.

6. Præterea, si aliquis nõ scimit nunc, habens rationem, & saltus, salua re, nõ oblitus, neq; † prius sciuerat corrumpi autẽ posset mediũ, si non est necessariũ: quare habebit quidẽ rationẽ saluam, † salua re, non autẽ scimit neque igitur prius sciuerat. si verò non est corruptũ, contingit autem corrumpi, q̃ accidit, esset vtique possibile & contingens: sed est impossibile ita se habentem scire.

† al. co. ad igitur † al. l. saltus.

7. Quando quidem igitur conclusio ex necessitate sit, nihil prohibet mediũ nõ necessarium esse propter quod monstratum est: est enim necessarium & non ex necessarijs syllogizatũ esse, quemadmodum & verum non ex veris.

8. Quando autẽ mediũ ex necessitate & conclusio ex necessitate: quẽadmodũ & ex verisverũ semper: sic enim A de B. ex necessitate: & hoc de C. necessarium igitur & A. ipsi C. inesse. Quando autem non necessaria sit conclusio, neque mediũ necessariũ potest esse: sit enim A. ipsi C. non ex necessitate inesse: ipsi autẽ B. ex necessitate: & hoc ipsi C. ex necessitate: & A. igitur ipsi C. ex necessitate: inerit: sed non suppositum fuerat.

Quoniã igitur quod scitur demonstratiuè, oportet ex necessitate inesse, manifestũ, quod & per mediũ necessariũ oportet habere demonstrationẽ: aut non sciet neque propter quid, neque quod necesse est illud esse: sed vel existimabit nõ scies, si suspicetur tãquã necessariũ quod non necessariũ: aut neque existimabit, si militer, & si quod sciat per media, & si militer, & si propter quid & per immediata.

9. Accidentiũ verò nõ per se quomodo determinata sunt per se, nõ est scientia demõstratiua: nõ enim ex necessitate monstrare cõclusionẽ: accidẽs nanq; contingit nõ inesse, de tali enim dico accidẽte.

Atqui dubitare fortasse quispiam posset, cuius causa hæc oportet interrogare de his, si nõ necesse est conclusionẽ esse: nihil enim differt, si quis interrogatus quæcunque, postea dicat conclusionem. 10

Oportet autem interrogare, non tanquàm necessarium sit propter interrogata, sed quoniam dicere necessarium illa dicenti, & verè dicere, si verè sint in existentia. 11

¶ Si igitur est demonstratiua scientia ex necessarijs, &c. 1

Iuxta Græcorum & Arabum expositionem, Arist. probat demonstrationem constare ex his quæ sunt per se: sumit autem pro medio, quod ex necessarijs procedat, & in eo probando caput totum explet: sequendo igitur Themistij expositionem, facit hoc argumentũ: quæ sunt per se, sunt necessaria, demonstratio procedit ex necessarijs, ergo ex his, quæ sunt per se. Arist. minorem primo loco ponit & probat, quia demonstratiua scientia non potest aliter se habere, ergo procedit ex necessarijs: & ita demonstratio est ex necessarijs, maiorem probat, quia quę sunt per se, aut sunt de definitione subiectorum, aut subiecta de definitione ipsorum, sed hæc vtraq; sunt necessaria, quãuis enim aliquæ passiones per se nõ prædicentur necessario, tamen si cum oppositis sumantur, necessario prædicantur, vt diximus. At posset quis obijcere, vt notat Themist. illum syllogismum esse nullum, cùm in secunda figura ex puris affirmatiuis procedat: ostendit illam maiorem esse exclusiuam, nempè tantùm per se sunt necessaria, & tunc est bona consequentia, nam æquipollet huic, omnia necessaria sunt per se, & tunc syllogismus est in prima figura, probat autem sic: quę dicuntur, aut per se, aut per accidens dicuntur: at quæ per accidens sunt, necessaria non sunt, sola ergo per se, necessaria sunt, quod superius dixit, quę neutro modo insunt, accidentia sunt, & sic est clarus contextus. Intẽtio & continuatio Arist. Albert. c. 15. monet dubiũ & respon. in terminis cõuertibilibus licèret q̃ idem sit.

Dubitat Themist. 14. nam aliquod per Dubiũ.

per accidens necessarium videtur, vt cygnus est albus, corvus est niger. Respons. Themist. duplex necessarium: alterum simpliciter, quod omnibus quibus inest, necessariò inest, qualia sunt per se, alterũ secundum quid, quod non omnibus, quibus inest, necessario inest, qualis albedo multis enim inest, quibus nõ necessario inest: ob id igitur talia non sunt necessaria, cùm solum secundum quid necessaria sint. Solutio.

Nota. Aduerte S. Thom. Egid. Caiet. & alios aliter rationem hanc inducere: nempè vt velit Aristot. probare demonstrationẽ procedere ex necessarijs, & sumere pro medio, quod procedat ex his, quæ sunt p se, tamen melius est vt sequamur expositionẽ prædictũ Græcorũ, quamuis Philopo. rationem non sub illa forma componat, sed existimet rationem esse hypothetică & necessariam, quamuis non reducatur ad formam syllogisticam, non enim, vt inquit ipse, omnis consequentia necessaria ad syllogismũ reduci potest. At aptior videtur expositio Themist. quàm prius proposuimus, licet etiam possimus interpretari secundum expositionem Philopon.

2. *Aut igitur sic dicendum, &c.*

Probat Arist. demõstrationẽ p̃cedere ex necessarijs. 2. ratio. Incipit probare demonstrationem ex necessarijs procedere, & inquit, aut id sic dicendum, id est, aut id simpliciter absq; vlla ratione alia fatẽdum est, aut ad eius probationem supponendum esse principiũ hoc, scilicet demonstrationem, id est, conclusionẽ demonstrationis esse necessariã, & quod demonstratur nõ posse aliter se habere, ex quo habetur primũ argumentũ: conclusio est necessaria, ergo p̃cedit ex necessarijs, & probatur consequẽtia ex differẽtia, quæ est intra demonstrantẽ, & non demonstrantẽ: qui enim non demonstrat, ex veris nõ necessarijs potest colligere, vt si dicas, omne animal est animal, omnis homo animal est, ergo omnis homo est animal: at qui demonstrat, ex necessarijs procedit, imò hoc demonstrationi est proprium, & non ita illud verbum litęræ, sed aut, quo frequentius Boetius vtitur pro dictione exceptiua, nisi, vel præter.

Signum autem est, quod demonstratio. 3.

Hoc est secundum argumentum ex signo, omnes enim, qui contra aliquam demonstrationem instant, & nõ esse demonstrationem probare contendunt, sic procedunt, probantes quoniam non sit necesse, id est: quod non ex necessarijs sit siue reuera id ita esse opinentur, siue gratia orationis tantùm & disputationis id velint probare, hoc medium assumunt quod non sit ex necessarijs. 2. ratio.

Manifestum autem ex his est, 4.

Infert eos esse stultos, qui existimant demonstrasse, dũ ex veris & probabilibus procedant, cùm non probabilia sint demonstrationis principia, sed propria & prima generi, id est, subiecto de quo demonstratur, & hæc necessaria sunt: non autem omne verum aut probabile est proprium huiusmodi & necessarium.

Circa literam aduerte primò, illa verba, quoniam scire scientiam est habere, non eodem modo exponi, nam S. Tho. Aegid. & alij ea accipiũt, ita vt sint ratio stultitiæ illorum, qui ex probabilibus p̃cedẽtes demonstrasse se existimãt, vt sit sensus, quoniam scire scientiã est habere id est, scire & demonstrare est scientiam habere. scientia autem est eorum quę aliter se habere non possunt.

At Philopo. Auerr. & Lincon. illa intelligunt ita, vt sint quædã propositio vulgatæ demonstrationis, quã Protagoras se facere existimabat, ea enim erat, scire est scientiam habere, qui habet aliquid, scit quid illud sit, ergo qui scit, scit quid scientia sit: hæc enim demonstratio non est, tantum enim probabile illud est, qui habet aliquid, scit quid illud sit, non est autẽ necessarium: hæc expositio est magis literalis. Expos. Philop. & Lincõ.

Aduerte præterea ad aliquam conclusionem posse adduci rationes in duplici differentia, vel communes, vel proprias, communes sunt, quæ nõ per particularia Nota. Ratiões ad cõclusionis p̃

bationē deductas ex cōmunibus tam posse esse propias

principia subiecti illius procedant, sed per communia, etiā alijs subiectis conuenientia: vt si velis probare hominē esse risibilem per communia, sic dices, omne proprium ineſt suo subiecto, risibile est proprium homini, ergo risibile ineſt homini, est ratio communis, quæ multis subiectis ineſt, per eam enim quælibet propria possent probari: similiter si velis probare iustitiā esse bonā, dices sic, à quo removetur vnū contrarium immediatum, illi ineſt alterum, à iustitia removetur malum, ergo est bona: ratio communis ista est, qua multa alia subiecta probātur. Propriæ rationes sunt quæ ex peculiaribus subiecti principijs procedunt, vt si hominē esse risibilē probes, quia est animal rationale, & iustitiā esse bonā, quia est habitus tribuens cuique quod suum est.

Not. Omne verū non esse propriū aut aptū demenstrationi,

Attēde igitur demōstrationes semper ex proprijs procedere, ob id dicitur, non omne verū proprium est, nec demōstrationi aptū, sunt enim cōmunia vera, probabilia, & aliquādo necessaria, nōtamē ex eis demonstratio fit, sed ex proprijs.

Quod autem ex necessarijs, &c.

5. 3. ratio.

Tertium argumētum huiusmodi est, syllogismus, quo existente non scimus, nō est demonstratio, sed per eum qui ex necessarijs nō procedit, non scimus, ergo non est demonstratio, probatur minor, quia non cognoscimus propter quid & causam conclusionis necessariæ: & ostenditur: sit conclusio, omne C. est A. necessariæ sint præmissæ, omne B. est A. omne C. est B. contingentes, poterit medium corrumpi manente conclusione, cùm sit necessaria, & medium cōtingens, non est igitur illud causa, nā si causa esset, illo ablato auferretur cōclusio, at conclusio non tollitur, non ergo tale medium est propter quid conclusionis: vnde concluditur, quod non est demonstratio conclusionis necessariæ, medio existente non necessario.

Amplius si aliquis nescit.

6. 4. ratio.

Quartum argumentū est, supponatur q̄ verum est, quatuor esse causas propter quarū singulas ignoremus conclusionem aliquam quā scimus, prima quia ipse homo moritur, & amittit scientiā illam, saltem eo modo, quo sciebat: altera quādo res ipsa mutatur & non se habet sicut se habebat: tertia quando obliuiscimur illius: quarta quando perit ratio qua illā cognoscebamus, at quando hæc quatuor sunt, absque dubio rem scimus, & non scire, est argumentum aliquid ex his deesse: tunc argumentor, habeat aliquis demonstrationē quod homo sit animal per medium contingens, quia omnis homo ambulat, si iste scit; pone casum vt non ambulet, tunc peto an sciat, clarum est quod non, cùm non sit medium: tunc est argumentum, manet iste vivus, manet res eadem, scilicet homo est risibilis neq; est oblitus, & ratio perseverat, quia syllogismus ad hoc est, & non scit cū his, ergo profectò ratio deest, quæ cùm sit eadem, sicut per eam modo non scit; nec per eam ante sciebat, etiam medio nō destructo: si enim illa esset ratio, semper per eam sciret, cùm eadē ratio maneat, quod si dicas medium non esse corruptū quando scit: potest tamen corrumpi sine dubio, quod accidit, & conclusio etiam erit contingens, sicut medium, hoc autē non est scire.

Cùm igitur conclusio quidem, &c.

7.

Explicat qualiter syllogizando necessariū se habeat, ac tria principia statuit, primum est: Nihil prohibet conclusionem esse necessariam, & medium contingens per quod monstrata, id est, syllogizata est, & probat, vt enim verum ex non veris, ita & necessarium ex non necessarijs inferri potest: hoc intellige nō de demonstratione, sed de syllogismo, quo ad illationem. Secundum principium: Si præmissæ necessariæ sunt, conclusio necessaria erit, probat ex principio dici de omni. si enim omne B. necessario est A. & omne C. necessario est B. etiā omne C. necessario erit A. Tertiū, Cùm conclusio non est necessaria, præmissæ non erunt necessariæ, hoc probat ex secundo principio, detur enim conclusio non necessaria C. est A. præmissæ verò B. est A, C. est B. necessariæ: tunc per secundum principium, si præmissæ sunt necessariæ, conclusio erit necessaria, & per se erat non necessaria, erit ergo necessaria & non necessaria, quod est impossibile.

Necessariū posse colligi ex nō necessarijs nō autē demonstrari.

Quoniam igitur si scit demōstrationē, &c.

8.

Concludit iam, vt notat Philop. nempè demōstrationem esse ex necessarijs, dicitq; cùm id, quod demonstrationē scitur, sit necessarium, oportere vt sit ex necessarijs demonstratio, & per medium necessarium: aliter eam nec quia, nec propter quid, id est, nulla demōstratione cognoscet, quare conclusio nō erit necessaria, nisi sciat nēpè per propositiones necessarijs: sed si existimat propositiones esse necessarias, & non sunt, tunc opinabitur se scire & demōstrare, & reuera nescit, quia nō sunt necessariæ; si verò non sunt necessariæ, nec existimat esse necessarias: tunc nec sciet: nec similiter opinabitur se scire: ac si in his dicat, adeo verum est demonstrationem ex necessarijs procedere, vt nullus opinetur se demonstrare & scire, nisi simul ex necessarijs opinetur se demonstrare: quod si non opinetur ex necessarijs procedere, non opinabitur se scire: quod si opinatur esse necessaria, & non sunt, opinabitur se scire sed non sciet, & hoc, siue procedat per media, id est, mediata, siue per immediata & propter quid. Aduerte per demonstrationem quia, intelligi demonstrationem quæ ab effectu procedit, per demōstrationem propter quid, quæ à causa, de quibus inferius dicemus.

Accidentium autem, &c.

9.

Quia accidentia aliqua necessaria videbantur qualia sunt inseparabilia, quorum non est scientia nec demonstratio, ne erremus, vt notat Themist. Philopo. docet solius accidētis illius esse demonstrationem, q. per se est eo modo, qui definitus est capit. 4. ac propterea dicit non esse scientiam illius, quod cōtingit non inesse sub quo verbo etiā inseparabilia comprehendit, ad differētiam propriorum: & probat horum nō esse scientiam, quia non sunt necessaria, quod postea discutiemus in fine capitis.

Et tamen ambigat forsasse, &c.

10. Obiect.

Obijcit his quæ dixit de accidētibus, si enim necessaria nō sunt, nihil ex eis necessariū cōcludetur, vt quid igitur ex illis syllogizamus, & de illis respōdenti interrogationes facimus, cū nihil magis ex interrogatis necessariū sequatur, quā si quælibet propositiones ad libitū sumeremus? & hoc significant illa verba: differt enim nihil, si aliquis interrogatus cōtingentia, id est, quæuis, postea dicat cōclusionem: vt bene interpretatur Philop. hic enim est sermo de Dialectico, qui ex probabilibus & cōtingentibus procedit, ac de eis suas facit interrogationes, quæ videntur superflua, si nihil necessarium ex datis cōcludendum sit: circa literam nota illud cuius causa hæc oportet interrogare de his, id est, quare hæc accidentia petimus, vt per ea cōcludamus. & nostras faciamus cōclusiones de his, id est, de accidētibus eisdem, cùm non sint necessaria.

Oportet autem interrogare.

11.

Respondet circa accidentia nos vti in interrogatione, non vt quicquam necessarium concludatur, sed vt necessario concludamus, & ex datis & concessis à respōdente, ipsum ad concedendam cōclusionem conuincamus, & si concessa sunt vera, etiā ad cōclusionem veram admittendam cōpellamus, ac propterea nō est inutile interrogare: in quo duplex necessitas, vt notat Philop. insinuatur. & illationis, seu secundū consequentiā, & similiter cōsequentis, seu secundum rei naturam. Est enim aliud cōclusionem esse necessariam, aliud inferri necessario, vt alibi diximus. Vult autem Arist. in hoc docere, necessitatem demonstrationem non solā esse secundum illationem, hæc enim in accidentibus etiam inuenitur, sed etiam absoluram, quæ dicitur necessitas consequentia. Hæc de capite sexto.

Necessitatē aliā esse cōsequentiæ aliam ea sequens.

QVAE-

QVAESTIO. I.
¶ Circa caput sextum.

1. Argu. ADuersus ea, quæ in textu cõtinẽtur est argumentum primũ, dicit enim proprium esse demõstrationi ex necessarijs procedere: cõtra hoc arguẽtor: nã sunt syllogismi ex necessarijs procedẽtes qui tamen demõstrationes nõ sunt, vt patet in his, quæ ex effectibus procedũt, vt cùm animalia corruptibilia esse, ex eo quod senescant probamus: & ignem esse, quia cineres sunt: similiter quando ex signis certis procedimus, vt lac habere, probat peperisse: & esse fructus, arborem floruisse coniungit: hæc omnia necessaria sunt, tamen demonstrationes non sunt, cùm non ex causis procedant, non ergo hoc demonstrationi est proprium.

2. Argu. Secundo contra rationem tertiam argumentor, probat enim conclusionẽ necessariam non scire propter quid per medium contingens, quia cum hoc possit non esse, non erit causa eius, quod necessarium est: hoc videtur falsum, nam contingens potest esse causa necessarij, vt patet si vulnus aliquod letale infligatur equo, est causa, & cõtingent, quod equus nunquam amplius viuat, hoc autem necessarium est, ergo contingens est causa necessarij.

3. Argu. Tertiò ex illis quatuor, quæ ad scientiam sunt necessaria, videtur, vt non sit obliuio, necessarium nõ esse, nam si quis rationem habet, oblitus non est, non ergo oportet addere, quod rationẽ habeat & obliuio non sit: immò vlterius videtur falsum quòd scientia destruatur per mortem, cùm maneat anima immortalis quę scire possit.

4. Argu. Quartò videtur cõtradictio expressa in dictis Aristo. hic enim dicit quod nec quia, nec propter quid per contingens possumus cognoscere necessarium, at. 2. Prior. cap. 2. dicit: per falsum, verum colligi quia, sed non propter quid.

5. Argu. Quintò sunt accidentia, quæ non sunt per se, tamen non contingunt separari, ergo falsum docet, quæ nõ sunt per se, cõtingere nõ inesse: probatur antecedens, de albedine quę inseparabiliter inest cygno, vt & nigredo coruo.

Circa primum oportet aduertere rationes quæ inferunt conclusionẽ necessariam, se habere in duplici differẽtia, quędam simul probant necessariam conclusionem, & causam ostẽdunt, propter quã est necessaria, & istæ sunt potissimæ demonstrationes, de quibus præcipuus sermo in præsenti est, quę per proprias causas procedunt: quædam sunt quæ conclusionem necessariã probant, sed nõ dant causam quare necessaria sit: huiusmodi sunt illæ, quæ per causas remotas procedunt, vt omne animal rationale est vegetatiuum, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est vegetatiuus. Similiter sunt illę quę ab inferioribus ad superiora procedunt, vt omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substãtia. Similiter sunt illæ, quæ ab effectu procedunt, vt omne risibile est animal rationale, omnis homo est risibilis, ergo omnis homo est animal rationale. Item sunt illæ, quæ à signo sunt, vt omne quod orbiculariter illuminatur, est rotundum, luna orbiculariter illuminatur, ergo est rotunda.

Nec existimes idẽ esse signum & effectum: superius enim est signum, nam & causa signũ dicitur aliquando, vt Iris est signum pluuiæ, & causa materialis, similiter aliqua signa sunt quæ nec causa, nec effectus sunt proprię, vt lac habere, signũ est quod peperit: & fructus habere, quod arbor florruit, quę nec causa, nec effectus, vnum alterius dicuntur.

Aduerte secundo ex Aris. 1. Rheto. ad Theod. ca. 2. duplex esse signũ, quoddam necessarium, & insolubile, q. Græcè dicitur τεκμήριον quoddam probabile, & solubile, quod dicitur non habere propriũ nomen: illud insolubile & necessarium est, quod semper infert signatum, nec deficere contingit, vt, cineres, & fumus sunt signa necessaria ignis: & arteriam moueri inordinate, signum aduersæ valetudinis, & hoc dicit pulcherrimum signum esse, & scientiam efficere in Rhetor. ad Alexã. ca. de signo. Illud necessarium nõ est, sed probabile, quod non indicat necessario rem, vt esse pallidum, est signum probabile, quod aliquis fuerit tũ ore perterritus, non necessariũ: & hoc dicit inducere opinionem in Rheto. ad Alex. Ex hoc signo clarum est fieri Topica argumẽta: at ex illo signo necessario, quod alii qui signum necessarium, vestigium, & indicium vocant, argumenta trahimus dupliciter, vno modo, probantes rem contingentem, necessario tamẽ, quoties sub tali signo cõtingentia subsumimus, vt, is habet febrim cui arteria inordinatè mouetur, sed mouetur Socrati, ergo habet febrim: conclusionem cõtingentem necessario ex signo probamus, quia cum minori non necessaria cõiungimus, quo modo & hetorici vtuntur etiam necessarijs: licet Quintilianus li. 5. talia signa necessaria ab arte probabilium sine ratione reiecerit, & talia argumenta. Topica sunt, nec ex necessarijs procedũt, cũ non omnes propositiones necessariæ sint. Altero modo cõclusionem necessariã, probamus, cũ etiã sub eis subsumimus necessariũ, vt q. orbiculariter illuminatur: rotundũ est, luna orbiculariter illuminatur, ergo est rotũda, totũ est necesiarium & de syllogismo à signo loquimur dicẽtes, probare cõclusionem necessariam, sed non dare causam, quare sit necesaria.

Aduerte tertio dubiũ esse, an hi syllogismi, qui non per causam propriam conclusionem necesariam probãt, demonstrationes sint: si enim nõ sunt, quomodo ex necesarijs procedunt, si autem demõstrationes, quomodo nõ ex proprijs causis probãt? Philo. 1. Post. ca. 3. com. 15. vocat eos syllogismos, qui ex huiusmodi signis necesarijs & effectibus procedunt, demõstrationes cõiecturales, quasi non perfectè demõstrationes. Alex. 1. Top. ca. 1. dicit, tales syllogismos posse dici demonstrationes, cum ex necesarijs sint, posse aũt dici topicos, quatenus dialecticus ex his, aut ex probabilibus procedit, sunt enim loca dialectica etiã necesaria, vt à definitione, à definito, à proprio, genere, &c. sed his dialecticus tanquam probabilibus vtitur.

Mihi in hoc videtur dicendum omnes illos syllogismos, præter eũ, qui à propria causa procedit, esse imperfectas demõstrationes, quas eós vocat Ari. quia, seu quod est, quasi declarantes & probãtes rẽ esse necesariam, nõ ostensa propria causa: & in hoc loco, cum dicit demonstrationi esse proprium ex necesarijs procedere, comprehendit vtramque: tã quia, quam propter quid: & hoc patet, nam paulò inferius dicit, mediũ cõtingẽs nõ posse esse cõclusionis necesarię, nec in ratione qa, nec propter quid: & sic soluitur argu. 1.

Ad secundũ laborat Aegidius respondẽdo, adducit tres solutiones, prima, q. vulnus est causa solius mutationis & corruptionis equi, quę nõ est necesaria, cum iam trãsierit: dicit secũdo, q. vulnus per accidens est causa mortis, quia nõ intendit corruptionem, sed generare formam cadaueris, & hęc nõ est necesaria, tertio dicit, q. non est necesariũ, quod equus sit semper mortuus, quia potest redire, non idem numero, sed idem specie, cum ex illius materia possit alius generari equus.

Sed profectò in re facili nõ opus erat cumulare tot solutiões, dico igitur, aliud esse causam rei, quæ est necesaria: aliud esse causam, quòd sit necesaria: contingens facit rem, quæ est necesaria: vulnus enim fecit equũ esse mortuum, quod necesariũ est, postquam factũ est, sed nõ est causa quod sit necesariũ, nã ab alijs causis prouenit q. id necesarium sit, nempe quia idẽ numero corruptũ nõ potest materiam eandẽ informare, vel quia idem tẽpus non potest restitui per accidẽs ergo est cõtingens causa necesarij, nõ per se: cum ergo in demonstratione, nõ per accidẽs causas, sed per se indagemus, nunquam cõtingens necesarium demõstrat; & sic soluitur argumentum secundum.

1. Fundæ. Rationes quib⁹ necessaria cõclusio colligit, partim causã tradere cur sit cõclusio necessaria, partim verò non tradere.

Signo necessario quo res cõtingẽs necessario quandoq; probet, quomodo aliquando res necessaria.

Nota signũ & effect⁹ differunt.

2. Fũda. duplex signum.

3. Funda.

Solutio 1. Argu.

Ad 2. solut. Aeg.

Solutio auctoris. Contingens efficere rem necesariam sed nõ vt sit res necessaria.

Ad.3. ex Philop. Ad tertium respondet Philop. solum tria annumerasse, nempe, rationé, quòd res sit, & subiectũ sit, illud aliud sub hoc includitur, & est probabile. Ac alij illud, nempe nõ esse oblitum distinguunt ab alijs, & tunc respondet Aegidius, quòd potest quis habere rationé conclusionis, & oblitus esse conclusionis, cum non illam rationem applicat conclusioni, licet verũ sit, si rationem applicatam habet, nõ posse oblitum esse: vtraq; expositio est bona & textui quadrat.

Ex Aegi.

Ad aliã partẽ ar. Animam rationalem non esse mortalẽ. Scientia quo sensu interire dicatur, homineo, q habuit mortuo.

Ad aliam partem dico, non esse colligendum ex hoc textu, secundum mẽtem Aristotelis animã rationalem esse mortalem, quod falsum est, vt euidenter ex alijs locis Arist. suo loco deducemus, vtq; docent Theoph. Themist. Simp. Philop. Ammo. & præstantissimi quiq; Arist. interpretes. Solũ enim voluit dicere, quod quando homo moritur, licet maneat eadem scientia in anima: tamen iam est alius modus cognoscendi, quia non intelligit abstrahendo à phantasmate, sicut quando erat in corpore, vel quod iam illa scientia nõ est hominis, cum homo sit compositum, quod moritur: scientia verò quantũ ab subsistãtia, & cognitionẽ, manet in anima, modo cognoscẽdi mutato.

Ad.4. Ad quartũ dicitur q; dupliciter se habet per, quia syllogizamus, vno modo, quantum ad illationem, & sic ex falso verum inferimus, quod dicitur. 2. Prior. altero modo quãtum ad probationẽ, & sic nullum falsum verũ probat, nec cõtingẽs necessarium, & hoc est, quod hic dicitur.

Ad.5. ex Philo. Ad quintum Philop. in præsenti duas adhibet solutiones, altera est, quod cornus potest separari à nigredine per intellectum, non aũt homo a risibilitate: sed hæc solutio non est exacta: nã sicut de natura hominis risibilitas: vtrunq; ergo subiectum potest ab accidenti separari.

Ex Themist. Altera solutio est etiam Them. c. 14. q albedo de se nõ est necessaria, & dicitur posse separari, quia nõ omnibus, quibus inest, necessario inest, & inseparabiliter: sed adhuc dubia est solutio, quia saltem respectu corui est necessaria, & de illo nig edo demonstrari posset.

Ex Aegi. Aegidius dicit, aliter se habere passionem aliter ipsum accidens inseparabile, nã subiectũ accidentis huius potest absq; eo intelligi, & cum opposito coniungi sine implicatione, possumus enim cornum album imaginari, nec erit repugnantia destruens naturam: at hominem absq; risibilitate possumus intelligere, & cum opposito risibilitatis minimè, quia esset implicatio: & ita interpretatur, quomodo tale accidens cõtingat non esse, & nos supra Porphyrium ita sensimus.

Ex Alb. At ad mentem præsentem Aristotelis æstimo esse dicendum, cum Alberto tract. 2. c. 15 illa dici necessaria, quæ vel sunt de essentia subiectorũ, vel subiecta sunt de natura ipsorum, qualia non sunt ista inseparabilia: quod si petas rationẽ horum, dicã, quia aliter non possunt de subiecto demonstrari, nam si albedinem de Cygno demonstras, non nisi per aliquid albedinis demõstrabis, tunc cum hoc etiam sit in Cygno, & non sit eius natura, quomodo de Cygno demõstrabitur, nisi ipsa natura sit causa? nota ergo, quare non sit demonstratio eorum, quæ inseparabiliter insunt, nisi per se insint, atque hæc de quæstione hac satis sint.

Demonstrationem ex proprijs cõstare oportere, quia est ex ijs, & de ijs, quæ sunt per se, nequelicere ex alio genere trascendentem monstrare.

Cap. VII.

TEXT.

1. Auerr. in media expositione in explanatione horũ textuũ vsque ad. 6. ferié Arist. variat, q causã præbet dubitandi.

QVoniam autem ex necessitate insunt circa vnũquodq; genus, quæcunque per se insunt, & secundum q vnũquodque, manifestum q & de ijs quæ per se sunt, sunt scientiales demonstrationes, & ex talibus sunt.

2. Accidentia enim non sunt necessaria. Quare non necesse est cõclusionẽ scire propter quid est, neq; si semper esset, non per se autem: veluti per signa syllogismi: quod enim per se, non per se sciet, neque propter quid propter quid autem scire, est per causam scire. Propter ipsum igitur oportet & medium tertio, & primum medium inesse.

3. Non igitur est ex alio genere trãscendentem monstrare, vt geometricũ arithmetica. Tria enim sunt, quæ sunt in demonstrationibus: vnum quidem; quæ demonstratur, ipsa conclusio: hoc autẽ est, quod inest generi alicui per se, vnum autem, dignitates: dignitates autem sunt ea, ex quibus, tertium: genus ipsum subiectum, cuius passiones & per se accidentia declarat demonstratio. Ex quibus qui dem igitur demonstratio, contingit ea dẽ esse: quorum autẽ genus alterũ, quemadmodum Arithmeticæ & Geometriæ, non est Arithmeticam demonstrationẽ coaptare ad accidẽtia magnitudinibus: nisi magnitudines numeri sint. Hoc autẽ vt contingit in quibusdam, posterius dicetur. Arithmetica verò demonstratio semper habet genus, circa quod demonstratio, & aliæ consimiliter.

4. Quare aut simpliciter necesse est idẽ esse genus, aut aliquo modo, si debet demonstratio transcendere: aliter verò, q impossibile, manifestum, ex eodem enim genere necesse est extrema & media esse: namq; si non per se, accidentia erunt.

5. Propter hoc Geometrię non licet mõstrare, quod contrariorum vna est scientia, sed neque quòd duo cubi cubus, neq; alij scientiæ, quod alterius.

6. Nisi quæcunque ita se habent inter se, vt sit alterum sub altero, vt perspectiua ad Geometriam, & Harmonica ad Arithmeticen.

7. Neque si quid inest lineis, non secũdum quòd lineæ, & secundum quòd ex principijs proprijs: vt si recta pulcherrima linearum: aut si in contrarium se habet ipsi circunferentiæ: non enim secũdum quòd proprium genus ipsorum est, sed secundum quòd commune aliquod.

8. Manifestum autem, & si fuerint propositiones vniuersaliter, ex quibus est syllogismus, quòd necesse & conclusionẽ perpetuã esse huiscemodi demõstrationis,

Caput hoc exponit Them. post.

& vt simpliciter dicam demõstrationis. ostendũ in ca. sui. 18 & 19 quod nõ sit hæc dict ambiguitatis.

9. Non est igitur demõstratio corruptibilium, neque scientia simpliciter, sed ita sicut secundum accidens: quoniam non † vniuersalis ipsius est, sed aliquando, & quodammodo. † al. l. vtiũ ter.

Quando autem sit, † necesse est alterã nonvniuersalem esse propositionẽ, & corruptibilem, corruptibilem quidem, quoniam & conclusio, existens, † non vniuersalem autem, quoniam hoc quidem erit, illud vero non erit, in quibus est: quare non est syllogizare vniuersaliter, sed quod nunc. † Ali. co. ad talis. Ali. co. ad propositio nẽ.

10. Consimiliter autem se habet & circa definitiones: quoniam definitio est, aut principium demonstrationis, aut demõstratio positione differens, aut cõclusio quædam demonstrationis.

11.

Eorum verò, quæ sæpè fiunt, demonstrationes, & scientiæ, vt lunæ defectus, manifestũ, q secundum quod quidẽ tales sunt, semper sunt: secundum q verò non semper, secundum partẽ sunt. [quẽad.] Co. Armodum autem defectus, cõsimiliter alijs. gr. nõ habet hæc verba.

12.

Quoniam aũt manifestum quod vnũquodq; demonstrare non est, nisi ex vniuscuiusq; principijs, si quod monstratur insit secundum q illud, non est scire hoc, si ex veris, & indemõstrabilibus monstratum sit, & immediatis. Est enim sic monstrare, quẽadmodum Bryso quadraturã secundum cõmune enim monstrãt talem rationes quod & alteri inerit: quo circa & in alijs coaptabuntur rationes nõ cognatis: igitur nõ secundũ quod illud scit, sed secũdũ accidẽs: neq; enim coaptari posset demõstratio & in aliud genus.

13.

Vnumquodq; autem scimus non secundum accidens, quãdo secundum illud cognoscamus, secundum q ineſt ex principijs illius, secundũ quòd illud, vt duobus rectis æquales habere, cui ineſt per se, quod dictum est, ex principijs huius.

14.

Quare si per se & illud ineſt, cui ineſt, necesse est mediũ in eadẽ cognatiõe esse: si verò nõ, sed quẽadmodum Harmonica per Arithmeticam. Talia autem monstrantur

15.

strantur quidem similiter: differunt verò, ipsum enim quòd, alterius scientiæ, subiectum namque genus alterius ipsum verò propter quid, superioris, cuius per se passiones sunt.

16. Quare & ex his manifestum, quod nō est demōstrare vnumquodq; simpliciter, nisi ex vnuscuiusque principijs.

17. Sed horū principia habet cōmune. Si verò manifestum est hoc, manifestum & quod nō est vniuscuiusq; propria principia demōstrare: erūt n. illa omniū principia, & scientia illorum domina omnium.

18. Et namq; magis scit, qui ex superioribus causis scit: ex prioribus enim scitur, cū ex nō causatis sciat causis: quare si magis scivit, & maximè. & si scientia illa esset, & magis, & maximè.

19. Demonstratio autem non coaptatur in aliud genus: nisi vt dictum est, geometricæ in perspectivas, aut mechanicas, & arithmeticæ in harmonicas.

20. Difficile autē est cognoscere, si scivit, aut non: difficile est enim cognoscere, si ex vniuscuiusq; principijs scimus, aut nō: quod est scire: existimamus autem, si habeamus ex veris quibusdam syllogismū, & primis scire, hoc autē non est, sed oportet primis cognata esse.

1. *Quoniam autem ex necessarijs, &c.*

HOc capite duo præcepta demonstrationis traduntur, alterum, demōstrationem ex proprijs principijs subiecti procedere, alterum, esse incorruptibilium, & eorum quæ mutari nō possunt. Repetitur igitur initio capitis demonstrationem esse ex his: quæ per se sunt, vel quia id interruptum erat probando ex necessarijs esse, vel quia vt notat Philo. adiungit aliud, quod prius non dixerat, nempe demonstrationem esse ex necessarijs, proprijs, & peculiaribus cuique subiecto, de quo fit demonstratio: vnde Enthymema facit: quæ sunt per se, insunt ex necessitate cuique subiecto, & secūdum quod tale est, id est proprie & peculiariter: ergo demōstratio est ex his, quæ per se sunt: addenda est maior, ex talibus enim necessarijs demonstratio fit, sicut superius dixerat.

2. *Accidentia enim nō necessaria sunt, &c.*

Infert, qui per accidentia procedit, nō scire propter quid, cum non sint necessaria, hoc autem iam superius declaratum est, imo, inquit, etiam si per ea quæ semper insunt procedat, nisi sint per se, non demonstrat, nec scit causam & propter quid, sed quod est per se, id est, conclusionem necessariam nō scit per se, id est per causam, quales sunt illi syllogismi, qui per signa procedunt, hi enim non sunt per causam, nec demonstrant, quia non ex per se procedunt. Dices, quomodo fit hoc? nónne iste est à signo, & effectu, omne risibile est animal rationale, omnis homo est risibilis, ergo omnis homo est animal rationale? tamen ex his, quæ per se sunt, procedit, hoc enim de signis necessarijs oportet intelligere, vt superius declarauimus: dico Arist. loqui generaliter, & de eo quod euenit communiter, vt talia signa necessario inferant, sed nō per propositiones vtrasq; necessarias, & per se, plurimū enim minores nō sunt per se, vt si dicas, cui inordinatè mouetur pulsus, is febri laborat: Socrati inordinatè mouetur: ergo laborat: ac ꝓpterea dicit Arist. nō ex per se procedere, quod ad demonstrationé est necessarium, nempe vt vtraq; propositio sit per se, & ob id optimè cōcludit, oportet primū medio, & medium extremo propter ipsum, id est, per se inesse, ac si dicat: vtraq; propositio debet esse per se in demōstratione, quod si aliquando id in signo accidit, id rarò, & per accidens est, nec talis est propria demōstratio, cum non ex causis procedat.

3. *Non ergo est ex alio genere, &c.*

Præcepti notandū quòd nō sit trā seundum de genere in genus.

Proponit primum præceptum, nempe non licet demonstranti, transire genera & subiecta, id est, non possumus passiones vnius generis de alio demonstrare, nec demonstratione vnius scientiæ conclusionem alterius scientiæ demonstrare sed ex proprijs cuiusque principijs proprias passiones probare. Sunt autem tria

tria in demonstrationibus, dignitates & principia, quę sunt fundamenta demonstrationum, est subiectum genus, de quo demonstramus; est passio quam vocant conclusionem, tanquam conclusam & probatam de genere: inter hæc tria nihil prohibet dignitates esse easdē in diuersis scientijs, nam illa vulgata principia per se nota, communia sunt Geometris, Arithmeticis, & reliquis: at passiones particulares sunt cuiq; scientiæ, sicut & subiecta: vt enim numerus, & magnitudo diuersa sunt, ita etiam & quæ eis accidunt, si enim eadem essent, similiter numerus, & magnitudo eadem essent: hinc fit, vt Arithmeticā demonstrationē non fit conuenire, id est, applicare in accidētia magnitudinibus, id est, ad probandas passiones magnitudinū, vt sit ratio hæc: scientiæ quæ habent diuersa subiecta, diuersas habēt passiones, non ergo passiones vnius subiecti per principia alterius scientiæ, quæ circa aliud subiectum est, probari possunt: at quia id aliquando licet, nempe cùm scientiæ sunt subalternans & subalternata, dicit se posterius hoc traditurum.

Dubium Dices, quare in demonstratione non annumerauit præmissas? dico hic per ipsam demonstrationem intelligere ipsas propositiones, & solum numerat ea, quæ extra demonstrationes sunt, nempè subiectum, passionem in conclusione, & dignitates, quæ omnia demonstrationem non componunt, vt talia sunt, sicut fecit in capite primo.

4. *Quare autem simpliciter necesse est, &c.*

Ostendit scientiam vnam nō demonstrare passiones alterius, nisi sit idē prorsus subiectum, aut aliquo modo idem, dicit hoc, quia quando subiectum vnū sub alio continetur, passiones superioris puterimus demonstrare de inferiori, vt passiones trianguli de Isoschele, passiones de homine, quæ sunt animalis: quando verò subiecta sunt prorsus diuersa, id non fit, probat, quia cum demonstratio ex his quæ per se sunt procedat, medium, subiectum, & passio debent adinuicem conuerti & propria esse, aliter per se non essent: non ergo per medium alterius subiecti possumus passionem de alio subiecto monstrare, non enim essent tunc per se.

5. *Propter hoc Geometræ non est demonstrare, &c.*

Exemplo manifestat vnam scientiam, quæ sunt alterius non demonstrare, Geometra enim non demonstrat, contrarium eandem esse disciplinam, non enim talis conclusio ex his quę Geometra docet, conficitur, est enim propria Metaphysico, & etiam Dialectico. qui, vt notat Philoponus circa omnia vagantur, intellige tamen non demonstraudo, sed probabiliter disputando. Alterum exemplum est. Geometra etiam non demonstrat, quod duo cubi faciant cubum, quia cubus non est materia Geometriæ, quæ plana, & superficialia considerat, sed est Stereometriæ, quæ corpora, & solida speculatur, cubus autem corpus est, & ita exponit Philopon. & notat, quod Aristote. intelligit per hoc qd duo cubi sunt vnus cubus, id quod est duplare cubum, vt sit sensus Geometria non demonstrat duplare cubum, sed Stereometria. Est aūt cubus corpus omnium laterū æqualium, qualis tessera, seu taxillus; duplare verò cubum, est dare cubum, alium in dupla proportione ad primum, & hoc est, quod Stereometria docet: & Philopon. ponit demonstrationem Apollonij, circa huiusmodi duplationem: at pace eius, alius est sensus Aristotelis quem egregiè docet Albert cap. 16. Duplare cubū qd sit.

Nota de solidis numerorū.

Quod vt intelligas aduerte, quod sicut Geometræ habent corpora cubica, ita & Arithmetici habēt numeros cubicos, qui ex bina multiplicatione super numerum quemlibet per se ipsum resultant, vt ter tria ter, quæ sunt viginti septem, est numerus cubus: bis duo bis, quæ sunt octo, & similes: est autem discrimen inter hos & illos cubos, quod cubus Geometricus non facit cubum alteri adiunctus,

vt

vt si taxillus supra taxillum ponatur, non fit cubus, sed trabs: ac si cubus vnus numerus multiplicet alterum, resultat cubus, vt octies viginti septem faciunt ducenta sedecim, quę etiam sunt cubus: hinc patet, quod subtiliter posuit Arist. exemplū in eo: quod proprium est Arithmetico, in quo insinuat, non solùm quando prorsus non attinent res vnius scientię ad alterā, non esse probandas abilla, vt in priori exemplo, sed etiam quando videtur eadem, sed non est eadem veritas, Geometra enim de cubo etiā tractat, sed non ei inest id quod cubo Arithmetico inest.

6. *Sed aut quacunque se habent adinuicem.*

Ostendit aliquando licere vni scientię probare quæ sunt alterius quando nimirum vnius obiectum sub alterius obiecto est, quas vocant scientias subalternas, sicut se habet Geometria ad Perspectiuā, & Arithmetica ad Musicam. Nota circa literam, particulam sed aut, loco exceptiuæ, nisi.

Dubium Quid requiratur ad subalternationem.

Aduerte ex doctrina communi tria requiri vt duæ scientiæ sint subalternę: primum est, quod subiectum vnius sit sub subiecto alterius, vnde Geometria non subalternatur Arithmeticæ, quia earum subiecta non sic se habent, vt vnum sub altero sit, est enim vna de numero, altera de magnitudine.

1.

2. Alterum est, q vnum subiectum sic sit inferius altero, vt non sit inferius quidditatiuè, sicut species respectu generis, tunc enim non essent duæ scientiæ, nam eadem est scientia generis, & speciei, vt animalis, & hominis. 4. Met. tex. 4. sed debet esse inferius accidentaliter per aliquam differentiam materialem, vt se habet linea visualis, de qua est perspectiua, & linea in communi, de qua Geometria est: & numerus sonorus, de quo est Musica, & numerus, de quo Arithmetica, sunt enim inferiora accidentaliter.

3. Tertium, quod scientia quę est de vniuersali, quæ dicitur subalternans, probet principia particularis, quę dicitur subalternata: ita vt conclusiones vniuersalis sint principia particularis scientiæ, vt patet. nam Musicus dicit sextam esse consonātiam imperfectā, nō probat, Arithmeticus id probat, quia est proportio superpartiens. Chirurgus dicit vulnera circularia difficilius curari, non probat, sed Geometra, quia latera magis distant in circulo. In his igitur scientijs docet Aristote. posse fieri transitum: sed hæc latius in fine expositionis capitis examinabuntur.

Neque si aliquid inest lineis, &c. 7.

Docet non solùm scientiam vnam probare non posse cōclusiones alterius, sed quamque scientiam limitem habere ex eo, quod tales passiones considerare debeat, quæ suo subiecto insunt secundum eius principia propria: quæ verò insunt, sed nō secundum principia propria, alijs scientijs relinquenda sunt, verbi gratia, scientia de homine considerabit ea, quę homini insunt secundum principia propria vt homo est, vt quod sit discursiuus, admiratiuus, risibilis: quæ verò communiter insunt, relinquet, vt quod coloratus quod quantus: similiter de lineis speculabitur Geometra, quod figuras componāt, quod faciant angulos, quod verò recta sit pulcherrima, aut contraria circulari, relinquet, quæ communia sunt, & non lineis, vt lineæ sunt, insunt: quæ doctrina est Arist. 4. Meta. ca. 1. & lib. 11. ca. 6. ex his habes scientias de suis subiectis, quæ eis insunt per se, & propriè considerare, & per media & rationes eis peculares: hoc enim est ex proprijs procedere.

Manifestum autem est, si fuerint, &c. 8.

Hic continetur alterum præceptū principale demonstrationis, nempè demonstrationem esse ex perpetuis, & in corruptibilibus propositionibus, quod patet, tum quia ex vniuersalibus procedit, vniuersa debet. lia autem insunt omni, semper, & per se, & secundum quod ipsum. Nota literam, cùm dixisset huiusmodi demonstrationē, nempe quæ procedit ex vniuersalib⁹ esse ex perpetuis, videbatur indicare aliā esse demonstrationem, propterea corrigit dicendo, vt melius dicam simpliciter demonstrationis, quasi nulla sit alia vera demonstratio, nisi quæ ex vniuersalibus procedit. Aduerte non esse aliud dicere demōstrationem esse perpetuorum quā quod veritates quę in demonstratione sunt, non mutatur, nec mutari possunt, semper enim triangulus habet tres angulos, nec vllo tempore succedet, & accidet quod non habeat. similiter de alijs veritatibus quæ sub scientia sunt & demonstratione.

Demonstratio perpetuorum.

9. *Non ergo demonstratio corruptibilis, &c.*

Docet non solùm propositiones esse incorruptibiles, sed q nec conclusiones contingat corruptibiles esse, quarū scientia & demōstrationes sunt, nā corruptibilium non est scientia, nec demonstratio nisi secundum accidens, & non vniuersalis: hoc dixit, vt notat Philop. & Themist. propter singularia, horū enim est demonstratio mediata, quatenus sub vniuersali continentur, ac ideirco dixit, vt notat Philop. sicut secundum accidēs, sed talis non est demōstratio propria & per se, cùm non sit vniuersalis, sed aliquando, & sic, id est, pro tempore certo: dum enim iste triangulus est, habet tres angulos, sed non semper est, sed nunc. Similiter Petrus est animal, nō semper est: talium igitur non est simpliciter demonstratio & scientia.

10. *Cùm autem ita sit &c.*

Ostendit, cùm conclusio corruptibilis est, vnam saltem præmissam esse corruptibilem, nā si esset vtraq; necessaria, conclusio nō esset corruptibilis: similiter nō erit vniuersalis, nam si corruptibilis, hoc quidem erit, hoc non erit, ex quibus est, ac si dicat, si propositio corruptibilis est, non erit vniuersalis, quia singularia, in quibus verificatur, quædam erunt, quę dam nō erunt, vt patet in hac, homo est ambulans, vel vnum singulare, vel multa, ex quibus est illa demonstratio, aliquo tē pore erunt, aliquo tempore non erunt, non erunt ergo vniuersalia, hæc enim omni tempore sunt.

11. *Similiter se habet de definitione, &c.*

Idem quod de demonstratione dixerat, nempe non esse corruptibilium, & de definitione tradit, non enim est definitio, nisi perpetuorū, & probat, demonstratio est ex perpetuis, sed definitio non est extra demōstrationem, cùm aut sit cōclusio, aut principium demonstrationis, aut sicipsa demonstratio positione differens, ergo & definitio est perpetuorum. Nota vtilis definitionis in arte Posteriorum non esse extra demōstrationem, vt superius diximus.

primus ex positio Auerr.

Hæc verba dupliciter exponūtur, vno modo ab Auerroe. 1. animæ, com. 11. dicit, tripliciter esse definitionē, altera est passionis, vt risibile est aptum ad risum, altera subiecti, vt homo est animal rationale, tertia est ex vtroque cōgregata, vt animal rationale, aptum ad risum, illa quæ est passionis, dicitur conclusio, quia demonstratur per definitionē subiecti, quæ ob id dicitur principium, vt omne animal rationale est aptum ad risum, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est aptus ad risum, tota verò ex vtraque aggregatio dicitur demonstratio differens positione, quia reuera omnia, ex quibus demonstratio conficitur, continet: solum deest figura, & modus.

2. Expositio melior Philosop. Themist. & B. Tho.

Ista expositio est bona, sed altera est melior Philop. Themist. B. Thomæ, est enim triplex definitio, vt docet Arist. 1. animæ, c. 1. altera materialis, vt quę iram sanguinis efferuescentiam circa cor definit, altera formalis, ad quam finalis etiā reducitur, vt ira est appetitus vindictæ, tertia ex vtroq; compolita, vt ira est efferuescentia sanguinis circa cor, ob appetitū vindictæ: dicunt igitur q cum materia sit infima causa, potius demonstratur per formalem, vel finalem, & ita cōclusionis locum obtinet, illa verò principij per vtra quę est demonstratio positione differens non solùm quia deest figura syllogismi, sed, vt notant Græci, quia quod erat in conclusione, & vltimum in demonstratione, scilicet materia, est primum in definitio

finitione: dicitur enim, ira est effernescẽtia sanguinis in corde ob appetitum vindictæ: & ista est expositio melior priori.

12. *Eorum autem, quæ sæpe sunt, &c.*

Vt Themist. Philopo. & alij dicunt, & benè respõdet Arist. cuidam obiectioni, non enim demonstratio perpetuorũ videtur esse, eũ demonstremus lunam defi cere, & similia, quæ non semper sunt; respondet hæc eo modo, quoad demõstrationẽ pertinent, semper esse, demõstrãt enim ad causas relata: & sic nunquam deficiunt, vt exponunt Græci, & Albertus, quamuis ista, vel illa, in singulari non sint semper, sed secundum partem, nempè singularia, quæ transeunt, & talium singularium non est per se demõstratio, vt notat Philopo. est enim demonstratio per se ipsius vniuersalis.

13. *Quoniam autem manifestum est, &c.*

Regreditur, vt ostendat ex proprijs vniuscuiusque principijs esse demõstrandum, eò quod ex per se oporteat demonstrare, adeo vt quãuis ex veris indemonstrabilibusque procedamus, si nõ ex proprijs, sed ex communibus procedimus, non sit scire per se & simpliciter, sed secundum accidens, quomodo Brisõn procedebat demonstrando circuli quadraturã. argumẽtabatur enim, quocunq; datur & maius & minus ei datur æquale, sed circulo datur quadratum maius, & datur etiã minus, vt patet de his, quorum vnum intra circulum, alterum extra descriptũ est: ergo datur quadratum æquale circulo: hoc non est scire simpliciter, sed per accidens, nã medium magis & minus, est quid commune multis, debebat autẽ probare ex principijs proprijs quadrati.

Nota de syllogismo Brisonis.

Ita interpretes declarant Brisonis rationem, cuius nihil dixit Aristot. propterea mihi dubium est, an illa fuerit, cùm non solùm ex communibus, sed ex falsis procedat: at Arist. ex veris & immediatis videtur dicere processisse: dico ex falsis, nam illud principium, quo datur maius & minus, datur ei æquale, est falsum, vt docet Campanus, quam angulo semicirculi datur rectilineus maior nempè rectus, & obtusus, & datur minor, scilicet acutus, nunquam tamen datur æqualis: similiter ternario datur numerus alius maior, alius minor, non tamen æqualis: sed satis nobis sit Brisonem ex communibus processisse principijs, propterea non demonstrasse, siue sit hæc, siue vlla alia ipsius ratio, impertinens enim hoc est.

Vnum quod autem scimus non secũdum accidens. 14.

Explicat quando non secundum accidens scimus. & dicit tunc id esse, cùm scimus passionem ex principijs proprijs, & proximis, per quæ illi subiecto, de quo demonstratur, inest, vt tunc scimus risibilẽ hominem, cùm per illa principia scimus, per quę proximè inest homini vt per animal rationale: similiter triangulum habere tres angulos scimus, non per accidens, cùm ex proprijs principijs trianguli propter quæ ei ineſt, scimus: vnde tunc per accidens scimus, cum per aliquod accidẽs extraneum, vel per aliquod intrinsecum, commune tamen, & non per proprium cognoscimus.

Quare si per se & illud inest. 15.

Iste locus est magnę obscuritatis, quã uis variè ab interpretibus exponatur, ad ducam tamen expositionem nostram, quæ mihi magis ad mẽtem Arist. & secundum veritatem consona videtur.

Nota. 1. Duplices passiões de subiecto posse probari.

Aduerte igitur primo duplices passiones posse probari de aliquo subiecto, quadam proprias, quę soli insunt & secundum quod ipsum, vt de homine risibile, disciplinabile: quasdam communes, quę ratione superiorum ei insunt, vt q. homo sit sensitiuus, quod vegetatiuus, quod corruptibilis, quamuis harũ passionum non fit demonstratio vniuersalis, sicut primarum: quando passiones priores demõstramus, oportet pro medio sumere principium proprium & soli intrinsecum subiecto cuius est passio, vt enim passio soli inest, ita & illius principiũ soli inerit: cùm verò demonstramus passiones superiores, etiam principium superius sumemus: nam,

nam sicut passio nõ soli ineſt: ita nec principium, sunt enim syngenea: vnde demõstramus de homine risibile, per animal rationale, demonstramus verò vegetatiuum, per corpus animatum.

Nota. 2. Passiões subalternãtis scię tiæ multas de subiecto subalternatę docet.

Aduerte secũdo maximè, multas passiones subiecti subalternãtis, considerari de subiecto subalternatæ, vt de diatessaron dicit Musicus est proportio sesquitertia, & hoc prædicatũ Arithmeticum est. Perspectiuus similiter dicit, conuexum esse angulum minore recto, & tamẽ prædicatum Geometricum est, & huiusmodi sunt multa: ex quo fit cùm istæ passiones non insint inferiori subiecto, nisi per superius, vt per id debeant demonstrari: vnde medij superioris erit sicut & passio, quãus veritas cõclusionis sit subalternatæ, quod Ari. vocat quæ pertinere ab subalternatã, propter qd vero ad subalternãtẽ.

Expositio text.

Hoc supposito, veniamus ad literã, docet adeo verum esse, vt per ea principia per quæ ineſt passio subiecto, debeat probari: vt si illud, nempè passio, per se ineſt id est, proximè & soli subiecto suo ineſt, cui ineſt, per medium etiam in eadem proximitate debeat demonstrari: si verò non ita per se insit, sed sicut Musica ad Arithmeticã, id est, tanquã passio superioris inferiori inhæret, tunc per principiũ superius passionis illius debet demonstrari: quamuis differant demonstrationes hæ communes a proprijs, propriæ enim ad eandem scientiam pertinent integræ, at hæ communes non sic, sed propter quid seu medium, est superioris scientiæ, cuius est passio: at ipsum quia, id est, cõclusionis veritas, remota causã, erit inferioris & subalternatæ.

16. *Quare ex his manifestum est, &c.*

Cõcludit, simpliciter demõstrare non contingere aliter quã ex proprijs principijs, non enim passionem particularem & propriam subiecto probabis per commune medium, sed propriam proprio, communem communi, illius tamẽ proprio principio, passionem demonstrabis: quamuis vt diximus, non sit demonstratio vniuersalis illa, quæ passionem communem etiam per suum principium concludit: est tamen demonstratio, & ea licet vti in subalternatis sæpè.

Sed horũ principia habent cõmune, &c. 17.

Philop. D. Thom. Auerro. & alij. hæc verba in hunc sensum exponunt, vt cum dixisset demonstrationẽ perfectã ex proprijs, procedere principijs, velit docere hęc principia propria, habere cõmunia alia principia, per quæ nulla scientiarum particularium demonstrat, cuius ratio est, quia ex cõmunibus non ex proprijs procederet quod fieri non potest: hęc autem communia sunt alterius scientiæ, domina & reginæ omnium aliarum.

Dubsum Quę sint pricipia proxima quę communia.

Dubitabis, quę sunt ista principija propria, quæ sunt ista communia, quę est ista scientia domina omnium? dico, duplicia principia distingui posse, quædam essendi, quædam cognoscendi: essendi sunt illa, quæ dant esse rei, vt materia, & forma & aliæ causæ dant esse corpori: cognoscendi, sunt dignitates, & axiomata, & propositiones, quibus res cognoscimus. Hæc autem vtraque sunt in duplici differentia, quædam propria, quædam communia: propria essendi sunt principia proxima quæ dant esse rei, vt anima rationalis, & corpus tale, sunt proxima principia hominis, & in Philosophia naturali, materia & forma principia corporis naturalis: principia verò cognitionis propria sunt dignitates cuilibet scientię appriatæ, dicit enim Geometra, si ab æqualibus æqualibus lineis æquales lineas demas, &c. & similiter de alijs principijs: similiter Arithmeticus habet eadem determinata ad numerum communia verò principia essendi sunt, partes essentiales, & causæ communes, vt esse actus, substantia, forma, potẽtia, quæ sunt in essentia multarum rerũ, & ab his dependent particularia: cognitionis autem communia sunt illæ dignitates nulli materiæ peculiari cõtractæ, vt si ab æqualibus æqualia demas, &c. omne totũ est maius parte, quod libet est vel non est, quorũ veritati inni-

Universidad de Deusto
Biblioteca

titur veritas particularis, sicut esse proprioru principiorum essendi depẽdet ex communibus: propterea igitur Arist. dixit, principia propria habere communia principia, intellige de principijs essendi cum Auerroe, & simul de principijs cognoscendi cum Philop. nã de omnibus his principijs id dictum veritatem habet, hæc autem scientia, quę communia omnia cõsiderat, tam essendi, quam cognoscendi Metaphysica est, vt docet Arist. 4 Metaph. ca. 3. & lib. 11. cap. 3.

18. *Et namq; sit magis ex superioribus, &c.*

Probat, scientiam hanc esse dominam scientia est, quæ ex prioribus causis procedit, ergo magis scientia, quæ adhuc ex superioribus & minus causatis est, ergo & maximè scientia, quæ ex supremis & nõ causatis principijs est, talis est ista Metaphysica, quæ omnium communia principia considerat, ergo domina est, & maximè scientia.

19. *Sed demonstratio non communis, &c.*

Reijcit expositio Auer.

Auerroes ex hic docet Arist. cõcludere, sed melius videtur dicendum, quod respondeat dubitationi, posset enim quis dicere & petere, num hęc scientia domina per communia demonstret propria scientiarum: respondet, id non esse, nunquam enim est transitus ab vna scientia in alteram, nisi per modum subalternationis, vt paulò superius dixit, & illic declarauimus, quod nõ est in his principijs, cum sint eadem, contracta tamen vt postea declarabitur.

20. *Difficile autem est cognoscere, &c.*

Difficultatem in indagandis proprijs cuiusq; principijs proponit, quod quidẽ scire est, cum nõ nisi per propria scia mus nos autem ex veris & primis procedentes, existimamus demonstrasse, cum hæc nõ sufficiãt, sed debeãt esse principia propria, & syngenea. Notat Philop. difficilẽ esse propria inuenire principia, quia particulares rerũ naturæ sunt admodũ occultæ, ac ideirco earũ principia propria per quæ demõstrare oportet, difficile cognoscentur: hæc de capitis expositione.

QVÆSTIO. I.

Circa cap. 7.

1. Dubiũ circa subalternationem.

OPortet vt ea, quę hoc capite dicta sunt illustremus: ac primũ dubiũ sit de illis tribus cõditionibus, quas secũdum cõmunem opinionem ad subalternationem sciẽtiarũ necessarias assignauimus: prima enim, quod subiectum vnius sit sub subiecto alterius, videtur contra Arist. 10 huius libri, vbi docet, scientiam vnã tradere propter quid alicuius, ac proinde erit subalternans, & tamen non est subiectum ipsius superius, vt patet de Geometria, quæ reddit ppter quid medico, quare vulnera circularia difficilius curẽtur, & tamen Medicinæ subiectum, nẽpe corpus humanum, nõ est sub Geometria obiecto, puta magnitudine.

2. Arg.

Præterea contra secundam, quod sit inferius accidentaliter, est argumẽtum: si esset inferius accidẽtaliter, esset pars in modo, & totum per accidens, sed de toto per accidens nõ est scientia 6 Meta. ca. 2. nec definitio 7 Met. ca. 4 non igitur erit de eo scientia subalternata.

3. Arg.

Contra tertiam est argumentũ: si conclusio subalternãtis est principium subalternatæ, tunc peto, vel talis conclusio est ex terminis ipsius subalternatæ, vel non: si non, igitur nõ erit principium illius, si verò est, ergo non poterit probari per medium superioris scientiæ, nam tũc esset supernus, & passio nõ posset de eo vniuersãliter prædicari: verbi gratia dicit Medicus, vulnus circulare difficilius curatur, si medium est Geometricum, nempe circuli partes maximè distant, nõ poteris demonstrationem facere, nam dices, cuius circuli partes maximè distant, difficilius sanatur, circularis vulneris partes maximè distãt, tunc illa maior est falsa, quia difficilius sanari nõ inest circulo in cõmuni, quem solum sumit Geometra.

Ad. 1.

Ad hanc difficultatem dico primo: si scientia aliqua debet subalternari alteri, & ab ea accipere propter quid, debet aliquomodo eius subiectum sub subiecto alterius contineri: dico autẽ aliquomodo, quia

quia simpliciter nõ est opus, verbi gratia simpliciter obiectum Medicinæ non est sub Geometria, vt dicit Arist. tamẽ illud obiectũ, cuius propter quid dat Geometra, est aliquomodo sub Geometria, nẽpe vulnus circulare: similiter Astrologia accipit à Geometria, propter quid propterea cælum, de quo Astrologia est, aliquomodo sub Geometria est, vt habet figurã & dimensionem: & vniuersãliter nulla scientia reddit propter qd alterius subiecti, nisi sit aliquo modo sub suo subiecto, cum autem subalternata de suo subiecto totali accipiet propter qd, erit illud sub subiecto alterius, non enim scientia est simpliciter subalterna alteri ex eo, qd' alicuius particularis subiecti cõclusionis aliquãdo ab ea accipiat propter quid, cum subiectũ cõmune & totale non sit sub altero, & hoc docuit illic Arist. nẽpe posse scientiã, propter quid tradere alicuius conclusionis alterius, quãuis enim huius cõmune subiectum sit sub altero, tamen illud particulare sub eo erit, à quo sumit propter quid.

Ad. 2.

Dico secundò, merito, scientiã subalternatam habere subiectum cum illa differentia materiali & accidentali pro cuius declaratione aduerte, scientias in cõmuni primò distingui penes diuersum modum cognoscendi intellectus, modus autem cognoscendi intellectus est per abstractionẽ à materia, res enim abstrahendo intelligimus.

1. Fũda. Sciẽtias in cõmuni distinguidiuerso modo cognoscendi ipsius intellectus.

Triplex materia signata, sẽsibilis, intelligibilis.

Materia verò triplex est, quędam, quæ dicitur singularis & signata, hęc aũt sunt proprietates & conditiones indiuiduorũ singularium: quędã est materia, quæ dicitur sensibilis, hæc aũt est subiectũ cum accidentibus sensibilibus, & cum motu, & mutatione, in quibus versantur hæ inferiores substantiæ, non enim sunt nisi cũ his inuolutæ dispositionibus: tertia materia est, quæ dicitur intelligibilis, quæ sunt quantitates & dimensiones.

Ex tripli ci materia tri- plex modus intel ligendi, vel tri- plex abstractio.

Secũdo nota, cum triplex sit materia triplex est etiã intellectus abstractio, & triplex intelligendi modus: quędã enim intellectus intelligit abstrahẽdo à materia singulari, non tamen à materia sensibili, vt quando substantias has corruptibiles consideramus, in cõmuni quidem, sed quatenus his substant mutationibus & qualitatibus sensibilibus, consideramus enim hominem, leonem, animal, non puram substantiam, sed motibus, & mutationibus subiectam: quædam alia intelligimus non solum à singulari, sed etiam à materia sensibili abstrahentes, vt res mathematicas, triangulum enim consideramus abstractum à materia sensibili, non enim in ære, aut ferro, aut ligno consideramus, sed in communi abstractum ab his omnibus subiectis, quæ dicuntur materia sensibilis, quędam alia intelligimus ab omni materia abstrahẽtes, vt quando ens, substantiam, intelligentiam, ac Deum consideramus.

3. Fũda. A triplici abstractio triplex sciẽtia spẽculatiua.

Tertio nota iuxta tres abstractiones, tria esse scientiarum speculatiuarum genera: primum est Philosophia naturalis, quæ considerat res abstractas à materia singulari, sed non à materia sensibili: alterum est Mathematica pura, id est, Geometria & Arithmetica, quę res tractant abstractas à materia sensibili, sed nõ ab intelligibili, nam triangulos, & figuras in quantitate, quę materia intelligibilis est, contemplatur: tertium genus est Metaphysica, quę res abomni materia separatas speculatur: vide igitur tria genera scientiarũ secũdũ diuersum intelligendi & abstrahendi modum sumptum: sunt præter hæc quædã scientiæ, quæ cum de re quæ abstrahi poterat à materia sensibili tractent: nõ abstrahunt ab ea, vt Perspectiua de linea visiua. Musica de numero sonoro, hæc enim vtraque, & similes de quãtitate tractant, & non abstracta à materia sensibili, sed limitata ad visum vel sonum, cum tamen lineæ & numeri abstrahi ab his possent: tales dicũtur scientiæ mediæ inter Philosophiã, ac putam Mathematicam, ac subalternarivtrique, quãuis præcipuè Mathematicæ.

4. Fũda.

Ex quo elicere potes cuius gratia hæc

dicta sint, nimirum vt intelligeremus quare scientiæ subalternatę addât in subiecto differentiam materialem, hoc autem est, quia scientiæ inter se genere nõ distinguuntur, nisi varius sit modus abstrahendi à materia: cum igitur subalternans sit abstractior, oportet vt subalternata sit de subiecto contractiori: & hoc diligenter nota.

Quid addat subiectum subalternatæ subiecto subalternantis.

Hic soluit 2. arg.

Per quod respondetur ad secundũ non enim Perspectiuus habet pro obiecto totum hoc, lineam visualem, esset enim totum per accidens, sed lineam vt est in visuali materia, ac si dicas, non speculatur quascunq; lineas, sed eas, quæ in tali materia sunt: idem de alijs huiusmodi.

Ad. 3. Duo genera passionũ in scientia subalternata.

Dico circa tertium, passiones in duplici differẽtia reperiri in scientia subalternata, quasdam communes, quæ insunt subiecto illius, non primo, sed à superiori deriuatæ, vt dum dicimus, conus est minor recto, diatessaron est proportio sesquitertia, hæc enim prædicata superioris scientiæ sunt: quædam aliæ passiones sunt propriæ subiecto inferioris, tamen nõ potest per medium proprium suum probare, vt dicit Medicus vulnera circularia difficilius sanari: tota conclusio medica est, sed medium est Geometræ: quando ergo passiones sunt communes, tunc per medium superioris scientiæ probantur, vt diximus in textu: at cum sunt peculiares, tunc per medium superioris probantur, contractum tamen ad illud subiectum, vt Medicus non sumet medium commune, latera circuli maximè distant, sed latera vulneris circularis, & dicet: vulnus, cuius latera maximè distant, difficile sanatur, vulnus circulare est vulnus laterum maximè distantium, ergo tale vulnus difficilius sanatur: per hæc possunt intelligi reliqua, & sic patet solutio argumenti tertij: & est notanda doctrina, non enim intelligere oportet, quod omnia principia subalternatæ debeant demonstrari in subalternante, cũ oppositum experientia doceat, sed ad sensum expositum.

Alterum dubium est circa caput, videtur enim quod vna scientia etiam non subalterna demonstret conclusionem alterius, nam Philosophus demonstrat rotundum cælum, similiter Astrologus: & diametrum esse asymmetrum probat Arithmeticus, quia aliter numerus par esset æqualis numero impari. Dico, q̃d sicut vna res varijs rationibus ad diuersa prædicamenta, & ad diuersas scientias spectare potest, ita etiam eadem conclusio, & quæque scientia suis medijs eam demonstrabit, vnde Philosophus ostendit rotunditatem cæli per motum, Mathematicus verò per æqui distantiam à centro. Ad illud de diametro dico, cum res Arithmeticę, & Geometricę ex parte cõueniant, cum Arithmeticus figuras etiam in numeris speculetur, aliquãdo propter communionem subiectorum, & rerum quas tractãt, etiã media sibi cõmunicant, nec hoc est contra id quod Arist. docet.

2. Dubiũ principale circa totũ ca.

Solutio: Vnã rem varijs modis pertinere & ad diuersas categorias & diuersas scientias.

Tertium dubium est de Metaphysica, an probet scientiarum principia, ex hoc enim loco sumitur illud vulgare dictum, nulla scientia particularis sua probat principia, sed Metaphy. hoc munus est, dico pro præsenti, multæ scientiæ particulares sumuntur à Metaphysica, ex parte enim subiectorum indigent Metaphysica stabiliente ens, substantiam, accidens, quæ nisi essent, subiecta reliqua ruerẽt. Secundo indigent illius passionibus, sępe enim de vno, de multis, de identitate, de diuersitate, de toto, de parte, & similibus scientiæ tractant, quæ Metaphysica sunt. Tertio indigent, quia nullæ propositiones vllam vim probatiuam haberent, nisi in virtute principij, quodlibet est, vel non est, vt alibi diximus. Quarto indigẽt quia veritates dignitatum peculiariũ in virtute vniuersalium nituntur, vt diximus in textu: & hoc sensu Metaphysica dicitur probare principia aliarum scientiarum, quæ dum sua probat, similia alia probat, vt qui omne animal sensibile probat, simul etiam hominem sensibilem ostẽdit, non in propria forma: ita dum Metaphysicus

3. Dubiũ Quo se habeat Metaph. ad principia scientiarũ.

Metaphi sica sua pricipia ꝓbando aliarũ ecntiã scientiarũ pricipia probat.

ficus stabilit suas communes dignitates & principia, stabilit inferiora, sed non in propria forma particulari ea demõstrat, imò nec sua semper demonstrat, nempe quæ per se nota sint, sed à cauillis aliorũ defendit, & contra negantes ea dialecticè, & ad impossibile reducendo inuehitur, vt dicit Simpli. 1. Physic. Atque satis de quæstione hac.

¶ *Demonstratiuarum scientiarum Principia, nonnulla esse communia, nonnulla propria, quæque ea sint, & quo pacto præcognoscãtur, pariter & reliqua demonstrationem ingredientia.*

Cap. VIII.

1. DIco autem principia in vnoquoque genere hæc, quæ quòd sunt, nõ contingit monstrare.

4. Quid igitur significant & prima, & quę ex his accipitur, q̃ aũt sunt, principia quidem necesse est accipere, alia verò mõstrare: vt quid vnitas, aut quid rectum, aut triangulum: esse autẽ vnitatẽ accipere, & magnitudinem, alterum verò monstrare.

3. Sunt autẽ, quibus vtuntur in demõstratiuis scientijs alia quidem propria vnius cuiusq; scientiæ, alia verò cõmunia: communia autem secundum proportionem: quoniam vtile vtique quãtum in eo, quod subscientiam est genere: propria quidem, quemadmodum lineam esse talem, & rectum: communia verò, vt si ab æqualibus æqualia auferantur, quod æqualia sunt reliqua: sufficiens autem est vnumquodq; horum, quantum est in genere, idẽ enim faciet, & si non de omnibus acceperit, sed in magnitudinibus solum, Arithmetico autem in numeris.

4. Sunt autem propria quidem, & quę accipiuntur esse circa quæ scientia speculatur in existentia per se, veluti vnitates Arithmetica. Geometria verò puncta, & lineas: hæc enim accipiunt esse, & hoc esse: horum autem passiones per se, quid quidem significat, vnaquæque accipiunt: veluti Arithmetica quidẽ, quid impar, aut par, aut quadrangulum, aut cubus. Geometria verò, quid † irrationale, aut refrangi, aut concurrere, quod autem sunt, monstrant & per communia, & ex demonstratis, & Astrologia consimiliter.

† a. l. proportionale.

5. Omnis enim demonstratiua scientia circa tria est, & quæcunque esse ponuntur: hæc aũt sunt, genus, cuius per se passionũ est speculatiua: & cõmunia, quæ dicimus dignitates, ex quibus primo demõstrant: & tertiũ passiones, quarum quid significat vnaquæque accipit.

6. Nonnullas tamẽ scientias nihil prohibet quædam horũ despicere, vt genus nõ supponere esse, si sit manifestum, quod est: non enim similiter planum, quòd numerus est, & quod frigidum & calidum, & passiones non accipere, quid significant, si sint planæ: quẽadmodum neque communia non accipit, quid significant: hoc quòd est, æqualia ab æqualibus demere, quoniam notum: sed nihil minus natura tria hæc sunt, circa quòd monstrat, & quę monstrat, & ex quibus.

7. Non est aũt suppositio, neq; petitio, q̃ necesse est esse propter ipsum, & videri necesse nõ enim ad extrinsecam rationẽ demõstratio, sed ad eã, quę in anima: quoniam neq; syllogismus, semper enim est instare ad extrinsecam rationem sed ad intrinsecã rationem, non semper.

8. Quæcunq; igitur monstrabilia existentia accipit ipse non mõstrans, hęc quidẽ, si apparẽtia discenti accipiat, supponit, & sunt nõ simpliciter suppositio, sed ad illum solum: si vero, aut nulla inexistente opinione, aut & cõtraria inexistente, accipiat idẽ, petit. Et hoc differunt suppositio & petitio: est enim petitio, q̃ subcontrariũ est addiscentis opinioni: aut quod aliquis demonstrabile existens accipiat, & vtatur non monstrans.

9. Termini quidẽ igitur non sunt suppositiones, neq; enim esse aut nõ esse dicũt: sed in ꝓpositionibus, suppositiones, termini aũt solũ intelligere oportet: hoc aũt

nõ est suppositio: nisi & ipsum audire suppositioné aliquis esse dicat: sed quibuscũque existẽtibus, eo q̃ illa sunt, fit cõclusio

10. Neq; Geometra falsa supponit, quem admodum quidam asseruere dicẽtes, q̃ non oportet falso vti: Geometrá verò mentiri, dicenté pedalem non pedalem, aut rectã descriptam, nõ rectam existentem. Geometra verò nihil concludit, eò quod hęc est linea, quam ipse locutus est, sed quæ per hæc ostenduntur.

11. Præterea petitio & suppositio omnis, aut vt totũ, aut vt in parte: definitiones verò neutrum horum.

12 Formas quidé igitur esse, aut vnum aliquid præter multa, nõ necesse, si demonstratio erit: esse quidé igitur vnũ de multis verum dicere, necesse est nõ enim erit vniuersale, nisi hoc sit: si aũt in vniuersale nõ sit, mediũ non erit: quare neq; demõstratio: oportet igitur aliquid vnum & idem in pluribus esse, non æquiuocæ.

13. Non contingere aũt simul asserere & negare, nulla accipit demonstratio, nisi oporteat monstrare & cõclusionem sic. Monstratur autem accipientibus primũ de medio, q̃ verum, negare aũt non verum. Medium autem nihil differt esse, & non esse accipere: consimiliter aũt & tertium: si enim datũ est, de quo hominé verũ dicere, si & non hominé verũ, sed si solum hominem animal esse, totũ, nõ animal auté non: erit enim verũ dicere Calliam, si & non Calliam, tamen animal, non animal auté non. Causa autem, quoniam primum non solùm de medio dicitur, sed & de alio, eò quod est in pluribus: quare neq; si medium & idem est, & non idem, ad conclusionem nihil differt.

14. Omne autem asserere, aut negare demõstratio ad impossibile accipit: & hęc neq; semper vniuersaliter, sed quantum sufficiens est: sufficiens auté est in genere: dico autem in genere, vt circa quod genus demonstrationes fert, quemadmodum dictum est & prius.

15. Cõmunicant autem omnes scientię sibi inuicẽ secundũ communia: cõmunia aũt dico, quibus vtuntur, tanquã ex his demonstrantes, sed nõ de quibus monstrant, neque quod monstrant.

Et Dialectica omnibus, & si aliqua vniuersaliter tentet monstrare communia: vt quod omne asserere, aut negare: aut quod æqualia ab æqualibus: aut talium nonnulla. 16.

Dialectica verò non est ita determinatorũ quorundã, neq; generis alicuius vnius: nõ enim interrogaret, demõstrantem enim non est interrogare, eò quòd oppositis existentibus non monstrauit idé, monstratũ est autem hoc in ijs, quæ de syllogismo. 17.

Dico aũt principia in vtroque genere, &c. 1.

DE principijs demõstrationũ, quę necessaria per se, aut ꝓpria docuerat esse, sermo est in hoc capitẽ, q̃ in tres partes diuiditur, in prima principia ipsa distinguit, ac quo conueniant, quoue differant: & inter se, & à principiatis ostendit: in secũda cõmunia principia ab alijs quibusdã separat principijs in particulari: in tertia quomodo quodam cõmuni principio vtamur in demõstratione mõstrat: repetit autem aliqua, quæ in prœmio dixerat, quia illic ænigmaticæ, vt inquit Philop. loquutus fuerat, vel quia illic non per se, sed vt doctrinam ex præexistenti fieri cognitione probaret, illa dixerat: nunc verò per se hęc docet.

Proponit igitur, quę principia dicantur in scientia aliqua, illa nempè, quę nõ demonstrantur esse: vbi aduerte, nõ esse legendũ sicut aliqui legunt, scilicet principia sunt, quæ cũ sint non demonstrantur esse, id est, sunt vera, & indemonstrabilia: iste enim non est Arist. sensus, legẽdũ enim est, quòd sunt non demonstrantur, id est, principia sunt in scięntia aliqua ea, quæ non demonstrantur esse. Est autem hęc pulchra regula principia dignoscendi, & in scientia qualibet, & demonstratione. ex scilicet esse principia quę talis scientia, seu talis demonstratio nõ probat esse, sed supponit: verbi gratia suppo- Quę sint pricipia in scientijs.

nit

nit Geometria esse lineas, signa, id est, pũcta, Arithmeticus vnitates, numeros, hæc dicuntur principia, similiter in qualibet peculiari demonstratione non demonstramus subiectum esse, nec mediũ, dicuntur principia: hoc auté non solum de simplicibus principijs, sed etiam de complexis, quales sunt propositiones, dignitates, & præmissæ in demonstrationibus singulis: hæc enim omnia, vt non demõstrantur in scientia illa, vera esse dicũtur principia scientiæ, vt verò præmissæ in illa demonstratione cuius sunt non demonstrantur, illius principia dicũtur: & vniuersaliter, quod est in scięntia aut demõstratione, ita vt illic nõ demõstretur esse, sed supponatur, id est, principiũ, siue simplex, siue complexum sit.

2 *Quid quidem igitur significent, &c.*

Assignat id in quo principia, & ea quorum principia sunt, conueniãt: oportet autem per principia hic non solũ complexa, sed etiam simplicia, vti diximus, intelligere, per ea verò, quę ex principijs sunt, seu per principiata, etiã complexa, quæ conclusiones sunt, & incomplexa, seu simplicia, quæ sunt passiones & quæsita: est ergo conuenientia inter hæc, quod de omnibus oportet in demõstrationibus, & in scientijs, supponere, quid significent: hoc enim non demonstratur in scientijs, nec de principijs, nec de principiatis: at discrimen est, quod de principijs omnibus: præterea oportet supponere, quod sint, si simplicia, quod existant, si cõplexa, quod vera sint, at de principiatis id demonstramus, nã conclusionem veram esse demõstramus, similiter ipsam passionem ineste demõstramus, non autem supponimus. Aristo. ponit exempla in simplicibus principijs & principiatis solũ, nempè in subiectis, vt vnitate, & magnitudine, in passionibus, vt in recto & triangulo.

3 *Sunt autem quibus vtuntur in demonstratiuis, &c.*

Principia præsertim complexa hic diuidit in communia & propria, communia sunt, quæ scientiam illam transcendunt, vt si ab æqualibus æqualia demas, restant æquã lia, hoc enim pluribus inest scientijs propria verò, quæ ex his, quę in scientia tali sunt, constant, vt linea est magnitudo indiuisibilis secundum latitudinem, rectum est, cuius extrema non exeunt à medio, hæc enim Geometrica sunt. Posses dubitare cùm scientia ex ꝓprijs procedat, quomodo principia habet communia? Respondetur non vti scientias his communibus, vt communia sunt, sed vnaquæque scientia & demonstratio ea limitat ad suam materiam ad quam eis iudiget, vt Geometra dicit, si ab æqualibus magnitudinibus æquales demas, Arithmeticus ad numeros cõtrahit, & singulæ demonstrationes suis terminis adaptant, nec propter hoc minor est vis illorum principiorum, cùm semper sint vera & necessaria, & immediata: & propterea dicuntur communia secundum analogiam, quia ex eis vnaquæque scientia accipit pro sua materia. Dubium Solutio.

Sunt autẽ propria quidem, & hæc, &c. 4.

Præter propria cõplexa, quę assignauerat, incomplexũ principium assignat nempè subiectũ, de quo accipimus quòd sit, & quid significet, & hoc est quod dicit: Esse & esse hoc: atque de tali subiecto demonstramus passiones, quæ ei per se insunt, & de his, quid significent, supponimus. Posses dubitare, quare modo separatè de simplici & incomplexo principio loquitur? Dico & hoc est aduertendum hoc esse discrimen inter complexũ & simplex principium, complexũ enim in cõmune, & propriũ distinguitur, at simplicia omnia propria sunt, ob id primò propria cõplexa cũ simplicibus non connexit, sed cũ cõmunibus, postea simplicia adiunxit: exẽpla ponit horũ, quæ nota sunt: irrationalis dicitur quãtitas, quæ alteri non communicat in parte aliquota, vt diameter costæ, quæ passio Geometrica est: in sectis verò dicitur eadem linea, quando ab vno puncto resilit, sicut pila: concurrere dicuntur duæ lineę, quæ Dubium Solutio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ coniunguntur in puncto.

5. *Omnis enim demonstratiua scientia, &c.*

Ostendit sufficienter de istis determinasse, cùm nõ sit aliquid in demõstratione præter passionem, & subiectum, quod principium est simplex, & dignitates principia complexa. Dices, quid de conclusione? dico, sub subiecto & passione compræhenditur: dices, quid de præmissis? dico, sub dignitatibus esse, nam dignitates licet sub communi forma demonstrationem non componant, tamen limitatæ, & cõtractæ, propositiones & præmissæ sunt, ex quibus demonstramus.

Dubiũ. Dices, nonne etiam ex propositionibus quæ dignitates non sunt, demonstramus? non enim semper Euclides ad dignitates recurrit, sed per ea, quæ demonstrata sunt, demonstrat alia. Dico, ita esse, & hoc est, quod in præcedentibus

Solutio. verbis dixerat Aristot. demonstrant per communia & per ea, quæ demonstrata sunt: at quia nullus perfectam habet demonstrationem, nisi ad illa indemõstrabilia perueniat: propterea dixit ex dignitatibus esse demonstrationem, sed addidit hoc, tanquàm ex primis, quia etiam ex demonstrabilibus sunt demonstrationes, sed non tanquàm ex primis, hæc enim dignitates sunt.

6. Soluitur dubiũ ab Arist. *Quasdã tamẽ scientias nihil prohibet, &c.*

Posset quis dubitare, an semper illa supponere ne cesse sit, respondet Arist. nõ opus est semper, nã quãdo subiectum esse notum est, vt calidũ esse, frigidum esse, non opus est supponere, sicut quando obscurum est, vt numerum esse, similiter de passione, cùm enim nota est significatio nõ opus est supponere, sicut nec de principijs illis, quæ dignitates sunt, supponimus quid significent, hoc enim notũ est: quæ verò nota non sunt, supponuntur, quod supra etiam nos diximus de principijs, & dignitatibus: concludit, siue supponantur ista, siue non, semper illa tria in demonstratione esse, dignitates, passionem, subiectum.

7. *Non est autem suppositio.*

Hæc est capitis secunda pars, in qua discrimẽ inter ista quatuor principia ponitur, dignitatem, suppositionem, petitionem, definitionem: dignitas est principium necessarium, non solum in se, sed q̃ etiã omnibus videtur, & cognoscitur necessariõ, vt quodlibet est, vel nõ est, & similia: hæc enim lumine naturali ab omnibus cognoscũtur p̃ se absq; alio medio: posses obijcere, nõ est omnibus manifestũ, quandoquidẽ negari potest: respõdet Arist. verbo & voce posse negari, sed non intellectu, secundum quem demonstrationes & syllogismos mensurare oportet: nam rationes exteriores potest quis prolibito negare voce, sed interiores nõ prolibito negamus: sunt igitur hæc principia nota, & ab omnibus interius necessario concessa, quæ Albertus in præsenti iterum comparat visibilibus, quæ suo lumine videtur, vt superius etiam diximus ex ipsomet.

Not. discrimẽ inter quatuor genera principiorũ,

Quæcunque ergo demonstrabilia. 8.

Suppositiones & petitiones declarat, hæc enim sunt demõstrabilia principia, quæ cũ demonstrari possint, non demonstrãtur ab aliquo, sed sine demonstratione accipiuntur esse vera: differũt tamen, si enim ista discenti, id est, ei, cui fit demonstratio, nota sunt, ac si essent demõstrata, dicuntur respectu illius suppositiones, quod sæpè accidit in argumentando, recipit enim qui respondet propositiones aliquas absque probatione, quæ probari poterant, quia illi notæ sunt: si verò discenti non sunt nota, vel quia nõ est vnius opinionis, id est, quia non scit illa, vel quia contrariæ opinatur, & illa existimat non esse, tunc dicuntur petitiones, seu postulationes, quia demõstrator petit, vt modò admittat ea, vt demõstratio procedat, & postea probabũtur: in quo apparet differentia horum duorum, à dignitatibus, & inter se: à dignitatibus quidem, quia sunt dignitates indemonstrabiles, & omnibus per se notæ, hæc verò demonstrabilia, & non omnibus nota: inter se verò, nam suppositiones

Dignitates quo- modo à suppositione & petitione distinguantur.

tiones videntur discenti, petitiones verò non videntur, vtraque tamen recipiũtur esse absque demonstratione, cùm de monstrari queant.

9. *Termini igitur nõ sũt suppositiones, &c.*

Definitio aliud est principium in demonstratione, quod quid sit notũ est, ob id, quid non sit potius explicat, non est igitur suppositio, nec petitio, quod duplici ratione probat, altera est, quia suppositiones significant esse, vel non esse, non autem definitiones: cuius ratio est, nam suppositiones in propositionibus sunt, id est, suppositiões sunt ꝓpositiones, termini verò & definitiones solum intelliguntur, cum in simplici intellectus operatione sint, in qua non est propositio, sicut nec videre, vel audire sunt propositiones quia simplices cognitiones sunt Philop. illa verba, suppositiones in propositionibus sunt, exponit in hunc sensum, quòd definitiones sumptæ in propositionibus, nempè de definitis enunciatæ, sunt suppositiones, vt homo est animal rationale, triangulus est figura tribus lineis terminata: & est expositio etiam bona, mihi tamen videtur prior melior: cõcludit Ari. suppositiones esse, ex quibus existentibus sequitur conclusio, eò quòd ipsæ sunt, id est, sunt propositiones, per quas conclusio infertur & probatur.

Quædam notatu digna.

1. Not. Sunt hic aliquot notanda, primum est, ista tria, suppositionem, petitionem, definitionem, sub vnico genere comprehendi, nempè sub positione, cuius meminit cap. 2. superiori, nunc tamen numerans ipsas species reliquit genus ipsum, nec hoc absurdum videri debet.

Suppositiones & petitiones partim demõstratiuas, partim dialecticas esse. Est etiam notandum, suppositiones, & petitiones esse in duplici differẽtia, quædam sunt demonstratiuæ, quædam dialecticæ: demonstratiuæ omnes sunt necessariæ, & de his est sermo in præsenti: vnde malè docuit Philop. petitiones posse esse falsas, cũ hic dicat Arist. esse demonstrabiles quædam verò dialecticæ, petũt enim & supponunt etiam hi, qui probabiliter disputant, atq; hæ possunt esse falsæ, sunt enim probabiles.

3. Nota. Suppositiones & petitiões & in scitijs & in ipsis particularibus demonstrationibus reperiri. Tertiò notandum est, esse suppositiones in scientia, similiter petitiones, & in demonstratione peculiari: in scientia suppositiones, & petitiones sunt propositiones, quæ cum demonstrabiles sint, saltẽ in alia scientia supponuntur, vel vt notæ discenti, vel vt petitæ, deseruiunt tamẽ pro multis conclusionibus illius scientiæ, sicut à puncto in punctum lineam ducere, & similes: in demonstratione verò qualibet præmissæ, quæ in ea non demonstrantur dicuntur suppositiones, aut petitiones in illa demõstratione: si enim sunt notæ respondenti, suppositiones, si verò non, petitiones.

4. Nota. Suppositiones & petitiões nõ semp à priori esse demonstrabiles. Tandem notandum est, cum Aristo. dicit, suppositiones & petitiones esse demonstrabiles, non intelligi, semper esse demonstrabiles demonstratione ꝓpter quid, sunt enim aliquæ suppositiones immediatæ, vt quando definitiones de definitis sumimus, sed dicuntur demonstrabiles, vel quia demonstrari possunt, vel non sunt ita notæ, quin aliqua ratione saltem à posteriori indigeant: & tamen absque tali probatione proponuntur.

10. *Neq; autẽ Geometra falsa supponit, &c.*

Posset quis dubitare, an supponere liceat falsa, vt quidam existimant Geometras falsa supponere in suis demonstrationibus, supponunt enim lineam bipedalẽ quæ forsan est tripedalis, & lineam rectã quæ curua est, & similia: respondetur nõ licere, nam Geometræ non vtuntur illis suppositionibus, vt ex illis demonstrent, sed vt ostendant, veras lineas, & veras rectas, & veras quãtitates, per quas demõstrant, non ergo vtuntur suppositionibus falsis, per quas demonstrant.

11. *Amplius petitio & suppositio, &c.*

Hoc est alterum argumentum, quo suppositionem non esse ipsam definitionẽ probat, suppositio enim & petitio est vniuersalis, & in parte, id est, particularis: at definitio nec vniuersalis, nec particularis dicitur, non enim est propositio, cuius pro-

propriũ est, vniuersalẽ, vel particularem esse, nõ ergo est suppositio, aut petitio.

Species quidem igitur esse, &c.

13. Cum multa de vniuersalibus locutus sit, dubium esse posset, an cum demõstrationes & definitiones sint vniuersalium, opus sit, species, id est, ideas ipsas vniuersales separatas ponere, vnũ enim motivum Platonis ideas cõstituentis hoc fuit nempè quia scientiæ & definitiones, quæ vniuersalium sunt, non aliter essent: respondet Aristoteles non opus esse ob demonstrationes, & scientias ideas separatas ponere, sufficit enim naturã in ipsis singularibus constituere, quæ valeat de multis vniuocè prædicari, non autẽ separatam, nisi per operationem intellectus. Multa de vniuersalibus alibi diximus, ob id hic his supersedebimus: vide quæstionem procemij super Porphyrium.

13. *Non contingere autem idem simul, &c.*

Locus hic summæ obscuritatis est ob defectum verborum Arist. propterea rẽ & sensum potius, quàm orationem, omnes Græci, Latini, & Arabes explanãt, in sensu autem non plenè oẽs conueniunt, quorum expositiones & sensus enarrare, prolixum & inutile esset, sumam ex his omnibus, quæ mihi magis veritati videntur conformia, & literæ Arist. consonantia, addam autem, quæ videntur singulis deesse, ac ipsum integrum contextum conabor exponere.

Principia vniuersalissima duo esse.

Duo igitur sunt principia vniuersalissima, quorum veritati innituntur reliqua alterum negatiuum, scilicet de nullo est verum affirmare, & negare, alterum affirmatiuum, scilicet de quolibet affirmare, vel negare, verum est: his duobus sicut & reliquis, demõstrationes vtuntur limitatis, & coartatis ad peculiarem materiam, quod quidẽ quãdo, & quomodo fiat, in præsenti docet Arist. quę est tertia pars capitis, de his enim magis videtur dubium, cũ generalissima sint, quam de alijs: incipit autem à negatiuo, & dicit, tunc tale principium in demonstrationem ingredi, cum talis est conclusio, quæ illo sic ingredienti indigeat, quando nempè de subiecto conclusionis enuntiamus aliquod prædicatum affirmando ipsum, & remouendo oppositum, vt si dicas, Callias est animal, & nõ est non animal.

Ad huiusmodi conclusionem demonstrandã oportet in demõstratione etiã sumi tale principiũ contractũ, sumimus autem sic sumendo duos terminos contradictorios altero affirmato, altero negato & remoto, vt in illa conclusione eadem appareat: sic autẽ in demõstratione sumi debet: ecce quãdo liceat tale principiũ in demonstratione sumere, sed quomodo, & quo loco in demõstratione couentendum, docet: sunt enim tres termini in demonstratione, maius extremum, nempè prædicatum maioris, minus extremum, subiectum minoris medium, scilicet subiectũ maioris & prædicatum minoris: tale principium non in medio, nõ in minori extremo, quod dicitur tertiũ sed in primo, id est, maiori extremo constituendum est, & dices, omnis homo est animal, & non est non animal, Callias est homo, ergo Callias est animal, & nõ est non animal.

Dices, quare non in medio, & tertio sumi debet: huic respondet Arist. quia est inutilè prorsus ad talem conclusionem inferendam, nam etiã si oppositum medij sumeres absq; negatione ipsius, adhuc sequitur conclusio: similiter de tertio, nã etiam si dicas, omnis homo, & nõ homo est animal, & non est non animal, dummodo Callias sit homo tantum, sequitur Callias est animal, & non est nõ animal: similiter de tertio, etiã si enim non Callias sit homo, dummodo Callias sit homo, sequitur eadem conclusio. Dubium Solutio.

Dices tu: quare de medio & oppositio medij enunciamus maius extremum nõ de medio autem enunciamus primum, & oppositum primi, dicit enim homo, & non homo animal, at homo non dicitur animal & non animal. Respon. quia maius extremum est superius medio, nõ intelligas Dubium Solutio:

telligas semper id esse in demõstratione nẽpè q̃ sit superius, sed hoc est argumentum non posse tale principiũ esse necessarium in medio, quia si necessariũ esset, semper esset, at cum primum est superius non licet, argumentũ igitur est, non esse necessarium, idem dicendum de tertio, hunc crediderim esse integrum sensum Arist. & valde notandum.

Expositio text. Literã igitur ipsam exponamus, non contingere autem simul, id est, illud principium, de nullo est verum affirmare, & negare, nullam demonstrationem ingreditur, nisi cum opus est demonstrare conclusionem, sic, id est, per illud principiũ, quod sit eum id in conclusione est, tunc autẽ in demõstratione accipi sic debet, accipientibus primum, id est, maius extremum de medio in maiori quod verũ, negare autem non verum, id est, affirmãdo ipsum primum & negando negationem primi, quæ falsa erat, non enim dicebatur, homo est animal, & nõ animal hoc enim falsum est: dicemus ergo, homo est animal & nõ nõ animal, & remouere contradictoriũ primi, est dicere, q̃ negare primum, non est verum.

Nihil differt. Hic probat non posse in medio illud esse, quia in medio, & minori extremo possimus oppositum medij sumere, etiam oppositum minoris extremi, dicitur enim homo, & nõ homo est animal, Callias & non Callias est homo, non igitur principium est necessariũ cum oppositum verè liceat sumere.

Nam si datum est. Ostendit id exemplo quomodo sit inutile cum medio oppositum medij sumere ad conclusionem inferendam, dicem, si datum est, de quo homine verum est dicere, id est, si detur quod Callias sit homo & non hominem verum, id est, licet verum sit quod nõ homo est animal, & non non animal, dummodo detur, sed si solum hominem, totum nempe hoc, homo est animal, & nõ non animal, erit enim verum, id est, sequitur conclusio, Callias est animal, & non non animal, vt sit sensus, dummodo homo sit animal, & non non animal, & Callias sit homo, sequitur, q̃ Callias sit animal, & nõ nõ animal, siue etiam non homo sit animal, & non Callias homo.

Causa autem est. Reddit rationem cur id liceat in medio, nempè sumere ipsum & oppositum, quia nempe maius extremum superius est, & contingit esse, cum enim conuertibile est, id nõ licet, at maius extremum, & oppositum in nullo casu licet vere sumere, sed semper negãdo oppositum, vt diximus, postea concludit, nihil differre ad conclusionem duo opposita in medio sumere, & in tertio, non ergo est ibi tale principium necessarium. Hæc circa literam.

Quædam notata digna.

Sunt aliqua notanda, & perfecta intelligentia huius: primũ, quando dicit Arist. oppositum medij posse sumi, vt homo & non homo est animal, non intelligas, quod in vtraque propositione id liceat, nam minor erit falsa, vt notat Auer. scilicet Callias est homo & non homo, sed sensus est, si in medio tale principium sumendum esset, nunquam in medium, & oppositum minoris liceret: at in maiori id fit, non ergo in medio est ponendum id principium. 1. Nota. Oppositũ medij nõ debere sumi in vtraq; propositione.

Aduerte secundò, non solum in maiori oppositum medij sumi posse, imõ, vt notat Ph lop. aliter sumi est impossibile, cum primum est superius, est enim falsum dicere, homo & non non homo est animal, & nõ est non animal, cum multa, quæ sunt non homo, licet non omnia sint animalia. 2. Nota.

Aduerte maximè tertio, quare Arist. non ponat principiũ hoc in subiecto conclusionis, sed solũ in prædicato, dicimus enim etiam homo, & non non homo est risibilis: dico cum in subiecto est, non potest poni in demonstrationes, nam eliet consequentia mala, nec esset bona forma cũ detur antecedens verũ & consequens falsum, vt patet in hac, omne animal rationale est insensitiuum, omnis homo & non non homo est animal rationale 3. Nota.

nale, non valet, ergo homo & non nó homo est sensitius.

4. Nota. Demonstrationes quæ cum hoc principio sumuntur, non esse inutiles, quamuis id videatur sancto Thomæ: sunt enim, vt dicit Philop. multa, quæ apparent secundú opposita prædicari, vt elementa esse corruptibilia, & non corruptibilia, quia corrumpuntur secundum partem, non corrumpuntur secundum totum, similiter cælum esse in loco, & non esse in loco, quia secundum partes locum habet, non secundum totum, & alia huiusmodi, ex quibus quis posset existimare posse hæc opposita affirmari, aduertus quos possumus & debemus sic oppositas monstrare conclusiones.

5. Nota. Aduerte quinto, quamuis istud exemp'um Aristi. non sit demõstratio propria quia est de singulari, puta Callia tamen possunt fieri multę huiusmodi demõstrationes, vt si dicas, omnis actus habens esse in se est immortalis, & nó nó immortalis, anima rationalis est talis actus, ergo anima est immortalis & non non immortalis, & sic etiam in alijs fit.

6. Nota. Contradictionẽ terminorũ simpliciũ esse imperfectam. Aduerte sextò cum Philop. cum audis contradictionem inter terminos, puta homo nõ homo, animal nõ animal, non intelligas contradictionem perfectam, hæc enim non nisi in propositionibus est sed est quædam imperfecta contradictio quæ dicitur secundum finitos & infinitos terminos.

14. Exposi. Themi. & Philo. *Commune autem aut affirmare, &c.* Themistius & Philop. volunt, vt postquàm Aristot. probauit demonstrationi ostẽsiuæ deseruire illud principium, modò probet etiam deseruire demõstrationi ad impossibile. D. Thom. vero, & alii hoc ad principiũ affirmatiuum referunt, vt diximus in principio, & quòuis vtrũq; sit verum & probabile, magis videtur cõsonare literæ sententia. D. Tho. Est ergo sensus, quòd hoc principium de quolibet est verum affirmare, aut negare, deseruit demonstrationi ad impossibile, sed debet contrahi ad materiam illius demonstrationis, sicut etiam dictum est de alijs principijs communibus.

Nota de syllogismo ostẽsiuo, & ad impossibile.

Propter quod aduerte ex li. 1. Prio. c. 22. & 23 esse duplicé syllogismum, ostensiuum, & ad impossibile, probamus enim aliquã conclusionem dupliciter, vno modo illã veram ex veris concludendo, vt qui hominem esse risibilem probare tic, omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis, talis syllogismus & probatio dicitur ostensiua: altero modo eandem conclusionẽ probamus ostendendo suum contradictorium esse falsum, cum enim contradictoriorum hoc aut illud sit verum, si falsum ostenditur vnum, probatur alterum verum, talis syllogismus & probatio dicitur ad impossibile demonstratio.

Fit aũt hoc modo, sumendo primum cõtradictoriũ conclusionis probãdę, puta, nullus homo est risibilis, si probanda est, homo est risibilis, secundò ex eo, cum alia propositione vera, inferendo cõclusionem falsam in bona consequentia, vt cum sit illa bona consequentia, & cõclusio falsa, necessarium sit aliquam præmissam esse falsam, quæ erit illius primæ cõtradictoria, nam altera coassumpta erat vera, sumitur enim sic, nullus homo est risibilis, omne rationale est risibile, ergo nullus homo est rationalis: in Cæsare: conclusio est falsa, ergo altera præmissa non minor, quia est manifesta, ergo maior, quæ est contradictoria prioris: tunc tertio vtatur principio contracto sic, aut omnem hominem non esse risibilem, aut aliquem esse risibilem verum est, sed nullum hominem esse risibilem non est verum, ergo hominem risibilem esse verum est in quo tertio processu vtor hoc principio affirmatiuo contracto, & hæc est mens Aristot.

Cõmunicant autẽ omnes scientiæ, &c. 15.

Concludit scientias omnes cõmunicare in illis principijs communibus, vt dictum est, non tamen in his, ex quibus demonstrant, nec quod demonstrant, id est

non in subiecto, nec in passionibus, nec similiter in propositionibus, ex quibus proximè demonstrant, nec in conclusione quam demonstrant.

Tria genera cõmunium principiorum.

Vbi aduerte cõmunia principia esse in triplici differentia, quædam sunt communissima omnibus scitis, & omnibus demonstrationibus, qualia sunt illa duo prædicta, in his vt omnis probatiua & illatiua nititur, vt dictũ est: quædam sunt communia multis quidem scientijs, sed non omnibus, nec vniuersis demonstrationibus, qualia sunt illa Mathematica, omne totum est maius parte, & similia quædam vni scientiæ propria, sed cõmunia multis illius scientiæ demõstrationibus, vt in philosophia naturali motus est, in morali omnes appetunt bonum huiusmodi sunt multa in singulis artibus Mathematicis in præsenti fermo est de cõmunissimis, in his enim solùm omnes scientiæ conueniunt, in reliquis multæ, aut vnius scientiæ variæ demonstrationes, sed non omnes.

Quomodo principia cõmunia pbent aliquã conclusionẽ.

Aduerte præterea hæc principia communia non per se conclusionem probare aliquã, nisi vel limitentur, vel cum alijs sumantur propositionibus, non enim semper formaliter sunt in demonstratione, sed virtualiter: vt nõ semper illa prior a duo & reliqua in demõstratione sunt secundum se, licet virtus saltem priorum sit semper. Est enim similitudo, vt enim causæ naturales quædam sunt vniuersales variis affectibus procreandis promptæ, vt sol, cæli, intelligentiæ, nihil tamen ea producunt eorum, nisi adiũctæ particularibus causis, sol enim cũ leone producit leonem, & canem quo equum: ita si militer illa principia communia, nõ enim ipsa sola, nec particularia sola sed simul vtraque probant, ac ob id dicuntur communia secundum analogiam & proportionem, quia sicut in hac scientia cum principijs huius producunt hanc cõclusionem, ita etiam in alia scientia & demonstratione producunt cum alijs particularibus principijs aliam conclusionem, ob id dicuntur principia analoga, & proportionalia respectu variarum cõclusionum particularium, quæ in variis scientijs & demonstrationibus sunt, & hoc est maximè notandum.

16. Aduerte differẽ inter dialecticũ & Metaph.

Et Dialectica quidẽ de omnibus, &c.

Duas scientias ex communibus procedere docet, Dialecticam & Metaphisicã sed discrimen est inter vtramque. Metaphysica cõmunia per communia probat, ac propterea demonstratione vtitur, nã multa probat de ente per causas etiã cõmunes, & sic ex communibus procedere non est contra id quod dictum est, solum hoc est traditum, quod propria non licet per communia procedendo demonstrare, & sic Dialectica procedit, ac ob id nõ demõstrat, sed probabiliter ratiocinatur, hic enim de Dialectica pro Topica fermo est, vt Dialecticus probat amorẽ esse in cõcupiscibili per commune, quia vbi est vnum contrarium, ibi est alterum odium verò est in concupiscibili, ergo & amor, sic igitur procedit ex communibus, sed non demonstrat.

Dubium Soluitur ex D. Th.

Dices, quomodo dicit quòd Metaphysicus communia illa principia demonstret, cum sint immediata? Resp. S. Tho. quem sequitur Aegid. quod non à priori demonstret, sed contra negantes conatur ostendere, & declarare, & aliqua via probare. Præterea quia de illis demonstrat passiones, scilicet quod sint immediata, quod sint per se nota, & alia: vnum fateor, quod mihi videtur, multa principia per se nota habere causam, quis enim negare posset non esse causam quod totũ sit maius parte, & multorem aliorum sed quia sunt per se lumine naturali cognita, & nõ per causam, propterea immediata dicuntur; Metaphysici tamen est per tales causas, si quando occurrerit probare: & hoc est quod dixit sub forma dubitandi (si qua tentat monstrare communia) quia non id facit, nisi contra negantes ea, quod raro occurrit, sed hoc in secundũ libri Metaphysicæ reseruetur.

Principia per se nota habere quãdoque causam.

Sed Dialectica non est sic definiterũ, &c. 18.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Diſcrimen eſt Dialecticæ ab alijs ſcié
tijs, quod non eſt vnius generis definiti,
ſicut aliæ ſcientiæ ſunt: aliqui dicunt, ꝙ
quia eſt de argumentatione, quæ apta-
tur omnibus rebus, ſed melius eſt, ꝙ non
ſit generis vnius, id eſt, topica non habet
rẽ certã: & materiã circa quã probabilit-
ter diſputet, ſed circa quamcunque ma-
teriam & rem probabiliter diſputando
vagatur. Præterea differt ab alijs ſciẽtijs
etiam à Metaphyſica, quod ſcientiæ vnã
partem determinent contradictionis,
quam demonſtrant, non enim contradi
ctoria ſimul demonſtrari valent, at Dia
lectica vtitur vtraque parte contradi-
ctionis, & vtramque probat ſpicè, ꝛc ob
id interrogatione vtitur, quæ ſit de par-
te contradictionis vtraque, quia vtra-
que expoſitus eſt probare: de qua inter-
rogatione dictum eſt in libro de ſyllogiſ
mo. Priorum capite primo, atque hæc
de capite octauo.

*Demonſtrationum ſcientiarum eſſe
interrogationes & reſponſio-
nes proprias, &c.
Cap. IX.*

TEXT. SI verò idem eſt interrogatio ſyllogi-
1. ſtica, & propoſitio contradictionis ꝙ
poſitionis autẽ ſecundum vnã quamq; ſcientiã, ex quibus ſyllogiſmus ſecundũ vnãquamq; ſcientiã erit, vtique ali-
qua interrogatio ſcientialis ex quibus
qui ſecundum vnamquamque, ꝓ to-
prius fit ſyllogiſmus.

2. Non igitur quod non omnis in
terrogatio Geometrica ſuerit, neque
medicinalis ſimiliter autem & in a-
lijs: ſed ex quibus, aut monſtratur ali-
quid, de quibus, Geometria eſt: aut ex
eiſdem monſtratur Geometriæ, quem
admodũ perſpectiua conſimiliter autẽ
& in alijs: & de his quidem & rationẽ
ſubijciendum ex Geometricis princi-
cipijs, & concluſionibus.

3. De principijs verò non Geometri
cis, & concluſionibus, rationem non
ſubijcie ndum Geometræ, in quan-
tum Geometra: conſimiliter autem &
in alijs ſcientijs.

Neque igitur omnem interrogationẽ 4.
vnuſquiſque ſcientificus interrogare de-
bet: neque omne interrogatum reſpon-
dere de vnoquoque: ſed quæ ſecundũ ſciẽ
tiam determinata ſunt. Si autẽ diſputabit
cum Geometra, in quantum Geometra
ſic, manifeſtũ ꝙ bene, & ſi ex his aliquid
monſtret: ſi autem non, non benè. Planũ
autem, quod neque redarguit Geome-
tram, niſi ſecundum accidens.

Quare non erit in Geometricis de Geo 5.
metria diſputandum: latebit enim prauè diſputans: conſimiliter autem & in a-
lijs ſcientijs ſe habet.

Quoniam autem ſunt Geometricæ in- 6.
terrogationes, ſunt ne igitur & non Geo
metricæ? & iuxta vnamquamq; ſcientiã, †a. Ali-
quæ ſecundũ ignorantiam † qualemnam quã Geo
Geometricæ ſunt? Et vtrum ſecundum metricæ
ignorantiam ſyllogiſmus, qui ex oppoſi ſunt.
tis ſyllogiſmus, aut paralogiſmus?

Secundũ Geometriã verò aut ex alia 7.
arte: vt muſica eſt interrogatio nõ Geo
metrica de Geometria: coalternas verò
ex incidere exiſtimare, Geometrica quo
dãmodo, & nõ Geometrica alio modo.

Duplex enim hoc, quemadmodum ir 8.
rhythmicũ: & alterum quidẽ non Geo- τὸ ἄρρυθμον.
metricum, eo ꝙ non habet, quemadmo abſque ir
dũ irrhythmicum: alterũ verò, eo ꝙ ma- rythmo
lè habet: & ignorantia hæc, & quæ exta & forma.
libus principijs contraria.

In Mathematicis verò nõ eſt ſimiliter 9.
paralogiſmus, quoniam mediũ eſt ſem-
per, ꝙ duplex: de hoc enim omni, & hoc
rurſus de alio dicitur omnẽ: quod autem
prædicatur non dicitur omne.

Hæc aũt ſunt, ac ſi intellectione videre 10.
tur. In rationibus verò latet: nõquid om Vide pri
nis circulis figura? ſi verò deſcripſerit, pla mo Ele
nũquid autem, carmina circulus? mani- chorũ. ca
feſtum, quod non ſunt. pit. 9.

Non oportet autem inſtantiam in ip- 11.
ſum ferre, ſi ſit propoſitio inductiua, quẽ Vide ꝙ
admodum enim neq; propoſitio eſt quę hoc Ari
non eſt in pluribus, non enim erit in om 2. top. nõ
nibus

longè à principio ibi. Amplius problema ꝙ poſitioni faciẽtem ſibi ipſi inſtare.

nibus: ex vniuerſalibus autem ſyllogiſ-
mus: planum quod neque inſtantia exẽ-
dem enim propoſitiones, & inſtantiæ:
quam enim fert inſtantiam, hæc fieri
poteſt propoſitio, aut demonſtratiua,
aut Dialectica.

Contingit autem quoſdam non ſyllo- 12.
giſticè dicere, eo ꝙ ex vtriſque conſequẽ
tia accipiunt: quemadmodũ & Cæneus
facit: ꝙ ignis in multiplicata proportio-
ne: etenim ignis celeriter gignitur, vt
ait: & hęc eſt proportio: ſic autem nõ eſt
ſyllogiſmus, niſi celerrimam proportio-
nem ſequatur multiplex: & ignem celer
rima in motu proportionem.

Aliquando quidem igitur non contin- 13.
git ſyllogizare ex acceptis: nonnunquã
verò contingit, ſed non videtur.

Si autem impoſsibile eſſet ex falſo ve- 14.
rum monſtrare, facilè vtique eſſet reſol-
uere: conuerteretur enim ex neceſsita-
te. Sit enim A. ens: hoc autẽ exiſtẽte, hęc
ſunt, quæ noui, quod ſunt, vt B. Ex his ita
que monſtrabo ꝙ illud eſt. Conuertun-
tur autem magis quæ ſunt in Mathema-
ticis, quoniam nullum accidens accipiũt
(ſed hoc differunt ab ijs, quæ ſunt in diſ-
putationibus) ſed definitiones.

Augentur autem non per media, ſed 15.
eo ꝙ aſſumſit. Vt A. de B. hoc autẽ de C. [Cod.
rurſus hoc de D. & hoc in infinitum. Et mul. leg.
in latus: † vt A. & de C. & de E. vt eſt nu- vt A. de
merus quãtus, vel & infinitus: hoc, in quo B. ſed ma
A. impar numerus, quãtus in quo B. nume lè & ideò
rus impar, in quo C. eſt igitur A. de C. & Ioã. Gr.
eſt par quãtus numerus, in quo D. par ve dicit le-
rò numerus, in quo E. eſt igitur A. de E. gẽdũ eſſe
Si aũtidẽ eſt interrogatio ſyllogiſtica, &c. vt A. de
Cùm & concluſiones, & propoſitio- B. & de D
nes, & principia propria eſſe in demon- 1.
ſtratione qualiber, & ſcientia docuiſſet,
nunc etiã interrogationes, reſpõſiones,
& alia propria eſſe docet, atque in tres
partes caput eſt diuiſum: in prima, inter
rogationes, reſponſiones, diſputationes
proprias eſſe in ſcientijs traditur: in ſe-
cunda eſſe etiam proprias interrogatio
nes ſecundũ ignorantiã: in tertia verò de
defectibus in ſyllogiſmis ſcientiarũ diſſe-
rit: proponit igitur hanc concluſionem.
Interrogationes ſunt propriæ in ſciẽtia
qualibet: & affert hanc probationẽ: pro
poſitiones ex quibus ſyllogiſmi ſcientia
rum ſiunt, ſunt propriæ in qualibet ſcien
tia, ſed interrogationes ſyllogiſticæ ſunt
ꝓpoſitiones, ergo interrogationes ſunt
propriæ in qualibet ſcientia, minorẽ in
principio, ſuo more, ponit.

Circa hæc dubitabis primò, quomo- 1. Dub.
do hic interrogationes in ſcientia & de
monſtratiõe ponat, cũ in fine capitis præ
cedentis hoc dialecticæ propriũ eſſe di-
xerit. Reſp. S. Tho. quẽ ſequũtur Aegid. Soluitur
& alij philoſophi demonſtratoré & dia ex D. Th
lecticũ interrogare, ſed cũ magna differẽ
tia, nam Dialecticus interrogat cõcluſio
nẽ, & propoſitiones, ex quibus ſyllogizat.
Demonſtrator verò ſolã interrogat con
cluſionẽ, propoſitiones accipit, cuius ra
tionẽ dat Aeg. Dialecticus enim cum ex
omnibus procedat, poteſt non ſolũ cõclu
ſionem, ſed etiam propoſitiones negatas
probare: at Demõſtrator cõcluſionẽ qui
dem negatã demonſtrabit, ſed non pro-
poſitiones, ideò eas non interrogat, ſicut
Dialecticus: eſt etiã altera differẽtia, nã
Dialecticus concluſionẽ interrogat, pa-
ratus quamcunque contradictionis par-
tẽ probare, at demõſtrator partem verã
& neceſſariam probat: ſic ergo ad dubiũ
Reſpon. at quia hæc ſolutio non videtur
conſona Ariſt. (nã hic loquitur de inter-
rogationibus demonſtratiuis, quæ ſunt
propoſitiones, & nõ de concluſionibus)
reſpondetur etiã eſſe interrogationes ꝓ
poſitionũ, ſed demonſtrabiliũ, quæ ſunt
cõcluſiones, & poſtea ſumũtur ad alias ꝓ
bandas tanquã propoſitiones: hæc ſolu-
tio nõ mihi placet, cũ abſolutè Ariſt. in- Solu. aut
terrogationes vocet propoſitiones: pro Demon
pterea dico etiã Demõſtratoré interro ſtratoré
gare propoſitiones, nõ vt indifferẽter ſu propoſi-
mat conſenſum reſpõdentis, ſed vt euidẽ tiones
tiã, & certitudinẽ etiã à reſpondente ve- ſuas in-
netur, ſæpè enim interrogamus etiã ne- terroga-
ceſſaria, vt ſimul acquieſcere reſponden re.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem faciamus, qua via sæpè vtitur Plato: quod si acciderit respondentè non concedere, licet nó demóstremus eas, ramè declaramus exemplo, inductione, aut ad incommodú ducêtes: de his igitur interrogationibus demonstrationis est hic sermo, quæ aliæ sunt à Dialecticis: & sic soluitur dubium. Dialecticus enim de vtraq; parte contradictionis petit, quia vtraq; vtitur: non demonstrator sic facit.

1.Dub. Dubitabis præterea, quid per interrogationem syllogisticâ intelligatur dico, non intelligi syllogisticâ, id est, Dialecticam, vt vult Philop. sed intelligitur ea interrogatio, quæ propositione petit, cui respõdere possumus, ita esse vel nó esse, sunt enim multæ aliæ interrogationes, vt vnde venit? cur ferrum trahitur à magnete? hæ enim non sunt syllogisticæ: etiam dicitur interrogatio syllogistica, id est, ex quibus syllogismus componitur, ad excludendam quæstionem, quæ est interrogatio conclusionis. Dubitatur præterea, quomodo interrogationes propositiones dicãtur, nõ enim ex eis syllogismus conficitur. Resp. S. Thom. & Albert. tract. 3. c. 1. dici propositiones secundum substantiã, eadem enim est res, propositio, & interrogatio modo tolo differũt. Tandè dubitabis, quid per propositioné cõtradictionis intelligere oporteat, dico, propositioné, quæ est vna pars cõtradictionis, qualis est demonstratiua.

Solutio.

3.Dub.

Solutio.

2. *Manifestũ itaque quod nõ omnis, &c.*

Infert, non omnem interrogationem esse Geometricam, aut medicinalem, id est, non omnes interrogationes, quæ in particularibus sciẽtijs sunt, sunt illarum propriæ, sed hæ duæ sunt propriæ Geometriæ, altera, quæ sit propositionũ, ex quibus conclusiones Geometricæ probãtur, altera, propositionũ, ex quibus in Perspectiua conclusiones probantur: & vniuersaliter duæ sunt interrogationes sciẽtiæ cuilibet familiares, eæ ex quibus ipsius conclusiones probantur, & eæ ex quibus quæ in subalternata sunt etiam probantur nota literam, aut quod ex eis dẽ monstratur, & eæ interrogationes, etiã sunt Geometricæ, ex quibus eisdem monstratur aliquid, vt visibilia, ideſt, monstrantur quę sunt perspectiua.

Et de iis quidem & rationẽ peruere, &c.

Hæc sunt verba continua præcedentibus, ſonſus est, de his etiã, scilicet perspectiuis principiis reddenda est ratio Geometræ, ac ideo taliũ propositionũ interrogationes, per quas perspectiua probãtur, sunt Geometricæ, idem etiam in aliis subalternis dicendum est: at suamet principia nulla scientia probat, nec ipsum propter quid reddit, non enim Geometra, vt Geometra sua principia probat, sicut probat subalternatæ principia: dico, vt Geometra, quia secundum aliã artem accidere potest principia alicuius scientiæ probare. vt notum est.

Neque rem ne est vtique vnam, &c. 4.

Infert secundo, cũ sint propriæ interrogationes in qualibet scientia, nõ esse interrogandum quemlibet scientẽ quãcunque rem, non enim Geometram omnia interrogabis, nec Arithmeticũ, sed quæ propria illius sunt, nec similiter quilibet artifex tenetur, nec debet cuilibet interrogationi respondere, imò in disputatione nullus aliquem artificem redarguit, nisi ex principijs illius artis redarguat, qui enim Geometrã dese Physica communicit, per accidens, non vt Geometram communicat: oportet ergo & ex proprijs disputare, & redarguere, nõ extraneis illius artis.

Quare non vsque erit in non Geometricis, &c. 5.

Cõcludit, nõ esse disputandũ in Geometria de non Geometricis principijs & rebus, latebit enim prauè disputãs, id est, in illa arte nõ poterit cognosci an prauè disputet, cũ non ex illius principijs procedat, vel secundũ Themist. in non Geometricis, id est, cũ ignaris Geometriæ, nõ est Geometricè disputandũ, quia non poterit ab illis percipi, quando prauè disputetur vel aliter, ne disputetur in Geometria nõ Geometricè, quia si sic disputaretur est prauа disputatio, & non apparet, cum disputatio in Geometria fiat.

6. *Quoniam autẽ sunt Geometricæ, &c.*

1.Quæst. Hæc est secũda pars capitis, in qua tres quæstiones proponit, prima est, vtrum sicut sunt in sciẽtia, puta Geometria interrogationes Geometricæ: ita etiam sint ageometricæ. Altera quæstio est, quiavt postea dicturus est, sunt duæ interrogationes ageometricæ, seu amusicæ, vt ita dicã, & secundum quãlibet scientiã: vna est secundũ ignorantiam negationis: altera est secundum ignorantiam malę & prauæ dispositionis) dubitat, secundum quam harum ignorãtiam, interrogationes factæ in scientia, magis vicinæ sint & proximæ illi scientiæ: vnde sic lege litterã Boetij, ex his interrogationibus, quę secundum ignorantiam sunt in Geometria, qualis est geometrica, & secundum vnamquamque scientiam, id est, ita petitur in alijs scientijs. Tertia quæstio est, cũ duplex sit vitium in syllogismo facto in scientijs, & secundum formam, qualis est paralogismus, & secundum materiam, qualis est is, qui ex oppositis scientię procedit, vter ex his magis dicatur syllogismus ignorantiæ in illa scientia & arte. Hæ sunt quæstiones tres.

1.

2.

3.Quæst.

Secundum Geometriam, &c.

7. Solutio duarum primarũ quæst. Soluit duas priores quæstiones, distinguendo duas ageometricas quæstiones, seu potius interrogationes, altera est, quæ sit in Geometria de re musica, si enim Geometram interroges ea, quę aliarum sunt scientiarũ, interrogationes ageometricæ sunt: altera est, quæ sit in Geometria de opposito eius, quod in Geometria est, vt si interroges, an parallelæ cõcurrant, hæc ageometrica est interrogatio, nõ sicut prior, nã prior de materia ex tranea à Geometria erat, hęc dẽ eadem materia, sed de opposito principio, idẽ Potens cuilibet scientię adaptare, in omnẽ enim hæ duæ sunt interrogationes à sciẽtia alienæ: & in hoc respondetur ad primã quæstionẽ, sunt enim ageometricæ quæstiones, postea has duas cõparat & eãquæ ex oppositis est, magis ad Geometriam accedere oportet, cũ tenere ex materia eadem sit, quãuis non sit prorsus geometrica, cũ ex oppositis sit: & ex hoc soluitur secunda quæstio. Nota literam textus sic legẽdam: interrogatio nõ geometrica, id est, ageometrica est, aut secũdum Geometriam, puta quæ ex eadem materia, sed opposito modo, aut ex alia arte, vt ex Musica est, vt diximus.

8. *Duplicitur autẽ hoc est vt Arithmetici etc.*

Ex vocabulo, ageometricũ nempè, sumit rationem distinctionis prędictæ, nã ageometricũ vna modo dicitur purè negatiuè, quod nullo modo ad Geometrã pertinet, quales sunt illę interrogatiões aliarũ sciẽtiarũ, quę in Geometria fiũt: altero modo priuatiuè, quod aliquo modo ad Geometriã pertinet, sed opposito modo sumptum, & ponit exẽplũ arithmeticum: incõsonans etenim duobus his modis dici potest, sicut ageometricum & quod non habet prorsus consonantiam, quod vocat in non habendo, & quod malam habet consonantiam, quod vocat in prauè habendo: vbi nota duplicẽ ignorantiã, altera est puræ negationis, quæ est in nõ habendo prorsus illam scientiã, altera est prauæ dispositionis, quæ est oppositum scientię existimare illę interrogationes ageometricæ, quæ sunt ex alijs scientijs, dicuntur secundum ignorantiam negationis quæ verò sunt ex oppositis, sunt prauæ dispositionis, vt petebamus in secunda quæstione. Ignorantia quæ est ex talibus principijs, id est, ignorantia prauæ dispositionis ista est contraria scientiæ: ex quo patet solutio tertiæ quæstionis, magis enim ignorat sciẽtiam, qui in materia, quàm qui in forma syllogismi deficit.

Ignorantiã esse duplicẽ.

Solutio. 3. quæst.

9. *In doctrinis autem non est similiter, &c.*

Tertia capitis pars hæc est: quãuis autẽ Caietanus & alij velint hic tertiæ quæstionẽ respondere, melius est cũ Philo. dicere ibi responsum esse, vt diximus, hic asserit vult Aristo. discrimen inter syllogismos scientiarũ, præsertim Mathematicarum

Universidad de Deusto
Biblioteca

quas doctrinas vocat, & inter syllogismos dialecticos assignare: ac primum circa defectus qui in syllogismi forma accidunt, quorum primus eorum qui in dictione sunt, est æquiuocatio, hanc in scietiarum rationibus non euenire ostendit quia medium, inquit, est duplex, dicitur enim de omni in minori, & de ipso omni in maiori aliud dicitur: vt autem explicaret quòd vniuersalitas non est prædicato, sed subiecto addenda, non enim homo est omne animal, propterea adiunxit q̃ prædicatur, non dicitur omne, quod idem dixerat lib. de interpret.

Expos. Auerr. Dices, quod vocat medium duplex? Auer. respõdet per mediũ duplex, intelligi, quod mediũ sit vnũ, & voce, & re significata, in æquiuocatione enim mediũ simpliciter est vnũ, nempe voce sola.

Expos. Philop. Sed melius Philop. per mediũ duplex intelligit, quòd idem medium bis sumatur, & in maiori & in minori, & de omni, quod in æquiuoco non est, cũ pro vno in maiori, pro altero in minori sumatur: hoc autem frequentius accidit in dialecticis, quàm in demonstratiuis, cuius rationem assignat Philop. nam quælibet scientia determinatas res continet, & determinata vocabula ad illas res, ideò animus scientis minus est vagus in rerum apprehensione, quã Dialecticus qui circa omnia vagatur: propterea ei æquiuocationes accidunt, cũ plura sub vno vocabulo coniungit, verbi gratia Geometra per circulũ quandã figurã concipit: quia eã cõsiderat, Poeta verò quoddam carminis genus, quia id tractatu propterea neutri accidit æquiuocatio, Dialecticus verò, qui circa vtrunque disputat, vtrunq; apprehendit, & exponitur errori æquiuocationis. Hæc est mens Philop.

5. Alia expos. Quamuis possemus etiam dicere, per medium duplex voluisse dicere, scilicet quod in maiori & in minoribus de omni sumatur: rarò autem hoc in æquiuocatione accidit, in qua sæpè altera præmissa particularis est.

22. *Hæc autem sunt, vt est videre.*

Potest dici post quã Arist. proposuit medium dupliciter sumi de omni in demonstratione, hic prosequi rationẽ explicando, differentiam à syllogismo Dialectico vt totum sit vna ratio, quod mihi magis placet, vel quod sit noua ratio, scilicet, quæ sunt in scientijs, sunt perspicua & præsentia intellectui, sicut quæ videntur ac Dialectica, cum orationes, & sermones considereret, nõ ita perspicuas res habet, ob id magis in ea fit æquiuocatio, nam æquiuocatio magis ad nomen fit, quã ad rem & intellectũ: verbi gratia, si circulus describeretur, clarum est, quod non esset æquiuocatio, nullus enim carmen circulũ talẽ concederet, sic Mathematicus res velut descriptas tractat, at in nomine quo Dialecticus vtitur, æquiuocatio est: ob id igitur minus in scientijs fit æquiuocatio: vide de hoc eodẽ ipsum Arist. 1. Elench. c. 9. vbi id ipsum latius docet, & eodem exemplo vsus est.

Non oportet autem instantiam. 11. 1. expos.

Hunc locum adeò difficilem existimauit Philop. vt alios interpretes expectaret, adducit tamen quandam expositionem, quæ illi non placet, illã tamen recipit S. Thom. & alij, vt velit Arist. docere modũ, quo demonstrationibus instamus diuersum ab eo, quo in dialecticis instamus: instãtia enim debet in scietijs esse vniuersalis, vt si fiat ille paralogismus omnis circulus est figura, carmen est circulus, ergo carmen est figura: si volumus instare minori, per vniuersalem instantia fiet, probando nullum carmẽ esse circulum, non per singularia, sic, omnis circulus est figura, nullum carmen est figura, ergo nullũ carmẽ est circulus: quòd autem instantia debeat esse vniuersalis, probat Aristoteles, quia instantia fit propositio postea, siue Dialectica, siue demonstratiua, ad faciendum syllogismum, sed si instantia esset ex singularibus, non esset in pluribus nec vniuersalis, ideò nec apta ad syllogismum ex vniuersalibus.

Hoc est quod Philopo. displicet, nam instantia semper est conclusio illata cõtra respondentis dicta, non ergo est propositio: ad hoc tamen videtur tacitè respondere. S. Thom. quod licet instãtia sit primò conclusio, tamen sumitur postea, tanquàm propositio ad inferendum aliud oppositum respondenti, & hoc idem dicebant illi, quos citat Philop. & ponit eorum exemplum: verbi gratia sumatur illa instantia præcedens, nullum carmẽ est circulus, quæ erat conclusio, & sic dicatur, nullum carmen est circulus, circulus est figura, ergo nullum carmen est figura: ecce enim intuli oppositum conclusionis prioris paralogismi: sed profecto hoc exemplum est reprehendendum & miror cur Philop. dissimulauerit, est enim in prima figura ex minori negatiua, possent quidem alia exempla poni. Sed dubium est, nam c. 4. instantias particulares cõtra propositiones de omni posuit, vnde videtur posse instari particulariter in scientijs.

Dubium

2. Expos. auctoris & solutio Ob id dico, saluo meliori iudicio, dupliciter nos instare in scietijs, aut ad destruendum tantũ falsam demonstrationem, aut non solum ad destruendũ, sed etiã ad cõstruendã oppositam demõstrationem, & tũc instantias vniuersales ponimus, quippe cũ ex eis futura sit demonstratio, quod nõ opus est etiã in dialecticis cõstructionibus oppositorũ: & hoc est quod hic docet, aliter instantias tales esse in scientijs, aliter in dialecticis: v. g. dicat, quis, nulla virtus est qualitas, omnis iustitia est virtus, ergo nulla iustitia est qualitas, sic instato maiori, omnis habitus est qualitas, omnis virtus est habitus, ergo omnis virtus est qualitas, iterũ per hãc demõstro oppositũ alterius conclusionis: sic, omnis virtus est qualitas, omnis iustitia est virtus, ergo omnis iustitia est qualitas, hoc autem sæpè accidit.

22. *Contingit autem quædam.*

Defectum tradit qui aliquando accidit in scietijs, uempè sumere mediũ consequens, & superius vtraq; extremitate, tunc enim est vitium in secunda figura ex puris affirmatiuis: quomodo argumentabatur Cæneus philosophus volens demonstrare ignem in multiplicata analogia fieri, & sumebat pro medio quid superius, nempè celeriter generari, & dicebat, quod in multiplicata analogia fit, celeriter generatur, ignis celeriter generatur, ergo ignis in multiplicata proportione fit: aduerte circa hanc rationem, ignem in multiplicata analogia fieri, esse, quod semper maior fiat ignis, quàm erat materia, ex qua factus erat, vt experientia monstrat, ex parua enim stuppa fit magna flamma, quod verò celeriter generetur, est, quòd paruo tempore eius productio fiat, vt notum est.

quid multiplicata analogia.

Sed quid per multiplicatã analogiam intelligat, exponit Philoponus cum Proclo, intelligi proportionẽ multiplicem, in quo reprehẽdit Alex. qui superparticularem intelligebat. Dices, quare multiplex proportio citò generatur? respondet Philop. quia statim per numeri duplationem fit, vt patet 1. 2. 4. 8. 16. 32. quilibet enim numerus ex his est duplus suo dimidio, & multiplex ad priores, sed pace Philop. citius fit multiplex, quã sic, nõ solum enim per duplationem, sed per generationem cuiusque numeri, sunt enim multiplices ad vnitatem, vt patet. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Cæneus igitur medium commune sumebat, oportebat enim conuersa maiori dicere, quod celeriter generatur, in multiplicata proportione fit, ignis celeriter generatur, ergo, &c. Sed tunc maior esset falsa, nam aliqua celeriter generantur, & non in multiplicata analogia, vt cum aër citò fit aqua, quia erat alias maximè dispositus, & tamen aqua in minori proportione fit, quia est densior aëre, non igitur bene demonstrauit Cæneus.

Aliquando quidem igitur non contingit, &c. 23.

Docet aliquando ex acceptis, puta affirmatiuis, in secunda figura licere argumentari, intellige cum sunt termini cõuertibiles, aliquãdo non licere, cum non

Quando liceat argumẽtari ex dua

bus affirmatiuis secunda figura.

sunt conuertibiles, quãuis talis syllogismus in conuertibilibus non videatur, id est, sit imperfectus quousq; per conuersionem in primam figuram restituatur: vt omne risibile est animal rationale, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis: conuersa vniuersaliter maiori, fit prima figura, in hoc vult ostendere Arist. vt D. Thro. & alij dicũt, hunc defectum rarò committi in demõstrationibus præcipuis, in quibus semper ferè termini sunt conuertibiles, nõ enim syllogismus, qui ex puris affirmatiuis in secunda figura fit, vitiosus est, cum termini conuertibiles sumuntur.

14. *Si autem esset impossibile.*

Aliam differentiam, vt omnes fatentur Arist. assignat inter demonstrationẽ & syllogismum dialecticum, nempè faciliorem esse resolutionem in demõstratione, quã in syllogismo dialectico. Est autem resolutio, vt notat Themi. c. 26. & Philop. vera conclusione proposita, ꝓpositionum ex quibus confecta & collecta est, exquisitio & inuentio. Est autem discrimen inter conclusionem verã dialecticam, & demonstratiuam, quòd dialectica, cum ex probabilibus fit syllogizata, probabilia autem sint multa, & vera, & falsa, talis conclusio ex multis: tum veris, tum falsis syllogizari potest, ob id non habet determinata principia, ex quibus syllogizetur: propterea est difficilis resolutio: at conclusio demonstratiua ex veris tantum, non quibuscunq;, sed necessarijs colligitur, hæc aũt determinata sunt, propterea est facilior resolutio in demonstratione.

Quid resolutio.

Hoc igitur est quod dicit Arist. si verũ non posset ex falso colligi, sed semper ex vero, facilè esset resoluere, nã tunc conuerterentur cõclusio & propositiones: intellige, quoad veritatẽ, ita vt si propositiones veræ, etiã conclusio vera, & si conclusio vera, etiam propositiones essent, vt si A. est, nempè conclusio. B. nẽpè præmissæ etiam sunt, & contrà, q; si conuertuntur, facilè erit per conclusionem præmissas indagare & resoluere: at cum non ita sit, imò verũ ex falso sequi possit, non erit talis cõuersio, qm dialecticis fit: ideò resolutio cõclusionũ in propositiones veras est difficilis. In mathematicis verò demõstrationibus, cũ non per accidentia fiant propositiones, sed per definitiones, & ea quæ per se sunt, non est resolutio difficilis, verbi gratia quod homo sit animal, potest dialectice probari, quia loquitur, quia currit, quia legit, & per alia multa: & sic quia conclusio est vera, & ob id illæ propositiones veræ essent, adhuc facilius esset talem conclusionem resoluere: at potest conclusio esse vera, & illa omnia ex quibus syllogizari potest falsa, propterea difficilè est eam in propositiones suas probatiuas resoluere: at in demonstratione, cum ex veritate conclusionis sequatur etiam veritas propositionum, non est ea difficultas in resolutione circa propositiones, cum determinatæ sint & veræ.

Augentur autem non per media, &c. 15.

Confirmat in determinationem propositionum in dialectica, ex diuerso augmento demonstrationũ: est enim triplex augmentum, primum in post sumendo, cum per conclusionem probatã aliam, & per hanc aliam probamus, & hoc augmentum etiam est in demonstratione, vt patet in Euclide, per vnã enim probatam aliam demonstramus: alterum augmentum est in sumendo ad latus, cum aliquam superioré passionem de varijs inferioribus per media varia demonstramus, vt sensibile de homine prationale, & de equo per hinnibile: exemplũ Arist. est, numerus infinitus. id est, in communi qui vocetur A. demonstretur de impari, id est, de ternario qui dicitur C. per imparem quantum, id est, imparem in communi, qui sit B. dicens igitur, omnis impar est numerus, ternarius est impar, ergo ternarius est numerus: iterum idem A. nempè numerus demonstretur de pari nempè quaternario, qui sit E. per parẽ quantum, id est, in communi qui sic D. dicens, omnis par est numerus, quaternarius est par, ergo est numerus. Sic etiam augentur demõstrationes ter tium augmentum est per media varia demonstrando eandẽ cõclusionẽ, & hoc non fit in demonstrationibus, nã vnius effectus vnum est principale mediũ in dialectica id fit, vt diximus, ideò difficilis est resolutio.

Dubium

Dices, nonne etiam per varias causas augentur demonstrationes, cum vnum multis causis demonstrari possit? dico, verum esse, at in eodem genere non multiplicantur demonstrationes: cum autem Mathematicæ scientiæ ferè per vnicum genus causæ demonstrent, non contingit in talibus demonstrationibus multiplicari media: & hoc tantum intendit in præsenti.

Solutio.

De demonstrationum Quod, & Propter quid, speciebus ac differentijs. Cap. X.

TEXT. 1. QVod verò differt, & propter quid scire, primum quidem in eadem scientia, & in hac dupliciter. Vno quidem modo, si non per immediata essiciatur syllogismus: non enim accipitur prima causa: scientia verò ipsius propter quid secundũ primã causam.

Alio autem, si per immediata quidem, sed non per causam, sed per notius eorum, quæ conuertuntur: nihil enim prohibet eorum, quæ conuersim prædicantur, notius aliquãdo esse quod est nõ causa: quare erit per hoc demonstratio.

Vt quod planetæ propè, per id quod non scintillant, sit in quo C. planetæ in quo B. non scintillare, in quo A. propè esse. verum itaque B. de C. dicere: planetæ enim non scintillant, sed & A. de B. quod enim non scintillant prope est: hoc autem acceptum sit per inductionẽ, aut per sensum: necesse igitur A. inesse ipsi C. quare demõstratum fuit, quod planetæ prope

sunt. Hic igitur syllogismus nõ ipsius propter quid, sed ipsius quod est: nõ enim ꝓpter non scintillare, prope sunt, sed propterea quia prope sunt, non scintillant. Euenit autem & per alterum monstrari alterum: & erit ipsius propter quid demõstratio. Vt sit C. planetæ: in quo B. prope esse. A. non scintillare: inest itaque & B. ipsi C. † quare & ipsi C. A. & A. ipsi B. nõ scintillare: & est syllogismus ipsius ꝓpter quid: accepta enim est prima causa.

† al. I. & A ipsi B. nõ scintillare quare & ipsi C. A.

Rursus quemadmodum lunam monstrant, quod sphærica, per augmenta: si enim quod ita augetur est sphæricũ: augetur autem luna: planum, quod sphærica sic igitur ipsius quod, factus fuit syllogismus. E conuerso autem posito medio ipsius propter quid: nõ enim propter augmenta est sphærica, sed quia est sphærica, accipit augmenta talia. Luna, in quo C. sphærica in quo B. augmentum in quo A.

3.

In quibus autem media non conuertuntur, & est notius, quod non est causa, ipsum quidem quod, monstratur, ipsum autem propter quid, non.

4

Amplius in quibus medium extra ponitur: ete enim in his ipsius ꝙ, & non ipsius propter quid, est demonstratio: nõ enim dicitur causa. Vt propter quid non respirat paries: quoniam non animal: si enim hoc non respirandi causa est, oporteret animal esse causam respirandi, vt si negatio causa ipsius non esse, affirmatio causa est ipsius esse: quemadmodũ si hoc, quod est incõmensurabilia esse calida & frigida, eius, quod est nõ sanum esse, hoc quod est commensurabilia esse, eius quod est sanum esse: consimiliter autem & si affirmatio ipsius esse, negatio ipsius non esse. In ijs autem, quæ sic assignata sunt, non contingit, quod dictum est: nõ enim omne respirat animal.

5

Syllogismus aũt sit talis causæ in media figura: vt sit A. animal: in quo B. respirare: in quo C. paries. A. igitur inest omni B. omne enim respirans est animal, ipsi autem C. nulli quare neq; B, C nulli:

6

non itaque respirat paries.

7. Assimilantur autē tales causæ ijs, quę secundum excessum dicuntur: hoc autem est plus distans dicere medium.

8. Vt illud Anacharsidis, quod in Scythis non sunt citharœdicines: neq; enim vites.

9. Secundum quidem igitur eandē sciē tiam, & secundum mediorum positionē istæ differentiæ sunt eius, qui est ipsius quod, ad eum, qui est ipsius propter quid syllogismum.

10. Alio modo differt ipsum propter quid, ab ipso quod, eo quod per aliā scientiam vtrum quę speculatur: talia autem sunt, quæcunque sic se habent inuicem, vt sit alterū sub altero: vt perspectiua ad Geometriam, & Mechanica ad Stereometriam, & Harmonica ad Arithmeticam & Apparentia ad Astrologicam.

11. Verē autem vniuocæ sunt nonnullæ istarum scientiarum, vt Astrologia, & quæ Mathematica, & quæ Nautica, atque Harmonica, & quæ Mathematica, & quæ secundum auditum.

12. Hic enim ipsum quidem quod sensitiuorum est scire, ipsum verò propter quid Mathematicorum: hi nanque habēt causarum demonstrationes, & plerumque non sciunt ipsum quod: quemadmodū qui vniuersale speculantur, multoties nonnulla singularium nescīunt, quia nō aduertunt.

13. Sunt autem hæc, quæcunque cum alterum quid sint secundum substantiam vtuntur formis: disciplinæ nanque circa formas sunt: non enim de subiecto aliquo Geometrica sunt, si enim de subiecto aliquo Geometrica sunt: sed non in quantum Geometrica, de subiecto.

14. Se habet autem & ad Perspectiuam, vt hæc: ad Geometriam, alia ad hanc, vt quod est de Iride, ipsum enim quod, Naturalis est scire, ipsum verò propter quid, Perspectiui, aut simpliciter, aut secundum † Mathema.

[disciplinam.

15. Multæ autem & non sub se inuicē scientiarum, ita se habent, vt Medicum ad Geometriam: quod enim vlcera orbicularia tardius sanantur, Medici est scire: propter quid verò, Geometræ.

Sed quia differt & propter quid. 2 Demonstratio quia, & ꝓpterq̄d

Duplex genus demōstrationis distinguit, quæ sunt instrumenta duarū scientiarum, altera enim demonstratio quia est, quæ facit scientiam, quæ dicitur, quia est, altera demonstratio propter quid, quæ scientiam potissimam facit per causam. Est autem caput in duas diuisum partes: in priori ostendit quomodo hæ duę demonstrationes se habeant in eadem scientia, in posteriori quomodo sint in diuersis. Proponit igitur differre scire quia & propter quid, ac proinde ipsas demonstrationes: scire enim propter quid, est per causam primam cognoscere, at scire qui dupliciter contingit, vno modo, cum propter causam, sed non primam cognoscimus: altero modo, cum immediatum effectum non per causam cognoscimus: fieri enim potest, vt effectus, licet cum causa conuertatur, sit notior nobis, & tunc per illum demōstrantes, sciemus demonstrationem quia.

Vt quod prope sint planetæ &c. 3

Ponit duo exempla, alterū est, stellæ nō scintillantes sunt prope nos, planetæ non scintillant, ergo sunt prope nos: Sic syllogismus ab effectu procedit, qua effectus notior est, cum sensu & inductione percipiatur, sensu, quia ipsos planetas non scintillare visu dignoscimus, inductione, quia in his omnibus, puta argento, auro, plumbo, quæ prope nos sunt, nō scintillare cōperimus: poterit talis quia, fieri propter quid, maius extremum mutando in medium, sic, quæ sunt prope nos non scintillant, planetæ sunt prope nos, ergo planetæ non scintillant, hic est per causam demōstratio. Nota per A. maius extremū, per B. mediū, per C. minus extremū intelligi in præsenti loco.

Iterum sic lunam demonstrant. 4

Ponit secundum exemplum, quicquid circulariter illuminatur, est rotundum, luna sic illuminatur, ergo est rotūda: est etiam ab effectu, & poterit eodem modo fieri propter quid, sumendo causam pro medio, quod est rotundum, sic illuminatur, luna est rotunda, ergo sic illuminatur.

4. *In quibus aūt media nō cōuertuntur, &c* Docet nō semper demōstrationē quia, fieri propter quid, cùm enim effectus notior est, sed cū causa non conuertitur, fit solum quia, non propter quid, vt omne progressiuum est animal, omnis leo progressiuus est, ergo omnis leo animal: non dices tamen omne animal progressiuum est, sunt enim multa animalia quæ non sunt progressiua, in his tamen est demōstratio quia, non propter quid.

5. *Amplius in quibus medium, &c.* Assignat exemplum secundi generis demonstrationis quia est, nempē cùm fit per causam mediatam, & dicit (in quibus medium extra ponitur,) per medium extra poni intelligit Alexand. quod fit in secunda figura, in qua medium dicitur extra poni, vt dicitur. 1. Priorum ca. 5. quia fit superius, & prædicatum de vtraque extremitate, quia verò hæ demonstrationes quę sunt per causam remotam, sunt in secōda figura, ideo dicit, in quibus medium extra ponitur, etiam aliter exponit quòd medium extra poni, fit causam esse remotam, & distantem ab effectu, quasi alia causa sit ante ipsam.

Vtraque expositio bona est, prior patim est Alb. cap. 6 tract. 3. exemplum autem est hoc, si quis probaret parietem nō respirare, quia non est animal assignaret quidem causam, sed remotam, propria enim causa non respirandi est, non habere pulmonem, remota verò non esse animal; nam si non est animal, non habebit pulmonem, non tamen est causa proxima: & probat Aristoteles illam nō esse causam proximam, nam si non animal esset proxima causa non respirandi, animal esset causa proxima respirandi, in proximis enim causis, si affirmatio est causa affirmationis, & negatio est causa negationis, vt nō temperies qualitatum est causa proxima nō sanandi, etiā temperies est causa sanandi, & è contra: non sic autem est de animali, non enim animal est causa proxima & immediata respirandi, cū multa sint animalia quæ non respirent, vt pisces; ob id etiam non animal nō est causa non respirādi. Nota exemplum Aristo. qui non sumpsit contrarium, nempē male habendi, sed non sanandi, nam in causis etiam proximis non valet à negatione causę ad effectum contrarium, sed ad negationem eiusdem effectus, non enim dices, si animal rationale est causa risibilis, non animal rationale est causa flebilis, sed non risibilis.

Dubitat Philop. nam Aristot. videtur procedere ab oppositō antecedentis ad oppositum consequentis, quod nō licet: dicit enim, si non animal est causa nō respirādi, animal est causa respirandi: respōdet hic Aristo. non facere propositiones aut argumentationes, sed dicere de causis immediatis & proximis, quod si est causa ꝓxima alicuius effectus, eius negatio erit causa negationis illius effectus, & cōtrà, si negatio est causa negationis, affirmatio etiam erit causa affirmationis. Dices, quid est causa proxima? Dico illam esse proximam, ex qua omni & sola procedit effectus: vnde animal non est causa proxima progressiui motus, quia nō omni animali ineſt, nec similiter non respirare, non est ab eo, quod est non esse animal, quia non soli non animal ineſt, multa enim animalia non respirant, causa verò proxima, sola & omnis effectū producit, & in huiusmodi causis est vera illa propositio Arist. Nec impedit, q̄d effectus possit ab alia causa procedere, quādo hæc est illi proximè subordinata: vnde animal rationale causa censetur non remota risibilis, licet risibile ab admiratiuo prouenīat, admiratiuum enim subordinatur animali rationali, tanquā causæ principali à qua reliquæ procedunt. Dub. & Philop. Solutio. Causa ꝓxima quę nam sit.

Syllogismus autem sit talis, &c. 6.

Ostendit in qua figura similes sint demōstrationes faciendæ, ne in secundā docet cōstitui debere: dicit enim, omne respi-

respirans est animal, nullus paries est animal, ergo nullus paries respirat, per A, medium intelligit, per B, maius extremum, per C, minus.

Dubium ex Phil. Solutio.

Dubitat Philo. an posit in secunda figura fieri demõstratio propter quid. Respõdet, & benè, posse fieri, & ponit exemplũ obiecturũ: clarius erit si sic dicatur, omne respirans habet pulmoné, paries non habet pulmonem, ergo non respirat.

Alterum dubium Philop.

Dubitat præterea an prima figura possint hæ demonstrationes negatiuæ fieri. Respõdet subtiliter quod non: quia cùm minus extremum concludatur negatiuè de minori propter medium negatiuum, deberet medium negari de minori extremo, & fieret in prima figura minor negatiua, quod non licet, non enim dices, omne pulmonem habens respirat, paries non habet pulmonem, ergo nõ respirat: dico hoc non esse dicendũ, est enim falsum, possumus enim optimè in prima figura demonstrationes facere per causas negatiuas, sumẽdo pro medio totã causæ negationem, sic, nulli non habẽs pulmonem respirat, omnis paries est nõ habens pulmonem, ergo nullus respirat.

Sol. aut.

7. *Comparantur autem huiusmodi, &c.*

Philop. & Themist. dicunt hic Arist. comparare has causas remotas his, quæ dicuntur secundum excessum, explicant autem ea dici secundum excessum quæ nõ sunt necessaria, sed superflua: ac si dicat, istæ causæ remotæ sunt superflue, cũ sint his demonstrare possimus: sed ceteram melius exponit S. Thom. nempè superiora & communiora dici secundum excessum: & est sensus, has remotas causas dici, vt prædicata superiora, excedunt enim & superant effectus: dices, qua ratione id docetur? dico, quia reddit rationem quare tales demonstrationes, quia, sint in secunda figura, nempe cum media, scilicet causæ remotæ, sint superiores effectibus, ac de illis prædicentur, cùm autem medium superius est, secundum facit figuram.

8. *Sic enim illud est, qđ Anacharsides, &c*

Vtitur alio exemplo eiusdem ex Anacharside, qui cum Scytha esset, & degeret Athenis, occurrentibus fœminis prævino nimio saltantibus, quas vocat Arist. auletrides, fuit interrogatus, an in Scythia essent similes: respondit, non esse vites, hæc causa est remota, proxima enim erat ebrietas ex vino: est autem demonstratio sic facienda: vbi sunt auletrides, sunt vites, in Scythia non sunt vites, ergo in Scythia non sunt auletrides: demonstratio est: quia, non enim est proxima causa, non esse vites, cùm esse vites non sit causa quod sint, cùm etiam vbi vites non sunt, reperiantur tales, vinum enim potest differri: vtitur similibus literis sicut in priori exemplo.

9. *Secundum igitur eandẽ scientiam, &c.*

Concludit se dixisse de demonstratione quia, & propter quid, secundũ eãdem scientiam, & secundum mediorum positionem, id est, quomodo differant in medijs, & per quot media demõstratio, quia, procedat, quæ est prior pars capitis.

Dubium an demõstratio, qa sit dicẽda demonstratio.

Dubitatur, an demonstratio, quia, sit dicenda demonstratio, dico non esse potissimam demõstrationem, qualis est definita superius, ac de qua locuti sumus hactenus, hæc enim soli, ppter quid, insunt: est tamen quædam demonstratio imperfecta, distincta specie ab ea, quæ est per causam primã: harũ enim distinctio secũdum media sumi debet, hæc autem differunt specie in his demonstrationibus.

Dubiũ. 2

Dubitatur secundo, nã viderur esse aliud genus demõstrationis, puta à signo, similiter demonstratio propter quid causæ, & ppter quid simpliciter, vt superius diximus ex Auen. præterea est ad impossibile demonstratio, vt si signis non esset attractiuus, non esset calidus, consequẽs est falsum, ergo & antecedens. Dico sub demonstratione, quia, nõ solùm comprehendi demõstrationẽ ab effectu, sed quãcunque, quæ per causam primam nõ procedit, siue sit ab effectu, siue à signo, siue à causa remota, siue quæ sit inter superiora & inferiora quidditatiuè: inferiora enim

Solutio.

enim superiorum, & superiora inferiorũ sunt remota causa, cùm ex negatione inferioris non fit negatio superioris, nec ex affirmatione superioris sequatur affirmatio inferioris, quæ sunt opus ad causam primam, vt diximus. Dico secundo, non opus esse illam demonstrationem, propter quid distinguere, quia omnis demõstratio causæ ostendit causam & conclusionem esse, vt latè diximus superius. Dico tertio, illas demonstrationes reduci, vel ad quia, vel ad propter quid: vnde illa reducitur ad hanc, propter quid, omne calidum est attractiuum, ignis est calidus, ergo est attractiuus.

10. *Alio autem modo differt ipsum, &c.*

Vide de subalternatione Albert. tra. hoc 3. cap. 7.

In secunda parte docet, quia & propter quid, differre in diuersis scientijs. Nõ intelligas hic esse aliud genus demõstrationis, quia, sed quod sit aliqua demõstratio potissima propter quid, cuius causa & propositiones sint vnius scientiæ, conclusionis verò cognitio, quæ dicitur, quia sit alterius scientiæ, quod accidit in subalternatis, vt diximus latè superius: ponit exemplum Philo. Perspectiuus enim dicit res ad maiorem distantiam minores apparere, quia sub minori videntur angulo, puta A, ad minorem verò distantiã maioris apparere, quia sub maiori angulo videntur, puta B, at quare angulus B, sit maior A, geometræ est scire propter quid: Perspectiui verò, quia: ponit Arist. multa exempla subalternatũ. Nota per apparentiam, vt vult Philopon. intelligi Nauticam, quæ sub Astrologia est.



11. *Fere quidem vniuocæ sunt cõsultæ, &c.*

Philop. subalternantes & subalternatas scientias vult dici ferè vniuocas: vniuocas, quia vtræq; sunt eiusdem rationis ferè, quia nõ absolutè & simpliciter. Sed crediderim mentem Arist. esse, quòd aliquæ subalternãtes, & subalternatæ idem habent commune nomen, vt Musica dicitur ipsa Mathematica, & speculatiua, etiam Musica dicitur hæc practica ei subalterna, quam vocat secundum auditum. Similiter Nautica dicitur Astrologia, sicut sua subalternans, hoc tamen non in omnibus est inuenire. Nota subalternantes vocari Mathematicas, quarum est cognoscere propter quid, subalternas verò sensibiles, quippe quæ magis sensui accedant, cũ materiales sint, quarum est cognoscere quia & conclusiones.

12. *Hi enim habẽt demõstrationes causarũ, &c*

Ostendit subalternantes ipsas causas cognoscere: non tamẽ quia: accidit enim frequenter, quòd quis teneat causam, & effectum ignoret, cùm causam non applicat: & ponit exemplum, sæpè. n. contingit propositionẽ aliquã vniuersalem cognoscere, puta omnem mulã esse sterilẽ, & ignorare, hanc, vel illam mulã esse sterilem, quia non aduertit, nec occurrunt cognitioni: ita fit in causis & effectibus: potest ergo in subalternãte cognoci propter quid, vt non cognoscatur effectus.

13. *Sunt autem hæc, quæcunque alterũ, &c.*

Philopo. vult verba hæc dicta esse de subalternantibus & superioribus scientijs Mathematicis, vt sit sensus: hæ scientiæ, cùm substantiã ab alijs diuersam habeãt cuius species, id est, figuras, lineas, quantitates considerent, tamẽ solùs species has contentę sunt, abstrahũt enim à materia omni sensibili: quòd si ista, quę Geometria & Mathematicæ purę cõsiderant, in substãtia & subiecto sunt, non sic ad Mathematicam spectãt, sed abstracta ab eo, est bona expositio.

Expositio Phil.

Melior expositio D. Thomę.

At S. Thom. aliter exponit, & benè, vt priora verba sint pro inferioribus scientijs: hæ enim cũ aliud quid sint à superioribus secundũ substantiam & materiam speciebus tamen & figuris vtuntur: sicut superiores, sed contractis ad illam materiam, teliquæ verò eas à materia separãt, licet in materia sint, propter quod vult has differre penes maiorẽ, vel minorem à materia abstractionem.

14. *Habet autem se ad perspectiuam, &c.*

Docet sicut perspectiua ad Geometriã se habet, ita se habere sciẽtiam de Iride ad Perspectiuam, cui subalterna est, scire enim, quia, est sciẽtia de Iride, quæ Physica

Universidad de Deusto
Biblioteca

sica dicitur, quia est in materia sensibili, vel quia sit pars Physicæ, vt aliqui volũt: at scire propter qui l, est Perspectiui simpliciter, vel secundum disciplinam, id est vel Geometricæ, cui Perspectiua subijcitur, vt benè explicat Aegid. nã aliquãdo aliqua de Iride ex Geometria probãtur.

15. *Multæ autẽ & non sub se inuicem, &c.*

Concludit aliquando conclusionem vnius scientiæ probari in alia, quamuis tales scientiæ non sint subalternæ, vt patet. Medicus enim dicit, vulnera circularia difficilius sanari. Geometra dat causam, quia latera circuli maximè distant, non tamen Medicina subijcitur Geometriæ: huiusmodi sunt multa alia. Latè diximus de subalternatione cap. 7. superiori, similiter de alijs difficultatibus, quæ hic poterant occurrere, in alijs capitibus disputatum est, ideo supersedebimus.

¶ *Primam figuram maximè scientiæ esse accommodatam.*

Cap. XI.

TEXT. 1. FIgurarum autem maximè scientialis est prima. Mathematicæ namque scientiæ per hãc demonstrationes ferunt, vt Arithmetica, & Geometria. & Perspectiua, & ferè vt dixerim, quæcũque ipsius propter quid considerationem faciunt, aut enim omnino, aut vt plurimum, & in plurimis per hanc figuram ipsius propter quid fit syllogismus: quare & propter hoc erit vtique maximè scientialis, maximè nãq; proprium ipsius scire est, ppter quid speculari.

2. Postea & an sit quid est scientiã per solam hanc venari possibile: in media enim figura non sit prædicatiuus syllogismus, ipsius verò quid, est scientia affirmationis: in vltima autem fit quidẽ, sed nõ vniuersaliter: ipsum aũt quid est, vniuersalium est, non enim homo aliquo modo est animal bipes.

3. Amplius hæc quidẽ illarum nihil indiget, illæ verò per hãc cõdensantur & augentur, quousq; ad immediata venerint. Manifestũ itaq; quòd ad scien dum maximè propriè est prima figura.

4. Quemadmodum verò contingebat A, inesse B, indiuiduè, ita & non inesse accidit: dico autem indiuiduè inesse, aut non inesse, eoquod non est ipsorũ medium: sic enim non erit secundum aliud inesse aut non inesse. Quando igitur aut A, aut B, in toto aliquo sit, aut & ambo, non cõtingit A, ipsi B, primo non inesse.

5. Sit enim A, in toto C, si igitur B. nõ est in toto C, (contingit enim ipsum quidẽ A, esse in aliquo toto: ipsum verò B, non esse in hoc) syllogismus erit, quòd A, ipsi B, nõ insit: si enim C, A. quidẽ omni: ipsi verò B, nulli: A. nulli eorum, quæ B.

6. Consimiliter autem & si B, in toto aliquo est, vt in D, ipsum namq; D, omni B, inest: ipsi autem A, nulli ipsum B, quare ipsum A, nulli eorum, quæ B, inerit per syllogismum.

7. Eodem pacto monstrabitur & si ambo in toto aliquo sint.

8. Quod autẽ contingit ipsum B, non esse in quo toto est A, aut rursus A, in quo toto est B, manifestum ex coordinationibus, quæcunq; non cõmutantur ad se inuicem. Si enim nullum eorum, quæ sunt in A, C, D. coordinatione, de nullo prædicatur eorum, quæ sunt in B, E, F. ipsum verò A, in toto est H, coordinato existenti: planum, quòd B, non erit in H, commutarentur enim coordinationes cõsimiliter autem & si B, in toto aliquo est.

9. Si verò neutrum sit in toto nullo: nõ insit autẽ A, ipsi B, necesse est indiuiduè nõ inesse. Si enim erit aliquod medium, necesse alterũ ipsorum in toto aliquo esse.

10. Aut enim in prima figura, aut in media erit syllogismus, si quidẽ igitur in prima B, erit in toto aliquo: affirmatiuã namq; oportet, quæ ad hoc, propositionẽ fieri.

11. Sin autem in media vtrum contigerit, ad vtraque enim accepto primatiuo, efficitur syllogismus: ambabus verò negatiuis existentibus, non erit. Planũ itaq; quòd contingit aliud alij non inesse indiuiduè: & quando contingit, & quomodo diximus.

Figura-

Figurarũ aũt faciens scire maximè, &c.

Intentio Ari. & cõtinuatio textus.

Cùm principia materialia demonstrationis hucusq; tradiderit, nempè propositiones, nunc de principio formali, hoc est, de figura, per quã præcipuè demõstrationes hunt, sermonẽ facit: atq; hæc causa est cõmunis huius continuationis textus: quãuis possemus forsan magis ad rem dicere, quod cùm paulò antè demonstrationes, quia, in secunda figura fieri dixisset, nunc demõstrationes propter quid, præcipuè in prima fieri velit ostendere.

Diuisio capitis.

Caput autem in duas partes diuisum est, in priori probat primam figuram maximè seruire demonstrationibus, in posteriori loquitur de immediatis propositionibus negatiuis.

Cõclusio capitis, & rationes conclusionis.

Proponit igitur conclusionem hanc in principio, figura quæ maximè ante alias ad scientiam est apta, est prima: quã tribus rationibus ostendit, prima est quia si quædam inductio, omnes enim Mathematicæ, vt Geometria, Arithmetica, Perspectiua, similiter reliquæ scientiæ, quæ per causas demõstrant, aut omninò, aut vt plurimum per primam figuram demõstrant: cùm igitur demonstratio quę per causam procedit, sit nobilissima, & maximè scire faciat, atque ista per primam figuram procedat, colligitur primam figuram facere præcipuè scire. Nota quod dicit, vt plurimum, quia non semper in prima figura sunt.

Dubium ex Aegi.

Dubitat Aegidius quare demõstratio quæ per propter quid est, fiat magis in prima figura. Respondet, distinguendo: aut enim per ipsum propter quid probamus aliquid inesse, aut non inesse, si inesse, cũ sit affirmatio, & vniuersalis, non potest colligi in secunda, nec in tertia: si non inesse, potest colligi in secunda, etiam & in prima, vt nullum animal rationale est brutum, omnis homo est animal rationale, ergo nullus homo est brutum: fit etiam in secunda, nullum brutum est animal rationale, omnis homo est animal rationale, ergo nullus homo est brutum, cum igitur quæ fiunt per secundam, fiant per primã, non aũt è cõtrà, vt plurimũ prima aptior est demonstrationi.

Postea ipsius quod quid est.

2. 2. Ratiõ. Hęc est secunda ratio pro eadẽ conclusione: maximè definitio vtilis est demonstrationi: sed hanc non nisi per primam cõsequimur, ergo figura prima ante alias demõstrationi conducit, probat minorẽ, nam definitio de definito affirmatiuè & vniuersaliter prædicari debet, si vniuersaliter, non poterit in tertia cõcludi, si affirmatiuè, non in secunda, quæ negatiuè concludit.

Dubium Dices, quomodo definitio de definito demonstratur? non enim definitionis est demonstratio. Philop. respondet definitionem non demonstrari, tamen partes definitionis demonstrari, ostendimus enim differentiam diuidendo genus: dicit secũdo quod etiam probamus definitionem per ipsius definitionem: sic, omnis oratio explicans quid sit homo, est ipsius definitio, sed animal rationale explicat quid sit homo, ergo ipsius est definitio. Alij aliter respondent, mihi videtur dicendum, non quidem hic dicere Aristo. quod demonstretur, sed quod ostẽdatur, vel ab effectu, vel à signo, vel alio modo à posteriori, & sic ad talem probationẽ vtimur prima figura.

Solut.

Amplius hæc quidem illis, &c.

3. 3. Ratio. Tertia ratio est, quia ista est figura nobilissima, non enim indiget alijs, at aliæ indigent ipsa, nam per eam densantur & augmentantur, donec ad immediata perueniant.

Dubium Soluitur ex Phil. Dices, quomodo reliquę duę dẽsantur & augmentãtur per primam? Respondet Philop. quod densatio inest propriæ materiæ, augmentum formæ, & cùm prædicatũ sit forma, subiectũ materia, quoties prædicatũ fit subiectum, est dẽsatio: quoties verò subiectũ prædicatũ, est augmentatio: cum secunda figura ad primã reducitur, prædicatũ vnius præmissæ fit subiectum, nam medium erat in vtraq; prædicatum, ob id per densationẽ secunda tendit in primam: at in tertiã mediũ: quod

erat

erat subiectũ in vtraq;, fit in vna prędicatũ, propterea per augmentationẽ reducitur ad primã: ita etiã exponit Aegid.

Aliter ex Thé. At Themi. aliter exponit, dicit enim densari & augmentari esse prosyllogizari præmissas syllogismi & demonstrationis, cum sunt mediatæ, talis aũt prosyllogizatio dicitur densatio, quia magis accedit ad immediatas propositiones, est. n. vt quædam coarctatio: dicitur etiã augmẽtatio propter multitudinẽ mediorũ, modo enim per vnum, postea hoc per aliud immediatius, phamus. Est aũt in prosyllogizatione hoc notandum, q̃ secũda figura nõ potest prosyllogizare suas vtraq; præmissas, cum altera sit affirmatiua & non possit concludi in secunda, similiter nec tertia, cum altera sit vniuersalis: debent ergo à prima prosyllogizari, hęc enim & suas, & aliarũ propositiones prosyllogizat, quia quocunque modo concludit: propterea dicit Arist. reliquas densari & augmentari: quousque ad immediatas suas propositiones reducantur.

Tertia exposit. Hæc expositio est bona, quamuis possemus etiam dicere, quod per densari intelligat reductionem modorum aliarum figurarũ ad primã, quatenus plures modi ad vnum primæ reducuntur, vt diximus olim: & hoc etiã idẽ sit augmentari, nam dum modos aliarum ad primam reducimus, augentur modi, nempe qui erant in alijs figuris, & similiter ij, ad quos reducũtur: ipsa verò prima immediata dicitur, cum non sit opus ad alias reducere nec per eas confirmare ipsam.

Sicut autem A, esse in B.

Cum de immediatis propositionibus modo sermonẽ fecisset, vt volũt Themi. & Philo. nunc de immediatis tractat: ac primò docet esse immediatas, nõ solum affirmatiuas, sed etiã negatiuas propositiones: sicut etiã mediatas, vocat autem affirmatiuas immediatas, cum prædicatum subiecto indiuisibiliter, id est, nõ per medium aliquod inest, negatiuas verò immediatas, cum prædicatum subiecto nõ inest, & hoc nulla media causa probari potest. Et nota per A, intelligi prædicatum per B, verò subiectum.

Vt aũt discursum perfectũ Arist. intelligas, aduerte ipsum distinguere propositiones negatiuas in quatuor genera, hoc ordine, primũ, cum prædicatum puta A, est sub aliquo toto, id est, continetur sub aliquo genere, vel aliquo quod de illo vniuersaliter prædicetur essentialiter, subiectũ verò puta B, nõ est sub aliquo toto, vt qualitas non est homo: alterũ, cũ econtra subiectũ est sub aliquo toto, non autem prædicatũ, vt nullus homo est qualitas, tertium, cum vtrumq; est sub toto, vel diuerso, vt homo non est albedo, vel eodem: vt homo non est equus, sub animali: quartum, cum neutrũ est sub toto, vt nulla substantia est quantitas: intẽdit ergo Arist. tres priores esse mediatas propositiones, & demonstrabiles, quartam verò indemõstrabilem: & aduerte hic loqui de negatiuis necessarijs & per se: singulas ergo explicemus.

quatuor genera propositionum negatiuarum.

Sit enim A, in toto C. 5.

Agit de primo genere, cum prędicatũ est sub toto, non autem subiectũ, & intendit talem propositionẽ posse demonstrari per tale totũ, quod dicatur D, affirmatũ de prædicato, & negatum de ipso subiecto, nam potest esse quod totũ prædicati sit alienum à subiecto, & tunc faciam syllogismum in Camestres ad illam conclusionem, nulla qualitas est homo sic sumendo animal. omnis homo est animal, nulla qualitas est animal, ergo nulla qualitas est homo. 1. Genus.

Similiter aũt etsi B, in aliquo, &c. 6.

Ostendit, secundũ genus, cũ subiectum est in toto, nõ autem prædicatum. vt nullus homo est qualitas, tunc per illud totũ subiecti, quod sit D, puta animal, negatum de prædicato, affirmatũ de subiecto, fiet demõstratio in Cesare, sic: nulla qualitas est animal. omnis homo est animal, ergo nullus homo est qualitas. 2. Genus

Eodem autem modo, &c. 7.

Tertium genus eodẽ modo potest demonstrari, sed dupliciter: aut enim per totum 3. Genus

totum subiecti, aut per totum prædicati, vt nullus homo est albedo: per totum prædicati sic, omnis albedo est color, nullus homo est color, ergo nullus homo est albedo: per totum subiecti sic, nulla albedo est animal, omnis homo est animal, ergo nullus homo est albedo, cùm verò extrema sub vno proximo genere sunt, vt homo non est equus, per ipsorum definitiones tunc demonstrari poterunt.

8. *Quod autem contingit B, non esse, &c.*

Cùm supposuisset in probatione in toto prædicati non esse subiectum, & è contra, ostendit id posse fieri ex prædicamẽtis quæ adinuicem non commutantur, id est, non prædicantur, vt sit vnum prædicamentum subiecti A, C, D. sit aliud prædicati B, E, F. clarum est quod si A, sit in G, id est, in quodam genere sui prædicamenti, quod in illo non erit B, cum sit alterius coordinationis per tres literas vnũ prædicamentum intelligit, plura enim in eo prædicata ordinantur.

9. *Si verò neutrum sit in toto, &c.*

Quartum genus, cũ nec prædicatum, nec subiectum in aliquo sunt, docet esse immediatum, vt nulla substantia est qualitas: & vniuersaliter quoties vnum generalissimum de altero negatur, tunc non est medium illud demonstrandi, cũ non habeãt superiora, nec proprias definitiones, & probat, nam si aliquod sit mediũ, oportet vt vniuersaliter ꝑdicetur de subiecto aut prædicato, sed extrema sunt suprema, non ergo habent superius essentiale, ens enim est analogũ, & de omnib' ꝑdicatur, vnde non est mediũ ad concludendũ negatiuè, etiam si esset vnũ cũ, vt patet, nam de vno deberet negari. Genus.

Aut enim in prima, aut media, &c.

Ostendit quod tale medium deberet de altero extremo vniuersaliter prædicari affirmatiuè, nam aut talis demonstratio fieret in prima figura, vel in secunda, omittit tertiam, quæ cum non cõcludat vniuersaliter, non est apta demõstrationi, de qua est sermo: si igitur fiat in prima, minor est affirmatiua, in qua mediũ de conclusionis subiecto affirmatur, non ergo fiet in prima, nam subiectum illud non habet superius.

Si verò in media, &c. 11.

Nec in secunda fieri docet, nam licet in ea minor non sit semper affirmatiua, tamen ad vtrumque cõtingit, id est, aut maior, aut minor erit affirmatiua, cùm ex vtraque negatiua nõ fiat syllogismus: cùm medium verò sit in vtraque prædicatum, prædicabitur affirmatiuè, de vno extremo illius, quod fieri non potest: cõcludit ergo esse mediatas & immediatas propositiones negatiuas, & quando sint, se iam docuisse: atque hæc de hoc capite vndecimo, quod absoluit præceptinã partem horum librorum.

¶ *Quot, quibusue modis syllogisticit tum in immediatis, tum in mediatis propositionibus ignorantia dispositionis, & quomodo ignorãtia negationis exeriatur.*

Caput. XII.

TEXT. 1. Ignorantia verò, quę non secundũ negationẽ, sed secundum dispositionem dicitur, est quidẽ deceptio, quę per syllogismũ fit. Hæc aũt in primo quidẽ inexistẽtibus, aut nõ inexistẽtibus contingit dupliciter: aut enim quãdo simpliciter existimet inesse, aut nõ inesse: aut quando per syllogismum accipiat suspicionẽ. Simplicis quidem igitur suspicionis simplex est deceptio, eius verò quæ est per syllogismum plures.

2. Nõ insit enim A, nulli eorum quæ B, indiuiduè si igitur syllogizet A. inesse ipsi B, medium accipiens C, deceptus erit per syllogismum.

3. Contingit quidẽ igitur vtrasq; propositiones esse falsas, contingit aũt alterã solũ. Si enim neque A, nulli eorũ quæ C, insit: neque C, nulli eorũ quæ B, assumpta verò fuerit vtraque è conuerso, ambæ falsæ erunt.

4. Euenit autem ita se habere C, ad A, & B, vt neque sub A, sit, neq; vniuersaliter in B, impossibile namq; B, esse

in

in toto aliquo: dicebatur enim A, primo ipsi non inesse: A, verò non necesse omnibus entibus inesse vniuersaliter: quare ambæ falsæ.

5. Sed & alteram cõtingit verã accipere, non tamen vtrã volueris, sed A, C: C, B. namq; propositio semper falsa erit: eo q ipsum B, in nullo sit: A, C, verò euenit.

6. Quemadmodum si A, & ipsi C, & ipsi B, insit indiuiduè: quãdo enim idem primo prædicetur de pluribus, neutrum in neutro erit.

7. Differt autem nihil, neq; si non indiuidue insit. Deceptio quidé igitur in existendi & per hæc, & ita fit solũ: non enim erat in alia figura inexistẽdi syllogismus. Quæ verò est non existendi, & in prima fit, & in media figura. Primum itaque dicamus quot modis in prima fit, & quomodo se habentibus propositionibus.

8. Contingit quidem igitur vtrisque falsis existentibus, quemadmodum si A, & ipsi C, & ipsi B insit indiuiduè. Si enim acceptum fuerit A, quidem nulli C. C, verò omni B, falsæ erunt propositiones.

9. Contingit autem & altera falsa existente, & hac vtrauis. Euenit enim A, C, quidem veram esse, C, B, verò falsam. A, C, quidem veram: quoniã non omnibus entibus inest A.

10. C, B, verò falsam: quoniam impossibile est C, inesse ipsi B, cui nulli inest A, non enim amplius vera erit A, C, propositio: simul autem si & ambæ sunt veræ, & conclusio erit vera.

11. Sed & C, B, contingit veram esse, altera existente falsa: quemadmodum si B, & in C, & in A, est, necesse enim alterum sub altero esse: quare si acceperit. A, nulli eorum, quæ C, inesse, falsa erit propositio. Planũ igitur, q altera falsa existente, & vtrisque, erit falsus syllogismus.

12. In media autem figura, totas quidem esse propositiones ambas falsas, nõ contingit: quando enim A, omni B, insit, nihil erit accipere, quod alteri quidem omni, alteri verò nulli inerit. Oportet autẽ sic accipere propositiones, vt huic quidẽ insit, illi verò non insit: siquidem erit syllogismus: si igitur sic acceptæ falsæ: planum, quod econtrario econuerso se habebunt: hoc autem impossibile.

13. In aliquo verò vtramque nihil prohibet falsam esse: quemadmodum si C, & A, & B, alicui insit. Si enim A, quidé omni acceptum fuerit inesse: B, verò nulli: falsæ quidem ambæ propositiones, non tamen totæ, sed in aliquo. Et econuerso quoque posito priuatiuo consimiliter.

14. Alteram verò falsam esse, & vtramuis, contingit: quod enim inest A, omni, & B, inest. Si igitur acceptum fuerit ipsum C, inesse quidem toti A, toti verò B, non inesse: C, A, quidem vera erit: B, C, autem falsa.

15. Rursus quod B, quidem nulli inest, neq; A, omni inerit: si enim ipsi A, & ipsi B, sed non inerat. Si igitur acceptum fuerit C, A, quidem toti inesse. B, verò nulli B, C, quidem propositio vera, altera autẽ falsa. Consimiliter verò & transpositio priuatiuo, quòd enim nulli inest A, neq; B, nulli inerit. Si igitur acceptum fuerit C, A, quidé toti non inesse: A, C, quidé propositio vera erit, altera autem falsa.

16. Et rursus q omni B, inest, accipere inesse nulli A, falsum: necesse enim, si B, omni, & A, alicui inesse. Si igitur acceptum fuerit: C, inesse quidem omni B. nulli verò A: C, B, quidé vera erit, C, A, autem falsa. Planũ igitur quod & ambabus existentibus falsis, & alterę solũ, erit syllogismus deceptorius in indiuiduis.

Ignorantia autem non secundum negationem, &c. 1.

CONuenit, vt dicit Philo. scienti nõ solùm scientię cognitioné tradere sed etiã quę scientiæ opponatur: ignorãtiam exponere: cũ igitur Arist. de scientia & modis, quibus eã consequimur tractauerit, nunc de ignorantia scientiæ opposita, ac quibus viis eam imbibamus differit: & quia sicut scientia erat de immediatis & mediatis propositionibus, ita etiam ignorantia, de vtraque ignorantia differit, & quæ sit secundũ propositiones imme- Intentio Arist. ex Philop.

diatas, & hoc in capite præsenti, & quæ sit secundum mediatas, & id in capite sequẽti: cùm autem immediatæ sint in duplici differentia, affirmatiuæ, & negatiuæ, prius de negatiuarum ignorantia, quæ solum sit in prima figura, postea de affirmatiuarum etiam ignorantia quę sit in prima, & tandem de earundem affirmatiuarum ignorãtia quæ sit in secunda differit: tertia enim figura cùm non concludat vniuersaliter, excluditur. hic enim de vniuersalib' & per se est sermo, & eadem ratione excluduntur modi particulares aliarum duarum, & tantum est sermo de vniuersalibus.

Duplex ignorantia.

Proponit igitur duplicé esse ignorantiam, & secundum negationem, & secundum dispositionem: illa est secundũ negationem quæ est simplex negatio & carentia scientiæ, quam ignorantiam rustici, pueri, & ij qui nihil didicerunt habẽt, quæ non aliud est quàm non habere rei cognitionem: illa verò dicitur ignorantia secundum dispositionem, cum opinamur oppositum veritatis, vt qui opinaretur hominem non esse risibilem, plantas non habere vitam, talis haberet ignorantiam dispositionis.

Ignorantiã dispositionis duobus modis cõtingere.

Adhuc ista ignorantia dupliciter contingit, vno modo sine syllogismo, cùm nimirum vel auctoritate, aliqua, vel vana experientia, aut exemplo, aut consuetudine aliquis deceptus opinatur oppositum veritati, vt qui solem paruæ quantitatis propter vsum iudicaret, aut qui triangulum non æquiualere duobus rectis, cùm tres angulos videat, existimaret, aut qui aliquod falsum acciperet sine consideratione rationis, bi haberent ignorantiam dispositionis simplicem & sine syllogismo: altero modo talis ignorantia euenit per syllogismum, cùm nimirum aliquo syllogismo decepti opinamur oppositum veritatis præsertim necessariæ, nam de hac est sermo, & talis definitur ab Aristo. sic, per syllogismum facta deceptio.

Assignat autẽ discrimen inter vtramque, nam ignorantia sine syllogismo simplex est, id est, qui sine syllogismo in aliquo decipitur, tantum in illo decipitur, at qui in aliquo per syllogismum decipitur, in multis decipitur, nam syllogismus probans falsum, aut vnam, aut vtramque præmissam habet falsam, hic enim loquimur de syllogismo ignorantiæ opposito scientiæ præcedenti tantum in materia, qui ex falsis probare intendit oppositum veritatis necessariæ & scientificæ.

Non sit enim A, in nullo B, &c. 2.

Incipit docere quid sit decipi in negatiuis immediatis, quod quidem est cùm opinamur oppositas vniuersales affirmatiuas veras per aliquod principium & medium falsum, quod in Barbara fit: nam solum in modo hoc vniuersaliter affirmatiuè concludimus, dicit igitur: non sit A, in B, id est, sit aliqua negatiua immediata, puta nulla substantia est quantitas: si aliquis per aliquod medium C, puta numerum, existimet omnẽ substantiã esse quantitatem, sic, omnis numerus est quãtitas, omnis substantia est numerus ergo omnis substantia est quantitas, decipitur in negatiuis immediatis.

Cõtingit igitur vtraq; propositione, &c. 3.

Ostendit primo quoties in negatiua immediata decipimur inferentes oppositã affirmatiuam falsam, posse vtramq; præmissam esse falsam, & similiter posse vnã esse veram, & alteram falsam: q autem vtraq; posset esse falsa, patet: sumatur ista propositio cuius sit ignorantia, omne B, est A, nempè omnis substantia est quantitas: si pro medio sumamus aliquid de quo non sit A, supple quantitas, & ipsum nõ sit de B, nempè de substantia, & sit C. nempè color, tunc contrariè sumendo, id est, affirmando quãtitatem de illo de quo negabatur, & ipsum affirmando de substantia de qua negabatur, vtraque præmissa erit falsa, sic omnis color est quãtitas, omnis substantia est color, ergo omnis substantia est quantitas: sensus est, quod si illam probemus per medium de quo vniuersaliter prædicatũ nõ affirmetur, & quod de

Universidad de Deusto
Biblioteca

subiecto conclusionis etiam vniuersaliter non affirmetur, tunc vtraque propositio erit falsa, sicut conclusio.

4. *Potest autem sic se habere, &c.*

Quod aũt talo medium sic se habere possit probat primũ, quia illud medium C, non prædicatur vniuersaliter de subiecto conclusionis in minori, quia illud subiectũ est generalissimum, de quo nihil vniuersaliter prædicatur & de ipso prædicatum non prædicatur vniuersaliter in maiori, prædicatum enim erat vnum generalissimũ, q nõ de omnibus entibus affirmatur, ob id possum sub eo sumere aliquid de quo ipsum non affirmetur vere.

5. *Sed alteram contingit veram, &c.*

Probat etiam posse in simili ignorantia vnam propositionem esse veram, sed hanc impossibile est esse minorem, quæ semper erit falsa, quã vocat B, C, maior potest esse vera, quam vocat A, C, quod minor nõ possit esse vera declarat, quia in minori subijcitur subiectum conclusionis vniuersaliter affirmatiuę subiecto maioris, est enim minor primæ figuræ semper affirmatiua, at cũ subiectum conclusionis sit generalissimum, nihil vere de eo vniuersaliter affirmabitur, manebit igitur maior vera, minor verò falsa.

6. *Vt si A, & in C, & in B, indimissibiliter est, &c.*

Probat maiorem posse verã esse, & minorem falsam, q enim minor semper sit falsa, probatum est, & nota rationẽ: quæ obscura est: demus illam conclusionem immediatam, nulla quantitas est substantia, nullum B, est A, tunc A, nempè substantia immediatè & indiuisibiliter negatur de B, quãtitate: sub substantia iterũ sumamus subiectũ de quo immediatè affirmetur, puta corpus, dicatur C, hoc stãte impossibile est q corpus C, affirmetur de quantitate B, nã vt egregiè dixit Philop. cum vnum prædicatũ de duobus prædicatur primo & immediate, siue de vtroque negatiuè, siue de altero affirmatiuè: de altero negatiuè, siue de vtroq; affirmatiuè, impossibile est q illa duo affirmentur adinuicem, vt ipse benè probat.

Cùm igitur substantia de quantitate immediatè negetur, de aliquo verò affirmetur immediatè, puta corpore, si quis ad probandã affirmatiuam falsam, omnẽ quantitatẽ esse substantiam, sumat pro medio in prima figura illud immediatũ affirmatiuum substantiæ, faciet maiorẽ veram, sed minorem falsam, nam minor erit affirmatiua ex duobus immediatis eiusdẽ prædicati, quod esse non potest.

Nota autem sensum literæ secundum Alexan. cũ A, puta prædicatum est indiuisibiliter in B, & in C, & immediate de vtroq; prædicatur, sed cũ discrimine, nã de B, negatur immediate, quod est subiectum cõclusionis, de C, verò affirmatur, quod est subiectum maioris.

7. *Differt autem nihil, &c.*

Docet quamuis sub conclusionis prædicato sumamus aliquid mediatum, contingere maiorem veram, minorẽ falsam esse: vt si dicas omnis homo est substantia, omnis quantitas est homo, ergo omnis quantitas est substantia. Nota illam priorem probationẽ esse necessariam, nempè quando est necessarium quod minor falsa, maior sit vera ex ratione immediatæ prædicationis: modò hæc probatio est duplex, nam maior probatur vera, quia est de inferiori affirmatiua, minor falsa, quia nihil de generalissimo affirmatur vniuersaliter.

Concludit se dixisse de ignorantia negatiuæ, quæ fit per primam, hæc enim sola concludit vniuersaliter affirmatiuæ, oportet vt de ignorantia affirmatiuę immediatæ agat, quæ fit, cũ oppositam negatiuam vniuersalem existimamus veram per syllogismum: cum autem talis syllogismus inferens negatiuam fiat in prima & secunda figura, prius de eo, qui in prima fit, tractat.

8. *Contingit igitur vtrisq; ne falsis, &c.*

Tractat modo de ignorantia immediatæ affirmatiuæ in prima figura, quæ est, cum negatiuã oppositam inferimus vniuersaliter, quod fit in Celarent, & tunc ex vtraque falsa procedere possumus, & id modo probat: sit affirmatiua immediata, omnis homo est animal, scilicet omne B, est A, ignorãtia sit opposita, nullus homo est animal: tunc si pro medio sumamus aliquid, de quo etiã immediatè affirmatur animal puta C. leo, vtraque erit falsa, maior quia est negatiua, & negamus prædicatum de eo, de quo immediatè affirmatur, minor etiã est falsa, qa affirmamus duo immediata eiusdẽ prædicati, quæ vt diximus, affirmari nequeunt, vt si dicas, nullus leo est animal, omnis homo est leo, ergo nullus homo est animal.

9. *Contingit autem & altera falsa, &c.*

Probat etiam in eadem figura posse vnam tantum propositionẽ esse falsam, siue hæc sit maior, siue sit minor, sed primo ostendit cur maior, puta A, C, est vera, & minor B, C, falsa: ratio autem propter quam maior possit esse vera est, quia cum prædicatum conclusionis ignoratæ non prædicetur de omnibus, si pro medio sumatur aliquid eorum quibus non inest, erit maior vera in qua negamus prædicatum de tali medio, vt si ad eandem conclusionẽ, nullus homo est animal, sumatur medium lapis, & dicatur nullus lapis est animal, omnis homo est lapis, ergo nullus homo est animal.

10. *Sed quæ est, C, B, falsa, &c.*

Quod verò minor sit falsa, postquam maior est vera, probat, quia cum aliquod prædicatum de aliquo vniuersaliter affirmatur, & de altero negatur etiã vniuersaliter, est impossibile quod illa duo affirmentur, v.g. si animal de homine vniuersaliter affirmatur, & de lapide vniuersaliter vere negatur, non poterit lapis affirmari de homine, nã si affirmetur, sequetur cõtradictoria alterius vniuersalis, aut affirmatiuæ, aut negatiuę: vt si des, nullus lapis est animal, & das, homo est lapis, aut lapis est homo, sequetur, homo nõ est animal, aut in Ferio, aut in Felaptõ similiter si des, omnis homo est animal, & hõ est lapis, sequit, lapis est animal, in Datisi.

Hoc est igitur, quod dicit: si detur maior negatiua vera, nullum C, est A, scilicet nullus lapis est animal, cũ animal de omni homine prædicetur, puta A, de omni B, nõ poterit C, de B, id est lapis de homine affirmari vniuersaliter, aliter inferretur oppositũ maioris negatiuæ, dicendo, omnis homo est animal, lapis est homo, ergo lapis est animal, contra eã maiorem, nullus lapis est animal.

Addit rationem alterã propter quam oportet esse minorem falsam, quia cum maior fuerit vera, si minor etiã esset vera, iam conclusio non esset falsa, nam ex vtraq; vera non fit cõclusio falsa, at cõclusio est falsa, cum sit negatiua opposita affirmatiuæ immediatæ, ergo stante maiore vera, necessario minor est falsa, forma enim syllogismi bona esse supponitur.

11. *Sed & eam, quæ est C, B, contingit veram esse, &c.*

Probat modo minorẽ C, B. posse esse veram, maiori falsa existente, quod fiet cum medius terminus, puta C. fuerit sub prædicato & superius subiecto: tũc enim de ipso prædicatum negare in maiori, falsum erit, ipsum verò de subiecto affirmare in minori, erit verum: verbi gratia, si per syllogismum ignoretur ista, nullum animal est viuens, per hoc medium, corpus, tunc maior falsa, minor vera erit: vt nullum corpus est animal, omne viuens est corpus, ergo nullum viuens est animal quando dicit, si B, sit in C, & in A, sensus est, si subiectum conclusionis sit in C, id est, in medio, & in A, id est, prædicato conclusionis, tunc vniuersaliter negare in maiori A, de C, falsum erit, sed verum affirmare in minori C, de B. Ecce quomodo decipi contingat in prima figura circa affirmatiuas immediatas, & ex vtraque propositione falsa, & ex vna falsa, altera vera existente.

12. *Sed in media figura, &c.*

Transit ad ostendendũ in secunda figura quando in affirmatiuis decipiamur inferendo negatiuas oppositas, & primo docet non posse vtrasque propositiones

Affirmatiua seu negatiua propositio quę dicatur in totum falsa

esse in totum falsas: vocat vniuersales, tam affirmatiuas, quã negatiuas in totũ falsas, quæ secundum nullum singulare veritatem habẽt, vt nullus homo est animal, omnis homo est lapis: in parte verò falsæ dicuntur, quæ secũdum aliqua singularia veræ sunt, vt omne animal est grẽsibile, nullum animal est bipes.

Dicit ergo, in secunda figura, cum cõclusio est falsa oppositæ immediatæ affirmatiuæ, nõ posse vtrasq; propositiones esse falsas in totũ, cuius probatio difficilis est.

Propterea aduerte quòd in secunda figura mediũ sit in vtraq; præmissa prædicatum, ac obid de vno extremo cõclusionis debet affirmari in vna, de altero verò negari: aliquãdo tamen maior est affirmatiua, vt in Camestres, aliquando verò minor, vt in Cesare. Loquamur ergo de priori, vt vtraq; huius propositio sit in totũ falsa, medium debet nulli prædicato cõclusionis inesse, & omni subiecto competere, sic enim fiet vt maior affirmatiua sit falsa, in qua medium de conclusionis prędicato affirmamus, & minor falsa, in qua medium de subiecto conclusionis negamus oppositum sit in Cesare, nam medium debet omni prædicato, & nulli subiecto inesse, sic enim erit vtraq; in totum falsa.

Dicit igitur Arist. fieri non posse vt tale medium detur, quando cõclusio est affirmatiua vniuersalis immediata, vt omnis homo est animal, nãtunc cõtraria negatiua esset vera, vt patet, si des enim in Camestres aliquid quod de nullo animali, & de omni homine prædicatur, argumẽtabor sic ex ipsis, nullũ animal est, puta D, omnis homo est D, ergo nullus homo est animal: propositiones per te veræ, ergo cõclusio similiter, si des in Cesare aliquid quod de omni animali, & nullo homine verè dicatur, argumentabor in Camestres ex datis, omne animal est D, nullus homo est D, ergo nullus homo est animal, nõ igitur cum infertur negatiua oppositæ immediatæ affirmatiuæ, potest vtraque præmissa in totum esse falsa.

Probat modo id Arist. nam si vtraque est falsa in totum in Camestres, ex contrarijs quæ erunt veræ, inferã in Cesare conclusionẽ eandem falsam esse verã, & ex vtraq; etiam falsa in Cesare inferã ex contrarijs vtriusq; veris in Camestres conclusionem illam falsam esse veram, v g. fiat syllogismus, omne animal est D, nullus homo est D, ergo nullus homo est animal: si das propositiones vtrasque falsas in totum, ergo contrariæ erunt veræ: sumam illas in Cesare, & probabo veram conclusionem falsam sic nullum animal est D, omnis homo est D, ergo nullus homo est animal. Si propositiones veræ, cõclusio erit vera: idem de Cesare, nõ ergo decipi possumus ex vtraq; propositione in totum falsa in secunda figura.

In aliquo autem vtranque, &c. 13.

Ostendit posse aliquando esse vtranq; propositionem in parte falsam, vt si sumas medium particulariter competens vtriq; extremo, tũc negare de altero vniuersaliter, de altero verò affirmare, erit in parte falsum: vt si ignoraretur, nullum animal esse viuens, per brutum, sic, omne viuens est brutũ, nullum animal est brutum, ergo nullum animal est viuens, esset in parte vtraque falsa, idem fit è converso, posito priuatiuo, id est, priori negatiua, & minori affirmatiua scilicet in Cesare, sicut in Camestres.

Alteram autem falsam, &c. 14

Cum probasset ex vtraq; falsa in parte, non tamen in toto, posse aliquem decipi in secunda figura circa immediatas affirmatiuas, nunc ex altera etiã tantum falsa decipi posse docet, quæcunq; sit: at quia sunt duo modi Camestres, & Cesare, ostendit quando in Camestres ex vna vera, altera falsa decipiamur, postea in Cesare: ac primum, quãdo in Camestres maiori vera, minori falsa, deinde è contra: dicit igitur, sume superius prędicato, quod dicitur A, nam hoc etiam superius erit subiecto B, & pone pro medio, & sit C, tunc fiet maior vera, & minor falsa: vt si ignorantia est huius, nullus homo est animal

animal, per viuens sic: omne animal est viuens, nullus homo est viuens, ergo nullus homo est animal.

15. *Iterum quod in B, nullo est, &c.*

Quod si mediũ nulli insit subiecto, tunc nõ omni prædicato inerit, & fiet maiori affirmatiua falsa, minore vera, sic: omne animal est brutum, nullus homo est brutum, ergo nullus homo est animal.

16. *Similiter autem fit transposito priuatiuo.*

Hoc etiam fieri in Cesare docet, sed prius cum maior est vera, vt si medium sumas extraneum vtrique extremo, sic, nullum animal est insensibile, omnis homo est insensibilis, ergo nullus homo est animal, quod si medium omni subiecto insit, tunc alicui inerit prædicato, & fiet maior falsa, & minor vera, vt si dicas, nullum animal est rationale, omnis homo est rationalis, ergo nullus homo est animal: aduerte has literas in hoc capite, per C, medium, per B, minus, per A, maius extremum intelligi per A, C. maiorem, per C, B. verò minorem. Cõcludit in immediatis decipi posse, & ex vtraque falsa, & ex altera tantum.

¶ *De ignorantia in mediatis propositionibus.*

Cap. XIII.

TEXT. 1. IN his verò, quæ insunt non indiuiduè, aut non insunt, quandoquidẽ per propriũ mediũ efficiatur falsi syllogismus, non possunt ambæ falsæ esse propositiones sed ea solum, quæ est ad maius extremũ. Dico autem proprium medium, per quod sit contradictionis syllogismus.

2. Insit enim A, ipsi B, per medium C, quoniã igitur necesse est C, B. affirmatiuã accipi, cũ sit syllogismus, planum, quod semper hæc erit vera, nõ enim cõuertitur: A, C. verò falsa, hæc enim conuersa contrarius sit syllogismus.

3. Consimiliter autem & si ex alia coordinatione acceptũ fuerit mediũ, vt D, licet in toto A, sit, & de B, omni prædicetur: necesse enim D, B, quidem proportionem manere, alteram verò conuerti quare hæc quidem semper vera, illa autem semper falsa, & quasi talis deceptio eadem est ei, quæ est per propriũ medium.

Si verò non per proprium medium efficiatur syllogismus: quando sub A, quidẽ sit medium: ipsi verò B, nulli insit: necesse est falsas esse ambas: accipiendæ namque sunt è contrario: quam se habẽt propositiones, si debet syllogismus fieri: sic autem acceptis, ambæ efficiuntur falsæ: quemadmodum si A, quidem toti D, inest: D, verò nulli eorum, quæ B, his enim conuersus syllogismus erit, & propositiones ambæ falsæ. 4.

Quando verò mediũ nõ sit sub A, vt D, A, D, quidẽ vera erit: D, B, aũt falsa, nam A, D, quidẽ vera, quoniam nõ erat in A, ipsum D. D, B, aũt falsa, quoniã si esset vera, & conclusio vera esset, sed erat falsa. 5.

Sed cũ per mediam figurã efficitur deceptio, ambas quidẽ non contingit falsas esse propositiones totas. Cũ enim sit B, sub A, nihil cõtingit, huic quidẽ omni, illiverò nulli inesse, quemadmodũ dictũ est & prius. 6.

Alteram aũt euenit, & vtram libet. Si enim C, & A, & B, insit, si acceptum fuerit ipsi quidem A, inesse, ipsi verò B, non inesse. A, C, quidem vera erit, altera autẽ falsa. Rursus si acceptum fuerit C, ipsi quidem B, inesse. A, verò nulli: B, C, quidem vera erit, altera autem falsa. 7.

Si igitur priuatiuus sit deceptionis syllogismus, dictum est, quando, & per quæ erit deceptio. 8.

Sin autẽ affirmatiuus, quãdo quidem per proprium mediũ, impossibile ambas esse falsas: necesse est enim C, B, manere, siquidẽ erit syllogismus, quemadmodũ dictum est & prius, quare C, A, semper erit falsa: hæc enim est quæ conuertitur. 9.

Consimiliter autem & si ex alia coordinatione accipiatur medium, quemadmodum dictũ est & in priuatiua deceptione, necesse enim D. B, quidem manere, A. D, autem conuerti, & deceptio eadẽ est ei, quæ prius. 10.

8. Quando autem non per proprium: si D, quidem sit sub A, hæc quidem erit vera, altera, autē falsa: euenit enim A, pluribus inesse, quæ non sunt sub se inuicem.

9. Si verò non sit D, sub A, planum quidem, quod hæc semper erit falsa, affirmatiua namque accipitur. D, B, verò contingit, & veram esse, & falsam: nihil enim prohibet A, quidē nulli D, inesse, D, verò ipsi B, omni: vt animal scientiæ, scientiam autem Musicę. Neq; rursus si neque A, nulli eorum, quæ D, neq; D, nulli eorum, quæ B. Manifestum igitur, quod non existenti medio sub A, & ambas. euenit falsas esse, & vtram volueris.

10. Quot igitur modis, & per quæ euenit fieri deceptiones, quæ secundum syllogismum, & in immediatis & in ijs, quæ per demonstrationem, manifestum.

11. *In ijs autem, quæ non indubitabiliter.*

Intētio Aristo. in hoc cap.

POstquā de immediatorum ignorantia tradidit, nūc de mediatis differit, ac primo de ignorantia affirmatiuarum in prima figura, quę contingit cum oppositas negatiuas opinamur per syllogismū possumus autē ignorare has dupliciter, aut per proprium medium, aut per medium nō proprium: vocatur medium proprium, id quo talis affirmatiua vera demonstratur, vt animal rationale demonstrat hominē esse risibilem, cū igitur per tale medium decipimur, id est, illud assumimus ad probandam oppositam negatiuā, est ignorātia per propriū medium: vt si dicat quis, nullum animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale, ergo nullus homo est risibilis.

Medium propriū quod nā sit.

Idem cōtingit in negatiuis mediatis, est enim proprium medium quo demonstramus non esse: vt per animal rationale demonstramus nullum hominem esse hinnibilem: cum igitur de illo probamus oppositum, sic, omne animal rationale est hinnibile, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est hinnibilis, est similiter ignorantia per medium proprium: tale medium dicit Aristot. esse id per quod sit syllogismus cōtradictionis, id est syllogismus probans oppositā conclusionem veram: cum verò non per tale medium, contingit ignorantia, dicitur per medium non proprium.

Dicit igitur Arist. quod quoties in mediatis decipimur per medium proprium, non contingit propositionem vtramque falsam esse, sed minor est vera: quæ antē est versus maius extremum, id est maior, falsa: ratio autem hæc est, quia est eadē minor in syllogismo ignorantię, & in syllogismo contradictionis & veritatis: in vtroque enim est affirmatiua, cum sit in prima figura, maior verò non est eadem sed conuersa, id est, mutata in contrariā negatiuam sicut conclusio, vt patet si dicas, omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis, est syllogismus veritatis: iste verò ignorantiæ, nullum animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale. ergo nullus homo est risibilis: hoc literis explicat solū in affirmatiuis: per A, maius extremum, per B, minus, per C, medium, intelligit: conuerti verò vocat mutari ex affirmatiua contraria in oppositam negatiuam: & quod minor sit vera, probat: nam mutata & conuersa maiori syllogismi ignorātiæ, manente minore fit cōtrarius syllogismus verus.

Similiter autem est, & si ex alia, &c. 2.

Ostendit quod quamuis non sit medium proprium per quod demonstretur conclusio, sed sit ex alia coordinatione, nempē sit medium quo quocunq; modo conclusionis illius veritas probetur, si per illud decipi contingat, minor futura sit vera, quia est eadem quæ erat in syllogismo vero: sed maior falsā, quia est mutata in negatiuam: vt si per risibile decipiamur, opinantes hominem non esse animal rationale, quamuis risibile non sit medium demonstratiuū, tamen quia per id probatur verè hominem esse animal rationale, censetur hoc loco mediū: idem de alijs medijs veritatis.

Si verò non per proprium medium, &c. 3.

Manifestat quando non est medium proprium posse vtrasque propositiones esse falsas, vt si medium sit de quo omni prædicatum dicitur, & quod de nullo subiecto dicatur, tunc enim cum contrario modo sumendæ sint propositiones, erunt falsæ, nam in maiori prædicatum conclusionis negari debet de medio, de quo verè affirmabatur, & in minori affirmari, de quo verè negabatur: sit enim syllogismus primæ figuræ Celarent. v.g. sit conclusio, nullus homo est sensibilis, aut lum B. est A, sumatur medium D, irratio nale, fiat syllogismus talis: nullum irratio nale est sensibile, omnis homo est irrationalis, ergo nullus homo est sensibilis, tunc vtraque est propositio falsa.

4. *Cùm verò non sit sub A, medium.*

Probat etiam posse maiorem esse veram, & minorem falsam, vt si sub maiori extremo sumamus medium cui nō ineſt ipsum, tūc maior erit vera A, D, quia est negatiua, minor verò D, B, falsa, quia cū conclusio sit falsa, & maior vera, necessa rio minor erit falsa: vt si sub sensibili sumatur planta, sic: nulla planta est sensibilis, omnis homo est planta, ergo nullus homo est sensibilis: prætermisit nō absq; ratione posse etiam maiorem falsam, minorem veram esse: vt si sub sensibili sumatur, cui ipsum ineſt, & quod etiam ineſt homini, & subiecto, vt animal, sic: nullum animal est sensibile, omnis homo est animal, ergo nullus homo est sensibilis: quia istud medium est proprium, fieri autem non potest quod cùm medium non est propriū, possit minor esse vera, est enim affirmatiua, medium autem nō propriū nequit verè affirmari de subiecto, esset enim simile proprio, vt diximus.

5. *Sed per mediam figuram, &c.*

Nunc de ignorātia earundem mediatarum affirmatiuarum in secunda figura tractat, ac dicit idem prorsus quod superius dixit de immediatis, non posse vtram que propositionem in totum falsam esse, quia cùm prædicatum verè insit subiecto, nō poterit mediū inueniri quod de vno vniuersaliter affirmetur, de altero vniuersaliter negetur, quod necessarium est vt vtraque sit falsa: relege superiorē locum: de immediatis namq; illic latè declaratum & probatum est hoc.

Altera verò potest esse falsa, &c. 6.

Sed vnam falsam, alteram veram, siue maior, siue minor sit, esse posse ostendit: nam si sumatur medium cōpetens vtrique extremo, tunc si maior sit affirmatiua, & minor negatiua, vt in Camestres, erit prior vera, posterior falsa, sic: omne sensibile est animal, nullus homo est animal, ergo nullus homo est sensibilis: si verò idem è contra fiat in Cesare, vt sit maior negatiua, minor affirmatiua, prior falsa, posterior erit vera, sic: nullum sensibile est animal, omnis homo est animal, ergo nullus homo est sensibilis: concludit se iam de ignorantia affirmatiuarum quæ per syllogismū negatiuum sit dixisse, tam in prima, quàm in secunda figura.

Si verò sit affirmatiuus, &c. 7.

Nunc de ignorantia negatiuarum tractat, quę fit per affirmatiuas oppositas in prima figura, ac docet id q. in principio de affirmatiuis, cū sit ignorantia per medium propriū, minores semper veras, maiores falsas esse, quia illę sunt eædem quę erant in syllogismo verō, hę verò sunt cōtrariæ vt si hominem esse hinnibilē per animal rationale ignoremus, sic, omne animal rationale est hinnibile, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est hinnibilis: vtitur eisdem dictis literis: idē docet cū mediū est ex alia coordinatione, quod declaratum est prius.

Cùm verò sit non per prōprium, &c. 8.

Ostendit modo quando non per medium proprium sit, posse maioré veram minorem verò falsam esse: vt si sub maiori extremo sumatur aliquid cui ipsum ineſt, potest enim vnū de pluribus prædicari, de vno affirmatiuè, de altero negatiuè: ob id talia duo non poterunt affirmari adinuicem vere, vt si sub A, hinnibili sumas D, equum, sic: omnis equus est hinnibilis, omnis homo est equus, ergo omnis

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis homo est hinnibilis, tunc maior vera, minor falsa erit:

9. *Si verò non sit D sub A, &c.*

Cùm autem medium puta D, nó est sub A id est, maiori extremo, semper sic maior est falsa, cum sit affirmatiua, nó enim ista ignorantia prouenit nisi in Barbara, hic enim concluditur vniuersalis affirmatiua, at minor tali medio existēti, potest aliquando vera, aliquando falsa esse, quę dicitur C, D, nam cùm D, id est, medium omni subiecto inerit, minor erit vera, potest enim esse quod illud unius extremū competat nulli medio, quod competit omni subiecto, sicut animal nulli scientiæ competit, scientia vero omni Musicę inest: si verò tale medium nulli insit subiecto, sicut ipsi nulli inest prædicatum, vtraque falsa erit, ex quibus concludit se iam de ignorātijs tam mediatorū quam immediatorum tractasse.

¶ *De ignorantia puræ negationis. Cap. XIIII.*

TEXT. PLanum autem est, & quod si quis sensus defecerit, necesse, & scientiam aliquam deficere, quam impossibile est accipere.

2. Siquidē addiscimus, aut inductione, aut demonstratione. Est autem demōstratio ex vniuersalibus, inductio verò ex ijs, quæ secundū partem: impossibile autem vniuersalia speculari nisi per inductionem.

3. Quoniam & quæ ex abstractione dicuntur, erunt per inductionem nota, si quis voluerit nota facere.

4. Quomodo insint vnicuiq; generi nōnulla, & si nō separabilia sunt, secundum quod tale † hoc vnumquodque.

† a. Quæ-le.

5 Inducere autem non habentes sensum, impossibile: singularium namque sensus est, non enim contingit accipere ipsorum scientiam: neque enim ex vniuersalibus sine inductione, neque per inductionem sine sensu.

2. *Manifestum est autem, &c.*

Intētio Arist.

Nota.

Nota.

Nota.

Nota.

2. Cōclu.

Nota.

Propositiones aliæ esse

De ignorantia puræ negationis tractat, quæ est nō sciri quod scire poterat docet aūt quando necessaria fiat talis ignorantia, & constituit conclusionē hanc; deficiente aliquo sensu, necessario deerit aliqua scientia, quam non poterit illi cui sensus deest accipere.

Nota hic loqui de defectu à natiuitate, cū enim aliquis sensu vius est, quē postea amisit, poterit habere scientiam eorum, quæ tali sensu percipiuntur, potest enim factus cæcus, si primum vidit, scientiam de coloribus consequi, non tamen qui à natiuitate visu priuatus est.

Nota similiter quod dicit, aliquā scientiam defecturam, quia ex defectu vnius sensus solum deerit scientia illorum quæ tali sensu percipiuntur: cæcus enim sciētia colorum, surdus scientia sonorum priuabitur, non alijs.

Nota similiter quod dicet, quam impossibile est accipere, quia nō priuabitur ille scientia, quasi illam habuerit, & per sensus defectum amiserit, hoc enim est falsum, cùm enim scientiam habemus semel, licet postea sensus destruatur, non ideirco scientia destruitur, sed priuatur scientia ad hunc sensum, quod nunquam illam acquiret, propterea dicit, quam impossibile est accipere.

Siquidē discimus, aut per inductionē. &c. 2.

Prædictam conclusionem probat tali ratione: scientia aut inductione aut demonstratione accipitur, sed inductio & demonstratio pendēt à sensu, ergo hoc deficiente perit inductio ac demonstratio, ac proinde scientia: minor probatur, nam inductio fit ex particularibus, quæ notum est sensu percipi, demonstratio verò ex vniuersalibus quidem primo, sed cum vniuersalia hæc non nisi inductione cognoscantur, etiam dependet demonstratio à sensu.

Hic aduerte propositiones quæ in scientia sunt esse in duplici differentia, quædam immediatæ, quæ causam non habent, vel in illa scientia saltem causa earum non consideratur, & via cognoscendi

mediatas alias immediatas,

scendi has est per sensum & inductionē, vt docet 2. Post. cap. vltimo: quædā sunt mediatæ, quæ causam habent, & earum cognitio est per demonstrationem: vnde mediatas per immediatas demonstramus, immmediatas verò inductione percipimus: vt experientia ostendit ignē esse calidum, tamen ex hac demonstramus esse leuem.

Nota. Aduerte etiam cum Auerr. q. Arist. hic nō loquitur de vniuersalibus principijs illis, quæ sunt cōmunissima, sed de principijs & propositionibus quæ sunt ex subiectis peculiaribus sensu propriè perceptis, hæ enim sunt quæ inductione colliguntur, per quas reliquas mediatas conclusiones demonstramus.

3. Philo. & S. Th. cō munes dignitates inductione colligi putāt.

Quoniam & quæ ex abstractione, &c.

Ostendit Arist. hæc vniuersalia, ppria sensibilium inductione cognosci, & est probatio à minori, vniuersalia enim mathematica, quæ minus videntur indigere sensu & inductione, cum sint abstracta indigent inductione, ergo & vniuersalia sensibilia, quæ minus abstracta sunt, magisque sensui proxima: antecedens patet, nam à puncto in punctum lineam ducere, super quodlibet centrum quantumcunque, occupando spacium circuli describere, & similia hæc singularium inductione nota sunt.

4. *Quæ sunt in vnoquoque genere.*

Quamuis locus hic aliter ab alijs exponatur, existimo sensum esse, vt velit ostēdere tā in sensibilibus, quām in mathematicis esse vniuersalia, quę inductione cognoscantur, quamuis non omnia, sunt enim alia quæ demonstratione immediatè cognoscuntur, sed hæc ex alijs pendent, quæ inductione probantur, cū non sint realiter extra singularia, & separata, sicut in scientijs considerātur, vniuersalia enim mathematica realiter in sensibilibus sunt, ob id dicit, in vnoquoque genere, nempè sensibiliū & mathematicorum esse quædam, quæ nimirum inductione cognoscuntur, quamuis hæc non sint separabilia, id est cùm hæc non sint abstracta, secundum quod huiusmodi vnumquodque est, id est, sicut in scientijs talia considerantur.

Inducere autem non habentes, &c. 5.

Verba hæc copulātur illis, impossibile est vniuersalia speculari nisi per inductionem, inductio autem est ex singularibus, singularia autem non scientia, sed sensu percipiuntur, ergo sensu destructo singulare nō percipitur, nec fit inductio, nec vniuersale cognoscitur, nec demonstratio procedit.

At deficiente sensu deficiat scientia illius subiecti.

Dubitatur primò an sit in vniuersum verū, quod deficiente sensu deficiat sciētia, quæ est in intellectu dico, nihil intellectum cognoscere quod aliquo modo non fuerit sub sensu, non tamen eodem modo omnia sub sensu sunt, ideò etiam non eodem modo ab intellectu cognoscuntur aliqua enim secundum suos effectus tantum sensui subduntur, & talia sunt entia realiter separata. Deus opt. max. & intelligentiæ, quæ nullo sensu percipiuntur nisi per extrinsecos suos effectus aliqua sensui substant secundum similia, vt cùm vidimus vnam vrbem, per eam, quas non vidimus intelligimus, alia secūdum partes, vt cum viso auro per se, & monte, statim montem aureum imaginamur: alia secundum se vel ea quæ sunt in se, vt accidentia sensibilia, & substantiæ quæ sub illis sunt. Impossibile igitur est, quod intellectus intelligat ea quorū nihil percepit aliquo sensu, vnde si omnes sensus alicui deficerent à natiuitate, quod fieri non potest, nihil intellectus intelligeret, non tamen eodem modo, vti diximus, intellectus intelligit ea quæ sensu percipiuntur, nam quæ quarto aut tertio modo, & aliquando secundò cognoscuntur intellectione consula & cōmutatiua, intelligi non dicitur, qualiter prima cognoscuntur, sed distincta & ppria notitia, propterea res immateriales obscurè in hac vita cognoscimus.

Dubium

Sol. aut

Intellectū nihil intellige re q. non fuerit ali quo modo in sēsu, & quā fit varijs modis aliquid in sensu.

Sensibus à natiuitate om nib⁹ sub latis, intellectū nihil per cepturū.

Alterū dubium.

Dubitatur an in præsenti ita amplius sit

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit sensus Aristot. dico limitatè magis hic loqui Aristotelem: solum enim sermo de his, quæ secundum se vel aliquid sui sensui percipiuntur aliquo, quorũ est cognitio intellectus distincta, hæc enim illo sensu deficiente non sciuntur: nec loquitur de principijs cõmunissimis, quam uis ista depẽdeãt à sensu, non quod inductione probentur, sed quod sensu terminorum significationes, nempè res ipsas, necessarium sit appræhendere, de quibus dicemus. 2. Post. c. 18.

¶ *Syllogismum omnem ex tribus constare terminis, maiori, minori, ac medio, & hos in infinitum tam in propositionibus affirmatiuis, quàm negatiuis abire non posse.*

Cap. XV.

TEXT.

1. Est autẽ omnis syllogismus per tres terminos, & qui quidẽ monstrare potest, quod A. ineſt ipsi C. eo quod in est ipsi B. & hoc ipsi C. priuatiuus autẽ alterã quidẽ propositionem habẽs, q̃ aliud quid alij ineſt, alterã verò, quod non ineſt. Manifestum igitur quod principia, & quæ dicuntur suppositiones hæ sunt: accipientem enim hęcita necesse est monstrare, vt quod A. ineſt ipsi C. per B. Rursus vero quod A. ipsi B. per aliud medium, & quod B. ipsi C. consimiliter.

2. Secundum opinionem igitur syllogizãtibus, & solũ dialecticè, planum quod hoc solũ considerandum, si ex quibus contingit probabilissimis fiat syllogismus, quare & si est aliquid in veritate eorũ, quæ sunt A. B. mediũ videtur autẽ nõ esse, qui per hoc syllogizauit, syllogizatus est dialecticè. Ad veritatẽ autẽ ex ijs, quæ insunt oportet considerare, se habet autem sic.

3. Quoniã est quod ipsum quidẽ de alio prædicatur non secundũ accidens, dico autẽ secundũ accidẽs, vt album aliquando illud dicimus esse hominẽ, non similiter dicentes & hominem album, hic quidem enim non alterũ aliquid existens albũ est, albũ verò, quoniã accidit homini esse albo, sunt itaq; non nulla talia, vt per se prædicentur.

4. Si igitur C. tale, quod ipsum quidẽ nõ amplius insit alij, huic autem B. primò, & non sit aliud inter medium, & rursus. † Et ipsi ipsum F. consimiliter & hoc ipsi B. an igitur hoc necesse est stare, aut cõtingit in infinitum ire? † Argiropo. legit D. ipsi B. E. ipsi D. & F. itidẽ ipsi competat E.

5. Et rursus si de A. quidem nihil prædicatur per se, A. verò ipsi H. ineſt primo, intermedio autem nulli priori, & H. ipsi G. & hoc ipsi B. an & hoc stare nec esse est, aut & hoc contingit in infinitum ire? differt autem hoc à priori tantum, quoniam hoc quidem est, an contingit incipiẽti à tali, q̃ nulli ineſt alteri, sed aliud alli, sursum in infinitũ ire: alterũ verò incipiẽte à tali q̃ ipsum quidem de alio, de illo autẽ nihil prædicatur: de orsum considerare, si contingit in infinitum ire.

6. Amplius media an contingit infinita esse determinatis extremis: dico autem veluti, si A. ipsi C. ineſt, medium verò ipsorum B. ipsius verò B. & A. altera: horũ autem altera: an & hæc in infinitum contingit ire, aut impossibile? est aũt hoc cõsiderare idem, & si demonstrationes in infinitum vadunt: & si est demonstratio cuiuscũq;, aut ad se inuicẽ terminantur.

7. Consimiliter autẽ dico & in priuatiuis syllogismis ac propositionibus, vt A. ineſt B. nulli aut primo: aut erit aliquid medium, cui priori non est, veluti si ipsi G. quid B. ineſt omni: & rursus alij adhuc priori hoc, vt si ipsi H. quod G. omni ineſt, in his etenim aut infinita, quibus non ineſt prioribus, aut stant.

8. In ijs verò quæ cõuertuntur non similiter se habet: nõ est enim in ijs, quæ retrouersum prędicãtur, de quo primò prędicatur, aut vltimo: omnia enim ad omnia hæc consimiliter se habent, siue sunt infinita, quæ de ipso prædicantur siue vtraq; sunt, quæ dubitantur infinita, præterquàm quod si non similiter contingit conuerti, sed hoc quidem, vt accidens, illud verò vt prædicamentum.

Est

1. *Est autem omnis syllogismus per tres terminos, &c.*

5. Suppositiones. 2. Suppo. Arist. de immediatis propositionibus sermonem facere intendit, ac in præsenti tres suppositiones proponit, ac postea tres quæstiones. Prima suppositio est ex libris Priorum, omnis syllogismus & prosyllogismus affirmatiuus, vel negatiuus, ex tribus terminis solũ conficitur, ex eo qui probatur, de quo probatur, per quẽ probatur, talesq; propositiones ex his cõfectæ in illo syllogismo principia & suppositiones dicũtur: dicit ergo, est omnis syllogismus per tres terminos, & qui probare possibilis est, quoniam A. est in C. id est, affirmatiuus, qui potest probare quod A. maius extremum est in G. minori, per medium B. de quo A. prædicetur in maiori, & ipsum prædicetur de B. an minori quod est in Barbara vel Darij. & nota modum Arist. simul enim dicit affirmatiuũ constare ex tribus terminis, & ipsum explicando probat, postea subiungit negatiuum, quem ex vna affirmatiua, & altera negatiua constare docet, & has propositiones ex his terminis dicit vocari suppositiões & principia in illo syllogismo, cũ eas accipiẽtes, id est, nõ probãtes, per eas alias demonstremus tandem addit iterũ quod A. sit in B. & B in C. manifestat prosyllogismus maioris & minoris in quibus etiam solùm tres esse terminos constat, atq; hæc est suppositio prima.

2. *Secundum igitur opinionem syllogizantibus, &c.*

2. Suppo. Altera suppositio est, Demonstratorẽ à dialectico differre, Dialecticus enim solũ ex probabilibus procedẽs, nõ curat an aliquæ propositiones sint re vera immediatæ, sed si recipiantur vt immediatæ, licet mediatæ sint, eis vt maximè probabilibus vtitur, non sic demonstrator, quærit enim non solum immediatas in opinione, sed quæ sic sunt, & sic sẽ re vera habẽt: hoc docet vt intelligas nos quæsituros immediatas propositiones secundum rem, & non secundum opinionem solam, aliter enim non demonstratur.

Quoniã aũt est eo quod ipsum quidẽ, &c. 3.

3. Suppo. Tertia suppositio est, quædam prædicari secundum se, quædam secundum accidens, vocat secundum accidens, quando aliquid nõ secundũ se prædicatur, sed secundum alterum: vt quando dicimus, album est lignum, non enim dicere volumus quod ipsum album secundum se sit lignum, sed id cui accidit album esse lignum est, at quando dicimus lignum est album, ipsum lignum secundum se non secundum alterum dicimus album: has vocat secundum se prædicationes, quando prædicatũ ineſt subiecto secundũ se, id est, non secundũ alterum quod subiecto subsłet, illas verò secundũ accidẽs, cũ prædicatum non secundum se subiecto, sed secũdum alterum ineſt, quod sit cum de accidenti subiectum prædicamus, & hoc multum conducit ad probandum, postea non esse processum infinitum in his prædicationibus.

Nota non hic vocare secundũ se prædicari, quod per se ineſt primo aut secundo modo, sed quod non subiecto ineſt secundũ aliud cui subiectũ ipsum subsit, op positum vocatur secundum accidens.

Nota. Nota verba, aliter, inquit, dicimus album hominẽ, aliter hominẽ esse album, & secundam prædicationem: declarat, cũ enim nõ sit alterum aliquod, albũ est, id est, cum homo dicitur albus, nõ est aliquid aliud cui insit homo, quod sit albũ, sed ipse secundum se, id est, non secundũ aliud subiectum: primum verò declarat album enim, dicitur homo, quia id quod subsłat albo, homo est: concludit aliquas esse prædicationes secundum se.

quid hoc loco secundũ se dicatur prædicari.

Sequitur C. huiusmodi, &c. 4.

1. Quæst. Quæstiones tres proponit: prima est, an dato aliquo subiecto vltimo quod nõ de alio prædicetur, possint de hoc infinita prędicata ordine prędicari, vt de ipso aliquid primò dicatur, de hoc aliud, & de hoc aliud superius, & possit sic in infinitum procedi, an sit finitus talium prædicatorum numerus, & nota istam literam quæ corrupta est, est enim litera sic legẽda,

Universidad de Deusto
Biblioteca

da, sicut legit Argir. Sit itaque C. tale, vt ipsum quidem nulli competat rei, B. autē huic competat primo, vt non sit inter ipsum medium vllum, & rursus D. ipsi B. & E. ipsi D. & F. identidem ipsi competat E. per has enim literas ordo prædicatorū significatur de illo subiecto vltimo C.

1. *Et iterum si de A. quidem, &c.*

2. Quæst. Altera quæstio est, an dato aliquo supremo prædicato, de quo nihil superius prædicetur, possint sub illo infinita subiecta secundū ordinē subijci, vt sit A. supremum prædicatum, at sub A, F, ita vt A. ipsi immediatē competat, & postea hoc in alio, & hoc in alio, & sit processus in infinitum: ponit autem differentiam inter vtramque quæstionem, prior enim est, an dato vltimo subiecto numerus prædicatorum sursum in infinitum ascēdat, altera verò est, an dato supremo prædicato, ab hoc incipiendo numerus subiectorum deorsum in infinitū descēdat.

6. *Amplius, media nunquid.*

3. Quæst. Tertia quæstio est, an determinatis extremis, id est, dato subiecto vltimo & prædicato supremo, possint inter hæc media infinita sumi: hoc clarius explicās dicit, hoc quærere, esse quærere an demonstrationes in infinitum procedant, & omnium sit demonstratio, vel non sit, sed omnia adinuicem concludantur, id est, sint finiti processus ex omni parte, tam extremorum, quam mediorum.

9. *Similiter autem dico, &c.*

Hoc idem ostendit in priuatiuis seu negatiuis, an sit processus in his talis, nempē quòd non sit in B. quia non inest alteri, & huic non sit, per aliud, & sic in infinitum.

8. *Sed in conuertibilibus, &c.*

Hanc tertiam quæstionem non habere locum in terminis conuertibilibus ostendit, quia in his nō datur vltimum & supremum, nam omnia adinuicem prædicantur, & quocunque dato prædicato, omnia reliqua de ipso, & ipsum de omnibus prædicatur, siue consideres ex parte prædicati processum, siue ex parte vtriusque dubitati & extremi, verum est, quòd differunt tales prædicationes: nam directè passiones de subiecto, indirectè verò subiectum de passionibus prædicatur, vnde quamuis veræ, non tamē æquæ sunt tales in illis prædicationes.

Quod extremis finitis existentibus media non possint esse infinita.
Cap. XVI.

TEXT. 12

QVòd igitur inter media non cōtingit infinita esse, si deorsum & sursum stent prædicamenta, manifestum dico autem sursum quod in magis vniuersale, deorsum verò quod in id, quod secundum partem, si enim A. prædicato de F. infinita sunt intermedia, in quibus est B, planum quòd contingere posset, vt & ab A. deorsum alterum de altero prædicaretur in infinitum: antequàm enim in F. deueniatur, infinita, sunt inter media: & ab F, sursum infinita, antequā ad A. deueniat: quare si hæc impossibilia, & ipsius A. & F. impossibile infinita esse media.

Neque enim si quis diceret, q. alia quidem sunt ipsorum A. B. C. cōtigua inuicem, vt non sit medium, alia verò non est accipere, nihil differt: quodcū que enim accepero eorum, quæ B. erit ad A. aut ad F. aut infinita media, aut non: à quo autem sint primum infinita, siue statim, siue non statim, nihil differt: quæ enim sunt post hæc, infinita sunt.

Quoniam igitur media non, &c.

Tertiam quæstionem esse impossibilem ostendit, nēq; è quod extremis finitis existentibus media possint esse infinita: primò autem explicat quid processus sursum, quid deorsum sit: processum sursum vocat, cum ex particularibus ad vniuersalia progressus fit, deorsum verò, cū è contra ab vniuersalibus ad particularia proceditur: sursum ergo est vniuersale, deorsum verò particulare: argumentatur autē sic, si ab A. prædicato deorsum vsq; ad C, sunt media infinita, ergo nunquā peruenirī poterit ad ipsum C. per B. idest

tra abuniuersalioribus ad particu.

id est, per talia media: cum infinitū pertransiri nō possit, non ergo erit vltimū ipsum C. similiter si ab ipso C. subiecto vsq; ad A. media sunt infinita, ergo nunquam peruenietur eadem ratione ad ipsum A. non ergo erit supremum, impossibile est ergo media infinita esse inter extrema determinata, esset enim vt dicunt Themist. & Philop sicut qui diceret esse numerum finitum ab vnitate vsque ad denarium, tamē esse infinitos numeros intermedios: q. si obijciar in linea quadā finita dari duo extrema puncta determinata, & tamen esse infinita intermedia puncta: respondent prædicti auctores non esse paremrationem, nā illa intermedia puncta sunt in potētia, at verò prædicata debent esse actu, ob id infinita non sunt inter extrema determinata: emenda literam, vtrique, lege vtiq;.

2. *Nec enim si aliquis.*

Posset quis dicere quòd nō omnia media erunt immediata, sed quædam erunt cōtingentia, idest cōtigua, inter quæ nō est medium, quædam verò alia non esse immediata: dicit Arist. hoc nihil referre, nam cum infinita media sint accipiēda inter A. & C. siue sint statim, idest, immediata, siue non statim, id est, mediata, nū quàm ad extrema peruenietur, non ergo esse possunt infinita media inter extrema finita, puta homo est risibilis, inter hæc enim duo extrema non possunt media infinita esse, siue immediata sint, quorum singula non habeant medium, siue mediata sint, quæ per similia media debeant probari, nō enim ab homine in risibile, nec à risibili in hominē perueniri poterit, cum hæc prius transeunda sint.

Quod si prædicationes affirmatiuæ sint finitæ sursum & deorsum, impossibile fit demonstrationes negatiuas, in infinitum procedere.
Cap. XVII.

TEXT. 1. PLanum autē & in priuatiua demonstratione, quòd stabitur si quidem in prædicatiua statur ad vtraq; fit enim non contingens, neque sursum ab vltimo in infinitum ire. (dico autē vltimum, quod ipsum quidem alij nulli inest, illiud verò aliud, vt F. neq; à primo in vltimū (dico autē primū, quod ipsum quidem de alio, de illo verò nihil aliud) si vtique hæc sunt, & in negatione stabit.

Triplicitèr nanq; monstratur non existēs, aut enim cui quidem ipsum C. B. inest omni, cui verò ipsum B. ipsum A. nulli. Ipsius itaque B. C. & semper alterius distantiæ, necesse est progredi ad immediata prædicatiua nanq; est hæc distantia, alterū verò manifestum q. si alij non ineit priori, vt ipsi D. hoc oportebit ipsi B. omni inesse: & si rursus alij prio. ripso D. non ineſt, illud oportebit ipsi D. omni inesse: quare quoniam, † quæ sursum est via stat, & quæ deorsum stabit, & erit aliquid primo, cui non ineſt.

† al. l. quę deorsum est via . stat, & quæ sursum stabit.

3.

Rursus si B. quidem omni A. ipsi verò C nulli: ipsum A. eorum quæ C. nulli inest. Rursus hoc si oportet monstrare, planum quòd aut per superiorem modum monstrabitur, aut per hunc, aut tertium. Primus igitur dictus fuit: secundus verò monstrabitur. Sic autem vtique mōstraret, vt q. D ipsi quidem B. omni ineſt, si verò C. nulli, si necesse est inesse aliquid ipsi B. Et rursus, si hoc ipsi C. non inerit aliud ipsi D. ineſt, quod ipsi C. non ineſt: igitur quoniam inesse semper superiori stat, stabit, & non inesse.

4.

Tertius verò modus fuerat, si A. quidē B. omni ineſt, ipsum verò C. non ineſt, non omni ineſt C. cui A. Rursus vero hoc aut per superius dicta, aut similiter monstrabitur. Illo quidē itaq; modo stabit: sin autem sic, iterum accipietur B inesse ipsi E. cui ipsum C. nō omni ineſt, & hoc rursus consimiliter. Quoniam autē suppositum est stari & deorsum, planum q. stabit: & C. non ineſtens.

5.

Manifestum autem quòd & si non vna via monstretur, sed omnibus, aliquando quidem ex prima figura, aliquando aūt ex secunda, aut tertia, quod & sic stabitur: finitæ enim sunt viæ: finita aūt hu-

tice

Universidad de Deusto
Biblioteca

tios, necesse est, finita esse omnia. Quod igitur in priuatione si quidem & in eo, quod est inesse, statur, manifestum.

1. Intētio Aristotelis.

Planum autem &c. so priuatiua demonstratione, &c.

Arist. miro profecto ingenio in hoc capite probare intendit, quod si prædicationes affirmatiuę sint finitę sursum & deorsum, quod erit impossibile demonstrationes negatiuas in infinitū procedere, & hoc per tres ipsas figuras ostendit: hoc est igitur quod dicitur, sit igitur contingens, id est, supponatur ita esse, quòd nec ab vltimo sursum in infinitum procedatur affirmando, nec à primo deorsum descendatur: explicat autem per vltimum intelligi subiectum quod de nullo prædicatur, per primum verò prædicatum de quo nihil aliud affirmatur: hoc supposito etiam in negatiuis non erit demonstrationum infinitus processus, quod ingeniosissimè ostendet.

2. In prima figura nō posse demōstrationē negatiuā in infinitum abire.

Tripliciter autē monstratur nō esse, &c.

In triplici figura potest negatiua demonstrari, sed de prima est argumentum primum, quod huiusmodi est: non potest demonstrari negatiua nisi per mediū, de quo maius extremum negetur in maiori, & quod in minori de subiecto auferatur, sed ex suppositione est finitus numerus prædicatorum affirmatiuorum, ergo erit numerus finitus mediorum, per quæ in prima figura negatiua demonstratur.

Verbi gratia sit demonstranda, homo non est qualitas, demōstrabitur per animal, de quo negetur qualitas, & quod affirmetur de homine, scilicet, nullum animal est qualitas, omnis homo est animal ergo nullus homo est qualitas, iterum si maior demōstranda erit per aliquod de quo negetur qualitas, & quod affirmetur de animali, ac per consequens, hoc etiā competet homini, scilicet, viuēs, sic, nullum viuens est qualitas, omne animal est viuens, ergo nullum animal est qualitas: iterum si maior demōstrāda est, erit per superius viuenti, ac perinde animali, & homini, de quo negetur qualitas, & hoc per aliud simile, sed est finitus numerus eorum quæ de homine affirmantur ex suppositione, ergo iam amplius negatiua demonstrari non poterit.

Dicit igitur Aristoteles, & facit in prima figura syllogismum, nullum B. est A. omne C. est B. ergo nullum C. est A. minor est finita secundum prædicationem ex suppositione, ergo & maioris erūt finitæ demonstrationes, nam si maior negatiua est probanda, erit per D. quod etiā sit in C. & illud per aliud simile, sed deorsum, id est, in minoribus affirmatiuis stat numerus, ergo & sursum in maioribus negatiuis, erit enim vltima inde monstrabilis.

Item si B quidem in omni A &c.

3. In secunda figura

Hoc idem in secunda figura probat, & ratio hæc est, in secunda figura non demōstratur negatiua nisi per medium quod de vna extremitate affirmetur, quod si altera negatiua est demonstranda, erit per medium quod etiam de altera extremitate affirmetur ascendendo, sed in his affirmatiuis prædicatis, numerus est finitus, ergo etiam numerus talium mediorum ad negatiuas ostendendas erit finitus.

Verbi gratia, si sit demonstranda, nulla qualitas est homo, in Camestres, erit per aliquid quod affirmetur de homine, sic, omnis homo est animal, nulla qualitas est animal, ergo nulla qualitas est homo: iterum si minor est demonstranda, erit per aliquid quod affirmetur de animali, & perinde de homine, vtpotè viuēs hoc modo, omne animal est viuēs, nulla qualitas est viuens, ergo nulla qualitas est animal: idem de illa minori sed finitus est numerus prædicatorū affirmatiuorū de vna extremitate ergo & numerus mediorum negatiuarum demonstrandarum.

Proponit igitur Arist. syllogismum in Camestres, omne A est B nullū C est B. ergo nullum C est A. sumit minorem dicens, aut est demonstranda per primam figuram, & sic probatum est illas demonstrationes esse finitas, aut per tertiam, & idem

idem postea probabitur, aut per secundam, & sic probatur idem: si enim demōstrare oportet nullum C. est B. erit per D quod affirmetur de B, ac perinde de A. & negetur de C. & si iterum alia minor est probanda, nullum C. est D. erit per aliquid quod affirmetur de D. ac perinde de B & A. & negetur de C. & sic consequenter, sed finitus est numerus superiorum, quæ affirmantur de A. ergo etiā erit finitus demonstratiuorum eorū quæ negatur de C.

4. In tertia figura.

Tertius autem modus &c.

Id ostendit in tertia figura, in qua medium est subiectum in vtraque propositione, & ratio hæc est, negatiua non demonstratur nisi sumendo medium de quo affirmetur vna extremitas, sed finitus est numerus subiectorū affirmatiuorū ergo erit numerus demonstrationū finitus: hæc enim figura sumit mediū deorsum, id est, sub extremis, illæ duæ sursum, id est, extremum aliquod.

Verbi gratia sit, substantia nō est qualitas, cōcludenda in Felapton, sumēdū est aliquid de quo affirmetur substantia, vt corpus, sic, nullum corpus est qualitas, omne corpus est substantia, ergo substātia nō est qualitas, iterum si maior in eadem figura particulariter est concludenda, vel vniuersaliter, quia est in materia necessaria, tūc, sub corpore oportet sumere, ac perinde sub substātia, sed ex suppositione finitus est numerus deorsum affirmatiuorum, ergo sistunt demonstrationes negatiuorum.

Proponit ergo Arist. syllogismum in Felapton, nullum B. est C. omne B. est A. ergo nō omne A est C. Tunc si maior iterum demonstratur, aut erit per primam vel secundam, vel tertiam figuram, sed in prima & secunda probatum est finiri numerum, erit ergo in tertia, sed probatur quod etiam in hac, oportebit enim sumere E. quod sit sub B. ac perinde sub A. sed iste numerus est finitus, ergo & negatiuorum omnes hæ rationes sub hac continētur, non potest præmissa negatiua monstrari nisi per mediū affirmatiuū de vna præmissa extremitate, sed ex suppositione tam deorsum, quā sursum affirmatiuę prædicationes sunt finitæ, ergo ex tali etiam suppositione est finitus numerus negatiuarum demonstrationum.

Manifestum autem est, &c.

5. Nota. 1. Propositiones negatiuas esse mediatas tū subiecti, tū attributi tū vtrius que ratione.

Vt sentiat Arist. hic percipiatur, aduerto propositiones negatiuas mediatas esse quasdā ratione subiecti, id est, quæ per medium superius subiecto ad immediatas reducuntur, vt nullus homo est qualitas, quasdam mediatas ex parte prædicati, quæ per superiora prædicati reducūtur, vt nulla qualitas est homo, quasdam ex parte vtriusq;, vt homo nō est lapis: quæ mediatè ex parte subiecti sunt, per primam figuram reducuntur, vt factum est superius, quæ verò ex parte prædicati per Camestres, quę verò ex parte vtriusque per vtramque figuram, vt notū est, primò resoluitur in immediatas ex parte vnius extremi, postea ex parte alterius.

Nota. 2.

Aduerte præterea quasdam esse mediatas ex parte superiorum, & tales per duas figuras, primam & secundam reducuntur, quasdam ex parte inferiorum, & hæ per tertiam, quasdam ex parte vtriusque, & huiusmodi per plures figuras reduci debent: vnde potest esse, quod sit aliqua propositio negatiua mediata ex parte subiecti & prædicati sursum & deorsum, & hæc per omnes figuras ad omnes immediatas reduci debet, vt animal non est color.

Posset quis dubitare an talium sint infinitæ demonstrationes, respondet Arist. quamuis non sit vna via tales demōstrandi, sed modò per primā, modo per secundam, modò per tertiam figuram ostendantur, tamen sunt demonstrationes finitæ, quia figuræ sunt finitæ, & singulæ singularum demonstrationes finitæ, finita autem finitæ plus sumpta finitum faciunt, cōcludit manifestum esse statum, id est, terminum esse in negatiuis in esse, id est, in affirmatiuis prædicationibus finis vtrumque est.

Quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd prædicationes affirmatiuæ non possunt in infinitum procedere.

Cap. XVIII.

TEXT.

1. QVod autem in illis, logicè quidem speculantibus ita manifestum. In ijs quidem igitur quæ in eo, quod quid est prædicãtur, planum: si enim est definire, aut si cognoscibile ipsum quòd quid erat esse, infinita verò nõ est pertransire, necesse est terminata esse, quæ in eo, quod quid est prædicantur.

2. Vniuersaliter autem sic dicimus: est enim dicere verè, album ambulare: & magnum illud lignum esse, & rursus lignum magnũ esse, & hominem ambulare: sed alterum est ita dicere, & illo modo: quando enim album esse dixero lignum, tunc dico, quod cui accidit vt sit album, lignum est, sed non tanquam subiectum ligno, album est: neq; etenim album existens, neq; quod est album aliquid, factum fuit lignum: quare non est nisi secundũ accidens: quando autem lignum album esse dixero, non quod alterum quid est album, illi verò contingit lignum esse: veluti quãdo musicum album esse dixero: tunc enim quod homo albus est, cui contigit esse musicum, dico: sed lignum est subiectum, quòd quidem & erat, nõ alterum quid existens, quam quod ligni aut lignum quoddam.

3. Si itaq; oportet noĩa ponere, sit quidẽ ita dicere & dicare, illo verò modo, aut neq; quã prædicare, aut prædicare quidem non simpliciter, secundum accidens autem prædicare: est autem vt quidem album, quod prædicatur, vt verò lignum illud de quo prædicatur, supponatur: itaque prædicatum prædicari semper de quo prædicatur simpliciter, sed non secundum accidens: hæc eñ demonstrationes demonstrãt.

4. Quare aut in eo quod quid est, aut quòd quale, aut quantum, aut ad aliquid, aut faciens, aut patiens, aut vbi, aut quando, cum vnum de vno prædicatum fuerit.

Amplius substantiam quidem significã cantia, quod illud, aut quod illud aliquid significant, de quo prædicantur: quæcunque verò non substantiam significant, sed de alio subiecto dicuntur, q nõ est, neq; quod illud, neq; q illud aliquid, accidentia: quemadmodum de homine album non enim est homo, neq; quod albũ, neque quod album quid, sed animal forsan, quod quidem enim animal est, homo est. Quæcunq; verò non substantiã significant, oportet de aliquo subiecto prædicari, & non esse aliquid album, quod nõ alterum quid existens album est. 9.

Species enim valeant, nanq; & [terete tissimata sunt, & si sunt, nihil ad sermonem sunt, demonstrationes enim de talibus sunt. 6. [Io. Grã. inquit, q præcipuarum in cantu pẽ cantus est rhaedarũ, quos in articulate canũt, vt experiantur dissonãtiã chordarũ, si secundã conuenientẽ modiæ rationẽ extẽsæ sunt, vel aliss pertractationes cythararedarũ inarticulatæ experiãtur gratia dissonantiæ chordarũ fiãt. [Argirad. dit aut vt accidens.

7. Amplius si non est hoc huius qualitas, & illud huius, neq; qualitatis qualitas, impossibile est mutuo prædicari sic, sed vtrum quidem dicere contingit, mutuo autem prædicari verè non contingit.

8. Aut enim vt substantia [prædicabitur, veluti: si genus existens, aut differentia prædicati. Hæc aũt mõstrata sunt, q non erunt infinita, neq; deorsum, neque sursum, vt homo bipes, hoc animal, hoc aũt alterũ, neq; animal de homine, hoc aũt Callia in eo quod est quid, substantiam enim omnem: est definire talẽ, infinita verò nõ est pertransire intelligentẽ, quare neq; sursum, neque deorsum infinita illam nanque non est definire, de qua infinita prædicantur.

9. Sic itaque genera inter se non retrouersum prædicabuntur, erit enim ipsum quod ipsum aliquid est.

Neq; vtique qualis, aut aliorum nullũ, si non secundum accidens prædicatum fuerit: omnia enim hæc accidunt, & de substantijs prædicantur: sed certè neque sursum infinita erunt, de vnoquoq; nanque prædicatur, q vtique significat, aut quale quid, aut quantum quid, aut de talibus, aut quæ in substãtia: hæc aũt determinata sunt, & genera prædicamentorum determinata sunt: aut enim quale, aut 9. 10.

aut quantũ, aut ad aliquid, aut faciẽs, aut patiens, aut vbi, aut quando.

11. Suppositum aũt fuit vnũ de vno prædicari: ipsa verò de ipsis, quæcunque non quid sunt, nõ prædicari, accidẽtia nanq; sunt omnia: sed hæc quidem per se, illa aũt secundũ alterũ modũ: hęc autem omnia de subiecto aliquo prædicari dicimus, accidens autem nõ esse subiectũ aliquid, nihil enim talium ponimus esse q non alterum quid existens dicitur, sed ipsum alijs, & alia quædam de alio. Neq; sursum itaque vnum de vno, neque deorsum inesse dicetur, de quibus enim dicuntur accidentia, quæcunq; insunt in substantia vniuscuiusq; hæc infinita nõ sunt sursum aũt & ipsa quoq; accidẽtia vtraque non infinita sunt. Necesse est igitur esse aliquid, de quo primum aliquid prædicatur, & de hoc aliud, & hoc itare, & esse aliquid, quod non amplius neque de alio priori, neque de illo aliud prius prædicatur. Vnus igitur modus dicitur demonstrationis hic. 11.

Amplius aũt alius est, si de quibus priora aliqua prædicantur, est horum demõstratio, quorũ aũt est demonstratio neq; melius euenit se habere ad ipsa, quã scire, neq; scire sine demonstratione si aũt hoc per hæc notum, hæc autem non noũimus, neque melius nos habemus ad ipsa quã scire, neq; q per hæc notũ scimus. Si igitur est aliquid scire per demonstrationem simpliciter & non ex quibusdam neque ex suppositione, necesse est stare prædicationes inter medias: si enim nõ stant, sed est semper acceptio ad superiorũ, non erit demonstratio quare, si infinita non euenit pertransire, quorum est demonstratio, hæc non scimus per demonstrationẽ: si igitur neq; melius nos habemus ad ipsa quam scire, non erit aliquid scire per demonstrationem simpliciter, sed ex suppositione. 13.

Neq; igitur ex his quidem aliquis crederet dubio, quod dictum est. 14.

Resolutionis verò per hæc manifestũ, breuius, quod neq; sursum, neque deorsum infinita prædicata contingit esse in demonstratis scientijs, de quibus consideratio est: demonstratis namque eorũ est, quæcunque per se insunt rebus per se verò dicuntur: quæcunq; etenim in illis insunt in eo, q quid est, & quibus ipsa in eo quod quid est inexistẽtibus ipsis vt in numero impari, quod inest quidem numero, inest autẽ ipsi numero in ratione ipsius: & rursus multitudo, aut diuisibile in ratione numeri inest: horũ aũt neutra contingit infinita esse, neque vt impar numeri.

Iterum enim in impari aliud esset, cui inerat existenti, hoc autem si sit primũ numerum inerit inexistentibus ipsi. Si igitur non contingit infinita talia esse in vno, neque sursum erunt infinita: sed necesse vtique omnia inesse ipsi primo, vt numero, & illis numerũ: quare conuertẽtia erunt, sed non supertendentia. 15.

Neque etiã quæcunq; in eo quod quid est insunt neque hæc infinita sunt: neque enim esse vtique definire. Quare si prædicata quidem per se omnia dicuntur: hæc autem non infinita, starent vtique quæ sursum: quare & deorsum si aũt sic, & quæ in medio † duobus terminis semper inerunt infinita. 16. [al. l. duorũ terminorũ fuerint vtrũq; finita.

Si verò hoc, planum iam, quod necesse est demonstrationum principia esse & non omnium esse demonstrationẽ, quod dicebamus quodãm dicere à principio, si enim sunt principia, neque omnia demõstrabilia, neq; in infinitum iri potest: esse enim vtrumuis horum, nihil aliud est, quam esse nullam distantiam mediatam, & indiuisibilem, sed omnes diuisibiles: intro nanq; proijciendo terminum, sed non assumendo demonstratur, quod demonstratum: quare si hoc in infinitum contingit ire, contingeret vtiq; duorum terminorum infinita interme dio esse media: sed hoc impossibile, si sint prædicatiõ sursum & deorsum. Quod autem stant monstratum fuit logicè quidem prius, sed propriè verò nunc. 17.

Sed quòd dicis illis, ijs quidem, &c. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cũ negatiuas demonstrationes sisterę, si affirmatiuæ prædicationes finitæ sint, ostẽderit, nũe prædicationes hasce affirmatiuas non in infinitum posse procedere ostendit, ac primò præmittit tres suppositiones, secundò duas Logicas rationes adducit ad id probandum, tertiò ratione demonstratiua idem probat.

Inientio Arist.

Proponit igitur in illis, nimirum in affirmatiuis prędicationibus terminũ esse: manifestum est ipsi qui logicè speculantur, id est, per rationes logicas manifestũ est: sunt enim hæc verba continuata cũ fine præcedentis capitis, ac primò vnum augmentum facit pro prædicationibus substantialibus, non posse procedere in infinitum, si definitiones sunt, sicut revera sunt, & si scientia est rerum, sicut revera est, quod si prædicata substantialia infinita essent, nec definitiones, nec scientiæ rerum essent, non enim infinitum cognosci, nec definiri valet, definitio autem per omnia prædicata essentialia danda est, aliter perfecta definitio non esset. Aristoteles non probat definitionem esse, quia est principiũ logicum, ob id propetitione non neganda sumit, & per ipsum probat.

2. *Vniuersaliter autem si dicimus.*

Quia particulariter loqui videbatur, vniuersaliorem de omni prædicatione sermonem capit, ac suppositionem primam constituit: Triplex est prædicatio accidentalis, prima, cum accidens de accidente prædicamus, vt album ambulat: altera, cum de accidente subiectum prędicamus, vt magnum est lignum: tertia, cum de subiecto accidens, vt lignum est magnum, homo ambulat.

Sed diuersum esse docet hc aut illo modo dicere, nimirum cum de accidẽte subiectum, aut de subiecto accidens prædicatur, est autem discrimen, nam cũ dico album esse lignum, dico quod id cui accidit esse album, est lignum, sed non quod ipsum album secundum se sit subiectum ipsi ligno: ac si dicat, lignum non de albo secundum se dicitur, sed secundum id quod albo subsłat, & hoc probat, nam si lignum diceretur de albo secundũ se, tunc album diceretur factum esse lignũ, sicut lignum, quia secundum se albũ est, dicitur factum fuisse album, & subiectum quodq; dicitur factum esse tale: at nõ dicitur album factum est lignum, non ergo secundum se album subijcitur ligno.

Nota verba per quod album est, intel ligitur vniuersaliter album: per quod album aliquod est, particulariter: vt sit sensus, nec album in communi, nec in particulari dicitur factum esse lignum, at cum dico lignum est album, non dico, quod aliquid cui lignum insit sit album, sed ipsum secundum se, nempè secundũ quod lignum, aut lignum aliquod album est, & album factũ est: at quo illo modo se habet prædicatio cũ accidens de accidente prędicatur: non enim secundum se subijcitur, sed secundum aliud, vt qui dicit albũ musicum, dicit quod id cui album accidit, est musicum, non quod ipsum album secundum se sit musicum.

Nota.

3. *Si igitur oportet nomina ponere, &c.*

Vult Arist. quod duæ prædicationes, nimirum cum accidens de accidẽte, aut subiectum de accidente prędicantur, aut non sint prædicationes, aut secundum quid, id est, secundum accidens sint prædicationes: reliquas verò esse secundum se, id est, simpliciter prædicationes, vt cũ album est prædicatum, lignum verò subijcitur: at quia nomen prędicationis omnes comprehendebat, dicit, quod si licet nomina ponere, prædicatio dicatur sola, quæ est secundũ se, aut saltem supponatur, quãdoquidem sumus in materia demonstrationis, in qua non nisi secundum se prædicationes sunt, atque hæc est prima suppositio.

4. *Quare in eo quod quid est, &c.*

Altera suppositio est, prædicationes secundum se esse secundum decem prædicamenta solum, videlicet secundum quantitatem, qualitatem, &c. cum vnum de vno prædicamus, nam cum plura simul de vno prædicamus, tunc tale prædicatum non ad vnum tantum prædicamentum spectat.

Categorias accidentium posse vno modo adsubstantiam conferri, altero ad eaque quæq; se contingere.

Hic aduerte quod prædicamenta accidentium dupliciter possunt comparari, vno modo ad substantiam, de qua in cõcreto prædicantur, & sic faciunt predicationes secundum se, sed accidẽtales, id est, extra naturam subiectis: altero modo singula in se ipsis, vt cũ genera & differentias accidentiũ de suis speciebus prędicamus, & sic faciũe prædicationes essentiales, sicut cum substantiam de substantia prædicamus, at verò cũ inter se vnum prædicamentum de altero accidẽtis, aut substantia de accidenti prædicatur, tunc prædicationes fiunt secundum accidens, vt dictum est, non secundum se.

5. *Amplius substantiam quidem significantia, &c.*

Discrimen ponit inter prædicationes, in quibus substantiã de substãtia, aut accidens de substantia prædicamus, ambæ enim sunt secundum se: est autem duplex discrimen, alterum, prædicata substantialia significare esse ipsius subiecti, sed differenter, quædam quod subiectũ est, puta vniuersaliter, cum nempè conuertuntur cum subiecto, vt differentiæ, quædam quod aliquod esse est subiectum id est, particulariter, vt genus: non enim omne animal est ipse homo, sed aliquod, at verò accidẽtia nec quod subiectũ est, nec quod aliquod subiectũ est, id est, nec cõuertibiliter, nec incõuertibiliter sunt esse subiecti, vt albũ de homine.

Et nota quod dicit, album de homine vt indicet accidentia inter se etiam naturales & essentiales prædications facere sicut cum substantiam de substantia prædicamus, aduerte quod dicit, hominem esse quod animal est, intelligetum, quod aliquod animal est, homo enim est particulare animal, dicit, forsã ppter Ideas Platonis, quas nondum reprehendit. Alterum discrimen est: accidentia enim nõ secundum se prædicantur, sed secundum ea quæ ipse subsłãt, vt dictũ est, at substãtiæ, cum nihil illis subsłet, non secundũ aliud, sed secundum se prædicantur.

6. *Species enim valent & genera, &c.*

Nota do ctis.

Posset quis existimare, vt notãt Themist. & Philop. accidẽtia secundũ se prædicari, cum secundum se sint abstracta: nam album ipsam ideam albi, pulchrum ipsam pulchritudinem significat: respondet Arist. has ideas esse quid fictitium & vanum, nec quicquam ad demonstrationem facere, ex illis enim quæ dictæ sunt prædicationibus fiunt ob id dicit, species & genera, id est, ideæ valeant, recedãt & abijciãtur, sunt enim monstra, & quamuis essent, inutiles ad demonstrationes & prædications essent: græcè dicitur *ἐγγὺς μανίας*, quod nomen aliqui præcantus musicorum, quo se ad musicã parant, significare dicũt, ob id aliqui fidium attrectationes vertunt: alij significare dicunt cantus cicadarum. Boet. vertit monstra, alij portenta, sensum potius attendẽtes quã vocabuli significationem, sensus enim est, esse quid nectum & vanum.

7. *Amplius si nũ est hoc huius qualitas, &c.*

Tertia suppositio est, in qua secundum Philop. vult ostendere, cum ècontra prędicamus substantiam de accidẽti esse inordinatas & innaturales prædicationes, & id peculiariter in vno prædicamento qualitatis ostendit: quamuis possemus dicere cum Latinis, nomine qualitatis quodcunque accidens hic intelligi: dicit igitur Arist. cum impossibile sit duo adinuicem sic se habere, quod vnũ alterius sit qualitas & forma, & hoc vicissim, illius forma, non erunt æquæ prædicationes, quæ fiunt accidentis de substantia, & substantiæ de accidente: nam accidẽs est forma subiecti, non autem subiectum accidentis, prædicationes quidem erunt veræ, sed non æquales, nam illæ naturales, hæ verò innaturales & indirectæ sunt: hoc etiam intellige in alijs prædicatis esse utialibus generum & differentiarum: non enim est æqua prædicatio ipsorum & subiectorum de ipsis, ob eandem rationem.

Amplius sicut substãtia prædicabitur, etc. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

8. Nota summa probationis Arist.

Constituit tribus suppositionibus ponit argumentum, his verbis, quæ sola supposita esse breuiter autem hoc argumentum tum ostendit, quòd probatum est à prædicationibus per accidens esse processum infinitum, aut prædicationes illæ sunt secundum substantiã, in quibus subiectum est genus, aut differẽtia prædicati, vt animal est homo, ratio aute est homo, aut sunt per accidẽs, in quibus similitudo accidentis accidẽtis prædicatur, sed omnes hæ sunt finitæ tam sursum, quàm deorsum, & probatur, nam primæ sunt finitæ, cum genera & differẽtiæ sint finita, vt enim prædicationes directæ generum & differẽtiarum finitæ sunt (vbi talia non esset definitio) ita etiam sunt indirectæ eorundẽ prædicationes finitæ similiter secundę, nam accidentia quæ prædicantur de substantia, sunt finita, cùm sint nouem genera, & vnum quodque finitas differẽtias & generis habeat, ergò erunt etiã finitæ prædicationes substantiæ de accidentibus similiter tertiæ, nam accidentia ipsa diuersarum generum non prædicantur secundum se, sed secundum subiectũ cui insunt, vt dictum est, sed subiectum finitum est, nempè substantia, cui finita insunt accidentia, ergo tales prædicationes erunt finitæ, vnde patet non solum per accidens, sed per se prædicationes finitas esse, cùm tot sint, quot prædicamẽta sunt, hæc autem omnia ex parte sunt finita: hæc est ratio Arist. breuiter collecta ipsius verba explicemus.

Cùm ostendisset non æquò prædicari substantiam de accidenti, & accidens de substantia, dicit etiam, cum substantiæ inter se prædicantur, hoc idem euenire vt non sit æqualis prædicatio: vt cum genus aut differentia subijciuntur prædicato eius genera sunt aut differentiæ: & quamuis interrogatoria sint verba, sensus tamen est affirmatiuus, postea adiungit talia, cùm sint in quid est, non esse infinita, alias nihil definiri aut intelligi posset, dicit autem non esse infinita sursum, vt dicamus, homo est bipes, & hoc nempè bipes, est animal, & hoc, nempè animal, aliud quid, & sic consequenter: similiter non esse infinita deorsum, vt animal de homine, homo de Callia, & sic consequenter, finitum est enim vtrunque eorum.

Sic igitur genera non æqualiter, &c. 9.

Postquàm ostendit in simplibus prædicationibus non esse processum in infinitũ, monstrat tales non esse æquales cũ his, in quibus genera de speciebus prædicantur, & hoc probat de genere, & sensus clarus est, verba tamen obscurissima: sensus ille est, genus particulariter inest speciei, id est, aliquod animal inest homini, non tamen omne animal, at species vniuersaliter subsitat generi, nõ ergo erit æqualis prædicatio, nisi velis quod idem sit quod particulariter prædicatur, & quod vniuersaliter.

Dicit ergo, erit ipsum, id est, genus erit vniuersaliter species, cum dicitur animal est homo quod quidem, id est, quæ species, quod ipsum aliquod est id esse, est ipsum genus particulariter: speciem autem vniuersaliter de genere non intelligas prædicari, sed idem est dicere quod genus est vniuersaliter species, & quod genus vniuersaliter de specie prædicetur, similiter idem est quod species sit genus particulariter, & quod species de genere particulariter prædicetur. Atque hæc est prima pars argumenti vt supra declarauimus.

Nequetamen de qualitate, aut aliorum nulla, &c. 10.

Secundam argumenti partem proponit, nempe quod in prædicationibus secundum accidens, quibus substantia de accidenti prædicatur, nõ sit processus in infinitus, & primò ostendit esse secundum accidens, nam accidẽtia potius de substãtia, quàm de accidenti substãtia prædicatur, quod verò hæ finitæ sint, patet, nam accidentia nõ sunt nisi finita: nempè nouem genera, & singula in vnoquoque genere

Secunda pars rationis Arist.

nec finitas habent differentias & genera, vt probatum est.

Suppositum autem fuit, &c. 11.

Tertia pars rationis Ari.

Tertia argumenti pars hæc est, nempè cum accidentia ad inuicem prædicãtur quę nõ sunt ordinata essentialiter (nam de his dictum est in prima parte (talia nõ prædicantur, nisi quæ ad aliquid sunt, id est, nisi in concreto cum subiecto accipiãtur, non enim albedo dulcedo, sed albũ dulce dicitur, cùm igitur hæc non nisi secundum subiectum prædicentur) sunt enim aliter accidentales, quam cum accidens de substantia prædicatur, vt dictum est) subiectum autem, nempe substantia sit finitum, & accidentia quæ ei insunt finita sint, tales etiam prædicationes finitæ erunt, atq; hæc est ratio prior, qua probatur in affirmatiuis prædicationibus non esse infinitum processum.

Adhuc autẽ alius, si de quibus, &c. 12.

Vltima ratio.

Posterior ratio est ad idem ostendendum, suppositis tribus. Primò, cũ aliqua conclusio est mediata, potest demonstrari. Secundò, talis conclusio non scietur quousque demonstretur, non enim contingit scire mediata nisi per demõstrationem. Tertio, nunquàm scitur conclusio, quousq; sciamus præmissas, vel earũ meliorem dispositionem habeamus, quã sit scientia, est enim intellectus principiorum, vt dictum est: his suppositis, est ratio Arist. ita cõclusio mediata potest sciri ac per demonstrationem cognosci, sed nisi principia sint, impossibile est talem conclusionem cognoscere, non ergo est processus infinitus: minor patet, quia nunquã sciemus præmissas demonstrabiles, nisi per alias, si ergo non ad vltimas simpliciter perueniatur, solum erit scientia ex suppositione, & ita nunquàm quod simpliciter demonstrabile est, per eam demonstrationem simpliciter cognoscemus, quod est impossibile: has vtrasq; rationes vocat Arist. logicas, priorem quidem, quia communis est non solum propositionibus per se, sed omnibus posteriorem verò, quia vt dicit Alex. procedit ex suppositione, nempe supponit quod sit demonstratio, vel forsan quia non à priori & ex causis procedit.

Analyticè autem manifestum est, &c. 13.

Tertia pars capitis.

Hæc est tertia capitis pars, in qua Ari. analyticam, id est, demonstratiuã rationem adducit ad idem probãdum quã se breuius id probaturũ dicit: ratio autem hæc est, demonstratio conficitur ex propositionibus per se, sed in talibus non est processus infinitus, ergo nec in propositionibus demonstrationis: minorem probat distinguendo per se in ea, quorum prædicata sunt de subiectorum definitione & ea quorũ subiecta sunt de definitione prædicatorũ, nempè quæ sunt per se primo, aut secundo modo, & ponit exẽplas: impar enim inest numero per se secundo modo, magnitudo verò & diuisibile insunt numero primo modo, sunt enim ipsius genera.

Postea dicit: horum neutra contingit infinita esse: quæ verba dupliciter exponit Philop. primò vt sit sensus, horũ neutra, nimirũ nec diuisibile nec magnitudo, quæ genera sunt numeri, contingit in infinitũ progredi, nã postea adiunxit, neq; vt impar numero, id est, nec etiã per se secũdo modo infinita sunt altero modo etiã exponit, vt sit sensus, horũ neutra, id est, nec quę per se primo modo, nec quæ secundo modo infinita sunt: & postea per repetitionẽ adiunxit, nec impar numero, quia de his quæ sunt per se secundo modo incipiebat probare.

Iterũ enim si impar sit alius dari sit, &c. 14.

Prima expositio.

Probat quæ sunt per se secundo modo non esse infinita, & aliquot interpretes volũt vt sic sit probatio: si huic subiecto insunt passiones in infinitum, sequitur, vt sicut prima immediatè inest subiecto, & per ipsum definitur, ita secunda inerit immediatè primæ, & per ipsam definietur, & consequenter per subiectum, & pari modo tertia secundæ, & quarta tertiæ, & sic erit processus in infinitum in prædicatis definitionis, quod impossibile est, vt probatũ est, semper enim superio

Universidad de Deusto
Biblioteca

ra per oſa antecedentia definiri debét.

Hæc explicatio non placet Philo. & meritò, nam cum non priora per posteriora quæ in infinitum procedunt definiantur, sed è contrario sequentes passiones per antecedentes, hæ autem semper finitæ sint à subiecto incipientes, nunquã dabitur passio cuius quidditatiua prædicata procedant in infinitum.

Secunda expositio & melior.

Proinde aliter exponit, quo etiã modo exponit Themist. quod si passiones in infinitũ procederẽt, cum actu sit passio in subiecto, erunt in subiecto vno infinitæ passiones, quo dato sequitur non esse scientiã, cũ scientia ex passionũ subiecti cognitione oriatur, infinita autem cognosci non valent: aduerte literam, inquit, (cum impar insit numero, si aliud etiam per se ineſt impari, cui existẽti per se impari ipsum impar inerat) ideſt, erat de definitione ipsius, vt sit sensus, si aliquid insit impari, de cuius definitione ipsum impar sit, tanquã eius quod ipsi per se ineſt, vt passio. primũ, vt vult Philop. concludit, quod erit etiam in numero, nam numero ineſt passio, & quæ insunt passioni insunt subiecto, ac propterea ista sunt in ipso numero, si ergo illa sunt infinita, erunt in vno infinita, quod impossibile est quamuis illa conuertibilia sint.

25. *Neq; tamẽ quæcunque sunt in eo, &c.*

Quod verò quæ sunt per se primo modo in subnita non fiat, probat, quia non esset aliàs definire, vt superius est dictum, vnde concluditur, quod nullo modo erũt infinita nec sursum, nec deorsum, nec inter extrema determinata contingit infinita inter media sumere.

26. *Si verò hoc manifestum, &c.*

Ex his omnibus concludit duo Arist. alterum esse principia demonstrationũ vltima & immediata, alterũ q̃ non omnium est demonstratio, quod in principio, nempè cap. 3. aliquos asserere dictũ est: asserere autem omnium esse demonstrationẽ est asserere nihil esse sine medio, sed omnia mediata, & hoc ostendit nam non demonstramus assumendo, id est, per mediũ superius extremitatibus, sed intus mittẽdo, id est, per mediũ intra ipsas extremitates, vt homo est risibilis demonstratur per animal rationale medium inter hominem & risibile, & sic ostenditur omnis affirmatiua, si igitur omnia mediata monstrabilia sunt, nihil est immediatum, & ita inter duo extrema, subiectum nempè & prædicatum media sunt infinita, quod impossibile est, cum prædicationes terminentur superius, & inferius vt hactenus probatum est.

Quo pacto mediatæ propositiones ad immediatas deduci possint.

Cap. XIX.

TEXT.

MOnstratis autem his, manifestũ, quod si aliquid idem duobus insit, vt A. & ipsi C. & ipsi D. cũ non prædicetur alterũ de altero, aut nullo modo, aut non in omni, quòd non semper secundum commune aliquid inerit, vt æqui cruri, & gradato hoc. quòd est duobus rectis æquales habere secundũ commune aliquod ineſt: secundum q̃ enim figura quædam ineſt, & non secũdum q̃ alterum, hoc autem non semper ita se habet: sit enim B. secundum quod A. ipsi C. D. ineſt, planum igitur erit, q̃ & B. ipsi C. & D. secundũ aliud commune, & illud secundum alterum: quare inter duos terminos infiniti vtique inciderent termini: sed impossibile: secundum igitur commune aliquid ineſſe non necessarium est, semper idem pluribus, si quidem erũt † mediata interualla.

1.

In eodem tamen genere & exijsdem individuis necesse est terminos esse: siquidem ipsum commune erit exijs, quæ per se insunt, non enim erat ex alio genere in aliud transcendere quæ monstrantur.

2. [al.] immediata [al.] infinita.

Manifestũ aũt, & quod quãdo A. insit B. siquidẽ est aliquid mediũ, est monstrare quod A. ineſt B. & elementa hæc insunt hæc; & tot; quot media sunt immediatę nãq; propositiones eorum

Text. 38.

2.

ea sunt, aut omnes, aut vniuersales: si autẽ non est aliquod mediũ, non amplius est demõstratio: sed in principio via est hęc.

Consimiliter autem & si A. ipsi B. nõ ineſt: siquidem est aut medium, aut prius, cui non ineſt, est demonstratio: si autem non, non est: sed principia & elementa tot sunt, quot termini. Horum nanq; propositiones principia demõstrationis sũt: & quemadmodum nonnulla principia sunt indemõstrabilia, quod est illud hoc & ineſt illud huic, ita & q̃ non est illud hoc, neque ineſt illud huic: quare hęc quidem esse aliquid, illa autem non esse aliquid, erunt principia.

4. Quando autem opus sit monstrare, accipiendum est, quod de B. prædicatur primo, sit C. & de hoc consimiliter A. & ita semper procedenti nunquàm extra ipsum propositio, neq; existens accipitur ipsius A. in demonstrando, sed semper medium condensatur, quousq; indiuisibilia fiant & vnum. Est autem vnum, quando immediatũ factum fuerit, & vna propositio simpliciter, quæ immediata. Et quẽadmodum in alijs principium simplex, hoc autem non idem vbiq; sed in ponderę quidem mina, in cantu verò † diesis, illud autem in alto: consimiliter in syllogismis ipsum vnum est propositio immediata: in demonstratione verò ac scięti intellectus.

[Diesis, id est, primus sensibilis sonus.

5. In monstratiuis igitur syllogismis ipsius inexistentis, nihil extra cadit.

In priuatiuis verò, vbi quidem quod oportet ineſſe, nihil extra hoc cadit: vt si A. ipsi B. per C. non ineſt: si enim omni quidẽ B. C. ineſt. A. verò ipsum C. nulli: rursus si opus fuerit, quod A. C. nulli ineſt, medium accipiendum est ipsius A. & C. & ita semper progredietur.

6. Si autem oportuerit monstrare, quod D. ipsi E. non ineſt, eò quod C. D. quidẽ omni ineſt, E. verò nulli, aut non omni, nunquàm cadit extra E. hoc autem est, cui non oportet ineſſe. Intertio aũt modo, neque à quo oportet, neque quod oportet prędare, nunquàm extra ibit.

Monstratis autem his, &c. 1.

Ex his quæ hactenus discussa sunt, Arist. cap. 18 to aliquot infert dicta, quorum primum est, cũ aliquod commune ineſt duobus vel pluribus quorum alterum de altero non prædicatur, aut saltem non vniuersaliter prædicatur, nõ semper per aliud commune medium ineſt.

Primum dictum.

Verbi gratia, habere tres angulos æquales duob⁹ rectis ineſt quidẽ Isoscheli, & Isopleuro per aliud commune, nempè vt figura quædã, scilicet triangulus, sunt, & triangulus sine alio medio ineſt illis: id probat ex his quæ dicta sunt, nam insit A. commune in C. & D. per aliud commune B. si hoc per aliud illis ineſt, & iterum hoc per aliud in infinitũ, inter duo extrema puta A. & C. D. erunt infinita media, quod impossibile esse probatum est, dabitur igitur aliquid cõmune, quod insit immediatè pluribus.

In eodem genere, & exijsdem. 2.

Ne quis existimaret mediatè cõmune omne ineſſe, quia nunquã deest medium propositione syllogizandi quamcunque dicit se de medijs veris & proprijs loqui, quæ sunt eiusdẽ generis cũ athomis, ideſt extremis, nã demonstratio non transẽdit genera, sed ex ꝓprijs ꝓcedit, vt dictũ est, non autẽ commune semper per mediũ propriũ ineſt, de hoc enim est sermo.

Manifestum est autem, &c. 3.

Ponit secundum dictum, cùm aliqua propositio medium habet, erit quidẽ demonstratio, & etiã quot sunt media sursum, tot erũt propositiones per quas fiẽt demonstrationes, nã ex singulis medijs cõpositis cum extremitatibus fiunt propositiones ad demonstrandũ binæ, atq; tales propositiones immediatæ dicũtur principia & elementa demonstrationũ, dicit autem quod non omnes immediatæ dicuntur elementa, sed vniuersales, nam singulares, quibus inductione immediatas propositiones probamus, licet immediatæ etiam sint, non dicuntur elementa demonserationum, vel forsan dixit hoc, quod non quæcunque præmissæ

Secundũ dictum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicuntur elementa & immediatæ, sed vniuersales, id est, dignitates communes in quas vltima fit demonstrationum reductio, hoc idē in negatiuis docet esse: cùm verò propositio medium nō habet, iam amplius non fit demonstratio, vnde concludit tot esse principia, & elementa alicuius: quot sunt media: & tot sunt propositiones: nam ex illis sunt propositiones, quæ principia sunt, & sicut in affirmatiuis datur vltima & immediata propositio, ita & in negatiuis, & sic erit principium negatiuum vltimum, sicut etiam est affirmatiuum.

4. Tertium dictum. *Cum igitur indigeat monstrare aliquid, &c.*

Tertiū dictū est cū aliquid affirmatiuū in prima figura concludi debet, oportet mediū sumere q̄ sit super minus extremum, & inferius maiori, nunquā tamen superius erit maiori extremo, dico autē quod sit super minus extremum immediatæ, & sic oportet procedere, quousq; ad immediata perueniatur, quod vocatur densari, vt superius dictum est.

Verbi gratia si debet probari, omnis homo est substantia, sumatur proximū homini, animal, & iterum si debet probari animal est substātia, sumatur viuēs, proximū animali, & sic consequēter nō autē sumatur aliquid extra, id est, superius maiori extremo, nec remotū à minori, non enim per corpus probabitur omnis homo est substantia, sed per proxima, donec densando perueniamus ad corpus immediatum substantiæ.

Hoc est igitur quod dicit (cum monstrandum est aliquid, sumatur primum) id est, proximum B id est, subiecto, (non autem quid extra) id est, superius maiori vel remotū minori (quamuis esse ipsum A. demonstretur) id est, quātus prædicatū de subiecto demōstretur, oportet proximum subiecto sumere ad id demōstrandū, donec perueniatur ad immediatū & primùm q̄ est propositio immediata, nā in vnoquoq; genere semper datur vnum, quod sit primum & summum eorum quæ sunt in illo genere, nam semper quæ sub aliquo cōmuni sunt genere, ab vno debent depēdere primò, siue in suo esse, siue in sui cognitione, siue in ordine suæ perfectionis, vnde sicut in mēsuris ad vnā vltimā peruenitur, puta Mina, & Musica ad Diesim, id est, semitoniū minus, & nō est vlterior progressus, sic in demōstratiua scientia ad intellectū, quę est cognitio principiorū, & in syllogistico discursu demonstrationē, ad vltimas propositiones secundū se immediatas peruenire necessariū est, vnde cōcludit (q̄ in coostensuis (id est, affirmatiuis syllogismis, eius quod est, id est, cōclusionis affirmatiuæ (nā ostensiuus syllogismus etiam est negatiuus, ob id addit, eius q̄ est, vt limitet ad affirmatiuos) nihil cadit extra id est, medium non est superius vtraque extremitate, vt dictum est.

Quæ sub aliquocō muni sit genere ab aliquo primo depē dere, tū inesse tī cognitio ne tū ordine suæ plectionis.

Sed in priuatiuis, vbi, &c.

5. quartum dictum.

Quartū dictum est, in negatiuis syllogismis tam primæ, quàm secundæ figuræ, in propositione affirmatiua extremum non esse extra medium, id est, superius ipso, nam medium debet affirmari vniuersaliter de extremo in vna propositione, vt si A negari de B. probandum est per C. tunc B non erit superius C. nā affirmatur C. de B. in minori in prima figura, de C. verò negatur A.

Iterum si indigeat, quod, &c.

6. Hoc idem docet fieri in prosyllogizā da maiori, nullum C. est A. sumendū enim est medium superius C. in minori prosyllogismi, & sic in alijs prosyllogismis negatiuis fieri debet.

Si verò indigeat monstrare, &c.

7. Hoc idem ostendit in secunda figura, vt si mōstrare oportet nullum E. esse D. in Camestres vel Baroco, tūc sumere oportet medium, quod de omni D. prædicetur affirmatiuæ in maiori, ac ob id erit superius illo, de nullo verò E. si fuerit in Camestres, vel de aliquo non, si in Baroco, minor enim vnius est vniuersalis, alterius verò particularis, sed vtraque negatiua, cui medium oportet nō inesse: sem-

semper ergo in affirmatiua primæ & secūdæ figuræ propositione nunquam extremū erit extra mediū, at in tertia figura medium non erit superius vlla extremitate, nam debet vtrique subijci, in prima ergo medium non erit extra manus extremū: in secunda vnum extremū non erit extra medium, puta in affirmatiua propositione, in tertia verò mediū non erit extra extremum vtrumque, cum vtrique subijciatur.

¶ *Demonstrationem vniuersalem particulari esse præstantiorem.*

Cap. XX.

TEXT. 1. CVm verò sit demonstratio, hęc quidem vniuersaliter, illa verò secundum partē, & hæc quidem prædicatiua: illa verò primatiua, dubitatur vtra melior sit: cōsimiliter aūt & de ea, quę demonstrare dicitur, & deducente ad impossibile demonstratione.

2. Primum igitur considerabimus de vniuersali & particulari, hoc autem cum declarauerimus, & de ea, quę nō strare dicitur, & ea, quæ ad impossibile, dicemus.

3. Videtur igitur fortasse aliquib⁹ ita cōsiderantibus, eam secundū partem esse meliorem: si enim secundū quam magis scimus demonstrationē, melior est demonstratio (hæc enim est virtus demonstrationes:) magis autem scimus vnūquodque, cùm ipsum sciamus secundū se, quam aliquando secūdum aliud, vt musicū Coriscum, quando q̄ Coriscus musicus est, quā quādo quod homo musicus est: similiter autem & in alijs. Vniuersalis autem, quod aliud non, quod ipsum contingit, mōstrat. vt quod æquierus nō quod æquierus, sed quod triangulus: quæ verò secundum partem, quod ipsum, mōstrat: si igitur melior quidē, quę secundum ipsum, talis autē, quæ secundum partem: vniuersali magis, & melior vtique, quæ secundum partem est, demonstratio erit.

4. Amplius, si vniuersale quidem non est aliquid præter singularia, demonstratio verò opinionē facit esse aliquid hoc, secundū quod demonstrat, & quandam naturam esse in entibus talem: vt trianguli præter quosdā, & figurę pręter quasdam, & numeri præter quosdam numeros: melior autem, quæ est de ente: quā quæ de non ente.

5. Et propter quā nō decipietur, quā propter quam decipietur: vniuersalis autem est talis, (procedentes enim monstrant, quemadmodum de proportionato, vt q̄ vtiq; sit aliquid tale erit proportionatū) quod neq; linea, neq; numerus, neq; solidum, neq; planū, sed præter hæc aliquid.

6. Si igitur vniuersalis quidē magis hęc, de ente autem minus, quam particularis & facit opinionem falli: melior vtique esset vniuersalis, quā particularis.

7. Et primum quidem nihil magis in vniuersali, quam in particulari, altera ratio est: si enim quod duobus rectis ineſt, non in quantum æquierus, sed in quantū triangulus, nosces, quid q̄ equierus minus nouit in quantum ipsum, quam qui nouit, quod triangulus: & omnimò si non quidē secundum quod sit triangulus posita mōstrat, non erit vtiq; demonstratio: sin autē nouit vnumquodque, in quantū vnumquodque ineſt, magis nouit: si itaque triangulus in plus est, & eadem ratio, & non secundum æquiuocationem triangulus, & ineſt omni triangulo hoc, q̄ est duos, nō triangulus in quantum æquierus, sed equierus in quantum triangulus habet tales angulos: quare qui vniuersaliter scit, magis nouit secundum quod ineſt, quam qui secundum partem: melior itaque vniuersalis, quam particularis.

8. Amplius si quidem esset aliqua ratio, & non æquiuocatio, vniuersale vtiq; nihil minus esset quibusdā particularibus: sed & magis quanto incorruptibilia in illis sunt, quæ verò particularia corruptibilia magis.

9. Præterea nulla necessitas est suspiçari aliquid esse hoc præter hæc, quod vnum significat nihil magis, quā in alijs, quę cun-

que

quę non aliquid significant, sed aut quale, aut ad aliquid, aut facere: si igitur est, non demonstratio causa, sed qui audit.

9. Amplius si demonstratio quidē est syllogismus mōstrativus causæ, & ipsius propter quid, vniuersale autē magis est causa: cui enim per se ineſt aliquid, hoc idē ipsi causa est, vniuersale autem primum, causa igitur vniuersale est: quare & demonstratio melior: magis enim causæ, & ipsius propter quid est.

10. Præterea vsq; ad hoc quærimus propter quid, & tunc opinamur scire, quando non sit aliquid aliud quā hoc aut factum, aut existens: finis enim & terminus ipsum extremum tam sic est. Vt cuius gratia venit? vt accipiat argentum: hoc autem? vt reddat, cui debet: hoc autem? ne iniustitiam cōmittat, & ita procedentes, quādo nō amplius est propter aliud neq; alterius causa, propter hoc, sicut finem dicimus venisse, & esse, & fieri, & tunc cognoscere maximè propter quid venit, si autem similiter se habet in omnibus causis, & ijs, quæ sunt propter quid, in ijs verò, quæcunque sunt causæ sic: sicut, cuius causa, sic nouimus maximè, & in alijs: igitur tunc maximè scimus, quando non amplius insit hoc, quoniam est aliud: quando igitur cognoscimus, quod quatuor exteriores sunt æquales, quoniā æquicrus, adhuc deficit, propter quid æquicrus? quoniam triangulum: & hoc, quoniam figura rectilinea, si autem hoc nō amplius propter aliud erit, tunc maximè scimus, & vniuersale est tunc, vniuersalis igitur melior est.

11. Amplius quæcunque magis particularia sunt, in infinita incidunt, vniuersalis verò in simplex & terminū: sunt autē in quantum infinita quidem non scibilia: in quantum autem finiuntur, scibilia: inquantum igitur vniuersalia magis scibilia, quām inquantum particularia: demōstrabilia igitur magis, quæ vniuersalia sunt, demōstrabilium verò magis, magis est demonstratio, simul enim magis quæ ad aliquid existunt, melior ita q; vniuersalis, quoniā & magis est demonstratio.

12. Amplius si eligibilior sit illa, secundū quam hoc & aliud, quam illa, secundum quam hoc solum nouit: qui verò vniuersalem habet, nouit & quod secundū partem, hic autē vniuersale non nouit: quare & sic vtiq; eligibilior erit.

13. Amplius autem sic: vniuersale enim magis scire est eo quod mōstratur per medium quod est proximus principio: valdè autem proximum est immediatum, hoc verò principium. Si igitur quæ ex principio est ea, quæ non ex principio, aut quæ magis ex principio est ea, quę minus certior est demonstratio, est autem talis, quæ vniuersalior, melior vtiq; esset vniuersalis. velutiſi oporteret demonstrare A, de D, per media, in quibus B, C, superius itaq; B, est, quare quę per hoc vniuersalior est. Sed ex ijs, quæ dicta sunt, non nulla Logica sunt.

14. Maximè autem manifestum quod vniuersalis est potior: quoniam propositionum priorem quidem habentes, nouimus quodammodo & posteriorem, & habemus potētia, vt si quis nouit, quod omnis triangulus habet tres duobus rectis æquales, nouit quodāmodo & æquicrurem, quod duobus rectis est potentia, & si non nouit æquicrurem, quod triangulus sit: qui verò hanc habet propositionem, vniuersalem nullo modo nouit, neque potentia, neque actu.

15. Et vniuersalis quidē intelligibilis est, sed particularis in sensum desinit. Quod igitur vniuersalis melior ea, quæ secundū partem, tot nobis dicta sint.

Cum autem sit omnis demonstratio, &c. 1. Cōparatio Demōstrā.

DE demonstratione & ipsius principijs pertractatis, modò ipsas demōstrationes inter se cōparat, ac tres quæstiones circa hoc proponit examinādas. Prima est an Demōstratio vniuersalis præstātior sit particulari. Altera, an Demōstratio affirmatiua, quæ vocatur cathegorica seu prædicatiua sit etiā præstantior negatiua. Tertia an ostensiua Demonstratio præstet ei, quæ ad impossibile demonstret? Prima quæstio hoc vigesimo cap. discutitur, quod in duas partes diuiditur, in priori sunt tres rationes dialectęa pro parte negatiua quæstionis, & earum responsiones & dissolutiones, in posteriori sunt rationes partem affirmatiuā verā determinantes. Alię quæstiones sequentibus capitibus determinantur.

Quotsint huius capitis partes.

2. *Videbitur igitur fortasis vtique quibusdam, &c.*

2. Ratio dialecti. ea.

Hæc est prima ratio dialectica, qua probat potiorem esse demonstrationē particularem vniuersali. Demonstratio, secundum quam magis scimus, est potior demonstratione, secundum quam minus scimus, sed secundum particularem magis scimus, quàm secundum vniuersalem: ergo particularis est potior, maior probatur, q; hæc est virtus demōstrationis, id est, hæc est vis & natura demonstrationis, vt per eam sciamus, erit ergo illa potior, secundum quā magis scimus. minor probatur: vnumquodq; magis scitur cum secundum se, quam secundū aliud scitur, sed quæ quis per vniuersalem demonstrationem cognoscit, secundum aliud, quæ verò per particularem secundum se vnūquodque scit, ergo per particularem magis scitur: maior explicatur & probatur exemplo: sit ista propositio, Coriscus est musicus, clarum est, quod per talē magis cognoscimus musicum Coriscum, quia per se & immediatè cognoscimus, quam per hanc homo est musicus.

Minor probatur, fiat demonstratio vniuersalis de Isoschele, qui habet tres angulos, æquales duob⁹ rectis, talis erit de triāgulo in cōmuni, cui talis passio primo inest, fiat altera particularis de ipso Isoschele, qui habet similiter tres angulos duobus rectis æquales, tunc erit per ipsū Isoschelē, magis ergo cognoscet & sciet ipsum Isoschelem habere tales angulos, qui de ipso in particulari scit, quā cum de ipso in vniuersali scit, ergo magis scimus per demōstrationem particularem.

Quid sit demonstratio vniuersalis.

Hic aduerte, vt dicit Alber. hoc tra. c. primo per vniuersalem demonstrationem intelligi eam, in qua de aliquo subiecto vniuersali & communi demonstramus: per particularem verò eam, in qua de aliquo subiecto singulari vel minus communi demonstramus idemmō enim vocatur particularis, quasi conclusio particulariter sumatur, vniuersalis verò, quia vniuersaliter, sed secundum subiectum vniuersale, aut singulare vel minus commune. Nota præterea, quod ista ratio procedit sumendo rem particularem ali quam, & probando eam melius cognosci, cum per proprium conceptum particularem cognoscitur, quam cum per vniuersale, & ex hoc probabiliter infert particularem demonstrationē esse potiorē, & ita textus indicat, & benè aduertit Themistius, capit. 40.

Et in hoc decipitur Philo. miror enim quantum aberret à sensu Aris. & qui eum sequuntur, at q; ex isto errore asseruit exemplum Aris. de triangulo esse falsum, nec potuisse aliter fieri, sed in his nō est audiendus, expositio enim data est purus Aris. sensus.

Amplius, si vniuersale quidē nō est, &c. 3. Secunda & tertia ratio.

Hic secundam, & tertiam rationem connectit, quarum vis hæc est, quod demonstratio vniuersalis sit de subiecto, quod minus esse habet, quàm particulare, cum vniuersalia non per se existant, ob id igitur erit potior particularis demonstratio: præterea demonstratio vniuersalis magis facit errare, quam particularis, nam quæ de vniuersali aliqua demonstrat, de eo separatim à singularibus demonstrat, quod cum non sit, faciet opinionem falsam: hanc vtram q; rationem copulauit, quia ex eo quod vniuersale nō est per se, vt dicitur in prima ratione, inde prouenit error, quod existimetur separatum, vt bene aduertit Philo.

In textu verò rationes sic sunt ordinandæ, prior est hæc, potior est demonstratio, quæ est de subiecto, quod est, quā de subiecto quod non est: minor ponitur infernis, scilicet (vniuersalis est huiusmodi) vt sit ista demonstratio: vniuersalis est

Universidad de Deusto
Biblioteca

est de eo quod nō est, particularis de eo quod est, concluditur in fine, ergo potior est particularis: maior probatur, qui omnis demonstratio opinionem conficit, id est, probat circa aliquod, quod sit, & circa naturam in rebus existeuté: minor verò prior in principio textus, vniuersale non est præter singularia, quod exemplo manifestat, vt triāgulus, figura, numerus, non est præter singularia ipsa, loquitur cōditionaliter, quia supponit, & nō probat.

4 *Et propter quam non errabitur.*

Ratio posterior est, potior illa est demonstratio, secundū quam non cōtingit errare & decipi, quam ea secundū quam decipi euenit, sed vniuersalis est huiusmodi, secundum quam decipimur, nō autem particularis, ergo hæc est potior: minorē probat, nā qui de proportionali aliquid demonstrat, de illo abstracto a lineis, numeris, solidis, id est, corporibus, plano, id est, superficie demonstrat, vt patet, & tamen re vera non est separatū: hoc exemplum declarauimus cap. 5. est enim idem illic, & potest poni quod cunq; aliud exēplum, cum enim de homine demonstramus, non de Petro, non de Ioanne, sed separatim ab his demonstratio sit.

5. *Si igitur vniuersalis magis hæc est. &c.*

Hic conclusionē ex vtraq; ratione simul infert, dicens, si vniuersalis est huiusmodi: nimirum secundū quam magis erratur, & si vniuersalis est de eo quod minus est, magis quā particularis, profectò indignior erit vniuersalis, & potior particularis. nota valdè has rationes sic ordinatas, quia textus est obscur' & pplexus: nec interpretes ratiōes in forma ponūt.

6. *Et primum quidem nihil magis.*

Soluitur rationes. Ad. 1. Solet præcitas rationes, & primo ad primā respondet, & sensus ille est, & notandus, qué non attigit Philopo pace ipsius: ratio prior probabat de Iloschele magis cognosci habere tres āgulos æquales duobus rectis, quādo de eo demōstratur, quā cum de triangulo, quia per triangulum consosē, & per aliud cognoscitur Ilosceles: dicit modo, quod minus cognoscit, qui de Iloschele secundū se demōstrat, habere tres angulos, quàm qui de triangulo demonstrat habere tres angulos, minus inquā cognoscit de ipso Iloschele, quia qui de Iloschele secundum se cognoscit habere tres angulos, nō secundum ipsum cognosci, nā hæc affectio seu passio ipsi primo non inest, qui verò de triangulo cognoscit, secundum se ipsum cognoscit, vnde melius est cognoscere. & demonstrare de eo cui secundū se inest passio, cum verò hoc sit vniuersale, erit potior demonstratio vniuersalis.

Solutio igitur breuiter est, sicut qui de triāgulo cognoscit habere tres angulos, non cognoscit de Iloschele secundū se, vt ratio probat, ita profectò qui de Ilosche le habere tres angulos cognoscit, minus secundum se cognoscit, cum id non illi secundum se insit, cum autem potior demonstratio sit quæ id quod inest secundum se alicui, de eo demōstret, erit talis demonstratio vniuersalis.

Atq, hoc est quod dicit litera, nēpè, prima ratio non magis est pro demōstratione vniuersali, quam particulari, id est, sicut qui per vniuersale non secundū se cognoscit particulare, ita nec qui de particulari passionem vniuersalis cognoscit, secundū se cognoscit, vnde nihil probat ratio, quod demonstratio particularis faciat secundum se cognoscere.

Litera quæ sequitur est sic emendanda (si enim quod duobus rectis, inest, nō est secundum quod Ilosceles, sed secundum quod triangulus, cognoscens quod Ilosceles habet tres angulos, minus inquantum ipsum cognoscit, quam cognoscens, quod triangulus) sensus est prędictus, minus cognoscere secundū se particulare, qui de ipso demonstrationem passionis vniuersalis facit, quam qui ipsum particulare per vniuersale cognoscit: & hoc probat dicens, aut omnino talis passio non inest triangulo vt talis est, id est, vniuersali, vt vniuersale, & tunc de eo non potest demonstrari. aut illi inest, & tunc potior erit de eo demonstratio, quia secundum se illi inest: & tunc melius demonstramus, cum secundum se subiecto inhærentia demonstramus.

Postea concludit, cum illud cui primo talis passio inest, nempe triāgulus, sit vniuersalior & superior Iloschele, & non superior secundum nomen, sed secundum rationē & vniuocationem, & hoc patet, nam non solum Ilosceli illa passio inest, sed etiam alijs triangulis, ac ideo si primo triangulo secundum se inest, erit potior demonstratio ipsius vniuersalis, quam particularis.

7. Soluitur secunda ratio. *Amplius si quidem sit quadam.*

Respondet secundæ rationi, non propterea minus esse vniuersale, quia non sit extra singularia, imò magis esse, cum singularia corruptibilia sint, non autem vniuersalia, & ita dicit, si detur vna ratio cōmunis à multis participata, non sicut in æquiuocis, in quibus nihil, nisi nomen commune est: in vniuocis verò ratio cōmunis vltra nomen datur, talis ratio magis erit, quam ipsa singularia, & eo magis, quo incorruptibiliora sunt ipsis: aduerte vniuersalia non corrumpi nisi per accidens, quod est dicere, quamuis Petrus, Ioannes, Cæsar corrumpantur, semper manet homo, & animal, & naturæ hę cōmunes in alijs, & alijs individuis conseruatæ, sicut manet idē Tyberis, licet aquæ aquis succedant, corrumpuntur per accidens, quia talia singularia corrupta desinunt participare naturas communes, sed hoc ex professo examinare metaphysicū est, est ergo solutio, quamuis illæ rationes communes non per se existant extra singularia, nōn ideo minus sunt.

Vniuersalia per accidens tantum corrumpi. Vide Philodum in tantē de corruptibilitate horū vniuersaliū.

8. Soluitur tertia ratio. *Amplius nulla necessitas est. &c.*

Respondet tertiæ rationi, nō propterea quod de ipso vniuersales secundū se aliquid demonstratur, esse necessarium existimare ilia esse separata, sicut cum de accidentibus secundū se demonstramus, non ob id extra substātiam esse opus est cognoscere, quod si aliquis id opinatur, ipse potius est causa suæ deceptionis, quā demonstratio, non enim quę in scientijs separata considerantur, necesse est in re separata existere, nec id opinari.

9. Vniuersalis demonstratio particulari præferenda. 1. Ratio. *Amplius si demōstratio est syllogismus. &c.*

Hæc est capitis posterior pars, in quæ multis argumentis probat vniuersalem demonstrationem particulari esse præferendam, quorum primum est, demonstratio est syllogismus per causam, & propter quid rei probatiuus, sed vniuersale magis est causa, quàm particulare, ergo demonstratio vniuersalis est potior: minorē probat, illud cui aliquid, puta passio per se & primo inest, ipsius passionis est magis causa, sed vniuersali per se primo inest passio, vt habere tres angulos triangulo vniuersali, risibile homini, ergo ipsius demōstratio erit magis per causam & potior.

10. 2. Ratio. *Amplius vsque ad hoc quærimus propter quid, &c.*

Hoc est secundum argumentum, tunc maximè scimus cum ad primam causam, peruenimus, cuius iam non est causa alia, sed vniuersale est causa prima, ergo magis scimus per vniuersale, & sic est potior demonstratio: maiorem explicat exemplo causæ finalis, vt si quis mercator venerit pro argento & pecunia aliqua, vt soluat debitum, tunc aduentus causa est, vt recipiat argentum, huius verò, vt soluat debitum, huius vt iustè agat, quæ est prima causa, cuius non est alia, & qui per eam talem scit, maximè aduentum scit: pari modo res se habere in alijs causarū generibus docet.

Nota. Et nota literam, dicit (eius quod fit, aut factū est) id est, siue sit causa alicuius operationis, vel alicuius rei existentis.

Nota. Nota etiā quod dicit hoc esse in causis, quæ habent causas, nam in alijs tunc maximè scimus, cū non est amplius quod quæramus, primum enim dicit propter finales causas, posterius verò propter alia genera causarū, vt explicat Philo. quod verò vniuersale sit prima causa, quæ erat minor, probat exemplo, habere angulos extrinsecos æquales quatuor rectis ineste Ilosceli, sed quia triangulo, & triangulo, quia figura rectilinea, huic verè non

secun-

secundum aliud, at illud est vniuersale, figura enim rectilinea communis est, cui primo inest angulos externos habere æquales quatuor rectis.

Esset simile exemplum, sensibile inest Petro, sed quia homo est, homini verò, quia animal est, huic verò vltimo: dices, Dubium nónne inest per definitionem? non ergo immediatè: dico Arist loqui de immediatione subiectorum, & sic non est aliud superiùs ratione cuius insit, definitio enim Solutio. est eadem natura subiecti.

11 *Amplius quantocunq; vtique magis, &c.*

3. Ratio. Tertium argumentũ est, de magis demonstrabili & magis scibili potior est demõstratio, sed vniuersale est magis demonstrabile, & scibile, quam particulare, ergo illius potior est demõstratio: maiorem probat, nam quæ ad aliquid sunt, sic comparantur, vt cuius obiectum præcipuum, & illud sit præcipuum: minorem probat, infinitum non est scibile, ergo quo aliqua magis accedunt ad infinitũ, minus scibilia sunt, sed particularia magis accedũt ad infinitũ, vniuersale verò recedit, nam vniuersale vnum est, particularia multa, quod supra dicebat Porphyr. vniuersale esse magis collectiuum, quia quæ in multis inueniuntur dispersa, sub vnam colligit naturam, particularia verò diuisiua, quia in singulis natura separatur, erit ergo magis scibile vniuersale, multitudo enim cognitionem impedit, ac cõsequenter erit magis demõstrabile, & ipsius demonstratio potior.

12. *Amplius si magis eligenda, &c.*

4. Ratio. Quartum argumentum proponit, illa est demonstratio melior, qui plura cognoscimus, sed demonstratione vniuersali cognoscimus plura, quam particulari, ergo illa est potior: minor probatur, nã qui vniuersale cognoscit, cognoscit etiã singularia, non aũt qui particulare cognoscit, vniuersale cognoscit, vniuersale enim omnia singularia compræhendit, at singula inferiora non ipsum vniuersale totum continent: hic fit comparatio inter cognitionem vniuersalis & singulorum inferiorum, nam demonstratio particularis non fit de omnibus simul singularibus, sed de singulis per se.

13. *Amplius autem sic, vniuersale enim magis, &c.*

5. Ratio. Quintum argumentum est, potissima demonstratio est, quæ est per primum principium, ergo illa erit potior quę magis, accedit ad primum principium, sed vniuersalius magis accedit minus vniuersali, ergo illius demonstratio est potior. Verbigratia sit hæc propositio demonstranda, homo est substantia, puta D, est A, erunt in hac multa media, quædam minus vniuersalia C, animal, viuens, quędam magis vniuersalia B, vt corpus, tunc clarum est, quod magis vniuersalia accedunt propius ipsi immediato, vt magis viuens, quam animal, & corpus, quam viuens, ergo potior est demonstratio vniuersalis, quippè quæ magis accedit immediato.

Ex his argumentis dicit aliquot esse logica, non quod sua sibilia tantum sint, vt notat Philop. & S. Thom. sed quod ex communibus procedant, & non ex his quæ demonstrationi insunt, quales sunt tertia & quarta ratio, sunt enim ex locis communibus comparatis, & ex loco, plura bona sunt eligibiliora paucioribus, vt habetur tertio Ethicorum: ac proinde logica dicuntur, id est, communia.

14. *Maximè autem manifestum est, &c.*

6. Ratio. Sextum argumentum est, qui propositionem vniuersalẽ, cognoscit, etiã particulares illius scit, potentia tamen, vt superius dictum est, vt qui triangulum scit habere tres angulos, potentia etiam scit Isoschelẽ habere tres angulos, licet nõ aduertat hunc esse Isoschelem, at qui particulare cognoscit, nec potentia, nec actu cognoscit vniuersalem, cum particularis non cõtineat vniuersalem, ergo potior est demonstratio vniuersalis: dices, nónne hæc ratio erat quarta? dico non esse hanc, & illam eandem, nã quarta erat de ipso vniuersali simplici, qui enim ipsum cognoscit, inferiora cognoscit: hęc verò est de vniuersali complexo, puta de vniuersali propositione.

Nota duas rationes logicas, & quæ ex probabilibus, & ex cõmunibus, licet necessarijs.

15. *Et vniuersalis quidẽ intelligibilis est, &c.*

7. Ratio. Septimum, & vltimum argumentorum est, vniuersalis intellectu, singularis sensu perficitur, ergo potior est vniuersalis, cum cognitio intellectus sit præstantior.

Nota. Attende hic quod dicit, particularis demõstratio sensu perficitur, id est, in sensum desinit: nam sensus nõ percipit semper totã propositionẽ singularem, nempè cùm prædicatum non est sensibile, vt ille triangulus habet tres angulos æquales duóbus rectis, ratione enim prædicatum cognoscitur: sed sensus subiectum singulare discernit: at vniuersalis propositio secundum vtrumque extremũ, cum vniuersale sit, intellectu cognoscitur: propterea singularis definit in sensum, quia à prædicato ratione percepto in subiectum sensu cognitum, tanquam in vltimum venitur.

Attende præterea rationes has procedere cùm passionem cõmunẽ de subiecto cõmuni vel de singulis per se inferioribus demonstramus: hæc enim erat quæstio, vtra ex his demonstratio potior esset.

¶ *Demonstrationem affirmatiuam negatiua digniorem esse, atque ad scientiam magis idoneam.*

Caput. XXI.

TEXT. 1. QVod autem mõstratiua sit dignior priuatiua hinc manifestũ: sit enim hæc demonstratio melior (aliis esse existentibus) quæ est ex paucioribus petitionibus, aut suppositionibus, aut propositionibus: si enim notæ similiter sunt: celerius cognoscere per has inerit: hoc autem eligibilius est.

2. Ratio aũt propositionis, quod melior, quę ex minoribus, vniuersaliter hæc est: si enim cõsimiliter esset hoc, quod est, nota esse media, priora notiora essent. Sit demõstratio quidem per media B, C, D. quod A, ipsi E, inest quę verò per † F, G, quod A, ipsi D.

† 21. 1, 2, C

Consimiliter itaq; se habet, quod A, ipsi D, inest, & A, ipsi E, quod A, inest ipsi D, prius & notius est, quam quod A, ipsi E, per hoc enim illud demonstratur: credibilius autem est id, q̃ est per quod: igitur demonstratio, quæ per pauciora, est melior, aliis eisdem existentibus.

Ambæ igitur & per terminos tres propositiones duas monstrant: sed ha quidem esse aliquid accipit, illa verò & esse & non esse aliquid, per plura igitur, quare & peior est.

Præterea quoniam monstratum fuit, quod impossibile est, vt vtriq; existentibus priuatiuis propositionibus fiat syllogismus, sed hanc quidem oportet talem esse, illam verò, quod inest.

Amplius ad hoc oportet hoc accipere, prędicatiuas enim (aucta demõstratiõe) necessarium est fieri plures, priuatiuas verò impossibile est plures esse vna in omni syllogismo. Sit enim nulli inexistens ipsum A, in quot ipsum B, C, verò omni inexistens ipsum B, si verò oporteat rursus augere vtrasq; propositiones mediũ injiciendum, ipsius quidem A, B, sit D, ipsius verò B, C, E: E, quidem igitur manifestum, q̃ est prædicatiuũ, D, verò de B, quidem prædicatiuũ, ad A, verò vt primatium ponitur: D, enim de omnibus A, sũt nulli oportet eorum, quæ D, inesse: fit igitur vna priuatiua propositio, quæ est A, D. Idem verò modus & in alijs syllogismis: semper enim medium prædicatiuorum terminorum, prædicatiuum ad vtraque, priuatiui autem in altera priuatiuũ necessarium esse esse: quare hæc vna talis fit propositio, aliæ verò prædicatiuę.

Si igitur notius per quod monstratur & credibilius: mõstratur aũt priuatiua quidẽ per prædicatiuã: hoc aũt per illam nõ mõstratur: prior igitur & notior existens & credibilior melior vtique erit. 5.

Amplius, si principiũ syllogismi est vniuersalis, ppositio immediata: est autẽ in monstratiua quidem affirmatiua, in priuatiua verò negatiua vniuersalis propositio, affirmatiua autem negatiua prior & notior 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& notior, propter nanque affirmatio nem negatio nota. Et prior affirmatio, quemadmodum & ipsum esse ipso non esse: quare melius principiũ mon stratiuæ quam priuatiuæ, quę verò me lioribus principijs vtitur, melior est. Amplius principalior, sine enim mon strante non est priuatiua.

1. *Quòd autem monstratiua sit dignior, &c.*

Cõpara- affirmatiuæ de mõstrat. cum ne- gat.

ABsolut modo secund im quæstio- nem, nimirum affirmatiuam demõ strationem esse digniorem priuatiua, & facit primum argumentum tale. Demon stratio quæ paucioribus medijs indiget, vt ad immediata reducatur principia, di gnior est ea, quæ pluribus: cæteris tamen omnibus paribus, sed affirmatiua indiget paucioribus, quam negatiua: ergo illa est dignior. Nota quod dicit cæteris partibus, nempe quod vtraque sit ex veris, & necessarijs, & per se, nam si quæ procedit ex paucioribus non sit ex his, aut sit ex causis remotis, aut effectibus, non erit dignior: similiter quod vtraq; sumat æquales terminos, nam si negatiua sumit terminos superiores, affirmatiua inferiores, paucioribus medijs indigebit negatiua, debet igitur esse fors æqualis proportionaliter vtriusque in reliquis omnibus, & hoc aduerte.

1. Ratio.

Probatio maioris.

Probat maiorem dupliciter: primo in particulari, cũ sint æquè notæ vtræque propositiones vel nobis, vel natura, vel simpliciter, vt dicit Alber. vocat aũt has positiones, vel suppositiones, vel propositiones, id est, dignitates, vt ostẽdat varietatem demonstrationum, non enim omnes eisdem vtuntur principijs.

Probat igitur: dignius est citius cognoscere, quàm tardius, sed cũ propositiones omnes sint æquè notæ citius cognoscimus cũ pauciora sunt media, quàm cum plura, ergo dignius est cognoscere per ea quæ paucioribus indigent medijs: nã, vt dicit Philop. cũ actus potissimus intellectus sit simplex, quo rem absque discursu cognoscit, quo magis ad ipsum accedit ur, eo actus est perfectior, cuius adhuc rationẽ adducit Lyncon. illud enim est optimũ, quod nullo indiget, vt Deus est, reliqua, quo paucioribus indigent, perfectiora, & meliora sunt, vnde Arist. 2. cæli, ca 12. dicit eleganter: quãto res perfectiores sunt, tanto paucioribus actionibus suum bonũ consequuntur, vnde (inquit) Deo absq; vlla actione bonum inest, est enim ipsum bonũ, & felicitas: illis verò, qui propinqui sunt ipsi, per vnã, alijs remotis per plures, videmus etiam hoc in natura euenire, semper enim natura res in suam perfectionem inclinat per pauciores actiones inquãtũ potest: vnde elementa rectè in sua loca tendunt, quia linea recta est brevissima: hæc intelligẽ semper cæteris paribus, est enim melius per plures actiones maius cõsequi bonũ, quam paucioribus minus, colligitur ergo perfectius esse paucioribus medijs indigere, quàm pluribus, cùm cætera paria sunt, & propositiones æquè notæ.

2. *Ratio autem propositionis, quod melior sit, &c.*

Alia probationi uersalis eiusdem maioris.

Vniuersaliter probat modo illam maiorem, non limitando, quod propositiones sint similiter notæ, imò probat notiores esse & priores, quæ ex paucioribus sunt, & locus iste non parum est obscurus: ratio autem hæc est, sumatur propositio, homo est substantia, quæ demõstratur per tria media, primo per animal est substantia, secundo ista, per viuẽs est substantia, tertio hæc, per corpus est substantia: tunc clarũ est, quod potior est secunda demonstratio, scilicet, omne viuens est substantia, omne animal est viuens, ergo omne animal est substantia, quàm prima, scilicet omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia, quia secunda certior est prima: cùm enim præmissæ secũdæ sint certiores & priores conclusione, erunt etiam certiores principijs primæ, nam conclusio secundæ præmissa est prima: ob eandem rationem, tertia melior est secunda, vt notum est.

Sumatur præterea alia propositio, numerus

numerus est diuisibilis, quę duo media habet, scilicet quãtitas discreta est diuisibilis, & quãtitas est diuisibilis, tũc peto, ista assumdatur tertiæ, an secũdæ? notum est, quòd secundæ: cum duobus indigeat medijs, sed illa est certior & præstantior ergo & hæc; est igitur præstantior quę paucioribus indiget medijs: hęc ratio est valdè notanda, quam attigit Philopon. sed non plene. Aristo. verò solum vnam partem priorem posuit.

Dicit ergo, si similiter media cognita sint, idest, ex eadem coordinatione, tunc priora notiora sunt, & probat exemplo, sic, omne E. est A, scilicet omnis homo est substantia, per tria media B, C, D, nempè, animal, viuens, corpus, sit iterũ secunda propositio, omne D, est A, nempè omne animal est substantia per B, C, nempè per viuens, corpus, quæ propositio similiter se habet, id est, ex eadem coordinatione est.

Quãuis aliqui textus habeant F, G, media, vt sit diuersa propositio, vt supra diximus, sed melius est sequi nostrũ textum.

Tunc, inquit, melior erit & prior demonstratio D, A, quàm A, E, quia ista per illam probatur, hic est addenda altera pars argumenti, vt diximus, ex quo concludit vniuersaliter demonstrationem ex paucioribus certiorem & digniorem esse cæteris partibus, vt diximus: & præterea ne illa quæ ex pluribus medijs est, sit experientia etiam cognita, vel aliunde certitudo & dignitas adueniat, puta ex materia vel alia via.

Demonstratiõ prioris passionis, & subiecto viciniioris esse potioré ea q̃ est passionis remotioris

Ex his habes primo, quod demonstrationes passionum quæ magis accedunt subiecto, sunt potiores illis, quę magis recedunt, nam posteriores præsuppo nunt priores: habet etiam demonstratio nes subalternantium scientiarum esse potiores illis subalternatis, quarum principia per illas probantur, ob eandem rationẽ; & tandem potiores eas esse, quæ magis ad per se nota & immediata principia accedunt.

Vtraque quidẽ per terminos tres, &c.

Probatio minoris primi syllogismi.

Hactenus maiorem illius primi syllogismi probauit, nunc verò probat minorem, quòd negatiua demonstratio pluribus indigeat medijs, quàm affirmatiua: quia negatiua indiget propositionibus affirmatiuis & negatiuis vt demonstretur, at affirmatiua solis affirmatiuis, quamuis non plures termini sint in vna, quàm in alia: in omni enim demonstratione sunt tres: notant Philop. & Alber. & ferè alij omnes non esse intelligendum quod plura media numero habeat negatiua, quã affirmatiua, cùm vtraque æqualia habere possit, sed plura specie, nam aliud est ad concludendã affirmatiuam præmissam, aliud specie ad negatiuam: at in affirmatiua media sunt eiusdẽ rationis, nempè ad concludendas vtrasque præmissas, quæ affirmatiuæ sunt.

Dubium

Dices, Maiori non videtur correspondere minor, cùm maior sit de pluralitate mediorum etiam numero, vt probatum est in affirmatiuis illis omnibus: dubium verò hoc est magnum, & ego miror interpretes, quo modo locum hunc consulsum reliquerint.

Solutio.

Appollin. monet dubium, sed non soluit: dico, sequens expositionem Alber. isto capit. 3. esse aduertendũ, quod negatiua propositio pluribus medijs etiã numero indiget quàm affirmatiua, vt patet si sumamus similiter propositiones: sit affirmatiua distans à generalissimo per duo media, scilicet omne animal est substantia per viuens, & corpus: suma negatiuam de alio genere lissimo, scilicet nullum animal est qualitas, tunc inuenies tria media, viuẽs, corpus, substantia, minus enim distat omne subiectum à suo affirmatiuo immediato, quàm à suo negatiuo: cuius ratio est pulchra, quia ab affirmatiuo distat per intermedia sũbsumpta sub maiori extremo, at à negatiuo distat per intermedia eadem, & per omnia sua prædicata superiora, à quibus tale negatiuum prædicatum remouetur, & ista huius loci declaratio est.

Negatiũ propositionem plura numero habere media per q̃ probatur, ipsa affirmatiua.

subiectũ propius ab attributo abmouere esse affirmatiuo quam negatiuo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

4. *Amplius quoniam ostensum est, &c.*

Altera ratio. Nouum aliud argumentum hic possumus componere, sicut componit Them. ca. 41. quod tale sit: priuatiua demonstratio indiget affirmatiua, affirmatiua autē nō indiget negatiua, ergo illa est potior: antecedens pater, nam impossibile est q̄ negatiua sit vtraq; præmissa, sed vna saltem debet esse affirmatiua, at vtraq; propositio potest esse affirmatiua, tunc vlterius in augmētata demōstratione, id est, in prosyllogizatione demonstratiua, demonstrantes negatiuam præmissam ex vna tantū negatiua propositione, altera verò affirmatiua demōstrabimus, at præmissam affirmatiuam ex vtraq; affirmatiua, ergo indiget negatiua affirmatione.

Et iste est sensus illius: priuatinas in omni syllogismo plures vna esse nō posse: oportet enim alterā præmissam esse affirmatiuam, at affirmatiuas plures esse contingit.

Exemplo comprobat, sit demonstratio, nullum B, est A, omne C, est B, ergo nullū C, est A, si prosyllogizare oportet maiorem, oportet sumere medium D, de quo negetur A, sed quod affirmetur de B, sic, nullum D, est A, omne B, est D. ergo nullum B, est A, at si oportet minorē demonstrare, sumendum est medium affirmatiuū de vtroq;: puta E, omne E, est B, omne C, est E. ergo omne C, est B. & sic fit in alijs syllogismis, vnde concludit præmissam negatiuā ex vna affirmatiua verò ex vtraq; affirmatiua demonstrari, indiget ergo negatiua demonstratio affirmatiua, non è cōtra, ergo hæc est potior.

Si igitur notius est per q̄d demōstratur, &c.

5. cōclusio totius argumenti Hæc est conclusio totius argumenti, vnde patet non benè exposuisse Philoqui non rationem, sed corollarium præcedentia verba esse affirmauit, imò aliter interpretatur, quam dictum est, sed quæ diximus certiora sunt.

6. 3. Ratio. *Amplius si principium syllogismi.*

Tertium argumētum ad idem probandum hæc est, quarū principia immediata sunt potiora, & demōstrationes sunt potiores, sed principia affirmatiuæ demonstrationis sunt potiora principijs negatiuæ, ergo illa potior est: minor probatur, principiū negatiuè est immediata affirmatiua, principiū affirmatiuæ est immediata negatiua, affirmatio verò prior est negatione, sicut esse prius est, quàm non esse, vnde cōcludit repetendo secundam rationē, esse affirmatiuam digniorem.

Obiect. Dices, quomodo esse prius est nō esse, cum prius res non fuerit quàm sit? dico in particulari sumēdo, prius est hanc rem non esse, quàm esse, tamen communiter & à toto genere semper ens præcesit natura non ens, nam si nihil esset, nihil fieri posset, propterea Deus ab æterno est.

Dilutio. Esse vt dicat prius ipso non esse.

Alia obiectio. Dices, quomodo affirmatio dicitur prior negatione? cum vtraque sit species: hoc soluimus lib. de interpretatione, vbi etiā hūc locū explicuimus, illic vide latè.

Vide solution. in lib. de interpr.

¶ *Demonstratione ostensiuam, illa, quæ ducit ad incommodum potiorem esse.*

Caput. XXII.

TEXT.

QVoniam verò prædicatiua priuatiua melior est, planum quòd & ad impossibile ducente: oportet autem scire, quæ est differentia ipsarum. 1.

Si itaq; A, inexistens nulli B, ipsi verò C, omni ipsum B, necesse vtriq; eorum, quæ C, nulli inesse ipsum A. Sic igitur acceptis, ostēsiua vtriq; priuatiua esset demonstratio, quod A, ipsi C, nō ineſt: quæ verò ad impossibile ita se habet, si oporteat monstrare, quòd A, ipsi B, non ineſt, accipiendū est A, inesse ipsi B, & B, ipsi C, quare contingit A, ipsi C, inesse. Hoc autem sit notū & confessum, quòd impossibile: non igitur potest A, ipsi B, ineſſe si igitur B, ipsi C, confessum est ineſſe A, ipsi B, impossibile est ineſſe. 2.

Termini igitur cōsimiliter ordinantur. Differt autē vtra sit notior propositio priuatiua, vtrum q. A, ipsi B, non ineſt, an q. A, ipsi C, cū igitur cōclusio est notior, quòd non est quæ ad impossibile, fit demonstratio, cum autē in syllogismo 3.

logismo sit, demonstratiua est.

4. Natura autē prior est, quòd A, ipsi B, quàm quod A, ipsi C, ineſt: priora enim sunt cōclusione, ex quibus est cōclusio, est autē A, ipsi C, nō ineſſe cōclusio. A, verò ipsi B, ex quo est cōclusio.

5. Non enim si contingit ablatū esse aliquid, hoc est conclusio, illo verò ex quibus sunt, sed hoc quidem est, ex quo syllogismus est, qui vtiq; sic se habet, vt aut totius ad partem, aut partis ad totum habeat rationem: sed A, C, & A, B, propositiones non se habent ita inter se.

6. Si igitur quæ ex notioribus & priorib⁹ melior: sunt autem ambæ ex eo. q̄ non sit aliquid, credibiles, sed hęc quidem ex priori, illa verò ex posteriori: melior simpliciter vtiq; erit priuatiua demonstratio ea, quæ est ad impossibile, quare & quæ hac melior prædicatiua, est manifestum, quòd & ea, qua ad impossibile est melior.

7. *Et ad impossibile ducente: oportet autem scire, &c.*

Cōparatio demonstrationis ostēsiuæ, & ad impossibile. Determinat quęstionem tertiā nempe ostensiuam esse potiorē ea quæ ad impossibile ducit, sunt autem hæc verba continua cum illis capitis præcedentis, vt oratio sit (quòd quidem prædicatiua dignior priuatiua manifestum est, & ad impossibile ducente) sensus est, cum prædicatiua sit potior negatiua, hæc verò sit potior ducente ad impossibile, etiā prædicatiua erit: potior illa, & ita omnis ostensiua tam prædicatiua, quàm negatiua erit potior ducente ad impossibile: ante tamen, quàm probetur, differentiam vtriusque constituit.

Quid demōstratio ostensiua. Diximus autem latè. 2. prior. cap. 14. ostensiuam demonstrationem esse, cum aliquam propositionem sine affirmatiuā, siue negatiuam demonstramus, per sua principia ipsam inferendo.

Quid demonstratio ad impossibile At demonstratio ad impossibile est, cū propositionem aliquam non per se, at suam oppositam falsam ostendendo, veram esse probamus: modus autē probandi est, sumendo oppositā probandæ cum aliqua præmissa alia manifestè vera, & inferendo cōclusionem falsam in bona cōsequētia, vt inde colligatur talis præmissa falsa, cum falsum ex falsa sequatur, at tandem illa prima, ꝓpositio vera. verbigratia, sit ista probanda ad impossibile, nullus homo est irrationalis, sumam eius oppositam cum præmissa clarè vera, sic, omnis homo est irrationalis, omne animal rationale est homo, inſero, ergo omne animal rationale est irrationale: consequentia est bona, conclusio falsa, ergo & aliqua præmissa, non minor, ergo maior ergo eius opposita negatiua erat vera, cū non contingat in materia necessaria cōtrarias simul esse falsas, aut simul veras. Sicut negatiuam propositionē demonstramus, ita affirmatiuā, sumendo oppositā negatiuam, demōstrare poterimus.

Cur demōstratio ad impos

Aristot. verò vtitur negatiua tantum, quia vult solum probare modo negatiuā ostensiuam esse potiorem ducenti ad impossibile, nā inde probatur quòd etiam affirmatiua sit ea potior, cum sit potior quàm negatiua.

Si igitur A, in nullo B, &c. 7.

Exemplum ponit ostensiuæ negatiuæ tale, nullum B, est A, omne C, est B, ergo nullum C, est A. At verò nō sic est ad impossibile, vt patet hoc exemplo, si velit aliquis demonstrare illam propositionē quæ erat maior syllogismi ostensiui, nempe nullum B, est A, ad impossibile, sic demonstrabit, sumendo oppositam, omne B, est A, & aliam clarè veram, scilicet omne C, est B, inferatur, ergo omne C, est A quæ sit falsa, nam cum hęc sit falsa, aliqua erit præmissa falsa, non minor, quia nota, ergo maior, omne B, est A, erat ergo opposita vera nullum B, est A.

Vbi aduerte, quòd oportet illam propositionem quę coassumitur cum opposita probandæ esse notam, vel quia manifestè vera, vel quia data à respōdente, alias non demonstrabitur ad impossibile, nam respondens dicet nō oppositā probandæ, sed coassumptam esse falsam: ad-

sibile cõ uerte etiam quòd hic non sumit contrariam, dictoriam oppositam, quamuis id velit non autẽ Philop. non enim esset demonstratio, cũ contradi propositiones non essent de omni, sed sucentẽ ac nuit contrariam, quia in materia necessaripat, p- ria particularis vel indefinita æquiualet positiõis uniuersali, & si una est uera, altera falsa, pbandę sicut in contradictorijs, & contrà, si una falsa, altera uera est.

3. *Termini igitur similiter ordinantur, &c.*

Similitudinem inter utramq; demonstrationẽ assignat, nẽpe in ordinatione terminorum: sicut enim tres termini secundum figuram in ostensiua ordinãtur, ita in demõstratione ad impossibile sunt tres termini secundum figuram aliquam dispositi, quamuis nõ eodem modo utraque conclusionem probet, ut dictum est, sed differunt hæ demonstrationes in negatiua propositione, in quo termino, & qualis sit.

Nota. In syllogismo ostẽsiuo negatiuo, & syllogismo ad impossibile ducẽte esse ꝓpositionem negatiuam

Propter quod aduerte quòd in syllogismo illo ostensiuo est una præmissa negatiua, puta maior, nullũ B, est A, in qua maius extremum de medio prædicatur, in syllogismo verò ad impossibile est etiam una negatiua, puta opposita conclusionis falsæ illatæ, ex cuius veritate colligimus conclusionem falsam, ut si dicas, omnis homo est irrationalis, omne rationale est homo, ergo rationale est irrationale, at nullum rationale est irrationale, ergo conclusio est falsa, & per cõsequẽs aliqua præmissa. Vide igitur quomodo in hac demonstratione est illa negatiua, nullũ rationale est irrationale, quæ est ex maiori extremo de minori negato, quod dicitur nullum C, est A.

Dicit modo Aristo. cum talis negatiua est notior, quàm negatiua maior ostẽsiui, possumus per hanc probare ad impossibile illam maiorem, at cum maior est notior, manebit demonstratio ostensiua, non ad impossibile, verbi gratia, si quis velit probare ad impossibile, nullus homo est irrationalis, si dicet: omnis homo est irrationalis, omne animal rationale est homo, ergo omne animal rationale est irrationale, sed nullum animal rationale est irrationale, ergo conclusio falsa, & aliqua præmissa: ita est bona demonstratio, quia notius est nullũ animal rationale esse irrationale, quàm nullum hominem esse irrationalem, propter expressam repugnantiam: quòd si non esset notior hæc negatiua, non possemus aliã probare, quia utranque admittere nollet quis, sed falsam concederet.

Sensus clarus est, sicut in syllogismo ad impossibile propositio coassumpta cũ opposita probãdæ debet esse clarè uera, ne ei falsitas conclusionis attribuatur, ita & conclusio clarè falsa, & eius oppositа manifestè uera, ne aliquis etiam conclusionem dicat esse veram & oppositã falsam: in probatione ergo ad impossibile negatiua est clarior, quàm negatiua præmissa demonstrationis ostensiuæ. Aduerte igitur literam: dicit enim quòd differt, in quo, & qualis sit notior prmatiua, id est, utra negatiua sit notior, an quæ est syllogismi ostensiui maior, puta illa, nullum B, est A, an quæ est oppositа conclusioni ex qua est syllogismus ad impossibile, puta nullum C, est A, si hæc enim quæ conclusio dicitur notior est, fiet syllogismus ad impossibile, cum verò ea quę in syllogismo ostensiuo erat notior est, fit tantum ille ostensiuus & non ad impossibile, propter rationem quã dedimus.

4. *Natura autem prior est, &c.*

At quamuis negatiua syllogismi ad impossibile sit notior, natura tamen prior est illa maior ostensiui, nempe prior est, nullum B, est A, quæ erat maior, quàm nullum C, est A, quæ erat in syllogismo ad impossibile, quod probat, quia hęc est conclusio syllogismi illius ostensiui, cuius maior probatur, puta nullum B, est A, omne C, est B, ergo nullum C, est A, conclusio autem posterior est naturapropositionibus in vera demonstratione.

Et nota artificium Aristo. quod aliqui non intelligentes vitio dederunt, ut meminit Philop. hi enim eum reprehendebant, quia in syllogismo ad impossibile non

non probatur maior ostensiui, sed eadẽ conclusio, & non aduertunt quod Arist. non probat illam ut maiorem sed ut quãdam propositionem, ut alia sit quæ probatur ostensiuè, alia quę ad impossibile, sed illam in syllogismo & demõstratione sumpsit, ut melius ostenderet negatiuam in syllogismo ad impossibile esse illa posteriorem natura, cum ex illa ostensiue propter quid demonstretur.

Quãdo demonstratio ad impossibile vtaturne negatiua natura posteriori.

Nec oportet te intelligere semper demonstrationem ad impossibile procedere ex negatiua posteriori natura, nisi cũ illa, ex qua syllogismus ostensiuus sit, est in demonstratione propter quid.

Dices, nónne si illa non esset in demonstratione propter quid, tunc negatiua demonstrationis ad impossibile esset prior? dico, esset quidem, sed hic de demõstratione potissima, quæ per causam est, loquimur.

5. *Non enim si contingit remoueri, &c.*

Dubium

Posset quis dubitare, quomodo, si per illam conclusionem negatiuam ad impossibile probamus maiorem illam negatiuã posse esse quòd ista sit prior, ex qua enim probamus, posterior erit: respõdet, non ideirco quòd ex illa conclusione negatiua remoueamus oppositã prædictæ maioris, maior habebit rationem cõclusionis illatæ ex illis tanquam ex causis & præmissis, hoc enim fieret si talis maior esset sub illa negatiua sumpta sicut pars sub toto, id est, sicut particulare suo uniuersali, at non sic sumitur, nullum B, est A, sub illa, nullum C, est A, sed potius contra, ut dictum est.

6. *Si igitur ex dignioribus, &c.*

Prob. cõclusio.

Argumentum colligit quo intentã conclusionẽ probat, potior est demõstratio quę ex priorib⁹ & certiõribus natura procedit, quam ea, quæ non sic se habet, at negatiua ostensiua est ex priorib⁹ & credibiliorib⁹ natura, quàm quę ducit ad impossibile ut notum est, ergo erit præstantior illa, affirmatiua verò est potior negatiua, ergo erit etiã potior ducenti ad impossibile, est ergo omnis ostẽsiua potior.

¶ *Quæ scientia certior ac prior sit: qua una quæque diuersæ inter se scientiæ sint. Et quòd eiusdẽ plures esse demonstrationes possint.*

Caput. XXIII.

TEXT.

SCientia aũt est certior & prior scientia, quę ipsius quòd, & propter quid est eadem, sed non ea, quæ seorsum ipsius q. ab ea, quæ propter quid: & quæ non de subiecto est ea, quæ de subiecto, ut Arithmetica Harmonica: & quæ ex paucioribus ea, quæ est ex appositione, ut Arithmetica Geometria. 1.

Dico autem ex appositione, ut unitas est substantia sine positione, punctus verò substãtia cum positione, hoc autem ex appositione. 2.

Vna autem scientia est, quæ est unius generis quæcunque ex primis cõponuntur, & partes sunt, aut passiones horum per se. 3.

Altera verò scientia est ab altera, quarumcunq; principia, neque ex ijsdem, neq; alterę ex alteris sunt: huius autem signum, cum ad indemõstrabilia venerit: oportet enim ipsa in eodẽ genere esse cum his, quæ demonstrantur: signum autẽ & huius, cum ea, quæ monstrantur per ipsa, in eodem genere sint, & cognata. 4.

Plures aũt demõstrationes esse eiusdem euenit, non solũ ex eadẽ coordinatione accipienti non cõtinuum medium, (ut eorũ, quæ A, B, C: & D, & E,) sed & ex altero, ut sit A, transmutari, in quo aũt D, moueri, ipsum verò B, lætari, & rursus E, quiescere. Verũ est igitur & D, de B, & A, de D, prædicari: nã quod lætatur mouetur, & qđ mouetur trãsmutatur: rursus A, de E, & E, de B, verũ prædicari: quare p altera media, & nõ ex eadẽ coordinatione syllogismus est, nõ tamẽ, ut neutrũ de neutro dicatur mediorũ: necesse est enim eidẽ alicui ambo inesse. Cõsiderãdũ aũt est & per alias figuras, quot modis contingit eiusdem fieri syllogismum. 5.

Certior autem est scientia, &c.

Intentio Arist. 1. Theo.

NVNC tandem de ipso effectu demonstrationis, nempè de scientia disserit, ac tria theoremata in cap. præsenti ponit notatu digna: quorum primum est, Vna scientia dicitur certior & prior alia tripliciter, primò illa certior est quæ quia & propter quid simul docet, id est, quæ veritatem, & eius causam docet, quam ea, quæ solum quia, id est, veritatem docet, sed extra propter quid, id est, sine causa: vel ab effectu, vel a signo, vel à causa remota.

Tripliciter vna scientia certior & prior alia.

Secũda scientia certior est quę nó est de subiecto, quã quæ est de subiecto: notat Philo. nõ debere vocari scientiã quæ nó est de subiecto, singulariẽ, sicut in cap. de substantia: sed vocat scientiã non esse de subiecto quę tractat de re abstracta à subiecto: subiectũ vocat materiam sensibilẽ, vt notat S. Tho. Alb. Aeg. & Auerr. vnde scientia quæ abstrahit à materia sensibili certior est illa, quæ considerat res in materia sensibili, vt Geometria quam Perspectiua, & Arithmetica, quam Musica notior est: nam Geometria, & Arithmetica sunt magis abstractæ: similiter Metaphysica, & Mathematica certiores, quam Physica sunt, quippè quæ à materia sensibili abstrahant: huius certitudinis Auer. reddit rationem: nam quanto res est materialior, tanto magis expolita est prædicatis per accidens, quæ impediunt scientiam; vt triangulus in materia sensibili, id est, æneus vel terreus, est albus, calidus, & similia per accidens, à quibus liberatur abstrahens à materia huiusmodi.

Tertio. Scientia quę ex additione est, minus est certa, quã ea quæ non est ex additione, vt Arithmetica certior est quã Geometria, nã principiũ Arithmeticæ, puta vnitas, est sine positione, at principium Geometriæ, nempè punctũ, dicit positionem, positio aũt est ordo partium in ordine ad locum, quã positionem habet continuum permanens, de quo agit Geometria, non autem discretũ, de quo est Arithmetica: quare illa certior, non

Dubium

enim exponitur prędicatis per accidens, quæ ex situ & loco oriuntur. Dices, nónne iste modus certitudinis est idem qui præcedens? respondet Aegid. & benè, nó esse eundem, nam illic consideratur abstractio à materia sensibili, hic alia abstractio, à continuo & positione.

Solutio.

Dico autem ex additione, vt vnitas, &c.

2. Geometria est ex additione ad Arithmeticam.

Explicat & probat quod Geometria sit ex additione ad Arithmeticam, per principia ipsarum, nam principium Geometriæ est punctum, hoc autem est substantia posita, id est, habens positionem: non intelligas quod punctũ secundum se positionem habeat, cùm non secundum se sit in loco, sed secundum corpus, quod superficiebus, lineis, & punctis terminatur: vnitas verò est substantia sine positione, ergo propterea abstractior est & minus ex additione.

Punctum qũo habeat positionẽ.

Dubitat Philopo. nam videtur quòd vnitas sit ex additione, nã illud quod dicitur, sine additione, additum est: respondet non esse id adiunctum aliquod, sed tantũ dicere negationem positionis, negatio autem non est additio realis.

Dubium

Dubitabis, quomodo punctũ & vnitas dicãtur substantia, cũ accidentia sint: respondet Philop. id secundum Pythagoricos dictum esse, existimabãt enim lineas, puncta, superficies, & cętera esse rerũ substãrias, de quo disputat 3. Meta. ca. 5. & etiam secundum eos vocat substantias. 5. Meta. c. 8. At S. Tho. id secundũ Platonicos dictum esse censet. Vtraq; opinio & S. Tho. & Philop. vera est, nam tam Platonici, quàm Pythagorici fuerunt huius sententiæ, vt habetur. 1. Meta. tex. 24.

Dubium alterum.

Solut. 1.

Aliter alij exponunt, vt per substantiam intelligamus naturã tam substãtię, quam accidentis, vt sumitur. 1. cap. antepræd. & ita exponit Alb.

Alia solutio.

Alij per substantiam idem quod indiuisibile intelligunt, inter hos est Auerr. Alij per substantiam intelligunt veram substantiam, sed hæc dicuntur substantia, quia eis ablatis substantia destruitur, ita exponit Aegid. quælibet ex his congruã expo-

3. Alberi
4. Auerr.

sitio, prima mihi maximè placet.

Nota. Certitudinẽ scię tiarũ dupliciex causa sui.

Circa has certitudines tres, aduerte ex Alber. & S. Tho. quod dupliciter potest sumi certitudo in scientia, vno modo ex parte rei, altero modo ex parte modi cognitionis: ex parte rei, quanto res est immaterialior & simplicior, tanto eius cognitio est certior, vt dicit Auerr. materia enim obstat cognitioni, cũ materialibus multa per accidens insint; ex parte verò modi, cũ res per causam cognoscitur, eius est certior cognitio, potior tamen est hęc prioris nec decipiaris existimans idem esse dignitatem & certitudinem, nam dignitas potius à rei nobilitate, quam ab immaterialitate, vel à modo cognoscendi sumitur, cùm igitur hæc duplex sit certitudo, prior duobus vltimis modis continetur, posterior verò in prima, vt explicatum est.

3. *Vna autem scientia est, quæ est vnius generis, &c.*

Deunitate scientiarũ secundum Theor.

Secundum Theorema constituit, de vnitate & diuersitate scientiarum: loquitur autem non de scientia peculiari alicuius conclusionis, sed de generali habitu scientiæ. Alber. autem, S. Tho. Aegid. & alij nonnulli, sic exponere videntur, vt Aristo. velit quatuor ostendere, quæ sub vna scientia cõtinentur, quorum primũ est, vnicum commune obiectum cõprehendens omnia quæ sub tali scięntia sunt, sicut est corpus naturale in Physica, ens in Metaphysica, & tale vocant genus scientiæ: hoc autem debet esse vnum, vel vniuocum, vel saltem analogum: analogia enim non impedit scientiam, vt expresse docet Aris. 4. Meta. ca. 2. alterum est, principia scientiæ; sunt enim in qualibet scientia propositiones per se notæ & indemonstrabiles in illa, ex quibus procedãt eius demonstrationes, vt superius est dictum: tertium est, partes illius subiecti, per partes intelligunt species inferiores subiecto, vt Physicus non solum corpus naturale, sed etiam ipsius species puta animalia, planetas, & reliqua mixta, & horũ species considerat, vt docet Aris.

1. Expo. D. Tho. Alber. & aliorum.

4. Metaph. cap. 2. species, inquit, & species specierum vnius scientiæ genere est considerare: per partes etiam intelligũt partes essentiales & integrales subiecti, & inferiorum subiecti, quas omnes vna scientia considerat. Physici enim est considerare partes corporis naturalis, materiam & formam, partes animalium, & plantarum, & reliquorum corporum naturaliũ similiter quartum est, passiones subiecti & inferiorum subiecti, & partium eorum, vt notum est in qualibet scientia: sic illi exponunt, & sine dubio doctrina est verissima, maximeque notãda, quamuis non ita videatur textui respondere.

2. Expo. Philop.

Philop. aliter literam hanc interpretatur, vt sit sensus: vna scięntia dicitur, quæ versatur circa vnum genus theorematũ, id est, conclusionũ demonstrabiliũ: sunt autem theoremata vnius generis, quę cõstant ex eisdem principijs illius generis, sicut Geometria theoremata omnia fiũt ex lineis, ex triangulis, ex figuris, vel ex alijs, quæ sub genere Geometriæ continentur, puta continuo: similiter omnia sunt ex eisdem principijs & dignitatibus illius subiecti: præterea sunt vnius generis partes & passiones horum, nempè principiorum, vel theorematum: partes principiorũ sunt partes integrãtes vel essentiales subiectorum, vt partes circulorum, quadratorum, corporum: passiones principiorũ, vt passiones linearum, quę sunt principia figurarum, scilicet frangi, concurrere, & similia.

Intelligere etiã possumus partes theorematum, aliquando enim multæ veritates simul demonstrantur, quarum singulæ dicuntur partes theorematis illius: vt demõstrat Euclid. angulos æquicruris qui sunt ad basim esse æquales, & qui sunt extra basim esse æquales etiam, sunt ista duo, quorum singula dicuntur partes: etiã intelligere possumus passiones theorematum, quæ sunt illæ, quæ ad veritatem demonstratam consequuntur, quale illud est quod ex dicto theoremate sequitur, nempè angulos extra basim æquicru-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ris esse maiores ijs, qui sunt intra basim: sunt etiam alia multa quæ ex varijs theorematis demonstratis sequuntur.

Ita exponit Philop. & benè, quamuis breuius forsan ponimus Arist. interpretari, vt sit sensus: Quotia vna est quæ est vnius generis, id est, quæ de ijs quæ sunt eiusdem generis tractat explicat autem quæ dicãtur eiusdem generis, & dicit ea esse quæ ex eisdem principijs fiunt, vt homo, leo, planta, & mixta, ac elementa eiusdem generis dicũtur, cùm ex eisdem principijs fiant, sunt enim ex materia & forma: subdit passiones horum, quæ ex eisdem principijs fiunt, nempè ex principijs subiecti scientię, esse eiusdem etiam generis, vt in vna scientia sit subiectum, eius principia, & passiones, & ea quæ eisdem principijs constant: per partes autẽ idem quod per passiones intelligit, & sic patet sensus literæ.

4 De diuersitate scientiarũ.

Altera aũt scientia est ab altera, &c.

Diuersitatem scientiarum modo constituit, dicens scientias esse diuersas, quæ tractant de rebus quæ non fiunt ex eisdẽ principijs, nec principia vnius fiũt ex principijs alterius, sicut Physica & Mathematica, habent enim principia diuersa: illa enim quæ tractat de ijs quorũ principia sunt ex eisdẽ sicut principia hominis, leonis, & equi sunt ex eisdem primis, vt ex materia & forma, nõ faciunt diuersas scientias: similiter ea, quorum principia vnius fiunt ex alijs, vt hominis principia ex principijs generis animalis, nõ faciũt diuersam scientiam: quamuis ista possemus intelligere de principijs complexis & cognitionis, sed idem est sensus.

Ponit autem duo signa, alterum vt resoluamus res in vltima principia sua, & sic cognoscemus an ex eisdem principijs res fiant, vt equum in materiam & formam, figuram in lineas: quæ cùm diuersa sint principia, ad diuersas pertinebunt scientias, alterum signum est ad cognoscendum ipsum principium an sit diuersum, nempe cùm non fuerit eiusdem generis, & proximum & cognatum cum ipso principiato: sunt enim principia & ea, quæ ex principijs fiunt eiusdem generis: hæc etiam intellige de principijs cõplexis & conclusionibus.

Plures aũt demonstrationes eiusdẽ, &c. 5. Tertium theore.

Hoc est tertiũ theorema, in quo, quantum mihi videtur, rationẽ reddere videtur quare per principia assignauerit scientiarum diuersitatẽ, docetq; vnius rei plures posse esse demonstrationes, non solũ ex vno ordine, sed etiam ex diuerso: in quo manifestat posse de eadem re varias esse scientias, ac proinde melius per principia diuersitatem earum assignari.

Dicit ergo: Plures possunt esse demonstrationes vnius, non solùm accipiendo medium non continuum ex eodem ordine, sed etiam accipiendo ex diuerso. In primus per eundẽ ordinem intelligit eandem generis coordinationem: vt omne B, est A, potest demonstrari per C, & per D, & per E, nempè homo est substantia, per animal, viuens, corpus per media diuersi ordinis intelligit media nõ inuicẽ ordinata, sicut Themist. dicit, bipes & rationale, per quę demõstratur animal.

Sed dices, quid per medium non continuum intelligit? aliqui intelligunt medium mediatum, sicut viuẽs est hominis: aliqui medium in diuerso syllogismo, nõ continuum dicunt: at cùm in eodem syllogismo plura media disponuntur, sicut fit in conglobato syllogismo, dicũtur continua, vt omne corpus est substantia, & omne viuens corpus, & omne animal viuens, & omnis homo animal, ergo omnis homo est substantia. Medium nõ continuũ quid nam hoc loco dicatur.

Sed iudicio meo per non continuum medio in eodẽ ordine intelligit mediatum sũpremo in affirmãdo, vt sit sensus, ad probandũ omnem hominẽ esse substantiam plura media ordinata inuenimus, sed mediata, vnicum est enim immediatum; nempè corpus ipsum.

Vt sit A, transmutari, in quo autem D, moueri, &c. 6.

Ponit exemplum demõstrationis per plura media diuersi ordinis, sit conclusio omne

omne lætans transmutatur, omne B. est A. sint duo media, mouẽs. D. & quiescẽs, E. tunc dicet omne D. est A. omne B. est D. ergo omne B. est A. id est, omne quod mouetur, transmutatur, omne lætãs mouetur, ergo omne lætans transmutatur, similiter etiam dicetur, omne E. est A. omne B. est E. ergo omne B. est A. id est, omne quiescens transmutatur.

Dubium

Dubitatur quomodo quiescens transmutatur, & quomodo lætãs dicetur quiescere & transmutari, sunt ad hoc innumeræ solutiones, tamẽ quæ mihi magis ad rem facere videtur, est, vt hic sumantur aptitudinaliter ista, vt sit sensus, q. lætans aptum est moueri & quiescere, licet non simul quiescat ac moueatur, ac ob eam causam est mutabile, loquitur enim de lætitia sensibili, similiter iste est sensus illius maioris, quiescens mutatur, id est, est mutabile, nulli enim quies inest, cui non insit & motus & mutatio aptitudine, est enim idem oppositorum subiectum. Solutio.

7. *Non tamẽ est neutrũ de neutro, &c.*

Cùm media diuersi ordinis eiusdẽ esse docuisset, ostendit non esse adeò diuersa media, quin prædicentur inuicem, nam eidem alicui insunt, inter se ergo prædicantur, quamuis non essentialiter vt quiescens mouetur, id est, cui quies inest, motus inest, aliqui legunt, quod non prædicentur, sed existimo melius legi, sicut expositum est, tandem concludit posse etiam in alijs figurarum modis per plura vnum demonstrari.

QVÆSTIO I.

Circa capit. 23.

1 argum. Occurrunt aliquæ difficultates in hoc capite: est autem argumentum primum, si vna scientia esset, quæ vnius est generis, sequeretur quod vnica esset scientia de substantia, quæ vnum genus est, consequens autem est falsum, quam alia scientia, est Medicina, alia Physica, alia Astrologia, alia de Angelis, quæ tamen omnia sub vno substantiæ genere continentur.

Secundò, si eiusdem scientiæ esset cõsiderare genus & ipsius species, sequeretur quod Metaphysica quæ de substantia tractat, & de alijs generibus, omnes species rerum consideraret, nullaq; scientia reliqua esset, quod falsum est. 2 argum.

Tertiò, si scientiæ diuersæ diuersa habẽt principia, ergo non essent eadem principia cõmunia multis scientijs, hoc verò falsum est, nã sunt dignitates multis, & aliquæ omnibus scientijs communes. 3 argum.

Quartò, si vna conclusio potest multa habere media, ergo augentur demonstrationes ex parte mediorũ, cuius oppositum docuit Aristot. cap. 9. superiori, vt dictum est, hæc sunt quæ præcipuè explicare oportet in capite isto. 4 argum.

Circa argumentum primum oportet aliquot præmittere fundamenta & conclusiones, primum sit, triplicem esse vnitatem in scientijs, sicut in alijs accidentibus, est enim vnitas numerica, specifica, & generica, scientiæ distinguũtur numero penes subiecta quibus inhærent, vt enim alia est albedo tua, alia illius, propter diuersitatem subiectorũ, ita alia Dialectica huius, alia illius, similiter de alijs scientijs, de hac autem vnitate non est sermo in præsenti, sed de vnitate specifica & generica, & hæc ab obiectis, id est, à rebus, de quibus scientiæ tractant, sumitur: sunt enim diuersæ scientiæ secundum diuersitatem rerum, de quibus sunt, cuius rationem dat sanctus Thomas: scire enim est quædam operatio animæ in res, vt igitur motus sumunt speciem à terminis ad quos sunt, ita scientiæ ab obiectis. 1 fund. Triplex vnitas, numerica, specifica, generica.

Sit secundum fundamentum, aliter se habet res seu obiectum, quod scitur ad intellectum, aliter res quæ sentitur ad sensum, res enim sentitur secundũ quod est, nempè singularis, in loco, præsens, & cum alijs conditionibus, at res non intelligitur sicut est, sed abstracta in vniuersali à conditionibus materialibus, vnde vt 2 fund. Res alio modo se ad sensũ alio ad intellectũ habere.

scien-

Universidad de Deusto
Biblioteca

scientia sit, opus est, vt sit aliqua res, quæ cognoscatur, & sic quædã necessaria conditio, nempè quod sit abstracta à materia, sicut ignis non comburit, nisi sit aliqua materia, & proxima, ex quo fit, vt qui dicit aliquid esse scibile, dicat non solũ rẽ cuius scientia est, sed etiã cõditionem quæ est abstractio, quam Caiet. vocat rationem formalem sub qua: non est igitur diuersitas scientiarũ tantùm in diuersitate rerum secundum se, sed simul cũ diuersa abstractione, & hoc est quod dicunt Metaphysici, scientias distingui secundum diuersitatem rerum formalẽ in ratione scibili, id est, secundum abstractionem variam, res enim constituntur in genere scibili per abstractionẽ, potestq; esse vt sit vnum genus entis & diuersa genera scibilia, sicut corpus, & angelus vnius generis sunt in genere rei, tamẽ duo in genere scibili, quia magis abstractus est angelus, quã corpus. similiter potest esse, quod sint duo genera secundũ rem, & vnum in genere scibili, quia nimirum habent eandem abstractionem, vt planta, & animal: differentia ergo varians, & & constituens scientias est abstractio.

Abstractio est differẽtia constituens scientias.

3. fundam. Triplex materia. singularis, sensibilis, intelligibilis.

Sit tertium fundamentum, materiam esse triplicem, quandam singularem, nempè conditiones individuantes, in quibus naturę specificę sunt extra intellectum, quandam sensibilem, scilicet qualitates elementares, & quæ ex his proueniunt, cum quibus substantiæ corporeę cõmixtæ inueniuntur, tertia est materia intelligibilis, nempè magnitudo, in qua figuræ geometricę fiunt.

Quinq; gradus abstractionum. Primus.

Secundũ hanc materiã triplicẽ quinque gradus abstractionum sumi possunt, primus à materia singulari, sed nõ sensibili, rerũ quæ abstrahi nõ possunt à materia sensibili, quales sunt substãtiæ istæ naturales, nõ enim absque qualitatibus sensibilibus possunt consistere, secũdum quam abstractionem sumitur Physica.

Secundus.

Secũdus est à materia singulari, sed nõ sensibili, earum tamen rerum quæ à sensibili abstrahi poterant, vt Perspectiua & Musica, & similes, hæ enim non abstrahunt à sensibili materia, non sicut Physica, nam illæ sunt de rebus quæ possent à sensibili abstrahi, hæc verò non.

Tertius. Tertius est à materia sensibili, sed non intelligibili, qualis Geometria, considerat enim figuras non subiectas qualitatibus, tamen in magnitudine, quæ est materia intelligibilis.

Quartus. Quartus est, vt ait Aegid. ab intelligibili secundum rationem, sed no realiter, talis est Arithmetica, quæ tractat de numero abstrahendo à magnitudine secundum rationem, quamuis realiter numerus sit in corporibus.

Quintus. Quintus est à materia intelligibili secundum rem, sicut Metaphysica, quæ agit de his, quæ realiter non habent quantitatem, nempè de intelligẽtijs, & de Deo, quamuis non secundum omnẽ partem Metaphysica realiter abstrahat, cũ tractet de communibus etiam rebus sensibilibus: hi igitur sunt varij abstractionũ gradus notandi, secundum quos scientiarum diuersitas sumenda est.

1. concl. Diuersitatem generum scientiarum sumi ex diuersitate rerũ & abstractionũ. Est igitur prior cõclusio: diuersitas generica scientiarũ sumitur ex diuersitate rerũ, & simul diuersitate abstractionum, id est, scientiæ dicãtur genere diuersæ, quæ cũ de diuersis rebus sint, varias habẽt abstractiones. vnde Perspectiua, & Geometria dicũtur nõ diuersę generę, licet varia sit abstractio, quia sunt de eadẽ re in parte, at Metaphysica, Mathematica, Physica, genere distinguuntur, variè enim abstrahunt.

2. conclus. Scientias specie distingui per diuersa abstractionem & de rebus diuersis. Posterior cõclusio: scientiæ distinguũtur specie, quæ de diuersis rebus sunt cũ eadẽ abstractione, vel de eadẽ re sub diuersa abstractione, sicut scientia de plãtis, & de animalibus sunt variæ specie, quia sunt res distinctæ sub eadẽ abstractione similiter Perspectiua, & Geometria differũt specie, quia variè eandẽ rẽ abstrahũt, nec in hoc assentior Caiet. qui credit scientiã de triãgulo tantũ numero differre à scientia quadranguli: imò differunt scientiæ illarum specie, sicut demonstrationes, de eadem re diuersa abstractione tractãtes.

si enim

si enim multæ de illis essent, sicut sunt de plãtis & animalibus, ita essent duo habitus specifici & scientiæ, sicut sunt scientia plantæ, & scientia animalis.

Ad. 1. Per ista est facilis solutio argumẽti primi, nõ enim scientiarũ distinctio vel vnitas à genere secundũ rem tantũ sumenda est, sed à genere scibili, quod est secundũ abstractionẽ, in substãtia autẽ variæ abstractiones continentur, & ob id varia scibilis genera, & hæc sunt obseruanda.

Ad. 2. Ad secundum dicitur scientiam generis considerare species illius & inferiora, quæ tamen sunt sub eadem abstractione quando verò mutatur abstractio, cessat iam scientia, species ergo secundum genus scibile, non secundum genus rei solũ considerandæ sunt.

Ad. 3. Ad tertium facilis est responsio, nõ enim hic de illis communissimis principijs sermo est, sed de cõmunibus quæ tamen sunt in materia propria illius scientiæ, variæ autem res scibiles varia habẽt principia propria.

Ad. 4. Ad quartum dico in diuersis generibus causarum posse vnius plures esse demonstrationes, vt notum est, similiter in eodem genere causæ, sed mediatæ, vt homine esse substantiam, & per animal, & per viuens demonstramus, & hoc dicitur in præsente: sed in eodem genere causæ per plura media immediata impossibile est idem demonstrare, & hoc dicitur c. 9. nec est contradictio, hic tamẽ considerare vnũ est, eandẽ rẽ ad varias scientias pertinere, sed non sub eadẽ abstractione, vnde Physicus de figura tractat sicut Geometer, sed ille in corpore naturali, hic abstrahendo à sensibili, propterea vnus per principia motus, alter per principia magnitudinis probat: vnde re vera formaliter de eodem nõ sunt plures scientiæ, sed naturaliter tamẽ clarius percipitur distinctio in ipsis principijs, ideirco Aristo. scientiarum diuersitatem ab illis sumpsit: hæc de præsenti quæstione.

Eorũ quæ fortuna eueniunt, quæq; in sensu sunt sine ullo sensu, nõ esse scientiam.

Cap. XXIIII. 1.

TEXT. Eius verò quòd à fortuna, nõ est scientia per demonstrationem: neq; enim vt necessarium, neque tanquàm vt plurimum est, quod est à fortuna, sed quod præter hęc fit. Demonstratio autem est alterius horum: omnis enim syllogismus, aut per necessarias, aut per eas quæ vt plurimũ propositiones conficitur: & si propositiones quidem sunt necessariæ, & conclusio erit necessaria, si verò vt plurimũ, & conclusio talis. Quare si id quod est à fortuna, neque vt plurimum est, neque necessarium, non esset vtique ipsius demonstratio.

2. Neque per sensum est scire: si enim est sensus huius, & non huius cuiusdam, sed sentire necessarium est hoc aliquid, & alicubi, & nunc: vniuersale verò, quod est in omnibus, impossibile est sentire: non enim est hoc, neque nunc neque enim esset vtique vniuersale: quod enim semper & vbique, vniuersale esse dicimus. Quoniam igitur demonstrationes quidem vniuersales sunt, hæc autem nõ est sentire, manifestum est, quòd neque scire per sensum est.

3. Sed planum quòd & si esset sentire triangulum, quòd duobus rectis æquales habet angulos, quæreremus vtique demonstrationem, & non quemadmodum dicunt nonnulli sciremus, sentire quidem enim necesse est singulare, scientia verò est in cognoscendo vniuersale.

4. Quare & si supra lunam essemus, & videremus obiectam terram, non vtiq; sciremus causam defectus, sentiremus enim nunc quod deficit, & non propter quid omninò, non enim erat sensus ipsius vniuersalis, sed ex eo quòd speculamur hoc plerunque contingere, vniuersale vtique venati demonstrationem habemus: ex singularibus enim pluribus vniuersale manifestum est. Vniuersale autem honoratum est, quoniam significat causam: quare de talibus vniuersalis notitia honoratior est sensibus & intellectione quorumcunque alterius

est

Universidad de Deusto
Biblioteca

est causa: sed de primis est alia ratio. Manifestum igitur est, quòd impossibile est sentiendo aliquid scire demonstrationem, nisi quispiam sentire hoc dicat, scire etiam habere per demonstrationem.

5. Sunt tamen nonnulla quæ reseruntur in sensus defectum in problematibus, quædam enim si videremus, non vtique quæreremus, sed non tanquã scientes, eo quod videmus, sed vt habentes vniuersale ex eo quod videmus: quemadmodum si vitrum perforatum videremus, & lumen permeans, planum vtique esset, & propter quid † comburit, & ex eo planè, quia videremus fieri seorsum in vnoquoque, intelligeremus simul, quod in omnibus sic est.

1. Duo documenta. Primum

Sed eius quod est à fortuna, &c.

HOc capite duo præcepta continẽtur, quorum alterum est rerũ, quæ fortuito & casu contingunt non esse scientiam, cuius ratio est, quia non sunt necessariæ, nec plerunque eueniunt, sed raro, vt quòd fodiens vineam inueniat thesaurum: demonstratio enim quæ scientiam facit, non est nisi necessariorum quę semper sunt, aut eorum quæ plerunq; sunt, cum non nisi ex propositionibus necessarijs, aut plerunque procedat, ac talis debeat esse conclusio, quales præmissæ & propositiones sunt.

2. Secundũ documẽtum.

Neque per sensum est scire, si enim est sensus huius, &c.

Alterum documentum est, per sensum non esse scientiam, id est, non dicitur scientia per sensum cognitio, ratio est quia scientia est vniuersalium, at sentire est singularium, quæ sunt hic & nunc, & secundum locum & tempus variantur, vniuersale verò vbique & semper est, id est, non aliter se habet in vno loco & tẽpore, quàm in alio.

Sẽsus obiectũ esse vniuersale, actionẽ tamẽ circa singulare modò versari.

Nota quod dicit, sensus est talis, & non huius talis, at sentire non est, nisi hoc aliquid: sensus & intelligentia horum notanda est, nempe sensus ipse, qui potentia est, vt visus, auditus, & reliqui habent pro obiecto ipsum vniuersale, puta colorem visus, non hunc, non illum, sed in cõmuni, sonum auditus, & sic alij, at verò actus & operatio sensus non est nisi circa singulare, non enim nisi hunc vel illum colorem in singulari videmus, at intellectus non solum pro obiecto habet vniuersale, sed etiam vniuersale intelligit, ideoque eius cognitio scientia est.

Dicit ergo, quòd quamuis sensus, nempè ipsa potentia tale aliquod, id est, aliquid in communi respiciat, non hoc in singulari, tamen eius actio, sentire nempe, est circa hoc aliquid, id est, singulare. scientia autem in operatione etiam consistit circa vniuersale, quare cognitio sensus non est scientia.

Sed manifestum est, quoniã si esset, &c.

3. Remouetur obiectio.

Posset quis Arist. respondere, si per sensum cognoscimus effectum, seu rei passionem, forsan erit scientia, vt si triangulum haberetres angulos æquales duobus rectis videremus: respondet, nullo modo sic esse scientiam, sed adhuc quæremus demonstrationem, nam rẽ cognoscit sensus id vniuersaliter esse in omni triangulo, quòd necessarium est ad scientiam, cum scientia vniuersalium sit.

Vnde est, si super lunam essemus, &c.

4. Remouetur altera obiectio.

Posset iterum quis dicere, forsan si causam & effectum sentiremus, esse per sensum scientiam, vt si super lunam existentes terram obiectam, & eclypsim videremus, respondet, nec si per sensum sciri, non enim vniuersaliter cognoscimus, cùm sensus hanc eclypsim tantùm percipiat, non autem quòd vniuersaliter ex tali causa sequatur, quod scire est: vnde concludit hanc cognitionem vniuersalis esse honorabiliorẽ cognitione sensus, cùm sit cognitio per causam, similiter honorabiliorem cognitione etiam intellectus quæ non est per causam, dũmodo sit de re, quæ habet causam, nam cum res est sine causa, sicut prima principia, horum cognitio nobilior est, etiã si per causam non sit: vnde concludit per sensum non contingere scire, nisi quis dicat se atire scientiam habere per demonstrationem

tionem, id est, nisi quis per vocem hanc sentire velit significare idem, quod habere scientiam per demonstrationem. & tunc non est disputatio, sed vt significat actionem sensus.

Sunt tamen quædam reducta, &c.

Ostendit in scientijs esse necessarium aliquando sensum, nempè in quibusdam problematis, quæ si videremur, sine dubio scirentur, nõ quòd ipse sensus sit scientia, aut in eo fit scientia, sed quod per eũ sæpè singularia percipientes vniuersale intellectu venamur, de quo est scientia: ostendit exemplo antiquorum existimãtium lumen esse corpus, cum autem eis obijceretur, quomodo ingreditur per vitrum, cùm duo corpora se penetrare non possint: respondebant, quia vitrum habet minutissima foramina: dicit modo Arist. huius non est scientia, q̃ ingreditur lumen, quia sunt foramina, & tamẽ si viderentur talia foramina, esset scientia sed non ex sensu tantùm, sed quòd vniuersale ex eo colligeremus, cuius est scientia, nempè omne vitrum habere foramina minutissima: hoc exemplum secũdum vulgarem opinionem est.

Non omnium syllogismorum eadem esse principia posse.
Cap. XXV.

3. TEXT.

EAdem verò principia omnium esse syllogismorum impossibile, primũ quidem Logicè considerantibus: hi quidem enim veri sunt syllogismorum illi autem falsi: quanquàm enim liceat verum ex falsis syllogizare, sed semel hoc fit: veluti si A. de C. verum, mediũ autem B. falsum: neque enim A. ipsi B. inest, neque B. ipsi C. sed si harum media accepta fuerint propositionũ, falsæ erunt propositiones, cò q̃ omnis conclusio falsa ex falsis est, vera autẽ ex veris, altera autẽ sunt falsa & vera.

2. Postea neque falsa ex eisdẽ sibijpsis: sunt enim falsa adinuicem & cõtraria & impossibilia simul esse, veluti iustitiam esse iniustitiam, aut timorem, † & hominem equum, aut bouẽ & æquale, aut maius, aut minus. [al. l. addit audaciam.

Expositis verò sic, neque enim verorum eadem principia omnium, altera enim multorũ genere sunt principia, & neque cõuenientia, quemadmodũ vnitates punctis non conueniunt, illæ enim non habent positionem, hæc autem habẽt. 3.

Necesse autem est, aut in media conuenire, aut sursum, aut deorsum, aut hos quidem intro habere, illos autem extra terminorum. 4.

Sed neq; communiũ principiorũ possunt esse aliqua, ex quibus omnia mõstrantur: (dico aũt communia, veluti omne affirmare, aut negare) genera enim entiũ altera sunt, & hæc quide quantitatibus, illa verò qualitatibus insunt solis, cum quibus mõstrantur per communia. 5.

Amplius principia non multo pauciora sunt conclusionibus: principia enim p̃ positiones sunt, propositiones vero aut ipsius assumpti termini, aut iniecti sunt. 6.

Amplius conclusiones sunt infinitæ, termini verò finiti. 7.

Amplius principia hæc quidẽ ex necessitate, illa verò contingẽtia. Sic igitur cõsiderantibus impossibile eadem esse, aut finita, infinitis existẽtibus cõclusionibus. 8.

Si verò aliter quodammodo dicat aliquis, vt quod hæc quidẽ Geometriæ, illa verò † ratiocinationum, illa autem Medicinæ: quid vtique esset, quod dicitur aliud, præterquã quod sunt principia scientiarum? dicere autem eadem esse, ridiculum est, quoniam hæc sibi ipsis eadẽ essent: sic enim omnia fiunt eadem. 9.

Sed neque ex omnibus mõstrari quod libet idem est quærere omnium esse eadem principia, valdè enim stultum est: neque enim in manifestis doctrinis hoc fit, neque in resolutione possibile est: immediatæ nanque propositiones principia sunt, altera autem conclusio assumpta fit propositione immediata. Si verò quispiam diceret primas immediatas p̃positiones eadem esse principia, vna in vnoquoque genere est. al. l. numerorũ. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Si verò neq; ex omnibus, tanquã oportear monstrari quodcunque, neque ita altero, tanquàm sit vnaquæq; scientia, altera derelinquitur, quod cognata sint principia omnium, sed ex his quidé hæc ex illis utem illa. Manifestum autem & hoc est, quod non contingit, monstratũ nanque fuit, quod alia principia genere sunt differentium genere. Principia enim duplicia sunt, ex quibus, & circa quod: quæ quidem igitur, ex quibus, communia sunt, quæ autem circa quod, propria, vt numerus [magnitudine.

[al. magnitudo.

Eadem autem esse principia omnium syllogismorum &c.

1. Intétio Aristot.

Cùm scientiarum diuersitaté ex principiorum diuersitate prouenire docuisset, nunc principia diuersa esse scientiarum & demonstrationum probat, ac cõmunim procedit, a ipso syllogismo incipiens, ac ob id logicè tractare se docet vt ait Philop. rationem reddit, cur non de proprijs, sed de communibus primò dicat: sunt autem tres conclusiones in capite. Prima est, impossibile est omnium syllogismorum esse eadem principia: probat, syllogismi quidam sunt veri, nempè quorũ conclusiones sunt veræ: quidam falsi, quorum conclusiones sunt falsæ, ergo non possunt esse ex eisdem principijs, cùm conclusio vera ex veris, falsa verò ex falsis sequatur: posset autem quis dicere, nonne etiam verum ex falsis sequitur? respondet verum id esse, sed nõ fit nisi semel, hoc est in syllogizando verũ quidem ex falsis infertur, vt omne B. est A. omne C. est B. ergo omne C est A. id est, omnis lapis est animal, omnis homo est lapis, ergo omnis homo est animal, tamen si iterum velimus prosyllogizare præmissas, iam totum erit falsum, tã præmissæ illæ, quæ iterùm assumuntur, quam conclusio quæ infertur, quæ est præmissa falsa prioris syllogismi, non igitur verum ex falso syllogizatur & prosyllogizatur simul sicut contingit cùm ex veris procedit, tunc enim tam syllogismus quã prosyllogismus ex veris sunt, non igitur omnium syllogismorum eadem sunt principia.

Prima cõclu. cap.

obiectio Dilutio.

Posse autem neque falsa ex eisdem sunt, &c. 2.

Secunda conclusio est, non omniũ syllogismorum, etiam falsorum eadem principia sunt, probatur: falsarum conclusionum multiplex est modus, quædam tantum falsæ, quædam impossibiles: & impossibilium, quædam quia relatiuum de correlatiuo prædicatur, quædam quia contrarium de contrario, vel disparatũ de disparato, vel negat necessariũ, ergo sunt & varia principia falsa, pro varietate conclusionum, cum proinde sint falsę, quia principia sint falsa.

2. concl.

Expositis autem sic est &c. 3.

Tertia conclusio, quam magis ad rẽ propositam, nempe de demonstratione dicit, est syllogismorum verorum impossibile est esse eadem principia: quam multipliciter probat, primò sunt principia aliquorum prorsus diuersa in nullo conuenientia, ergo non sunt eadem principia: antecedens patet, vnitas enim est discreti, punctum continui principium, quæ diuersa sunt, hoc enim positionem habet, illud verò non habet, vt dictũ est.

3. concl.

Necesse est autem aut in media conuenire, &c. 4.

Quamuis nouam rationem hanc aliqui esse velint melius est secundum Philop. & S. Tho. quod sit confirmatio præcedentis, & probet illa principia nõ conuenire, quod Philop. vocat vnum de altero prædicari, quæ autem conueniunt, vno ex tribus modis conueniunt, aut tanquàm in medio, aut tanquàm in maiori extremo, quod dicitur sursum, aut minori, quod dicitur deorsum, aut interius in prima figura, aut exterius in secunda & tertia: sensus est, quod si conueniunt illa principia, punctum, & linea, aut ex eo, quod vtrumque potest esse alicuius conclusionis probandæ, aut maius extremum, vel minus, vel mediũ in aliqua figura, sed hoc esse non potest, cùm non eadem per illa probentur, non ergo eadem sunt.

Verior expositio Philop. & D. Thom.

Sed

1. argum.

Sed neque communiũ principiũ, &c.

Secundum argumentum est, si ex eisdem omnia procederent, maximè ex illis generalissimis, quo dlibet est, vel non est, & de nullo est verum assimare simul & negare, sed ex his non possunt, nã hæc per se sola non sufficiunt aliquid demonstrare, nisi mediantibus propriis cuiusq; generis, vt dictum est, ergo non sunt omnium eadem principia.

6. 3. argu.

Amplius principia non multo, &c.

Tertium argumentum, tot sunt ferè principia quot conclusiones, sed conclusiones sunt multæ & variæ, ergo & principia: antecedens patet, nam principia sunt propositiones, propositiones autẽ sunt & fiunt assumpto termino medio, aut immisso: dicit assumptum propter secundam & tertiam figuram, in quibus medium est extra extremitates: dicit immissum propter primam in qua medũ inter extremitates est.

obiectio. Dilutio.

Dices, quomodo dicit quod propositiones non sunt multo pauciores conclusionibus, imò videntur plures. Dico, vocat propositiones non omnes præmissas sed immediatas, quæ iam conclusiones esse non possunt, hoc autem verum est, quòd si sumamus vnam mediatam propositionem, plures in ea conclusiones quàm principia inuenietur, vt patet in hac, omnis homo est substãtia, sunt enim sex quæ demonstrari possunt, nempè homo est substãtia, homo est corpus, homo est viuens, animal est substantia, animal est corpus, viuens est substantia: sunt verò tantum quatuor quæ non possunt demonstrari, scilicet homo est animal, animal est viuens, viuẽs est corpus, corpus est substantia.

7. 4. argu.

Adhuc conclusiones sunt infinitæ, &c.

Quartum argumentum est, conclusiones sunt infinitæ, id est, innumeræ, non tot quin plures, terminiverò finiti, ergo principia non possunt esse eadẽ, vim huius argumẽti exẽplo intelliges, literæ finitæ sunt, nempè viginti quatuor, tamen infinitæ dictiones ex illis fiunt variæ & distinctę, quod ex eo est, quia varijs modis tales literæ inter se connectuntur, aliter impossibile esset tot esse dictiones, si militer elemẽta sunt quatuor, tamẽ mixta ex eis sunt multiplicia, quia variè miscẽtur, ita similiter termini sunt finiti, cũ finita sint prædicamentorũ genera, conclusiones verò absque limite, ergo variè termini inter se ordinantur & disponũtur, & ita fiunt distinctæ præmissæ & propositiones, quæ principia dicuntur.

Amplius principia hæc quidem ex necessitate, &c. 8.

Hoc est quintum argumentum, sunt enim principia varia inter se, quędam enim sunt necessaria, quædam contingẽtia, non enim omne verum est eiusdem rationis, ergo non sunt eadem omnium principia, vnde concludit non solùm nõ esse eadem omnium principia, sed infinita, id est, indeterminata, sicut etiam conclusiones sunt indefinitæ & indeterminatæ vt dictum est.

5 argum.

Si verò aliter quodámodo dicat quis, &c. 9.

Excludit modum, quo aliquis posset asserere eadẽ esse principia, posset enim quis dicere principia quidem alia esse in Geometria, alia in Musica, alia in Dialectica, alia in qualibet arte, sed hæc dici eadem, quia singula eodem modo se habent, & sunt eadem suis conclusionibus, respondet hoc asserere, esse diuersa principia ponere, nullus enim duo vocat idẽ quia vnumquodq; sit idem alicui, quia enim rationale est idem cum homine, & hinnibile cum equo, non propterea rationale, & hinnibile dicenda, sunt idem, aliter enim omnia possent dici, eadẽ, nihilque esset diuersum.

Remoue. obie.

At verò neque quod est omnibus, &c. 10.

Excludit alium modum quo quispossest eadem principia dicere, nempè quia ex omnibus principijs quodlibet infertur, ita, vt quamuis multa sint principia, tamen ex singulis quælibet infertur conclusio: hoc dicit insipienter dictum esse: probat in doctrinis, id est, Mathematicis secundum Philop. in quibus experimur

Remoue. alia obiectio

Universidad de Deusto
Biblioteca

mur non omnes conclusiones resolui in eadē principia, similiter in reliquis sciētiarum demonstrationibus, & probatur ratione, nam ex propositione immediata sequitur conclusio, ergo altera conclusio ex altera immediata & alio principio, vt notum est, si igitur quis principia immediatas vocet propositiones, vt verum est, erunt principia diuersa secundum diuersitatem generum, in quorum singulis sunt sua immediata.

22 *Si verò neque ex omnibus, &c.*

Resumit duos prædictos modos identitatis principiorum, & excludit alium, dicit ex omnibus non demōstrari quod libet, vt dictum est, nec ex altero, id est, nec ex vno omnia, cùm sint in vnaquaq; scientia sua principia: relinquitur vnus modus identitatis, nempē quod dicant eadem, quia proxima, & cognata, & eiusdem generis, sed hoc esse non potest, nā diuersorū generum principia sunt etiam genere diuersa, sunt enim principia in duplici differentia, quædam circa quæ id est, subiecta, de quibus demōstramus, quædam ex quibus, nempē dignitates: quæ sunt circa quæ semper sunt propria in quoque genere scientiæ, quæ sunt ex quibus, communia esse possunt, sed secūdum analogiam, vt diximus, & eorū non est vsus in scientia, nisi limitentur ad particularem illius scientiæ materiam, sicut supra explicatum est.

Quòd scientia & scibile ab opinione & opinabili discrepent, & quid sit Scientia.

Caput XXVI.

TEXT. 1. SCIBILE autem & scientia differunt ab opinabili & opinione, quoniam scientia quidem vniuersalis & per necessaria: (necessarium verò nō contingit aliter se habere) sunt autē nonnulla vera quidem, & quæ contingit aliter se habere: planum igitur, quod circa hæc quidem scientia non est, essent enim impossibilia aliter se habere, possibilia aliter se habere. Verum enimuerò neque intellectus (dico enim intellectum principium scientiæ) neque scientia indemonstrabilis: hoc autem est acceptio immediatæ propositionis. Verum autem est intellectus, & scientia, & opinio, & quod per hæc dicitur: quare derelinquitur opinionē esse circa verum quidem, vt falsum, contingens autem, & aliter se habere.

Hoc autem est acceptio immediatæ propositionis, & non necessariæ. Et consessum aūt est sic apparentibus, nanq; & opinio incertum est, & natura talis. 2.

Ad hæc autem nemo putat opinari, quando existimet impossibile aliter se habere, sed scire, sed quando esse quidē sic, sed tamen & aliter, nihil prohibet tunc opinari, tanquàm quod talis opinio sit. Necessarij verò scientia est. 3.

† Quomodo est idem igitur opinari & scire? & propter quid non erit opinio scientia, si quis ponet, omne, quod nouit, contingere opinari? consequetur enim hic quidem sciens, ille verò opinans per media, quousque ad immediata venerit, quare, siquidem ille nouit, & qui opinatur nouit, quemadmodum enim & quòd opinari est, & propter quid, hoc autem ipsum medium. 4. al. l. quomodo igitur nō est.

Aut si quidem ita suspicabitur nō contingentia aliter se habere, quemadmodū se habent definitiones, per quas sunt demonstrationes, non opinabitur, sed sciet: si autem vera quidem esse, non tamen hæc vtique ipsis inesse secundū substantiam & secundum formam, opinabitur, & non sciet verè ipsum quod, & ipsum propter quid, si quidem per immediata opinabitur, si autem non per immediata, ipsum quod solum opinabitur. 5.

Eiusdem verò opinio, & scientia non omnino est, sed quemadmodum & falsa & vera eiusdem quodammodo sunt, ita & scientia & opinio eiusdem: etenim opinionem veram, & falsam (vt nonnulli quidem dicunt) eiusdem esse, absurdū cōtingit erigi, & alia, & non opinari, quod opinatur falso. 6.

Quo-

Quoniam verò idem pluribus modis dicitur, est quidem vt contingit, est autem vt non: commensurabilem nanque esse diametrum verè opinari absurdum est, sed quod diameter, circa quam opiniones, idem, ita eiusdē est: quod quid autem erat esse: vtique secundum rationem non est idem.

Opinio neveram non autē falsam cūscietia ab Arist. cōferri. Cōclus.

8. Consimiliter autem & scientia & opinio est eiusdem, hæc quidem enim sic animalis, vt non contingat non esse animal, illa verò vt contingat, veluti si hæc quidem quod hominis est, illa verò hominis quidem, non autem quod hominis, idem enim est, quoniam homo, hoc autem sic non idem.

9. Manifestum aūt est ex his, quod neque opinari simul idem & scire contingit simul enim habere posset suspicionem, quod aliter se habere, & non aliter, idē esset, quod non contingit, in alio quidē enim vtrunque esse contingit eiusdē, vt dictum est, in eodem autem non sic possibile est, habebit enim suspicionem simul vt quod homo esset secundum quod animal: hoc enim esset non contingere esse non animal, & non secundum quod animal, hoc enim esset sic contingere. Reliqua vero quomodo oporteat distribuere & in discursu, & intellectu, & scientia, & arte, & prudentia, & sapientia, illa quidem naturalis, hæc autem moralis speculationis magis sunt.

1. Comparatio sciētiæ cum alijs habitibus.

Scibile autem & scientia differunt ab opinabili, &c.

Scientiam ab alijs habitibus tandem secernit, sed præsertim ab opinione, hæc enim Dialectici opus est. Discrimen autem scientiæ & opinionis ex duplici parte sumitur, ex parte eorum, quorum est scientia & quorum est opinio, quæ dicuntur scibilia & opinabilia, & ex parte ipsarum credulitatum quæ per ipsos habitus adueniunt, quorum enim est sciētia, semper necesse est ita se habere, quorum est opinio non semper necesse est ita se habere, præterea per scientiam cognoscimus rem quæ nō potest aliter se habere, & simul scimus q; nō potest aliter se habere, per opinionē verò cognoscimus posse aliter se rem habere. Aduerte autem ex Themist. & Philop. quod hic loquitur de opinione vera, nam falsa nullam habet cum scientia similitudinem.

Proponit igitur hanc conclusionē, scientia & opinio, scibile & opinabile differunt: & probat prius discrimen ex parte scibilium & opinabilium, scientia quæuis est vniuersalium per necessaria principia, at verò opinio non est per necessaria & necessariorum, ergo non est scientia: maior est nota, minor probatur, sunt quædam vera quidem, non tamen necessaria, cum aliter se possunt habere, hæc non cognoscuntur scientia, nō intellectu, non scientia indemonstrabili, quamuis illæ cognitiones veræ sint, & quæ per eas cognoscuntur vera sint, ergo illa cognoscuntur opinione, cum non sit alius habitus vniuersalium, opinio igitur est eorum quæ aliter se habere possunt, & non necessaria sunt.

Explicat quid per intellectum intelligat, principium inquit scientiæ, per scientiam verò indemonstrabilem dicit intelligi cognitionem immediatarum propositionum: & quamuis aliqui vtrumq; idem esse affirment, tamen id non consonat literæ: propterea dico per intellectū significari cognitionem principiorum communium quæ per se nota sunt, quę ianuę scientiarum dicuntur. 2. Metaphysi. per scientiam verò indemonstrabilē, cognitionem propriarum propositionum immediatarum quæ non per se notę sunt, quæ omnia superius late exposita & declarata sunt.

Intellectū hoc loco aliud significare quā deno tet scientia indemonstrabilis.

Nota, quòd inferens Aristot. opinione cognosci vera contingentia, addidit etiā opinione falsum cognosci, non quia hic de opinione falsa dicere intenderet, sed ne quis erraret existimando opinionem esse tantum verorum, cùm tamen etiam falsorum sit.

Hic autē est acceptio immediatæ propositionis & nonnecessariæ, &c. 2.

Prima ratio discriminis intercurrentiã & opinionẽ.

Sicut in scientia propositiones necessariæ inueniuntur quæ mediatæ sunt, & per alias probantur, & similiter propositiones immediatæ, quæ iam amplius demonstrari non possunt, ita inter probabiles, quarũ est opinio, quedã mediatæ sunt, quæ ex alijs probantur, quædam immediatæ, quæ sunt probabilissimæ, nec iã amplius probabiliter probãtur, vt diximus. 1. Top. de mente Alex. est igitur opinio non necessariorũ, siue mediata, siue immediata sint, quamuis Arist tantũ de opinione immediatorum in his verbis loquitur, quia de mediatis clarũ erat: probat aũt q̃ opinio sit contingentium, atq; hoc dicit esse certum ex his, quæ cõmuniter dicuntur, vocãt enim opinionẽ incertam, & quæ tali opinione cognoscũtur, res incertas, quæ non firmam nec itabilẽ habent veritatẽ, est igitur opinio cõtingentium, quo circa non est scientia, nec ipsum opinabile est scibile.

3. ratio.

Adhuc autem nullus arbitratur, &c.

Alteram rationem ex parte credulitatis ponit ad distinguendam scientiam ab opinione: ratio est sumpta ex vsu communi, sicut e. a. sumpserat, quidesset scire: inquit omnes cum aliquid cognoscunt, & simul aliter se habere non posse intelligunt, se scire existimant, cum verò aliter se posse habere credunt, se opinari confitentur: ergo hæc est natura opinionis & scientiæ, & sic ex parte credulitatis differunt, vt manifestum est.

Quomodo est igitur non opinari & scire, &c.

4. Duo dubia.

Duo ex præcedentibus suboriẽtia dubia proponit, quibus magis opinionis natura manifestat. Alterum, an eiusdem sit opinio & scientia, vt videtur, quæ enim quis scit, potest alius opinari. Alterũ, supposito quòd eiusdem sit opinio & scientia, videntur esse idem, cum habeant idem obiectum: quòd si dicas non esse idem, quia qui opinatur non cognoscit per causam, hoc reijcit Arist. docẽs etiã opinantem resoluere vsq; ad immediatas causas, sicut enim per scientiã scimus effectum per causam, cũ causam effectus illius esse scimus, & non posse aliter se habere, ita per causam opinamur cum causam aliter se habere existimamus, videtur igitur eadem scientia & opinio: nota verbum consequitur significare, resolue re, vt notat Philop.

An si quis sic arbitrabitur non contingentia, &c. 5. Soluitur 2.

Satisfacit posteriori dubitationi tanquã breuiori, & interrogando affirmat, dicit q̃, si quis procedẽs per definitiones, & demonstrationes veras, existimauerit illa nõ posse aliter se habere, non habebit opinionẽ, sed scientiã, si quis verò tã tũ vera esse, non tamen necessaria, & propositiones illas per se non esse existimauerit, tunc non scientiam, sed opinionẽ habebit: si tales propositiones fuerint per causam & immediatæ, erit opinio effectus & causæ, si verò non ita fuerint, erit opinio effectus, & quia tantùm ex quibus habet differentiam ex parte credulitatis & existimationis, quamuis circa idem sint scientia, & opinio.

Eiusdem autem opinio, &c. 6. Soluit. 1.

Priorem quæstionem soluit, explicãs quomodo opinio dicatur eiusdem cuius est scientia, inquit autem opinionem & scientiam ita esse eiusdem, sicut opinio vera & falsa dicuntur eiusdem, docet autem opinionem veram & falsam nõ esse eiusdem simpliciter, sed aliquo modo, aliqui enim vt refert 4. Metaph. tex. 21. opinionem veram & falsam eiusdem rei omnino volebãt esse: dicebã enim veritatem esse in opinione nostra, vt si cibus mihi videtur amarus, verè est amarus, licet sit dulcis, & vnũquodq; tale verè esse, quale videtur: hi eandẽ opinionẽ faciebant illius, quod erat, & quod non erat, propterea istis multa accidũt inconuenientia, & præterea alia multa hoc vno accidit, nempè quòd non erit opinio falsa, cum id verum sit quod videtur secũdum eos.

Quoniam autem idẽ multipliciter dicitur, &c.

Cum

Cum dixisset ita esse eiusdem scientiã & opinionem, sicut opinionem veram & opinionẽ falsam, explicat quomodo vera & falsa sit eiusdem, & dicit multipliciter dici idẽ, & vno modo est verũ, opinionẽ verã & falsam esse eiusdẽ, & altero modo nõ est verũ, verbi gratia, q̃ diameter sit cõmensurabilis nõ est verũ opinari, sed opinio est falsa, q̃ verò non sit commensurabilis, est vera opinio: opinio igitur vera & falsa est eiusdẽ, nempè subiecti, vt puta de eadẽ diametro, nõ tamẽ est prorsus eiusdem rationis, id est, secundũ idẽ prædicatũ, nã vera dicit non esse commẽsurabilẽ, falsa verò dicit esse commensurabilem, non igitur sunt prorsus eiusdem.

Opinio vera & falsa quomodo eiusdẽ esse rei dicantur.

8. *Similiter autem est scientia & opinio eiusdem est, &c.*

Applicat similitudinem, opinio enim & scientia eiusdẽ sunt, sed eiusdem subiecti, non tamen eiusdem rationis, vt de animali eodẽ est opinio & scientia, sed scientia dicit q̃ non possit aliter se habere, opinio verò q̃ aliter se habere contingat, vt si de homine scientia dicat aliquid, nempe esse risibilem, opinio verò esse alhũ, de quo vtraq; dicit, idem est, puta homo, quod vtraq; dicit, nõ idẽ est, sunt ergo de eodẽ subiecto, sed nõ secundũ idẽ.

Opinio & scientia quomodo eiusdẽ sint rei.

Manifestum autem ex his est, &c.

9. Eiusdẽ q̃ positiõs nõ posse esse opinionẽ & scientiã in eodẽ, in diuersis autem hominibus posse

Infert nullum posse simul opinari, & scire idem omnino, id est, eandem propositionem, nã tunc existimaret simul idem posse aliter se habere, & nõ posse aliter se habere, quod impossibile est, in diuersis hominibus poterit id esse, vel secundũ diuersa prædicata, tamen in eodẽ impossibile est eiusdẽ omninò, simul enim existimaret homineẽ esse animal, & esse non animal, esse animal per scientiam, quia non contingit non esse animal, esse non animal per opinionem, quæ dicit posse esse non animal, vnde simul essent non posse esse non animal, & posse esse non animal. litteram sic lege (opinionẽ haberet, id est, assensum q̃ homo esset secundum quod est animal, & secundũ q̃ non est animal, id est, q̃ esset animal, & non animal,) hoc enim fuerit non contingere esse nõ animal per scientiam hoc quidem contingere, scilicet esse nõ animal per opinionem: & nota valde hãc expositionem nostram.

Tandem excusat se à tractandis alijs habitibus, quæ potius ad Physicã, & Moralem spectant, quales sunt intellectus, quæ est cognitio immediatorũ, & ratio quæ est cognitio mediatorum per discursum, sub qua sunt scientia, sapientia, ars & prudentia, scientia cognitio per causam, sapientia cognitio per causas supremas, prudentia recta ratio agibilium, ars recta ratio factibilium, de quibus, vide 6. Ethic. capit. 3.

Dubia quædam circa hoc caput. 26. Tria dubia.

Circa hoc caput dubia tria sunt, primũ est an opinabile sit scibile: alterũ an cuius sit scientia possit esse opinio veraciter tium an eiusdem possint in eodem simul esse scientia & opinio.

Circa primum aduerte scientiam hæc duo intrinsecè habere, & quòd sit clarus assensus, nempè ex rei notitijs proprijs genitus, & quòd non possit aliter se habere, sed sit necessaria, hoc autẽ, non posse aliter se habere, est triplex primũ ex parte rei quæ scitur, hæc enim nõ potest aliter se habere quã sicut scitur: secundũ ex parte cognoscentis, quòd qui scit, existimet rem aliter se habere non posse terrium ex parte medij & viæ sciendi, quòd sit talis, vt secundum eam deceptio fieri non possit, vt cum per demonstrationem procedimus.

Scientiã cõplecti intrinsecè & clarũ assẽsum, & quod se aliter habere nõ possit

Hoc triplex necessarium inest essentialiter scientiæ, ita vt si aliquod desit nõ sit scientia.

Triplex necessarium inesse scientiæ.

Fidei etiam nostræ Christianæ triplex hoc necessarium inest, cum res non possit aliter se habere, & nos ita credamus, & medium sit firmissimum, nempè diuina authoritas: hoc deficit à scientia, quia obscura est fides, nec rem ipsam in se videmus.

Fidei Christianę eadẽ triplicẽ necessitatem inesse & quę

Sed opinio erit si aliquid horum desit, vnde si res non est necessaria, eius est opi-

modo à scientia differat. Tribus modis accidere opinionem.

opinio, dummodo sit obscura cognitio: cum enim res contingentes sensu percipimus, non sit opinio. Secundò si res quidem est necessaria, sed non existimatur necessaria, sed potius aliter se habere, eius est opinio. Tertiò quãuis res sit necessaria, existimetur necessaria, sed tamen via cognoscendi non est certa vt cum id authoritate humana vel medio topico habemus.

Triplex est opinabile.

Vnde triplex est opinabile, opinabile secundũ se, nempe quod aliter in se potest esse, & de hoc loquitur in principio & fine capitis, quod scilicet non est necessarium. Aliud est opinabile secundum existimationẽ, nempè quòd cum sit necessarium, existimatur aliter se habere posse. Tertium ratione medij, quod cum sit necessarium, & existimetur necessarium, via cognoscendi tamen non est necessaria: de secũdo opinabili loquitur in solutione posteriorũ dubij Aristoteles.

Opinio & scientia quo modo non sint eiusdẽ rei proxime.

Hoc supposito, dico opinabile primo modo non esse scibile, quia vt in fine capitis dicitur, vnum est necessarium, alterum non necessarium, loquimur autem hic non de subiectis tantùm, quorũ est opinio & scientia, nam dictum est idem esse scibile & opinabile, sed de propositionibus, quarum proximè est opinio & scientia.

Opinionẽ & scientiã quandoq; eiusdẽ esse propositionis.

Dico secundò, opinabile secundo modo, & tertio posse esse scibile potest ẽm esse quod id, quod in nostra existimatione non est necessarium vel ratione medij, sit necessarium, & ab alio scitum.

Opinio quomodo ex principijs necessarijs nascatur, quo modo item ex probabilibus, & tandẽ solis terminis.

Opinio enim aliquãdo fit ex principijs necessarijs, cum non est nota consequẽtia nobis, tunc enim rẽ necessariã nõ tanquã necessariã existimamus, aliquando ex principijs, probabilibus procedit, aliquando immediatè ex terminis, vt omnis mater diligit filium suum.

Circa secundum dubium notum est opinionem primo modo, & scientiam nõ posse esse eiusdẽ, quia opinio primo modo est de contingenti, similiter notũ est opinionem tertio modo veram & scientiam, esse posse eiusdem propositionis, quod enim quis verè scit, hoc alius medio topico verè opinari potest, at de opinione secundo modo est dubium, propterea dico, quòd opinio secundo modo potest esse duplex, quædã quarẽ opinamur positiuè, existimantes non esse necessariam, & aliter se habere posse, & hæc impossibile est quòd sit vera de re scibili, nam si res est scibilis, est necessaria, erit igitur falsa opinio, qua aliter se habere posse existimatur, & de hac loquitur Arist. in solutione posteriori: quædam alia est, qua rem necessariam, & per rationem necessariam cognoscimus, nõ tamen existimantes non posse aliter se habere, sed solùm cognoscentes vt verã & hæc opinio vera potest esse eiusdẽ cõclusionis, cuius est scientia, & de tali opinione non loquitur Arist. sed de priori: & hæc contemplare.

Circa tertium dubium.

Circa tertium dubium, dico scientiam & opinionem illo modo quo diximus, nimirum secundum quam existimamus rem posse aliter se habere, nõ posse esse eiusdem in eodem homine, sicut nec opinio vera & falsa simul sunt, in diuersis tamen possunt esse, vt dicit Arist. dico secũdum quam tantùm rem veram existimamus, non esse cum scientia in eodem: nã per scientiam oportet existimare rẽ aliter se habere non posse: dico tertio opinionem tertio modo non manere cum scientia, nam illa est obscura, sciẽtia verò clara notitia, vnde quando ad conclusionem scitam media topica adducũtur, non generant illius opinionem, sed scientiam confirmant & corroborant: atque hæc de capite vigesimo sexto.

Media topica ex clusionis scitę non generare opinionẽ sed scientiam cõfirmare.

De Solertia.
Caput XXVII.

TEXT.

1. Argyr. l. 8 viso paupere diuitẽ adeũte

SOlertia verò est bona quædam ẽdiscretio in non perspecto tempore medij, veluti si quis piam videns, quod luna splẽdorem semper habet ad solẽ, celeriter excogitauit, propter quid hoc quoniã propter id, quod splendescit à sole

hoc illũ propterea facere, & mutuo argẽtũ accipit intelexerit.

Cites sedendum dubium.

à sole: aut [disputantem cum diuite, non uit, quoniam fœneratur, aut propter quid amici sunt? quoniam inimici eiusdem.

1. Solertia quid sit.

2 Omnes enim causas medias videns summas cognouit: splẽdidum esse ad Solem sit in quo A. splendore à Sole, in quo B. Luna, C. inest itaque, Lunæ quidẽ ipsi C. ipsum B. splendere à Sole: ipsi autem B. ipsum A. ad hoc esse splẽdidum, à quo splendet: quare & ipsi C. inest ipsum A. per B.

Solertia autem est, &c.

ASolertia scientiam distinguit, explicando quid ipsa sit, solertia est promptitudo seu subtilitas inueniendi medium & causam non perspecto tempore, id est, citissimè, quoties enim aliquid offertur, citò inuenire medium & causam illius cognoscendi vel faciendi, solertiæ est, vnde tam in practicis, quàm speculatiuis inuenitur, ponit huius tria exempla: primum si aliquis videns lunã quando versus solem est magis splendidam esse, statim conijciat lunam illuminari à sole, solertia est, qua causa inuenitur.

Solertiã esse tũ in speculatiuis rebus tum practicis.

Secundum exemplum non ab omnibus eodem modo exponitur, quãuis omnis sensus sit verus, aliqui sic dicunt, si aliquis viso paupere diuitem adeunte conijciat id esse, vt accipiat mutuò pecunias vt exponit Argyro. alij sic, si aliquis viso paupere cum diuite disputante & altercante, conijciat id esse, quia debet diuiti aliquid, quod diues exigit, ita videtur Boet. exponere, & S. Tho. at melius est cum Themist. sic exponere, si viso paupere cũ numulario colloquente, conijciat, quod diues ei fœneratur, parum autẽ refert sic vel aliter exponere, cum scimo Græcus has oẽs expositiones admittat.

Tertium exemplum, si quis visis aliquibus simul amicis, cõijcit aliquos esse inimicos, cum amicus sit inimicus amici inimico.

Omnes enim causas mediat, &c.

Aliter à multis hic textus exponitur, quam sit Arist. sensus, dicunt enim q; solers cognoscit vltimas causas inter medijs visis, qui sensus est valdè obscurus, & nescio an falsus.

Propterea dico cum Phil. hunc esse sensum, quòd solers per vltima, id est, per passiones, & effectus, & subiecta, cognoscit causam, quæ medium demonstrationis est, quod exemplo ostendit: nam per splẽdorem versus solem, quod est posterius, cognouit illuminari à sole, quod est medium: & reducit ad syllogismum, in quo id pateat, sic, omne quod illuminatur à sole, splendet versus solem, luna illuminatur à sole, ergo splendet versus solem. Hæc demonstratio est, & describitur literis, omne B. est A. omne C. est B. ergo omne C. est A.

Per B, illuminari à sole, quod medium est intelligitur, per A. splendere versus solẽ, quod est maius extremum, lunã per C. quod est minus, sunt enim hæc duo extrema, inter quæ est illud medium.

FINIS PRIMI LIBRI
Posteriorum.

SECVNDI LIBRI
POSTERIORVM ANALYTICORVM ENARRATIO.

Quod Arist. instituũ in hoc libro.

QVOD in hoc secundo libro Aristotelis institutum sit, nõ omnes eodem modo exponunt. Alexander enim sequens Theophrastum dicit hic agi de altero modo sciendi, qui definitio est: cum enim duo sint modi sciendi, demonstratio & definitio, & luculentius priori satis dictum sit, nunc de definitione disseritur: quam etiam sententiam sequuntur Auerr. & Linconien. & aliqui moderni, vt diximus in principio primi libri.

Prima sententia quę alterũ modũ sciendi definitionẽ videli-cet hic tradi docet.

Ac Simplic. Philopon. Eustrat. & Albert. hic de medio demonstrationis tractari asserunt: cum enim vt dicitur. 1. Prior. cap. 28. non satis sit structuram syllogismorum cognoscere, sed habere oporteat potestatem eos faciendi, quæ contingit per medii inuentionem, ac demonstratio quidam syllogismus sit, oportuit vt non tantum demonstrationis compositionem traderet Arist. sed facultatem etiam componendi, quod fit per medii demonstrationi inuentionem, hocq; in hoc secundo libro fit. Quia verò definitio est vnum ex mediis, & potissimum de definitione hic disseritur, sed per accidens, vt medium est. Atque hæc sententia est quam nos superius sequuti sumus, & eandem modò confirmamus.

Secunda sentẽtia docẽs de medio demõstrationis hic agitur.

Tertia disputari hoc lib. nõ modo de medio, sed & principijs demonstrationis cõplexo quã incomplexo.

Sanctus Thomas non de medio tantum, sed de principio demonstrationis, tam complexo, quã incomplexo hic disputari affirmat, motus propter caput vltimum, in quo de complexis est sermo, sed ista sententia non placet nobis, nam de principijs complexis satis dictum est, nec illud caput huic libro continuatur, vt videre est in fine antecedentis, quamuis hęc sententia probabilis sit.

ARISTOTELIS
POSTERIORVM RESOLVTORIORVM.
LIBER SECVNDVS.

SVMMA LIBRI.

De quatuor medijs quæsitis, si est, quid est, quod, seu quia est, & propter quid? Quomodo quid est monstretur, ac ad demonstrationem se habeat. Definitionem esse per causam. De Diuisione causarum, & quæ mutuo concurrant, & quæ nõ, & quomodo illarum possit esse demõstratio. De compositione definitionis ex suis partibus, & quando sunt ignotæ quo pacto veniantur. Pariter quomodo causæ venientur. Postremò de cognitione, ac differentia principiorũ indemonstrabiliũ.

In disciplinis quatuor quæriselent, & hæc omnia media quæsita sunt: & quid sit huius libri propositum.

Caput 1.

TEXT. 1.

QVAE quæruntur sunt æqualia numero ijs, quæ cunque scimus.

2. Quærimus autẽ quatuor, quod, propter quid, si est, quid est, cùm enim vtrum hoc, aut hoc insit, quærimus in numerum ponentes: velut vtrũ deficit Sol, aut non ipsum quod quærimus. Signum autem huius, cùm enim inuenimus quod deficit, cessauimus, & si à principio sciremus quod deficit, nõ quæreremus vtrum: cum autem scimus ipsum quod, tunc ipsum propter quid quærimus, vt scientes quod deficit, & quod mouetur terra, propter quid deficit, aut propter quid mouetur, quærimus, hæc quidem sic. Nonnulla verò alio modo quærimus, vt si est, aut non est centaurus, aut Deus. Si autem est aut non, simpliciter dico, sed non si albus est, aut non. Cum verò cognouerimus, quod est, quid est quærimus, vt quid igitur est Deus, aut quid est homo? Quæ quidem igitur quærimus, & quæ cum inuenimus scimus, hęc & tot sunt.

1. Intentio Aristot.

Quæstiones æquales sunt numero, &c.

ARISTOTELES de medio disputaturus probare intendit omnẽ quæstionem quæ fit, alicuius esse medij, hoc est, medium petere, vt inde innotescat magnam scientiæ partem consistere in medij cognitione, cum quælibet quæstio medij responsione absoluatur: præmittit tamen in hoc capite breuissimo quæstionum numerum & distinctionem, ac statuit conclusionem, tot esse numero quæstiones, quot sunt ea, quæ scim⁹ & cognoscimus: non enim hic de scientia propriè loquitur, sed largè: pro cognitione intellectus vera, præsertim necessariorum, siue sit cognitio simplex, siue cõposita, per causam, vel sine causa.

1. Nota.

Aduerte autẽ, q Græcè non habetur vocabulum, quæstiones, sed ζητούμενα, id est, quæsita, nec est multum discriminis, quæsita enim dicuntur res ipsæ quas quærimus & de quibus dubitamus, quæstiones verò dicuntur, res eædem, secundam formam dubitationis & interrogationis, voce aut conceptu significatæ & ordinatæ: talia quæsita, postquam iam cognita sunt, dicuntur vel scita vel inuẽta, inuenta quidem si proprio ingenio comperta, scita verò siue proprio ingenio siue doctrina alterius cõperta sint.

2. Nota. Non omnia quæ sciuntur quæri.

Aduerte præterea ex Philop. quod licet omnia quæsita sint scita, non tamen omnia quæ sciuntur quæruntur, sed solũ quæ naturaliter non sunt nota, principia enim per se nota & dignitates non quęruntur, at verò sciuntur, ac ideò dicit Auerr. hic esse sermonem de scientia earum rerum quæ non sunt nobis naturaliter notæ.

Aduerte etiam ex Philop. cũ audis, tot esse quæ quærũtur quot ea quæ sciuntur, non existimes, simul quęri, & simul sciri, sed sensus est tot esse ea quæ quæruntur, quot ea quæ post quæstionẽ sciũtur, imò idẽ re est quod quæritur & scitur, quamuis ratione discrepent, quæro enim an luna deficiat, & idem postea scio. 3. Nota.

2. Quinsit quæstionum numerus.

Quærimus autem quatuor, &c.

Cũ posuisset quæstiones tot esse quot scientias, nũc clarius numerũ quæstionũ ponit, docetque quatuor esse quęstiones quæ exemplis explicat.

Quæst. 1.

Prima est, quia est, in numerũ ponens, id est, cũ qualis res sit petimus, vt an luna deficiat, an terra moueatur, dicitur hęc in numerum ponens, quia est de duplici extremo, subiecto nempè & prædicato & per verbum Est, vt an luna sit deficiẽs: addidit autem hoc, quod in numerũ ponat, at differentiam illius quæ petit esse rei tantum, vt dicemus.

Quæstio quia cur dicatur in numerum ponere.

Adducit autem quoddam signũ ad manifestandã talẽ quæstionem petere qualis res sit, si enim vis cognoscere q̃ qui petit an luna deficiat, talẽ rẽ petat vtere signo, hoc nẽpè si postquàm responsum sibi fuerit, quæstio illa cesset, hoc autẽ ita est, si enim cognoscit lunã deficere, iam id non interrogat, & si prius sciret, non interrogaret: & aduerte hoc signũ esse applicandũ reliquis quæstionibus, illa enim quæstiones petũt, quibus scitis & cognitis pausant, id est, cessant & absoluuntur. Nota. 1.

In quo etiã signo nota quomodo scientia absoluit quæstionẽ, & varia scientia variã quæstionem, cum tot sint quæstiones genere, quot ipsæ scientiæ. Nota. 2. Quæst. 2.

Altera est quæstio ꝓpter quid, hæc enim sequitur primã, postquã enim qualis res sit cognouimus, propter quid talis sit quærimus, vt propter quid luna deficit? propter quid terra non mouetur?

Quærimus autem hæc quidem sic, &c.

3. Quæst. 3.

Duabus quæstionibus quæ de complexis erant, & in numerum ponebant explicatis, inquit alias duas esse aliter se habentes, sunt enim de re & quæstio sim

Quæst. 4

plici, quarum altera est, an sit res non dico an sit aliquid, vt an homo sit albus, vel calidus, sed an sit simpliciter, id est, tantum an sit, vt an Deus sit, an Centaurus sit, similiter negatiuè an non sit: post hæc altera est, quid sit, vt quid sit Deus: cõcludit tot esse quæsita quot scita & inuenta, loquitur de inuentiua scientia, quæ nobilior est, quamuis id etiam verum sit de scitis per doctrinam.

Primum Dubium de ordine quæstionum.

Circa hæc dubitabis primò de ordine harum quæstionum, nam prima omniũ videtur an sit, postea quid sit, scientiæ enim sic ordinãtur, nõ enim quid sit cognoscimus, nisi cognouerimus quod sit, postea reliqua duo petimus. Simpl. respondet id esse factum, quia à nobis notioribus proceditur, notiora autem nobis sunt compositiora: est autem magis composita quæstio, qualis res sit, quàm an sit: sed hæc ratio non videtur admodũ conueniens, nã ob hanc causam sequeretur quod à propter quid debebat incipere.

Nota. pro solutio. dubij, nõde omnib' quæri an sint.

Propterea dico, & est hoc notandum quod non de omnibus petimus an sit, sed de rebus quæ sensibus non subduntur, quæ enim sensu percipiuntur, nullus petit an sint, vt dicitur .1. Poster. capit. 8. quæstio igitur quæ prima occurrit in sensibilibus ferè est, qualis sit, & propter quid: cùm autem sensibilia primò à nobis cognoscantur, notior enim est nobis res sensu percepta, fit vt quæstio prima non sit an sit, sed qualis sit, de illis enim non est quæstio an sit.

Aristoteles ergo voluit incipere à quæstionibus quę nobis occurrunt primò, de his enim quæ à sensu remota sunt petimus, an sint, & hæc posterius cognoscuntur, & hoc indicat Arist. dicens, quædam alio modo cognoscuntur, & assignat exempla de remotis à sensu.

Dubium Solutio. ordoquę tionum

Dices, nonnè quæstio quid est, sit de sensibilibus? Dico fieri quidem, tamen quia est simplex, & coniuncta cum an sit postposita est, licet an sit: hinc habes & si de eadem re istæ quæstiones fiant, ordine hoc procedere debẽt, vt prima an sit, secunda quid sit, tertia qualis, quarta propter quid sit.

quãdode eadem re fiunt.

Secundum Dubium de numero quæstionum.

Dubitabis secundò de numero quæstionum, nam videntur esse plures, cùm sint quatuor genera problematum. 1. Topic. Simp. tradidit hanc sufficientiam harum quæstionum: omnis quæstio aut sit essentiæ, aut causæ si essentiæ, aut essentiæ simplicis, & est an sit, aut compositæ, & est qualis res sit: si causæ, aut simplicis, & est quid est, aut compositæ rei, & est propter quid.

Argu. in contr.

Sufficientia harũ quatuor quæst.

Possumus nos etiã aliter dicere, nã in scientijs hæc sunt, aut subiecta, aut passiones, aut causæ de subiecto est quid, de passione quale, de causa propter quid, & quia subiectũ nõ habet quid, nec reliqua faciunt quale aut propter quid nisi entia sunt, ante omnia petitur, an sit.

Et aduerte q hic de quæstionibus rerum est sermo, nam ante omnia supponenda est vocabulorum significatio.

Ad dubium igitur respondetur, tantũ has esse quæstiones, nam quãuis illa sint quatuor problematum genera, id est, secundũ formam logicã considerando, secundũ quam aliud prædicatũ est genus, aliud proprium: tamen secundum rem sub prima quæstione sunt: & ita respondet Themist. hoc secundo capite, & idem D. Thom. & Auerr. & Philopo.

Soluitur dubium.

Tertium dubium de diuersitate quæstionum.

Dubitabis de diuersitate harum, dico esse duplex discrimen: alterum, duæ vltimæ sunt simplices, quę priores cõpositæ: alterum duæ, scilicet an est, & qualis est, sunt præsuppositæ & antecedentes, nam ante est, est ante quid est, qualis est, ante propter quid, reliquæ duæ consequentes & præsupponentes: propter quid præsupponit quale, & quid præsupponit an est: quamuis in eadem re tres præsupponant an est, & compositæ simplices.

Quod

¶ Quod omnis quæstio sit medij.

Cap. II.

TEXT. 1. QVærimus autem, cùm quærimus, quod, aut si est simpliciter, an est medium ipsius, aut non est? quando autem cognoscẽtes, aut quod, aut si est aut quod in parte, aut simpliciter, rursus ipsum propter quid quærimus, aut quid est, & tunc quærimus quid est medium.

2. Dico autem quod, aut si est in parte, & simpliciter, in parte quidem, an deficit Luna, aut augetur? si enim est aliquid, aut non est aliquid in talibus quærimus, simpliciter verò si est, aut non est Luna, aut nox.

Contingit itaque in omnibus quæstionibus quærere, aut si est medium, aut quid est mediũ, causa enim est medium: in omnibus namque hoc quæritur, an ne deficit? an ne est alia quæ causa, aut non? post hæc, cùm cognouerimus, quod est aliqua, quid igitur est hæc quærimus.

3. Causa enim est quod sit nõ hoc, aut illud, sed simpliciter substantia, aut nõ simpliciter, sed aliquid eorũ, quæ per se, aut secundum accidens sunt, mediũ est: dico autem simpliciter quidẽ subiectum, vt Lunam, aut terram, aut Solem, aut triangulum, ipsum verò quid defectum, æqualitatem, inæqualitatem, si in medio, aut non: in omnibus namque his manifestum est, quod idẽ est quid est. & propter quid est.

4. Quid est defectus? priuatio luminis à Luna propter terræ obstructionem, propter quid est defectus? aut propter quid deficit Luna? eo quod deficit lumen terra obstructa. Quid est consonantia? ratio numerorum in acuto & graui, propter quid consonat acutum graui? eo quod rationem habent numerorum acutum & graue, nõ quid est consonare acutum & graue? nunquid est in numeris ratio ipsorum? cum autem acceperimus, quod est, quę igitur est ratio, quærimus.

5. Quod autem est medij quæstio, significant quorumcunq; mediũ est sensibiles quærimus enim cũ non sensimus, veluti de eclypsi si est: aut nõ, si verò essemus supra Lunã, non vtiq; quæreremus neque si sit, neq; propter quid, sed simul vtiq; manifestum esset. ex eo enim quod sentitur, & vniuersale nobis factum est scire, sensu namq; est, quod nunc obstruitur, manifestũ enim est quod nũc deficit: ex hoc autem factum vtiq; fuit vniuersale.

6. Quemadmodum igitur dicimus, quid est scire, idem est, & propter quid est hoc verò simpliciter & non existentium alicui, aut in existentium, vt quod duo recti sunt, aut quod maius, aut minus est. Quod igitur omnia, quæ quæruntur, est medij quæstio, planum.

Quærimus autem, cum quærimus, quia est, &c.

1. NVmero quæstionũ exposito, omnẽ quæstionẽ medij esse cõtendit, idq; tripliciter ostẽdit, primò inductione quadam per ipsas quæstiones, vt notat Simp. nam in quæstione qualis res sit, ibi quæ causa sit petimus, in quæstione verò an sit simpliciter, causam etiam petimus, in reliquis duabus notum id est.

Aristot. intentio

Circa hoc aduerte, mediũ vocari causam, per quam aliquid alteri competere, vel nõ competere probatur, hæc autem in omni quæstione petitur, sed non eodem modo, nam in quæstione, quid sit, peto causam, id est, naturam rei, quæ est in potentia medium, vt notat bene Eustra. qui enim petit naturam rei, petit medium in potentia ad probandum aliquid de ipsa re, vt per definitionem hominis probamus de ipso risibile: vel ad probandam ipsam rem de alio, vt per definitionem eclipsis ipsam de luna probamus: dicitur autem medium in potentia, quia id quod petimus non assumitur pro medio ad probandum ipsam rem esse, nõ enim vt dicit Eustrat. per animal rationale de mõstratur hominem esse, cum nõ sit demonstratio, animal rationale est, homo est animal rationale, ergo homo est, sed dicitur

Quid vocet Arist. mediũ. Pri. not.

Defini- tio cur medium dicat in potẽtia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicitur definitio medium, quia potest assumi ad probandū aliquid de ipsa re, vel ipsam de aliquo.

Quæstio quid, & propter quid formaliter quærere causam.

In quæstione verò propter quid, peto causam, quæ est mediū actu, nempe quæ assumitur ad probandum id de quo petitur, tamen in vtraq; tam quid est, quàm propter quid est quæstione, petitur distinctè & formaliter causa, nō sic in alijs quæstionibus duabus, nam an sit confusè petit causam, & similiter qualis res sit.

2. Nota. Quæstione an sit & qd sit idē reipsa, diuersoautem modo quærere.

Pro quo aduerte secundo, quòd cum petitur an res sit, non petitur aliud re, quàm per quid est, nam dicere an sit, & quæres, est asserere esse aliquam naturam vnam ex his, quæ in prædicamentis sunt, sed confusè & vniuersaliter: cum verò petitur, quid est, est petere quæ res sit illa in particulari & distinctè, vnde non differunt in quæsito quantum ad rem, sed quantum ad rationem & modum, an sit, & quid sit.

Quæstio qualis res sit, & propter qd, re conuenit modo abstinguuntur.

Idem dicendum de alijs duabus: petere enim, qualis sit, id est, an sol deficiat, est petere an sit aliquod mediū, sed hoc virtualiter, & in confuso petitur: postea in particulari petitur propter quod medium sit: nam re vera qui quærit, medium petit quo cognoscat, cum quæsitum sit dubitabile, & dubitabile sine medio non cognoscatur.

Ex quibus sit, cū an sit, & quia sit realiter idem petāt, quod quid est, & propter quid est, atque hæ duæ petant causam & medium, quòd omnis quæstio est medij & causæ virtualiter, aut formaliter.

3. *Dico autem quia est, aut si est, &c.*

Præcedentes terminos explicat, qui sunt isti, an sit in parte, an sit simpliciter: quia est in parte, quia est simpliciter. Per an sit in parte, vel quia est in parte intelligit quæstionem cōpositam ex prædicato tertio adiacente, vt an luna deficiat. Per an sit simpliciter, vel quia est simpliciter intelligit simplicem quæstionem de secundo adiacēte, vt an luna sit, an nox sit, ex quibus omnibus concludit intentum, omnem scilicet quæstionem esse medij.

Causa enim est medium, &c. 3.

Iuxta Eustrat. & Simpli. & alios idem iterum probat ratione syllogistica, quæ talis est, causa quæritur in omni quæstione, medium est causa, medium ergo quæritur in omni quæstione: maiorem probat exemplo in quæstione qualis res est, qui enim dicit an luna deficiat, petit, virtualiter tamen, an sit huius aliqua causa, quam postea distinctam petit, cum propter quid quærit, minorem probat, nam causa quæ est ipsius esse non huius aut illius, sed simpliciter subsistantię, aut causa eorum quæ sunt per se vel secūdum accidens, medium est: sensus est, vt quidā volunt, causa esse non hoc vel hoc, sed simpliciter, id est, causa esse simplicis de secūdo adiacente, & esse aliquid eorum quæ sunt per se, id est, causa esse compositi vt dictum est ita exponit Aegid. & Phil. At vero Eustrat. sic exponit, causa subiecti, quod vocat subsistantiam, aut causa ipsius prædicati medium est, quod postea explicat, quorum aliqua sunt subiecta, aliqua prædicata.

Explicatio auto.

Ista est cómunis loci explicatio, quam iudicio meo, videatur magis forsan ad rem dicendum, non solum Arist intendere idem quod in ratione præcedenti, sed ostendere, q. omnis quæstio est ipsius quid est, hoc autem probat monstrando propter quid, quod in quæstione composita petitur esse idem, quod quid est, nam quid est passionis aut subiecti est ipsum propter quid & medium.

Vnde quādo quid, & propter quid vocat idem, intellige, vt dicit Eustr. esse idē subiecto, non ratione, nā cadē definitio subiecti, vel passionis, quæ dicitur quid, est etiam propter quid, sed est quid respectu solius ipsius, cuius definitio est, est propter quid, vt id cuius est definitio: sic ipsam de alio probamus, vel per eam de ipso aliquid probatur: atque ita dicit Philoponus.

Vt quid est defectus? priuatio luminis, &c. 4.

Exemplis explicat re idē esse, & quid, & propter quid, cū id, quod est quid vnius extremi, sit propter quid etiā in demonstratione, primum exemplum, si petas, quid est eclipsis? dicitur est priuatio luminis ex obiectione terræ: si verò petas, propter quid luna patiatur eclipsim, idem respondebitur, propter obiectionem terræ priuantem lumen ipsius.

Alterū exemplum, quid est consonantia? dicetur proportio rationalis, seu numerica acuti & grauis si rursus petas, propter quid acutum & graue cōsonant? respondebitur per idem, quia rationalem habent proportionem: postea subiūgit, cum quærimus vtrum graue & acutum consonent, ibi vtrū proportionē numerorum habeant quærimus, virtualiter tamen, nam concesso quod cōsonent, statim distinctè quænā sit illa ratio & proportio quærimus, cū quærimus propter quid consonent, vt dictum est superius.

5. *Quod autem sit medij quæstio, &c.*

Tertio probat omnem quæstionem esse medij ex sensu ipso, cum res sensibiles sunt, ratio autem ista est, viso medio cessat omnis quæstio, ergo signū est omnem quæstionem esse medij: antecedens patet, si aliquis non videt eclipsim, dubitat an sit, quid sit, & reliqua, at si super lunam constitueretur, & videret terræ obiectionem, omnia ista cognosceret, ergo cognitione medij cessat omnis quæstio, tūc enim videret priuationē luminis lunæ ex obiectione terræ, & sic quid eclipsis, & quod lunæ insit, & propter quid cognosceret. At posses obijcere Arist nāsentire nō est scire, vt dictum est lib. 1. ca. 24. respondet huic, verum esse, quod sentire non est scire, sed ex sensu sumimus scientiam abstrahendo vniuersale à singulari, & ita talis sensatio non esset scientia, sed ex illa fieret scientia in intellectu.

Obiect.

Dilatio.

6. *Sicut igitur diximus, &c.*

Concludit idem esse quid, & propter quid siue sit in quæstione simplici, siue in composita, vt aliqui exponūt illa verba, (ad secundum Eustra.) sensus est, idem esse quid, & propter quid, siue subiecti, qd vocat esse simpliciter, siue passionis, cuius exempla ponit: tandem concludit ex his omnibus omnem quæstionem esse medij, vt explicatum est.

Primum dubium de quæstione an est.

Dubitatur, quo modo demonstretur rem esse, vt Deum esse, Angelum esse naturali via: ratio dubij est, nam demōstratio supponit suum subiectum esse, nō ergo demonstrare poterit rem esse: præterea quia cum tale subiectū debeat in minori poni, petetur principiū, dum supponimus esse quod probandum erat esse.

Argum. in cōtra. 1. 2.

In primis aduerte quādo petimus an res sit, non petimus actualem rei essentiam, sed aptitudinē ita, vt res dicatur esse, quę in suis causis existit, & sunt in rerum natura principia illius, productiua. Circa dubium verò Philo. dicit hic per definitionem probari rem esse, quam etiam opinionem sectantur doctores Parienses dicentes sic hominem esse demōstrari, omne animal rationale est, homo est animal rationale, ergo homo est, Eustra. verò docet hanc rationem positam nullam esse, cum principium petat.

1. Fūda. An res sit qstionē nōpetere rei actualem essētiam sed aptitudinem

At verò diligēter aduerte quatuor esse genera mediorum ad probandum rem esse, primū effectus sicut per visibiles effectus indagamus ea, quę non videmus. Alterum est causa finalis, per finem enim probamus ea esse, quæ sunt ad finem, vt probamus cibum esse vbiq; animalibus, quia viuunt, tertiū est materialis causa, quartum efficiens, vt probamus pluuias esse, quia vapores ascendentes sunt, quæ sunt earum materia: probamus tonitrua esse, quia extinctio ignis in nube est, quę est causa efficiens, at per formam rei non demonstratur, quia cum sit eadem cum natura rei, & simul existat, petitur principium dum ea sumimus ad probandū, cum igitur à singulis causarum generibus singula sumantur definitionum genera, poterit medium demonstrandæ rei esse definitio aliqua, sed non formalis, qualis est illa, quæ per genus & differentiam datur, quam aliqui identicam vocant, & in hoc bene dixit Eustra.

Quatuor genera mediorū ad probandum rem esse.

Rē esse, p formalem causam non demonstrari.

Dices,

Obiectio Solutio.

Dicet, quo syllogismo rem esse demõstrabitur? dico, & aduerte, quod sicut quæstio quid est, præsupponit an est, ita an est, præsupponit quid nomen significet, vt dicit Linc on.

Nota. 1. significationẽ vocabuli esse sumendã, antequã medium aliquod petatur.

Ante omniã igitur, & antequam medium aliquod petatur, est sumenda significatio vocabuli, quam tenetur dare qui negat rem esse, & tunc poterimus syllogismo hypothetico probare sic, si gnis extinctio in nube est, tonitrua sunt, sed extinctio est, ergo tonitrua sunt: est enim primo petẽda nominis significatio illius, quam illam esse constet: similiter qui petit an Deus sit, interrogetur quid per Deum intelligat, dicet substantiam primam mouentem & gubernantẽ omnia: tunc, si motus est, Deus est, sed est motus, ergo est Deus, similiter negatiuè, quid intelligitur per vacuum, dicet locus carens corpore, tunc, si locus careret corpore, motus esset in instanti, sed hoc nõ est, ergo vacuum non est, & sic per omnia media supradicta procedet demonstratio: potest etiam fieri demonstratio ostensiua, scilicet, fiunt ex vaporibus pluuiæ, sed sunt vapores, ergo & pluuiæ.

Nota. 2. In quæstione an sit, cõp'ehẽsum virtute quæstionem cõtineri

Quod si aliud in hoc præter hęc desideras, aduerte in qualibet quæstione an sit, esse virtualiter vnam complexam de vno concesso & de altero quæsito, vt si dicas an Angelus sit, sensus est an substantia immaterialis sit: datur substantia, & dubitatur an ei insit immateriale, an vacuum sit, id est, an locus carens corpore sit: datur locus, petitur an careat corpore, & vniuersaliter in quocunque semper est vnum datum, alterum non concessum sed quæsitum. Quoties ergo talis

Quæstio an sit, quod mõstretur.

quæstio affirmatiua vel negatiua simplex proponitur, reducatur ad complexam, & illam demonstrantes demonstrabimus rem esse, & sic omnis demonstratio supponit subiectum esse, nam in quæstione an sit, demõstratio supponit illud subiectum esse quod virtualiter datum est absque petitione principij: hæc multum obserua.

Solu. Ar.

¶ *Quod demonstratio & definitio non sit eiusdem.*

Caput. III.

TEXT.

QVomodo autẽ quod quid est mõstratur, & quis modus reductionis, & quid est definitio, & quotũ, dicam⁹, cum dubitauerimus primo de ipsis. 1.

Principiũ verò sit futurorũ, quod est cõuenientissimũ habitis sermonibus.

Dubitare enim quispiam posset, an ne est idem & secundũ idem definitione scire & demonstratione? An impossibile: definitio namque ipsius quid est esse videtur, quid est autẽ omne, vniuersale & prædicatiuũ: syllogismi verò sunt, hi quidem priuatiui, illi autem non vniuersales: veluti qui quidem in secũda figura, priuatiui omnes, qui verò in tertia, non vniuersales. 2.

Postea neq; prædicatiuorũ omniũ, qui sunt in prima figura, est definitio, vt quod omnis triangulus duob⁹ rectis æquales habet. Huius autẽ ratio quoniam scire, est demonstratiuè demonstrationẽ habere: quare, si in talib⁹ est demonstratio, planũ quod non esset vtiq; ipsorum & definitio: scire enim posset aliquis & secundum definitionẽ non habens demonstrationem, nihil enim prohibet non simul habere. 3.

Sufficiens autem est fides & exinductione, nihil enim vnquã definientes nouimus, neq; eorũ quæ per se insunt, neque accidentium. 4.

Amplius si definitio substãtię quędã cognitio est: talia manifestũ quod non sunt substãtię. Quod igitur nõ est definitio ois, cuius & demõstratio, planũ. 5.

Quid autẽ cuius est definitio, an ne omnis est demõstratio, aut non? Vna quidẽ ratio, & de hoc eadem: vnius. n. inquantũ vnum, vna est scientia: quare siquidem scire demõstratiuum est demonstrationem habere, cõtinget aliquid impossibile, definitionem, neq; habens sine demonstratione sciet. 6.

Amplius principia demonstrationũ sunt

sunt definitiones, quorũ non esse demonstrationes monstratum est prius, aut erũt principia demonstrabilia, & principiorum principia, & hoc in infinitum prodibit aut primæ definitiones erunt indemonstrabiles. 7.

Sed an ne non omnis eiusdem, sed alicuius eiusdem est definitio & demonstratio, an impossibile sit? nõ enim est demõstratio cuius definitio, definitio namq; ipsius quid est & subsistentia: definitiones verò apparent omnes supponentes & accipientes ipsum quid est, vt mathematicæ quid vnitas & impar, & alię cõsimiliter. 8.

Amplius omnis demõstratio aliquid de aliquo mõstrat, vt quod est, aut nõ est, in definitione verò nihil alterũ de altero prædicatur, quẽadmodum, neq; animal de bipede, neq; hoc de animali, neq; vtique de plano figura, non enim est planum figura, neq; figura planum.

Amplius alterum est quid est, & quod est monstrare, definitio namque quid est significat, demonstratio autem, quod aut est hoc de hoc, aut non est.

9. Alterius verò altera demonstratio, nisi tanquã pars sit aliqua totius (hoc autẽ dico, quoniã monstratũ est æquicrus duobus rectis æquales habere, si omnis triangulus monstratus fuit) pars enim hoc, illud verò totum est: hęc autẽ ad se inuicẽ non habent sicipsum quod est, & quid est, nõ enim est alterius alterum pars.

10. Manifestum igitur quod neq; cuius definitio huius omnis demonstratio: neq; cuius demonstratio, huius omnis definitio: quare omninò eiusdẽ nullius cõtingit ambo habere. Manifestũ igitur est, quod neq; definitio & demonstratio, neq; idẽ esse possunt neq; alterũ in altero, subiecta etenim cõsimiliter vtiq; se haberẽt. Hæc itaq; hucusque dubitata sint.

1. Quę inuestio Arist. & de quibus agit.

Quomodo autem quod quid est, &c.

CVm idẽ quid & propter quid esse docuisset, posset aliquid videri idẽ esse definibile, cuius est quid, & demonstrabile, cuius est propter quid: ob id ad hoc diuuadendum hoc capite id non esse probat, atque sic Simpli. huius capitis reddit rationem.

Quatuor igitur proponit tractanda in sequẽtibus. Primũ quemodo quod quid est, id est, ipsarei natura ostendatur de re cuius est. Alterũ, quis modus inductionis, id est, reductionis definitionis ad demonstrationem. Tertiũ quid definitio, an sit demonstratio, an aliud quid. Vltimum, quorum sit definitio.

Dicit autem sumendum esse principium, quod sit accõmodatum rationibus habitis: exponit Philop. & Auerr. per rationes habitas, ea quæ proximè dicẽtur de definitione, nempè tria prima ex his quatuor, nam incipit à quarto, vt dicit Simpl. per habitas etiam rationes intelligit Philo. ea quæ dicta sunt, nẽpè quid, & propter quid esse eadem.

Dubitabit autem aliquis, &c. 2.

Circa quartum propositum tres mouet quæstiones, quarum prima est, vtrum idem, & secundum idem, quod demonstratione cognoscitur, etiam definitione cognoscatur, id est, an omne demonstrabile sit definibile: & dicit secundum idẽ, nam vt notant Themist. & Philop. de eodem subiecto potest esse definitio & demonstratio, nam de homine, qui definitur, demonstratur risibile, sed non secundum idem: nam homo secundum se definitur, at de eo passiones demonstrãtur.

Quæstio.

Incipit igitur argumentari probando non esse idẽ, sic, definibile est vniuersale & affirmatiuum, at q; syllogizatur, non omne est vniuersale & affirmatiuum, nã in secũda figura non affirmatiuum, in tertia non vniuersale concluditur, ergo nõ omne quod est syllogizabile, est definibile. Aduerte, quòd quid est, vocare vniuersale affirmatiuum, non quod sit propositio secundum se, sed quod cum eo cuius est quod quid, fiat vniuersalem & affirmatiuam propositionem.

1. argu.

Posteaneque eorum quæ est in prima. 3.

Posset quis obijcere, saltem demõstrabile affirmatiuũ in prima figura, erit definibile, vt quod omnis triangulus habet

Obiect.

tres

Universidad de Deusto
Biblioteca

tres angulos æquales duobus rectis: contra hoc replicat, nam demõstrabile scire est eius habere scientiam, si ergo per definitionem scire etiã potest, cũ definitio ponit esse sine demõstratione, erit scientia demonstrabilis ipsius, & non per demonstrationem, quod est inconueniens.

4. *Sufficit autem si les, &c.*

2. Argu. Argumentum secundum est ex inductione, ea enim quæ alteri insunt, siue per se, siue per accidẽs, non cognoscimus definitione, sed demonstratione & syllogismo, vt inducendo patet: vocat autem ea quæ per se, aut per accidẽs insunt propositiones ipsas, in quibus vnum alteri inest, propositionum autem non est definitio, sed simplicium.

5. *Amplius si definitio substantia est.*

3. Argu. Tertio idem probat, definitio est substantię, nõ autem demonstratio, ergo demonstrabile nõ est definibile: per substantiam non solũ intelligas id quod non est accidens, sed quamcũq; simplicem essentiam & naturam, siue sit substantia, siue accidens: vt notat Philopo. essentiam enim rei definitione, eius verò passiones demonstratione de ipsa cognoscimus.

6. *Quid autem cuius est definitio, &c.*

2. quæst. Proponit alterã quæstionẽ, an omne definibile sit demõstrabile, dato etiam, q̃ non omne demõstrabile est definibile & probat nõ omne definibile esse demõstrabile, atq; dicit vnam rationem præcedere esse etiã pro hac quæstione, nẽpè si definibile est demonstrabile, accideret quod sine demonstratione haberemus scientiam demõstrabilis, hoc autem impossibile est, cũ vnius secundũ quod vnum est, vna sit scientia, nempè aut per definitionem, aut per demonstrationem: dicit vnius secundum vnum, quia vt diximus, de vno possunt esse definitio & demonstratio, & varia scientię secundum diuersa de illo considerata, sed secundũ idem fieri non potest.

7 *Amplius principia demonstrationũ, &c.*

Altera ratio est talis, quę in sensu cauẽdi debet intelligi vt benè exponit Themist. sic: principiorum sunt definitiones, sed non demonstrationes, ergo non omne definibile est demonstrabile, sed aliquod erit primum & immediatũ: antecedens, pro priori parte, patet. nã subiectorum sunt definitiones, non tamen omnium demonstrationes, sunt autem subiecta demonstrationum principia, vt dicitur. 1. Post. ca. 25. pro posteriore parte probatur, nam alioqui demonstrationes in infinitum procederent, si semper principia demonstrabilia essent.

Sed vtrum sit non omnium, &c. 8.

Quæstio tertia est, an saltem alicuius definibilis sit demonstratio, & argumentatur quod non, primo, omnis definitio est subitãrię, at demonstrationes supponunt quid est, & passiones demonstrant, non ergo vllum definibile est demonstrabile: secundo, demõstratio demonstrat aliquid esse, vel non esse, quod in prædicatione fit, at definitio hoc non ostẽdit, non enim definito vnam partem de altera prædicat, vt rationale de animali, nec de plano figura. Hic attende, ne decipiaris, nõ negatur quod partes definitionis inuicem possint prædicari, sed q̃ in definitione non prędicentur, nõ enim contingit prædicari nisi in propositione, at definitio non est propositio: tertio idem probat ex diuersitate quæstionum, ex quibus colligitur diuersitas scibilium, est autem alia quæstio quid, altera quia est, illa definitione, hæc demonstratione terminatur.

3. quæst.

Partes definitionis in ipsa definitione de se mutuo non prædicari.

Alterius autem altera, &c. 9.

Posset quis dicere, quamuis quid & quia non sint idẽ, poterit tamen esse demonstratio vna vtriusq; & vna ostendendi via: sicut vna est demonstratio trianguli quod habeat tres angulos, similiter & Isoscheli sita pariter de cõposito quia & de simplici quid est: respondet id esse, cũ se habent sicut species & genus, quæ vocat partem & totum, non autem sic se habent id cuius est definitio, & id cuius est demonstratio.

Manifestumitaque, &c. 10.

Con-

Concludit tandem quæstiones quas disputauit epilogando, & similiter docet consequenter nec definitionem esse demonstrationem, nec vnam alterius speciem, cùm non sic se habeant definibilia & demonstrabilia.

¶ Syllogismo duplicante, similiter & per diuisionem confecto non demonstrari quid est de eo cuius est.

Caput. IIII.

TEXT. 1. IPsius verò quid est, est ne syllogismus & demonstratio, aut non est quemadmodum nunc ratio suppositit?

2. Syllogismus enim aliquid de aliquo monstrat per medium, ipsum verò quid est, & proprium est, & in eo quod quid est prædicatur, hæc autem necesse est cõuerti. Si enim A, ipsi C, proprium est, planum, q̃ & ipsi B, & hoc ipsi C: quare omnia ad inuicem, verumenimuero & si A, in eo q̃ quid est inest omni B, & vniuersaliter B, de omni C, in in eo q̃ quid est dicitur, necesse & A, in eo quod quid est de C, dici: si verò non sic aliquis accipier duplicans, non necesse erit A, de C, prædicari in eo quod quid est: sed si A, quidem de B, in eo q̃ quid est, ipsum verò B, nõ de quibuscunque in eo quod quid est, ipsum aũt quid est ambo eadẽ habebũt: erit igitur & B. de C, quod quid est.

3. Si itaq; ipsum quid est & ipsum quid erat esse ambo habent, in medio termino erit prius ipsum quid erat esse. Et omninò, si est monstrare, quid est homo, sit C, homo, A: verò quid est, siue animal bipes, siue aliud quidsi itaq; syllogizabitur, necesse est A, de B, omni prædicari, huius autem erit alia ratio media, quare & hoc erit, quid est homo: accipit igitur quod oportet mõstrare, nanq; & B, est quid est homo. Oportet aũt in duabus ppositionibus & primis & immediatis cõsiderare, maximè enim manifestũ, q̃ dicitur sit.

2. Priorũ cap. 21.

4. Qui igitur monstrant per id quod cõuertitur, quid est anima, aut quidem homo, aut aliud quodcũq; entium, quod ex principio est petunt: quemadmodum, si aliquis existimaret & animam esse idẽ sibijpsi causam viuendi, hoc autem numerum ipsum seipsum mouentem: necesse est enim petere animam, quod numerum esse ipsum seipsum mouentem sic, vt idẽ existere.

Nõ enim si A, sequitur B, & hoc C, erit A, q̃ quid erat esse ipsius C, sed verũ erat dicere, erit † solũ, neq; si est A, quod quid est, & de B, prædicatur omni, hoc enim, q̃ est animali esse prędicatur de eo, quòd est homini esse: verũ enim est omne homini esse animali esse, quemadmodũ & omnem hominẽ animal esse, sed non sic vt vnum sit. Si igitur nõsic acceperit, nõ syllogizabitur, quod A, & ipsi C, q̃ quid erat esse: & substantia: si verò ita acceperit, prius erit acceptũ C, quod quid erat esse ipsius B, quare non demonstratum fuit, hoc enim in principio accepit.

† Ar. 1. 2. solum.

Ipsius autem quid est, &c. 1. Intẽtio Aristo.

IN hoc capite incipit quæstionẽ primã ex quatuor præcedentibus discutere, quo modo nempè quid est possit ostẽdi de eo, cuius est quid est: intelligit autem per quid est naturã & essentiam rei, quæ definitione essentiali explicatur, & dubitatur qua via hoc quid est ostẽdamus esse quid est talis rei, inquit, autẽ q̃ rationes præcedentis capitis videntur supposuisse hoc non posse ostẽdi, quia dictum est definibile nullum esse demonstrabile.

Syllogismus enim aliquid, &c. 2.

Incipit probare quod syllogismo non possit moustrari, ac supponit primo syllogismum omnem probare aliquid de aliquo per medium.

Supponit secundo, quid est esse proprium rei, & eiusdem prædicatum quidditatiuum, proprium ad differentiam generis, quidditatiuum ad differentiam accidentis proprij, hæc enim duo insunt definitioni.

Tertio supponit, quod cũ quid cõuertatur cum eo cuius est quid, debet syllogizari per medium etiam conuertibile, ita

Universidad de Deusto
Biblioteca

ita vt omnes tres termini sint cõuertibiles: cũ enim conclusio vniuersalis est ex cõuertibilibus, & mediũ erit pariter conuertibile, vt in literis explicat Arist.

Supponit quarto si debet concludi aliquid tanquam quid est de re, oportere vtraque præmissa sit secundum quid est, vt si A, probandũ est esse quid de C, oportet vt A, de B, & B, de C, sit in quid est, & dat huius rationem, nam nisi sic præmissæ sumantur, non erit necesse conclusionem esse in quid est, quasi dicat potetimus quidem concludere quid est per præmissas, quæ non sint secundum quid est, sed tales non ostendent necessario conclusionem esse secũdum quid est, nisi sic etiam sumantur.

Dubium. Circa hoc suppositum est dubium, an hoc sit intelligendum quod expresse ponatur illa reduplicatio in quid, dicendo, omne B, est A, in quod quid, est omne C, est B, etiã in quod quid, ergo omne C, est A, in quod quid: ita volunt multi, inter quos est Alber. Aegid. & talem vocãt syllogismum duplantem, & quidem est probabilis opinio, mihi tamen magis placet in hoc Caiet. sententia, qui dicit non fieri hanc duplicationem addẽdo illam particulam, sed re ipsa sumẽdo tales propositiones, nam sicut demonstratio debet procedere ex causis, & ex necessarijs immediatis & reliquis, tamen nõ est addenda particula, quæ hoc dicat, ita similiter est hic intelligendus Aristo. nempè vt tales propositiones sumantur, quæ sint in quod quid est.

Solutio. Nota literam sic (sed si A, de B, in eo quod quid est, non autem B, in quocunque in eo quod quid est) id est, si maior in quid non autem minor adde tu, non sequetur conclusio in eo quod quid est, (ipsum autem quid est vtraque) id est, si vtraque est in eo quod quid est, non solùm maior, sed C, B, minor, tunc conclusio erit in quid.

3. *Si igitur quod quid est, & quid erat esse, &c.*

Concludit ex suppositis in tali syllogismo peti principium in medio termino, id est, in minori, vt dicit Themist. in qua medium de subiecto conclusionis prædicatur, quod medium cũ sit quid est ipsius subiecti, petitur principium, vnum enim est quid & essentia rei vnius: licet varijs posit vocibus explicari: ob id talis essentia, quę erat probãda, petitur in minori: quod sit manifestum si sumamus duas propositiones immediatas, id est, in quibus quid est semper prædicetur, & in minori & in maiori.

Nota. Definitiones per externas causandas tas, non quid sed propter quid rei tantũ dicere.

Hic aduerte, quod non loquimur de definitione quæ per causas externas datur, hæ enim non dicunt quid, sed propter quid rei tãtum: sermo autem est de quid est, & de definitione explicãte tale quid, & in his procedendo principium petitur vt dictum est, & hoc nota.

Per conuersionem igitur, &c.

Reijcit opinionẽ eorum, qui per duas definitiones quid est dicẽtes existimabãt se demõstrare posse quid est, nempè vnã per alterã, vt de anima sumebant esse id quòd à se vitã habet, similiter esse numerum se ipsum mouentem, quę cõuertuntur inter se, & quid animæ dicunt, & per vnam alterã probabant. Cõtra hos Aris. dicit sic etiam peti principiũ, nam vnam illarũ oportet petere in præmissis de subiecto, non enim sufficit quod præmissæ sint essentiales, nã etiã genus essentiale est subiecto, sed debẽt esse sicut definitio & definitum, quæ vnum esse sunt, si verò nõ sic sint, non cõcludetur quid, si autem sint sic petetur iã in præmissis quid vnum ipsius animæ: nota similiter hic agi de definitionibus quæ dicunt quid.

¶ *Quod via diuisionis non possit demonstrari quid est.*

Cap. V.

TEXT. 1.

VErum enimuero neq; per diuisiones via syllogizat, quemadmodũ in resolutione circa figuras dictũ est. nusquam enim necessarium: sit rem illam esse, cũ hæc sint, sed quemadmodũ neque inducens demonstrat, non enim oportet conclusionem interrogare, neque in eo quod datum esse, sed necesse est esse illis existentibus.

2. Etenim si dixerit respõdens, An ne homo animal, aut inanimatũ, postea accipiat animal, non syllogizatum fuit, rursus omne animal, aut pedestre, aut aquaticũ, accipiat pedestre, & hominẽ esse totũ animal pedestre, nõ necesse est ex dictis sed accipit & hoc: differt autẽ nihil in multis aut paucis ita facere, idẽ. n. est.

3. Non syllogisticus igitur vsus sit ita progredientibus, & ad ea quæ contingit syllogizari: quid n. prohibet hoc verũ quidẽ esse omne de homine, non tamen quid est, neq; quod quid erat esse significans?

4. Amplius quid prohibet, aut addere aliquid, aut auferre, aut supergredi substantias? hæc igitur præmittantur quidem.

5. Contingit autem soluere, si quis accipit ea, quę sunt in ipso quid est, omnia, & cõsequens diuisione faciat petẽs primũ, & nihil derelinquat: hoc autem necessarium est, si omne in diuisionem cadit, & nihil deficit, hoc aũt necessarium, indiuiduũ enim iam oportet esse. Sed syllogismus tamen nõ est, sed siquidẽ alio modo cognoscere facit, hocquidem nihil absurdum fuit: neq; enim inducens fortè demonstrat, sed tamen ostendit aliquid.

6. Syllogismum verò non dicit ex diuisione dicens definitionẽ, quemadmodũ enim in conclusionibus, quę sunt sine medijs, si quis dicat, quod his existentibus necesse est hoc esse, contingit interrogare propter quid, ita & in diuisis definitionibus, quid est homo? animal mortale, habens pedes, bipes, sine pẽnis, propter quid iuxta vnamquamq; appositionem? dicet enim, & monstrabit diuisione, sicut opinatur, quod omne, aut mortale, aut immortale est: talis autem oratio tota non est definitio: quare & si demonstraretur diuisione, non tamen hæc definitio syllogismus efficitur.

1. Instãtia Aris. nõ posse vi delicet quid probari via diuisionis.

At verò neque per diuisionem, &c.

PRobat via diuisionis nõ posse probari quid est, de quo etiã dictum est li. 1. Prior. cap. 31. quem librum vocat resolutionẽ circa figuras, eo quod illic syllogismos in tres figuras reducere docemur. Probat autem primo quod per diuisionẽ quid est non ostendatur, sic in diuisione non sequitur necessariò conclusio ex præmissis positis, sed adhuc oportet petere à respondente præter præmissas, ergo non est via necessaria, qualis debet esse ad probandum quid est, conclusio enim debet sequi ex præmissis necessariò, & nõ debet solum habere veritatem ex concessione, sed ex præmissis, quamuis respondens nihil det.

Nota. In diuisione duplicẽ esse processũ

Hic aduerte in diuisione, de qua hic est sermo, esse duplicẽ processum: alter est syllogisticus, in quo subditur diuisum tanquam mediũ, & coniunctũ ex partib⁹ est maius extremũ, & vna species, minus.

Verbi gratia omne animal est rationale, vel irrationale, omnis homo est animal, ergo est rationalis, vel irrationalis. Alter processus est enthymematicus, in quo ab vnius vel plurium partium exclusione proceditur ad alterius assitmationem, nempe ex cõclusione illata, omnis homo est rationalis, vel irrationalis, nõ irrationalis, ergo rationalis: & vtro q; iste processus diuisio vocatur in præsenti.

2. Nota. In diuisione duplicẽ esse cõclusionem.

Verũ homo est animal, aut inanimatũ, &c.

Probat in tali cõclusionem tantam non sequi, & aduerte quod sunt duæ conclusiones, altera est ex prædicato cõplexo, scilicet omnis homo est rationalis vel irrationalis, & hęc quidẽ necessario sequitur ex præmissis, altera est homo est rationalis, & hęc est intenta, & quæ est in quid est, sed talis non sequitur ex præmissis nisi accedente vltimus concessione respondentis, quod homo non sit irrationalis. Probat igitur Aristot. quid petat principium in tribus. Primo in genere, cum enim genus sit pars ipsius quod est probandi, petitur interrogando an homo sit animal, nec ne? nam saltem supremum genus est petendum, cum per diuisionem colligi nequeat, secũdo petit in differẽtia, quia præter illas præmissas petit

tit sibi dari hominem nõ esse irrationalẽ, similiter supponit non esse plures differentias alias, & in hoc similatur inducenti, vt notat S. Thom. qui supponit sic esse in reliquis singularibus, quæ non inducit, vel illa inducta esse omnia, ac ob id non demonstrat: tertio petit sibi dari hominem esse totũ hoc, animal gressibi le bipes, absq; vlla coniunctione interposita, hoc enim nõ probat, quamuis singulæ partes per se probarentur: quia verò exempla posuerat in bimembri diuisione, dicit parũ hoc referre, cum id sequatur in multis, sicut in paucis.

Dubium

Dubitabis, quare definitio debet esse continua & non interpolata? nota eodẽ modo se habere cõpositum metaphysicum quod constituitur ex genere & differentia, & cõpositum physicum quod componitur ex materia & forma, nam differentia est sicut forma, genus vt materia, forma autem vtitur materia sine aliquo intermedio, quia materia est quoddam ens imperfectũ & inconsummatum, perficiendum & consummandum per formam, vnde sicut medietas literæ alteri medietati absque medio copulatur, ita forma materiæ, & consequenter differentia generis: ex quo fit vt non dicamus homo est animal & rationale, sed simul animal rationale, quod totum tale diuisione nullo modo probatur: sed petitur.

Cõpositũ metaphysicũ & physicum partiõe se habere.

3. *Non syllogisticus quidem igitur, &c.*

Concludit diuisionem non concludere quid est syllogizando, imò inquit nec ea quæ aliàs syllogizari possent, per diuisionem syllogizantur, vt quando aliquid accidentale concluditur, cum semper petatur principium circa numerum partiũ diuisi, & in petẽdo negationem aliarum partium, vt dictum est, quod idem etiam docuit primo Prior. ca. 33.

Amplius quid prohibet, &c.

4. Altero argumento conatur infringere idem, nempe diuisione cõcludi quid est argumentum tale est, diuisioni accidunt aliqua, ex quibus non potest cõstare quid est, ergo non est via certa & necessaria ad probandum quid est, quia fit diuisio generis aliquando per accidentia, quæ non pertinent ad quid est, aliquando per vltimas differentias prætermittendo intermedias, & tunc ex tali genere & differẽtia non fit definitio, non enim dices homo est vivẽs rationale, vt dictum est sexto Topicorum, quia ablatum est aliquid hominis substantiæ, nempe sensibile, aliquando fit non perueniendo vsque ad vltimas differentias, & sic definitio nõ fiet propria definito, vt si dicas homo est viuens sensibile, non ergo est via apta diuisio ad quid est ostendendum. Vis argumenti hæc est: diuisio ipsa non ostendit an differentiæ sint accidentales an adequatæ, an vltimæ, nisi aliunde ista probentur, quæ tamen sunt necessaria vt ostẽdatur quid est, nõ ergo est via apta ad id ostendendum probandum.

Contingit autem soluere, &c.

5. Posset aliquis dicere argumentũ hoc solui, si sumamus diuisionem per mẽbra essentialia & consequenter se habentia, id est, adæquata, & descendendo vsq; ad vltimam speciem, in tali enim diuisione quid est ostenderetur, hoc excludit Arist. dicens, adhuc nõ syllogizari quid est, propter id quod dictum est in argumẽto primo, est tamen via quædam bona pro manifestando quid est, sed non via syllogistica, sicut inductio manifestat aliquid nẽ peruniuersale, sed non syllogizandi via.

Syllogismus aũt non dicitur ex diuisione, &c. 6.

Docet per diuisionem venantem definitionem non syllogizari, & probat sic, illud de quo post rationem factam contingit petere propter quid, non est syllogizatũ, sed de definitione post factam diuisionem contingit petere propter quid, vt propter quid homo est animal rationale bipes, ergo non est syllogizata: maior patet in conclusionibus, quæ necessariæ asserunt: siue aliquo medio probãte, quarum contingit petere propter quid: minor probatur, nam quãuis demus singulas definitionis partes, vt opinio illorũ existimat, diuisione ostendi, tamen oratio illa tota ex singulis partibus non probatur esse definitio, non ergo definitionis est syllogismus.

Potest esse etiam alius sensus, quòd diuisio demonstrat quidem primam cõclusionem, nempe hominem esse rationalẽ aut irrationalẽ, animal mortale aut immortale, sed hoc totum nõ est definitio, sed animal rationale solum, non verò irrationale, hoc verò petitur, nõ probatur, cum adhuc possit quæri, quare homo tantum rationalis est.

Disceptatio quod ipsum quid est non monstretur definitione, neque definitione contrarij, neq; alio quouis modo.

Caput. VI.

TEXT.

1. SEd an ne est demonstrare ipsum quid est secundum substantiam? ex suppositione autem accipientem ipsum quidem quod quid erat esse, hoc, quod est ex propriis in eo quod quid est, hæc autem in eo quod quid est sola, & propriũ omne: hoc enim est esse illi. An rursus accepit quod quid erat esse, & in hoc? necesse enim est per medium monstrare.

2. Amplius quemadmodum neq; in syllogismo accipitur quid est ipsum syllogizare, semper enim tota aut pars est propositio, ex quibus syllogismus, ita neque ipsum quod quid erat esse oportet inesse in syllogismo, sed seorsum hoc à positis esse, & ad dubitantem, si syllogizatum est, aut non hoc, occurrendũ est quod, hoc enim erat syllogismus, & ad illum, quod, non ipsum quid erat esse syllogizatum est, quod certe: hoc enim positum fuit nobis ipsum quòd quid erat esse: quare necesse est & sine quid est syllogismus, aut ipsius quod quid erat esse syllogizatum fuisse aliquid.

3. Et si ex suppositione monstret, velut si malo inest diuisibile esse, cõtrario autem hoc, quod est contrariũ ineste quibuscunque est aliquid contrarium: bonum autem malo est contrariũ, & indiuisibile diuisibili: est igitur bono ineste indiuisibile esse.

Hinc etenim accipiens ipsũ quid erat esse monstrat: accipit aũt ad monstrãdũ ipsum quod quid erat esse, alterũ tamen sit: in demonstrationibus nanq; quod est hoc de hoc, sed non ipsum, neque cuius eandem est ratio, & conuertitur.

Ad vtrosq; verò, & ad monstrantem secundũ diuisionem, & ad sic syllogizantem, eandem est dubitatio, propter quid homo est animal, bipes, pedestre, sed nõ animal & pedestre: ex ijs enim, quæ accipiũtur, nulla necessitas est vnũ fieri quod prædicatur, sed quemadmodum homo idem esset & musicus & grammaticus.

Sed vtrum sit demonstrare, &c. 1.

PErgit adhuc probare, quid est ostẽdi nõ posse, & in præsenti duos excludit ostendendi modos, alter est per definitionem definitionis, alter est per definitionem contrarij, quos vocat modos probandi ex cõditione & suppositione, quia per vnius definitionem probant alterius definitionem. Aristot. intẽtio.

Proponit igitur an quid est substãtiale probetur: accipiendo quid est ipsius definitionis: nempe oratio quæ soli inest, & in quid prædicatur, & fiat talis discursus, omnis oratio quæ soli inest, & in quid prædicatur, definitio est, animal rationale est huiusmodi, ergo animal rationale est hominis definitio, dicit sic non demõstrari, nã hoc modo etiam petitur principium, nã pro medio sumere oportet definitionẽ de definito absq; probatione. Aliqui dicunt principium peti in maiori, sumentes definitionẽ de ipsa definitione, & non probantes: aliqui dicũt, quod in minori, quia petere, quod animal rationale insit homini soli: & in quid, est petere probandum, quod sit definitio, melius dicamus, quod in vtraque petitur principium. Nota.

Amplius sicut nec in syllogismo, &c. 2.

Idem etiam probat alio argumento, sicut enim probantes aliquam conclusionem, nẽpe, homo est risibilis, propositio

Universidad de Deusto
Biblioteca

nes sumimus vniuersales, quæ dicuntur tota, aut aliquas particulares, quę dicuntur partes, ex quibus illud probamus, nō autem sumimus pro præmissa definitionem syllogisin, sed si aliquis syllogizata conclusionem illam esse negat, tunc definitione syllogistai probamus, ita nec definitione definitionis oportet ꝓbare animal rationale tanquam quid de homine. sed alio principio, quod si negetur definitum esse, tunc definitione definitionis id probare contēdimus: argumentum hoc est à simili.

3. *Et si ex constitione monstret &c.*

Alterum modum quid est probandi reijcit, nempe per definitionē vnius contrarij, vt bonum & malum sunt contraria, mali natura & quid est diuisibile, ergo boni natura & quid est indiuisibile, contrarijs enim contraria insunt: sed hic petitur principium, nam ad probandum vnum quid, petit sibi aliud dari. Dices, nonne etiam in syllogismo quouis petimus propositiones ex quibus syllogizanda est conclusio? ad hoc respondet, in syllogismo petī cōclusionis probandę propositiones, sed non est æqualis, & æqualis scientia ne cognitio præmissarum & conclusionis. nec per illam conclusionē iterum præmissæ eodem modo probari possunt: at contrariorum æqualis est scientia & cognitio, & conuertuntur, nam eodem prorsus modo quo vnum per alterum, etiam alterum per alterum contrarium probatur, ob id in his petitur principium, tanquam in simili & pari, nō autem in syllogismo.

4. *Ad vtrosque autem, & secundum, &c.*

Concludit argumento communi & via diuisionis, & his vtrisque modis, non posse quid est syllogizari: quia nulla via ostendit quod homo sit animal grestibile bipes, & non grestibile & bipes, sicut dicitur grāmaticus & musicus, cū aūt hoc supponatur in his omnibus probādi modis, nullus eorū quid est syllogizat absque principij petitione. Capite superiori declarata est ratio huius continuationis.

¶ *Epilogus ostendit quid sit non posse monstrari.*

CAPVT. VII.

TEXT.

QVomodo igitur definiens monstrabit substantiam, aut ipsum quid est? 1.
neq; enim sicut demonstrans ex effectis esse manifestū faciet, quod necesse est illis existētibus alterum quid esse, demonstratio enim hoc est, neq; sicut inducens per singularia cum manifesta sint, quod omne sic est, eo quod nihil aliter est: nō enim quid est mōstrat sed quod aut est, aut nō est: quis igitur alius modus reliquus? non enim monstrabit vtiq; sensu aut digito.

Amplius quomodo mōstrabit quod quid est homo? ne cesse est enim scientē quod quid est homo, aut aliud quod cunque, scire, & quod est, nō ens enim nullus nouit quod est, sed quid quidem significat oratio, aut nomen, cum dixero hircocervus, quid autem est hircocervus impossibile est scire. Verum enimverò, si monstrabit quid est, & quia est, & quomodo eadem ratione monstrabit: definitio enim vnum quid significat, & demonstratio, quid autem est homo, & esse hominem, aliud est. Postea & per demonstrationem dicimus necessarium esse monstrari omne, quod est, nisi substātia sit, ipsum verò esse nulli est substātia: non n. genus est ipsum ens: demōstratio igitur erit quod est, quod & nunc facunt scientiæ. Quid enim significat triangulū, accepit Geometra, quod autem est monstrat: quid igitur monstrabit definiēs quid est, aut triangulum? scienxigitur aliquis definitione quid est, si est, nō sciet, sed impossibile est. 2.

Manifestum autē & secundum modos definitionum, qui nunc sunt, quod non monstrant definientes, quod est: nam & si est ex medio æquale, sed propter quid est ipsi definitū, & propter quid hoc est circulus quæritur: esset enim & definitionē orichalci dicere esse ipsum, neq; enim, quod possibile est 3.

est esse quod dicitur, assignant definitiones, neque quod illud est, cum dicunt esse definitionem, sed semper licet dicere propter quid.

4. Si igitur definiens monstrat aut quid est, aut quid significat nomen (si non est nullo modo ipsius quid est) esset vtique definitio oratio idem quod nomen significans: sed absurdum. Primum quidem enim & nō subsantiarum esset vtique & non entium, significare enim licet & nō entia. Amplius omnes orationes definitiones vtique essent: esset enim nomen ponere cuicunq; orationi: quare definitiones vtique disputaremus omnes, & Ilias definitio vtique esset.

Amplius nulla scientia demonstraret vtiq;, quod hoc nomē quid significat, neque definitiones igitur hoc assignāt. Ex his igitur neque definitio & syllogismus videtur idē ens, neq; eiusdem syllogismus & definitio. Ad hæc autem, quod definitio nihil demonstrat, neq; monstrat, neque ipsum quid est, neq; definitione, neque demōstratione est cognoscere.

Qualiter igitur definiens, &c.

1. Intētio Arist. hoc cap. VElut epilogum quendam præcedentium faciens, probat adhuc quid est non posse vllo modo monstrari, posset enim quis dicere, quid est ostēdi per definitionem? vt animal rationale indicat quid hominis, hoc intendit modo reprobare ostendēdo quod ipsa definitio, quāuis dicat quid, non tamen ostendit, cuius sit illud quid, & hoc est institutū capitis præsentis. Probat igitur primo sic, si definiens quid est de re ostendit, aut id fit ex quibusdam principijs positis aliquid necessario inferendo: & sic non, cum iste probādi modus sit syllogisticus & demonstratiuus, aut ex singularibus inferendo totum & vniuersale, eo quod nullum singulare aliter se habet, sicut inductio: & sic non, quia tali via probatur tam affirmatio, quam negatio: at definitio negationem est, imò nec affirmatio, cùm non sit propositio: aut demonstrat sensu, nempè opponendo & obijciendo seu sibus ipsam rem, aut digito monstrando & sic non, hoc enim singularium sensibilium est, nullus verò supereſt modus, ergo definitio non ostendit quid est de re ipsa.

Amplius quomodo monstrabit. 2.

Secundo idem probat; quid est non potest cognosci quin cognoscatur quod res est, sed definitio non potest ostēdere de re quod sit, ergo nec quid sit, aliter enim posset quis cognoscere quid est res, non cognoscendo quod esset, quod impossibile est. Maiorem explicat docēdo quod nomē significet posse cognosci antequā rem esse cognoscamus, at quid sit siue an sit præsupposito nequit cognosci.

Minorē probat primo, definitio, sicut & demōstratio vnum demōstrat, at quid rei, & esse rei nō vnū sunt, aliud enim est homo, aliud hominis esse, non ergo definitione vtrumque simul notescit.

Secundo probat minorem, definitio rei explicat substantiam, demonstratio verò, quæ substantiam consequuntur, at esse rei non est eius substantia, cùm non sit genus, nec sit differentia, non ergo definitione ostendi potest.

Tertio idem exemplo probat, nam demonstratio accipit quid est pro medio, & rem esse probat, vt quid sit triangulus supposito, quod sit, demonstrat, non ergo definitio id ostendit.

Nota hic triangulum sumi, vt est passio, & quę situm: & aduerte istud argumentum, nam ob id concludetur, nunquam cognosci definitionem, quid est rei dicere, nisi in demonstratione, vbi talis res esse probatur per definitionem talē mediam, vt dicemus. Nota.

Dubitabis, quid sibi vult aliud est homo, aliud hominis esse, quod etiam dicitur. 3. anime, c. 4. & 1. Met. c. 5 ex hoc loco Thomistæ colligunt essentiam, & existentiam realiter distingui, nam dicunt per hominem substantiam, per esse existentiam intelligi, sed hanc quæstionem determinare non est huius loci; sensus Arist. hic forsan est, aliud est essentia rei, Dubiū. Solutio

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ definitur aliud id, quod per talē esse etiam est, vt homo est id, quod per essentiā eius est, hominis verò esse ipsa essentia per quam existit: forsan hic est verissimus Arist. sensus, & tunc per esse hominis debemus intelligere naturam in abstracto, puta humanitatē, per ipsum verò hominem naturam in concreto.

Dubiū. a

Dices tu, in quo distinguantur homo, & humanitas: Dico quod secundum rem homo & humanitas idem dicūt, nam sicut homo dicit substantiam ex materiali, & rationali anima compositam ita etiam humanitas differunt tamē in modo significandi, nam humanitas dicit naturam per modum formę abstractæ, sicut albedo, at homo naturam eandem per modum existentis per se, sicut album albedinem dicit vt in aliquo receptam.

Solutio.

Humanitatem & hominē ratione inter se distingui

Hinc est q̄ homo propter significandi modum includit suppositа, & cum accidentia insint suppositis, homo vt homo, quamuis non includit accidens vllum, cùm sit substantia, tamen non excludit accidentia, ob hæc dicitur Petrus est homo, & homo est albus, homo ambulat: at humanitas, cùm sit secundum modum formæ excludit suppositа & accidentia, ob id non dicitur Petrus est humanitas, nec humanitas est alba.

Homo cur d̄ suppositis dici posita nō autem humanitas.

Vnde etiam fit, quòd cùm homo non excludat accidentia nec existentiam actualem, humanitas verò excludat, compositius dicatur homo, quia habet hoc, nempè non excludere accidentia & existentiam actualem, ac propterea dicitur aliud homo est, aliud hominis esse, puta humanitas, non quòd alia sit substantia, sed quod homini multa ex modo significandi desint, quæ non conceduntur humanitati tanquā excludente ea à se, sed de his hactenus pro isto loco.

Hominē esse compositius humanitate.

3. *Manifestū est & secundū hūc modos, &c.*

Tertio idem inductione per ipsos definitionum modos probat, quod definitio non ostendat quid de re, & sumit definitionem aliquam concisis verbis, nempe figura, in cuius medio est punctum, à quo lineæ vsq; ad circunferentiam ductæ omnes sunt æquales: hæc est definitio circuli, sed non ostendit an circulus sit, siue esse possit, nec ipsā ostendit cuius sit, an sit circuli, an sit alterius cuiusuis, vt montis aēi, cùm adhuc de circulo possit quis petere an sit, & quid sit, nō enim istarum definitionibus propositis, quorū sint scimus, ergo definitio non ostendit quid est de ipsa re cuius est.

Si ergo definiens monstrabit, &c. 4

Quarto probat definitionem adhuc non ostendere quid est, si enim ostendit, aut ostendit quid rei, aut quid nominis, non quid rei, vt probatum est, ergo quid nominis, sed hoc dici non potest, si enim definitiones non nisi quid nominis ostendunt, sequitur quod definitiones essent non entium: similiter quòd omnes orationes essent definitiones, & quod orationibus loquentes, definitionibus loqueremur: patet, nam singulis orationibus vnicum posset imponi nomen, sicut opus Homeri dicitur Ilias: & tunc orationes definitiones illius essent, cū quid significet explicarent: præterea sequitur, quod nulla scientia faceret definitiones, nam non est scientiæ vocabulorū significationes explicare, cùm ad placitū sint, scientiæ verò sint necessariorum.

Ex quibus vniuersalem epilogum colligit, nempè definitionem & demonstrationem nec esse eiusdem, nec esse idem, & quid est nullo modo ostendi, nec per ipsammet definitionem: hæc enim omnia disputata sunt.

Dissolutio disceptationis propositæ, quod ipsum quid est monstretur per aliud quid est, & quo pacto ipsius quid est sit demonstratio & definitio.

Cap. VIII.

ITerum autem considerādum quid horum dicitur benè, & quid non benè, & quid est definitio, & ipsius quid est num quid quodam modo est demonstratio & definitio, aut nullo modo. Quoniā autem est (vt diximus) idem scire quid est, & scire causam ipsius si est. Ratio autem huius quòd est aliqua causa, & hæc aut eadem, aut alia, & si sit alia, aut demonstrabilis, aut indemonstrabilis: si igitur est alia, & contingit demonstrare, necesse est medium esse causam, & in prima figura monstrari: vniuersale namque est & prædicatium quod monstratur. Vnus igitur modus esset vtique, qui nunc exquisitus est, per aliud ipsum quid est monstrari, ipsorum namque quid est, necesse est medium esse quid est, & proprio cum proprium: quare hoc quidem monstrabit, illud verò non monstrabit ipsorum quid erat esse eidem rei. Hic igitur modus, quod non sit vtique demonstratio, dictum est prius, sed est Logicus syllogismus ipsius quid est.

TEXT. 1.

1. Intētio Arist. in hoc ca.

Iterum autem speculandum est, &c.

CVm hactenus disputando processerit, & nihil resoluerit, nunc ad determinanda hæc accedit, ac primo quid definitio, & an quid est aliquo modo ostendi possit, docet.

Nota.

Intendit ergo in hoc capite vnum modum tradere, quo ipsum quid est posit syllogizari, nēpè per causam ipsius quid est, & aduerte quod dictum est, per quid est, rei naturā intrinsecam intelligimus, per causam verò aliam à natura, efficientem, finalem, & materialem, per has aūt ipsum quid ostendimus, sed talis ostensio Logica dicitur, non quod non sit demonstratio, cùm per vnam causam aliā monstramus, sed quod non sit demonstratio ostendens & probans esse quid est.

Dicit igitur; cùm scire rem esse sit scire causam illius esse, sequitur quod ratio rei, & definitio sit aliqua causa, hæc potest esse duplex, aut eadem cum ipsa rei essentia & natura, aut alia, qualis est quę fit per aliquam ex prædictis tribus causis, aut omnes eas, aut aliquas: nā multiplex est causalis definitio: quod si fuerit alia, aut erit demonstrabilis, id est, apta ad demonstrandū, nempè quia est per se & necessaria, aut indemonstrabilis, id est, inepta ad demonstrandum, vt si non fit per se, aut non necessaria, tunc si fuerit demonstrationi apta, in prima figura demonstrabitur per talem causam quid est, & tunc omnia erunt propria, & in quid ipsius rei, cum sint causæ, si verò nō fuerit apta causa, per eam nihil demonstrabitur: subdit tamen, quòd iste est vnus modus ostendendi quid est, sed Logicus, quia quod sit quid rei non ostendit, vti diximus.

CAPVT. IX.

QVo autem modo cōtingit dicamus aggredientes rursus à principio. Quemadmodum enim propter quid quęrimus habentes quod, nonnunquā verò & simul manifesta sunt, sed non prius vtique propter quid possibile est cognoscere, quā quod, manifestū est, q̄ cōsimiliter & ipsum quid erat esse non sine ipso quod est: impossibile est enim scire quid est ignorantes si est.

TEXT. 1.

2.

Ipsum verò si est, aliquando quidē secundū accidens habemus, aliquando autem habentes aliquid ipsius rei, vt tonitrum, quod sonus est quidā nubium, & defectū, quod est privatio quedam luminis, & hominē, quod animal quoddam est, & animam, quod est ipsum se ipsum mouens: quæcunq; igitur secundū accidens nouimus quod sunt, necessarium est nullo modo se habere ad ipsū quid est, neq; enim quod est scimus: quærere autem quid est, nō habentes quod est, nihil quærere est. De quibuscunq; aūt habemus aliquid, facilius: quare vt habemus q̄ est, ita nos habemus & ad ipsum quid est: quorum habemus aliquid ipsius quid est.

Sit primū quidē sic, defectus in quo A. Luna in quo C, obstructio terrę in quo B: vtrum igitur deficit, aut non? quærere est, an B, sit an non? hoc autē nihil differt quærere, quam si est ratio ipsius, & si sit hoc, & illud dicimus esse. Aut vtrum cōtradictionis est ratio, vtrum habendi duos rectos, aut non habendi? quādo autem inuenerimus simul ipsum quod, & ipsum ꝓpter quid

3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nouimus, si per media sit: sit autem non ipsum quod nouimus, propter quid verò non.

4. Sit igitur Luna C, defectus A, in plenilunio vmbram non posse facere, nullo inter nos existente manifesto, in quo B, si igitur ipsi C, inest B, quod est, nó posse vmbram facere cùm nullus nostrum in medio sit, huic autem ipsum A, quod est deficere, q. quidem deficit planum, propter quid autem, nondum, & quod quidem defectus est, nouimus, quid verò est, non nouimus.

5. Cùm autem planum fuerit, quod A. ipsi C, inest, sed propter quid inest, quærere ipsum B, quid est, vtrum obstructio, aut conuersio Lunæ, aut extinctio luminis: hoc autê est ratio alterius extremi, vt in his ipsius A, est enim defectus † obiectio terræ, quid est tonitrus? ignis extinctio in nube, ꝓpter quid tonat? eò q. extinguitur ignis in nube, sit nubes C, tonitrus A, extinctio ignis B, ipsi vtiq; C, nubi inest B, extinguitur enim in ipsa ignis, huic autem A, sonus, & est B, vtique ratio ipsius A, primi extremi: si verò rursus huius aliud medium sit, ex reliquis erit rationibus. Qualiter igitur accipitur ipsum quid est, & sit notum, dictum est.

† Al. l. obstructio luminis.

6. Quare syllogismus quidé ipsius quid est non fit, neq; demonstratio: planũ est tamen per syllogismũ & per demonstrationẽ: quare neq; sine demonstratione est cognoscere ipsum quid est, cuius est causa alia, neque est demonstratio ipsius quem admodũ & in dubitationibus diximus.

1. *Quæ autẽ modo contingat, dicemus, &c.*

De intẽtiõe Ari. ANtequam ad textus expositionem accedamus, intentione Aristotelis in hoc capite explicemus.

1. Funda. Quid & propter quid re ide esse, ratione autẽ distincta.

Pro quo aduerte primò, quid & propter quid idem esse re, ratione tamen diuersa, nam definitio, quæ est quid vnius extremi, est medium & propter quid ad probandum ipsum de aliquo, vel aliquid de ipso, ac propterea differre ratione dicuntur, nam definitio & quid est dicitur respectu ipsius rei secundum se, propter quid verò dicitur respectu eiusdem rei in compositione & prædicatione sumptæ, ex quo fit vt quod quid est rei terminet & absoluat duas quæstiones, & quid sit. & quia sit, nam definitio eclypsis est ipsius quid, & propter quid lunæ in sit.

2. Fũda. subiectũ & passionẽ in demõstratione aliter se habere.

Aduerte secundo, aliter se habere passionem quæ demõstratur inesse, & subiectum de quo demõstratur, passio enim cùm non aliud esse habeat quàm subiecto inesse (accidentis enim esse est inesse) fit vt non cognoscatur esse, quin cognoscatur inesse: quo fit, vt cum quid est non possit cognosci nisi res cognoscatur esse, non cognoscatur quid passionis, nisi simul cognoscendo ipsius esse, hoc autẽ est in demonstratione, non ergo contingit passionis & quæsiti quid est cognosci, nisi in demonstratione, & hoc est quod Arist. hic intendit docere, quòd non cognoscitur quid ipsius passionis, nisi in ipsa demonstratione, ac ob id dicit quid, & propter quid esse idem, vt quemadmodum propter quid non cognoscimus nisi simul cum quia est, quod in demonstratione fit, ita ipsum quid, quod idem est cum propter quid.

passionis quid non cognosci nisi in ipsa demonstratione.

3. Fund. Tertio aduerte de subiecto aliam esse rationem, nam potest quidem cognosci esse absq; passione, propterea quod eius quid est supponit tantum, quòd sit, non autem quale sit, sicut in passione, ideo ex tra demonstrationem cognoscitur: non enim eius quid, est propter quid, nisi respectu passionis, ac propterea tale quid est, ex suppositione cognoscitur, cũ non pendeat à passione.

Subiecti quid est, quo in demonstratione cognoscat.

Quamuis etiam possumus dicere, q. in ipsa demonstratione cognoscitur esse quid est, dum per ipsum quid est, eius probamus passiones de eo, non enim alibi manifestatur & ostenditur definitio quod sit quid, nisi cum medium in demonstratione sumitur: extra demonstrationem enim tantum definitio quid de re ostendit ex suppositione: nota igitur Arist. scopum in capite.

Ad textum accedamus, volens alterum modum

modum tradere ostendendi quid est, similitudinem inter quid, & propter quid, vt alia sunt supponit: similitudo autem in his consistit, sicut propter quid sine quia est haberi non potest, ita nec quid est sine an sit, & sicut quia est sine propter quid aliquando habetur, ita & an sit & sicut propter quid, & quia simul ita etiam quid sit, & an sit simul cõsequimur: hoc ergo fundamentum proponit, vt cum quid non possit cognosci, nisi cognito quòd res sit, nõ cognoscatur quid, nisi simul cum an sit, quod in demonstratione fit.

2. *Hoc autẽ est si aliquando quidẽ, &c.*

An sit res dupliciter cognosci posse.

Supponit etiam alterum, an sit absque quid sit dupliciter cognosci posse, vno modo sub conceptu aliquo accidentali, cognoscendo rem, vt qui scit musicos esse, scit homines esse per accidens, altero modo scimus rem esse, aliquid ipsius rei essentiale cognoscẽtes, vt qui scit esse priuationem quandã luminis, scit eclipsim esse, & qui scit esse aliquid se ipsum mouens, scit animam esse.

Hos modos comparat, dicens qui scit secundum accidens rem esse, non est dispositus ad cognoscẽdum quid sit, quia nondum cognouit an res illa sit, at qui cognouit per ipsum quid, est magis dispositus ad cognitionem perfectam ipsius quid rei, nam quo magis accedimus cognitioni an sit, eo magis cognoscimus quid sit, & tunc perfectè scimus esse, cum ipsius quid cognoscimus.

Passiõis quid cognosci cũ eius esse cognoscitur.

Ex quo supposito intendit colligere tunc cognosci quid passionis, cũ esse cognoscimus ipsius, hoc autem fit in demõstratione, ob id in demõstratione cognoscitur quid, sicut & esse: hoc item fundamentum ostendit cognosci optimè rem esse per ipsum quid, & melius quàm per aliud, vt exemplis ostendit, & ex his duobus fundamentis intentum concludit, et nota hæc.

3. *Quorum igitur habemus aliquid, &c.*

Ostendit modo, quòd scire rem esse tunc sit, cum quid cognoscimus, & hoc exemplo deducit, fiat demonstratio, interpositio terræ est eclipsis, lunæ terra interponitur, ergo lunæ eclipsatur: quærere an luna eclipsetur, est quærere an eclipsis sit, & illud quærere, est rationem & causam, & quid petere, quibus positis, ponitur eclipsis, ergo scire eclipsim esse, est scire quid ipsius, quod in demonstratione fit.

Alterum exemplum ponit, cuius sensus est, quamuis variè exponatur, cum quærimus an habeat angulos rectos, vel non habeat, quæ sunt partes contradictionis, idem fit in his enim rationem & quid quærimus, ex quo infertur quod cum rem esse per eius quid cognouimus, quod est scire verè rem esse, tunc propter quid simul sciamus quod in demonstratione fit, at cum per aliquod accidens, non per causam mediam cognoscimus, nõ scimus propter quid, nec quid, sed tantùm quia, id est, per accidens, quod imperfectè est scire rem esse, vt dictum est: huius ponit sequens exemplum.

Si ergo luna C defectus A, &c. 4.

Exemplum est cum eclipsim per medium accidens cognoscimus.

Verbi gratia si quis eclipsim esse cognoscat quia luna plena non facit vmbram nostri corporis, cum nullum sit obstaculum medium, tunc per accidens, & per effectum cognoscit esse, & si secũdum tale mediũ disponatur syllogismus, nec quid, nec propter quid ostendit, sed rem esse tantum.

Nota. Eclipsis lunæ quo modo fiat.

Aduerte eclipsim lunæ fieri hoc pacto ipsa enim recipit lumen à sole, vnde illa ex parte illuminatur, secundum quam est opposita soli, eclipsatur autem, cũ terra est directè inter solem & ipsam, tunc enim vmbra terræ, quæ orbẽ lunæ attingit, impedit quo minus illuminetur, ac ideò eclipsim patitur, luna autem sic eclipsata non facit vmbram ad præsentiam corporum inferiorum, quamuis cælum totum serenum sit, quia nõ habet lumen quod vmbræ est causa, ac propterea est effectus eclipsis vmbram non facere, & si

per

Universidad de Deusto
Biblioteca

per hoc medium eclipsis cognoscatur, per accidens, & non per quid esse cognoscitur.

Cum autem manifestum est, &c.

5. Concludit quando aliquid alicui inesse cognoscitur, vt eclipsim ipsi lunæ, nihil aliud esse quærere propter quid insit, quã quid, & rationem eius petere, vt propter quid sit eclipsis, est petere quid sit, an sit extinctio lumini ipsius, vt aliqui putabãt, existimãtes à vaporibus vel magno vento extingui, vel sit conuersio, vt alij credebant, putantes medium partem lucidam esse, & aliquando conuerti ad partem supernam & fieri eclipsim, vel sit interpositio, vt dictum est, quicquid sit, quid petitur semper, cum cur sit quæritur. Similiter cum propter quid sit tonitrus quæritur, quid sit quæritur, vt quia sit extinctio ignis in nube, vt arbitratur Empedo vel concussio exalationis in nube, vt docet Arist.

Ex quibus est notum quid esse propter quid, vnde sicut propter quid in demonstratione cognoscimus, cognoscẽtes qualis est res, ita & ipsum quid in demonstratione cognoscimus, cognoscentes simul rem esse. nam ob id suppositi quid non cognosci, nisi cognito simul quod res est hoc autem in demonstratione fit.

At quia definitionem passionis semper sumebat, posset quis dicere illam nõ esse vltimum & immediatum medium: respondet postea tale medium posse per alias præcedentes rationes probari. Sãctus Thom. explicat per has rationes definitionem subiecti, quæ est præcipuum medium. Philo. explicat alias causas earundem passionum. sed hoc inferius examinabitur.

6. *Quare syllogismus ipsius quod quid est, &c.*

Infert quid est in demonstratione cognosci, non tamen per demonstrationẽ, cognoscitur quidem in demonstratione cum sumitur pro medio quo rem esse probamus, quando res habet causam sui esse, aliàs enim suppositione cognoscitur, non per demonstrationem, eo quod nõ concluditur & probatur sicut propter quid in demonstratione ipsa cognoscitur, sed non per demonstrationem: videtur igitur modum notificandi ipsum quid esse, hoc enim fit in demonstratione, & non per demonstrationem. Atque hoc de capitis declaratione.

QVAESTIO I.

De medio demonstrationis potissima.

EST communis & non facilis difficultas, quod sit medium in potissima demonstratione, cum enim sint in quæstione duæ partes, datum, nempè subiectum, & quæsitum, nempè prædicatum & passio, dubium est an potissima demonstratio sumat vt medium definitionẽ subiecti, an passionis, nec est dubium de quacunq; demonstratione, constat enim aliquando per definitionẽ passionẽ fieri demonstrationẽ, sed est sermo de potissima, id est, de ea quæ ex primis, immediatis, & quæ iam resolui nequeunt procedit: in qua difficultate duæ sunt præcipuæ sententiæ oppositæ.

1. Sententia Alberti & aliorum.

Prior est Alber. Aegid. & aliorum qui definitionem passionis esse potissimum medium dicunt, quod videtur esse Arist. placitum, qui his capitibus pro medio, passionis definitionem sumpsit, quod expresse docet Them. 2. Post. c. 30. & videtur sententia Græcorum rationes huius sententiæ præcipuæ sunt hæ.

1. Ratio. Prima, illa est potissima demonstratio quæ magis ex immediatis procedit, sed quæ fit per definitionẽ passionis est ex immediatis magis, ergo est potissima: maior est certa, minor probatur, quia passio magis immediatè prædicatur de sua definitione, dicendo aptum ad risum est risibile, quã de definitione sui subiecti, dicendo animal rationale est risibile.

2. Ratio. Secunda, si definitio subiecti esset medium potissimum, vltima demonstrationis resolutio esset in definitionem illius subiecti, & nõ in principia per se nota & communia, hoc autem falsum est, nam perfectior demonstratio terminatur in principijs per se notis, nõ ergo definitio subiecti potest esse mediũ potissimum.

3. Ratio. Tertia, definitio subiecti est idem re cum subiecto, vt animal rationale cũ homine, ergo non potest esse medium, nã alias esset probare ideam per idẽ: at quia posset hoc idem ei obijci qm definitionẽ passionis mediũ ponunt, respondent definitionem puram passionis non esse medium, sed simul cum ea extrinseca cõiungendo: non enim per priuationem luminis tantùm eclypsim probamus, sed per priuationem luminis ex terræ interpositione, & hoc notat Aegid.

2. Scten. D. Tho. Posterior sententia est S. Tho. Caiet. & communis, nempè in potissima demõstratione medium esse definitionem subiecti, & nõ passionis, pro qua sunt duę præcipuæ rationes.

1. Ratio. Prior, illa est potissima demonstratio quæ ex his quæ tam causam non habent procedit, sed talis est quæ medio vtitur definitione subiecti, ergo hæc est potissima: probatur minor, nam definitio passionis cum insit subiecto, vel inest immediatè & essentialiter, & hoc non, vel inest mediatè & non essentialiter, & tunc erit demonstrabilis de ipso subiecto per ipsius definitionem, & hæc est potissima ratio. S. Tho. qua dicit demonstrationẽ per definitionem passionis adhuc resoluendam in demonstrationem per definitionem subiecti, vt patet sup. capit. 2. lib. 2. Posterior.

3. Ratio. Posterior ratio, quia demõstratio passionum superiorum de inferiori subiecto vt habere tres angulos de Isoscheles, fit per ipsum subiectũ mediũ, ergo illud est causa, adde q. Arist. 1. post cap. 20 ipsum vniuersalẽ causam vocat, vbi habere angulos externos æquales quatuor rectis dicit inesse Isoscheli, quia est figura, & hæc est vltima causa: non ergo definitio passionis, sed figuræ & subiecti est potissimũ medium: hæc sunt, quæ circa hoc dicũt Doctores.

Notapassiones esse in duplici differentia.

At in hac difficultate mihi sic respondendum videtur, quæ alicui competunt subiecto, in duplici differentia se habere, quædam habent aliam causam extra subiectum, secundum quam ei insunt, sicut eclipsis inest lunæ propter terræ interpositionem, & tonitrua aëri ex cõcussione exhalationis cum nubẽ: quædam aliæ insunt subiecto non per causam extrinsecam, sed quia subiecti naturam consequuntur, sicut multæ passiones & proprietates herbarum, animalium, & aliorum.

1. concl. Qua supposita distinctione, sit prima conclusio: potissima demonstratio est, quæ per causam suprematn propriã procedit, & hæc est conclusio recepta ab omnibus.

2. concl. Secunda, cum proprietates subiectis insunt modo priori, crediderim potissimam earum demonstrationem esse per causam illarum sicut Astrologus per interpositionem terræ probat eclipsim, & non per definitionẽ lunæ, & per concussionẽ exhalationis Physicus probat tonitrum, & hoc probatur illa capita Arist.

3. concl. Tertia, passionũ posteriorum modo præcipuum medium est definitio subiecti, & hoc conuincunt argumenta S. Thom. & Prior ex 4. Phys cap. 4. vbi docet per definitionem rei notificari omnes passiones illius rei, & 1. animæ, text. 1.

4. concl. Quarta conclusio: non semper expresse probamus etiã in his passionibus per definitionem subiecti, virtualiter tamẽ probamus semper: explico, & est notandum hoc. Geometra non probat expresse per definitionem trianguli, q̃ habeat tres angulos æquales duobus rectis, sed per principia quædam, quibus manifestat talem naturam trianguli, vt id ei insit, nempè per angulum extrinsecum, & per lineas æquidistantes, quibus non aliud facit, quàm talium linearum compositionem exprimat, ex qua colligitur talis passio, & hoc modo Geometra ducit ad principia per se nota.

Soluitur 2. argu. Ex quo solutur argumentum secundum

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum propositum pro Aegid. & hæc est causa quare varijs modis aliquando sit demonstratio eiusdem, hoc autem non est nisi quia natura alicuius figuræ varijs princ; ijs notificari potest: atque hæc sunt quæ mihi in præsenti videntur dicenda esse.

Ad.1. Ad primum Aegid. & aliorum, respondeo, quòd propositio non dicitur immediata, quæ fit per causam effectui proximam, sed quæ non habet aliam causam per quam demonstrari de subiecto possit, ex huiusmodi enim immediatis procedit demonstratio potissima, talis autè non est cum definitio passionis sumitur, cum adhuc ipsa passionis definitio sit aliquando de subiecto demonstrabilis, nempè cum ipsum subiectum causa est solaillius, vt dictum est.

Ad.2. Ad secundum iam responsum est in conclusione quarta.

Ad.3. Ad tertium dico cum Eustra. & Philo. c.2 huius.2 libri, quòd definitio differt à definito, nam definitio, animal rationale, formam dicit secundum hos, homo verò compositum ex materia & forma, vt dictum est superius: & si sustineamus q; etiam animal rationale continet materiam quæ sit de essentia rei, adhuc est distinctio rationis, nam definitio substantiæ dicit naturam, definitum dicit naturam cum supposito, & hæc distinguuntur: quid quod non semper subiectũ demonstrationis est substantia, sed accidés aliquando? & tunc non est definitio prior suis eadem cum definito: & præterea quia aliquando prædicatum est substantia, & tunc est idem argumentum contra eos, hæc de quæstione.

Quæ definitiones demonstrari possint, quæ non.

Cap. X.

TEXT. 1. EST autem horum quidem altera quædam causa, illorum verò nõ est: quare planum quod & ipsorum quid est alia quidem immediata & principia sunt, quæ & esse & quid est supponi oportet, aut alio modo manifesta facere quod Arithmeticus facit, etenim quid est vnitatem supponit, & quod est.

Habentium autem medium, & quorum est aliqua altera causa substantiæ, est per demonstrationem, quemadmodum diximus, ostendere non ipsum quid est demonstrantes. 2.

Definitio autem, quoniam est oratio ipsius quid est, manifestum est, quòd aliqua quidem erit oratio quid significat nomen, aut oratio altera nominalis, vt quid significat quod est secundum quòd triãgulus, cuius habentes quod est, quærimus propter quid est, difficile est autè ita accipere, quæ non nouimus quod sunt, causa verò dicta est prius difficultatis, quoniam neque si sunt, aut non, nouimus, nisi secundum accidens. 3.

Oratio autem vna dupliciter est, hæc quidem coniunctione, vt Ilias, illa verò vnum de vno significans non secundum accidens. Vna quidem definitio est definitionis, quæ dicta fuit.

Alia autem est definitio oratio significans propter quid est: quare prior quidem significat quid est: monstrat autem non posterior verò, manifestũ est quod erit tanquàm demonstratio ipsius quid est positione differens à demõstratione. 4

Differt enim dicere, propter quid tonat? & quid est tonitrus? dicet enim hic quidem, quoniã extinguitur ignis in nubibus: quid autè est tonitrus? sonus ignis, qui extinguitur in nubibus: quare eadem oratio alio modo dicitur, & sic quidem demonstratio continua, sic autem definitio. 5.

Amplius definitio tonitrus est, sonus in nubibus, hoc autem est ipsius quid est demonstrationis conclusio, immediatorum autè definitio positio est ipsius quid est indemonstrabilis. Et igitur definitio, vna quidem oratio ipsius quid est indemonstrabilis, vna verò syllogismus ipsius quid est casu differens à demõstratione, tertia autem demõstrationis ipsius quid est conclusio. Manifestum igitur ex dictis 6.

&,

& quomodo est ipsius quid est demõstratio, & quomodo non est, & quorum est, & quorum non est. Amplius autem definitio quot modis dicitur, & quomodo ipsum quid est monstratur, & quomodo non, & quorum est, & quorum non. Amplius autem ad demonstrationẽ quomodo se habet, & quomodo contingit eiusdem esse, & quomodo non contingit.

1. Intentio Arist. *Est autem quorundã quædam causa, &c.*

Cùm definitionem in demonstratione non per demonstrationem ostendi docuisset, modo tractat quæ definitiones sic ostendantur, quæ verò non.

Nota. 1. Quatuor sunt genera causarum. Pro cuius exactiori intelligentia aduerte quatuor esse causarum genera, materiã ex qua res est, formã secundũ quam est, efficiẽs à qua est, finis cuius gratia res est, circa has causas nota primò quòd nõ omnes res habẽt omnes quatuor causas, immaterialia enim materia vacãt, res mathematicæ formam habent solã.

Nota. 2. Non oẽs causæ essendi de essentia rerum quarũ sunt. Nota secundo, quòd etiam in illis rebus quæ has quatuor causas habent, non omnes sunt de illarum rerum essentia, nam efficiens & finis de essentiã nullo modo sunt, nec materia est multũ de rerum essentia, sed sola forma.

Nota. 3. Quis sit causarũ inter ipsas ordo. Nota tertiò has causas hoc ordine se habere, vt omnium primum locum teneat finis, secundum efficiens, tertium materia, vltimum forma, hæc enim est quæ vltimò producitur & habet esse, vnde aliarum est effectus: idem dico de materia respectu aliarum, & de efficienti respectu finis: forma dicitur quid rei, & definitio quæ secundum talem formam datur dicitur definitio quid, reliquæ causæ, & quæ per eas definitiones dantur, dicũtur propter quid.

Definitio per formã data per alias causas demõstratur. Ex his fit quòd eũ ipsum quid sit effectus aliarum causarum, possit ostendi & concludi per eas, & talis est definitio per solam formam, & hæc non in demõstratione innotescit, sed per demonstrationem probatur, licet non probetur quod sit quid, vt dictum est, reliquæ in demonstratione ostenduntur, & quatenus per eas cognoscimus quid rei probantes, dicuntur habere rationem formæ: ex his nota est Aristi. intentio.

Expositio literę Accedamus ad literæ explicationem constituit distinctionem rerum, vt appareat quarum quid est probetur, quarũ verò non inquit, quædam habent causam, quædam non habent, vel absolutè, vel in illa scientia, vt notat S. Tho. quæ habẽt causam illorum quid est, & essentia habet causam, nempè aut materiam, aut finalem, aut efficientem, loquitur enim de his, quæ causam habent extra essentiã & formã, & per talẽ causam ostendi possunt, quamuis non demonstretur esse quid est: quæ verò non habent causam quid est, non possunt ostendi sed supponi, qualia sunt subiecta in scientijs & principia, eorum enim definitiones supponuntur, non demonstrantur, vt quid vnitas, quid punctum.

2. Quid sit definitio *Definitio autẽ quoniam quidẽ, &c.*

Illaturus ex prædicto fundamento esse aliquot definitiones quæ probantur, aliquot quæ supponuntur, definitionem diuidit in generali definiendo, definitio inquit, est ratio ipsius quid, quædam est quæ quid nomen significet explicat, sine quædam est definitio nomina ponens, id est, definiens, quod idem est, vt quid significet triangulus, vel aliud quocuis nomen, & hanc habentes quid rei quærimus, & vocat propter quid quia vti diximus quid, & propter quid re idem sunt: at quia post nominis definitionẽ ipsum quid rei quærendum dixit, addit difficile hoc esse, statim habere quid, cum nondum habeamus an sit, nisi per accidentia, quæ importantur in definitione nominis.

3. quot modis dicatur oratio vna. *Oratio autem vna est dupliciter, &c.*

Quia hanc vnam esse definitionem dictum erat, docet quot modis oratio dicatur vna, asserens dupliciter vnam dici, primò coniunctione, vt Petrus & Paulus, vel orationes aliæ secundum quas loquimur, secundò quia vnum de vno explicat, non per accidens, id est, quia dicit

aliquam

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliquam naturam alicuius, sicut definitio vna est, quia vnam dicit alicuius naturã. Philop. & alij volunt definitionem nominis dici vnam per coniunctionẽ, quia detur per accidentia rei, at videtur mihi posse dici, quod sit etiam vna per se, quia reuera vnius nominis explicat significationem.

4. *Alius verò terminus est, &c.*

Alteram definitionem ponit, quæ rei est, nempè oratio ostendens propter quid res est, quam comparat priori definitioni nempè quæ dicit solum quid: nam definitio quid, id est, per solam formam significat ipsum quid, sed non ostendit, cùm non sit ipsa medium, sed potius ostendatur: at definitio propter quid ostendit ipsum quid, & non differt à demonstratione nisi sola terminorum dispositione, quod declarauimus satis in primo libro.

5. *Differt enim dicere propter quid, &c.*

Cùm definitionem propter quid demonstrationem positione differentem vocauerit, quam modo vocat continuã, nõ autem definitionem quid, hoc explicat, nam differt dicere, propter quid tonat & quid est tonitrus, cùm enim dicitur propter quid tonat, respondetur quia extinguitur ignis in nube, quæ videtur demonstratio continua, id est, nõ distincta illatione mediæ: at si dicitur, quid est tonitrus, quamuis idem dicatur, non eodem modo, scilicet est sonus extinctionis ignis in nubibus.

6. *Amplius est terminus tonitrui, &c.*

Definitionem solam formalem tonitrus ponit, nempè est sonus nubis, quam definitionem dicit esse conclusionẽ demonstrationis, vt supra declarauimus, ex quibus colligit triplex definitionum genus, & quæ principium tantùm sunt demonstrationis, vt sunt definitiones eorum, quæ non habent causam, & quæ est conclusio demonstrationum, qualis est passionis definitionis formalis, & quæ est demonstratio positione differẽs, qualis quæ quid rei cum ina causa comple-

Triplex esse genꝰ definitionum.

ctitur: ex quibus vniuersalem epilogum colligit eorum, quæ dubitata sunt, cap. 3. & nota epilogum eorum quæ hactenus dicta sunt in textu.

De causarum distinctione, & quæ mutuo concurrant, & quæ non, & quemodo illarum possit esse demonstratio.

CAPVT XI.

TEXT. 1. QVONIAM autem scire putamus, quando scramus causam, causa verò quatuor sunt, vna quidẽ quod quid erat esse, vna autem, quibus existentibus necesse est hoc esse, altera verò quæ aliquid primum mouit, quarta autem, cuius causa omnes istæ per medium monstrantur, & hoc enim quòd cùm sit hoc, necesse esse, vna quidem accepta propositione non est, duabus autem ad minimum, hoc verò est, quando vnum medium habeãt: hoc igitur vno accepto, conclusionẽ necesse est esse.

Manifestum autem & sic, propter quid est rectus in semicirculo? aut quo existente rectus est? sit vtiq; rectus, in quo A. dimidium duorum rectorum, in quo B, qui est in semicirculo, in quo C. quod igitur A. rectus insit ipsi C. ei qui est in semicirculo, causa est ipsum B. hoc enim ipsi A æquale est, hoc autem C. ipsi B. duorum namque rectorum dimidium est: cùm igitur B. sit dimidium duorum rectorum, A. ipsi C. inest, hoc autem erat, in semicirculo rectum esse.

3. Hoc verò idem est ipsi quid erat esse eò quod hoc significat oratio, verumenimuero & ipsius quid erat esse, causa monstrata est media.

4. Propter quid autem Medorũ bellum factum est Athenienſibus? quæ causa bellum inferendi Athenienſibus, quoniam in Sardes cum Eretriẽſibus irruerunt, hoc enim primò mo-

uit: sit bellum, in quo A. priores eruisse B. Athenienſes C. sinest itaque B. ipsi C. quod est prius irruisse Athenienſibus: A verò ipsi B. bellum inferunt enim ijs, qui prius iniuria affecêre inest igitur ipsi quidem B. A. quod est bellum inferre ijs qui prius inceperẽt, hoc autem ipsi C. Athenienſibus, prius enim cœpere, medium igitur & hic causa est, quæ primò mouit.

5. Quorumcunque autem causa, ipsum gratia cuius, vt propter quid ambulat? vt sanus fiat: propter quid domus est? vt conseruetur suppellex, illud quidem gratia connalescendi, hoc autem gratia conseruandi, propter quid à prandio oportet deambulare, & gratiã cuius nihil differt.

6. Sit deambulatio à prandio C. non supernatare cibaria in quo B. sanari in quo A. insit igitur à prandio deambulare ei, quod est facere non supernatare cibaria ad os ventris, & hoc salubre, videtur enim inesse ipsi deambulare, quod est C. ipsum B. est non supernatare cibaria: huic autem inest ipsum A. salubre, quæ igitur est causa ipsi C. quòd ipsum A. insit ipsum cuius gratia B. est non supernatare, hoc autem est veluti illius ratio: A, em ita assignabitur: propter quid autem B. ipsi C. inest, quoniam hoc est sanari, ita se habere. Oportet autẽ transumere orationes, & ita magis singula apparebunt.

7. Generationes verò è conuerso hic, & in causis secundum motum: ibi enim medium oportet fieri primum, hic autem ipsum C. extremum, vltimum verò ipsum cuius gratia.

8. Contingit autem idem & cuius gratia esse, & ex necessitate, vt per lucernã ingredi lumen: ex necessitate etenim pergreditur, quod minores habet partes, per maiores poros, siquidem lumen sit nõ pertransit, & gratia cuius, vt nõ offendamus. Anne ergo si esse contingit & fieri contingit? quemadmodum si tonat, Prie: cùm extinguitur ignis, necesse est [stride-

re & strepere, vt Pythagorei dicunt, minarum gratia ijs, qui sunt in tartaro, vt timeant. est sonaro, vt cũ in aqua candens ferrũ extinguitur 9.

Plurima verò talia sunt, & maximè in ijs, quæ secundum naturam constituũtur & consistunt, hæc enim alicuius gratia facit ipsa natura, illa verò ex necessitate, necessitas autem duplex, hæc quidẽ enim secundum naturam & appetitum, illa aũt vi, quæ præter appetitũ est quemadmodum lapis ex necessitate, & sursum & deorsum fertur, sed non propter eandem necessitatem.

In ipsis verò quæ à discursu, nõnulla quidem nunquàm à casu sunt, vt domus, aut statua, neq; ex necessitate, sed alicuius gratia, quædam verò & à fortuna, vt sanitas & salus: maximè autem in quibuscunque cõtingit & sic, & aliter, quando non à fortuna generatio sit: quare finis, quod est bonum, gratia alicuius, & hic aut natura, aut arte: à fortuna verò nihil gratia alicuius fit. 10.

Eadem autem causa est ijs quæ fiunt, & factis & futuris, quæ est & ijs quæ sunt: medium enim est causa, præterquam ijs quidem quæ sunt, quæ est, ipsis verò, quæ fiunt, quæ fit, factis autem facta, & futuris futura, vt propter quid factus fuit defectus? quoniam facta sunt terra in medio, fit autem, quoniam fit, erit verò, quoniam erit in medio, est autem, quoniam est. Quid est Crystallus? accipiatur vtiq; est aqua congelata, aqua: in quo C. congelatum in quo A. causa media in quo B. defectus calidi omninò inest itaque B. ipsi C. huic autẽ congelatum esse, quod est in quo A. sit autem Crystallus, cum sit B. factum est autem facto, erit autem futuro: sic igitur & causa, & cuius causa simul fiunt, quando fiunt, & sunt quando sunt, & in eo quod factum fuit, & insuturo consimiliter. 11.

Quoniam autem scire cupimus, &c. 12.

TRia Theoremata in hoc capite cõ- 1. Theo.
stituit, quorum primum est, per quatuor causarum genera licere monstrare. Primò aũt explicat singulas, sunt

enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim formalis, materialis, efficiens, & finalis: formalem vocat quod quid, quæ ipsa est essentiæ præcipua pars, materiale verò qua posita necesse est aliquid esse: quamuis autem hoc possit dici de alijs causis, tamen in Physica proxima causa necessitatis qua talis est effectus, est materia, vt alias declarabit: efficiés est quæ mouet primò, & à quo primò incipit operatio: finalis est cuius gratias res fit: hæc sunt quatuor causarum genera per quæ demonstrare licet.

At quia nihil sequitur necessario ex vno solo, nisi secundù dispositionem syllogisticã disponatur, in qua medium bis sumere idem oportet, quoties per causas hasce aliquid demonstrandum fuerit, debet medium bis repeti. quod in syllogistica argumentatione fiet, alias per causam non demonstrabimus necessariò.

2. *Manifestum est autem & sic, &c.*

Exempla causarum tradit, atque ab ipsa materia incipit: exemplum est huiusmodi, si quis velit demonstrare angulum trianguli supra semicirculum descripti esse rectum, sumatque pro medio, quia est medietas duorum rectorum, per materiam monstrabit, nam medietas & partes habent rationem materiæ, fiet igitur sic demonstratio, omnis angulus qui est medietas duorum rectorum, vel æquivalentium duobus rectis, est rectus, omnis angulus in circumferentia trianguli supra semicirculum descripti est medietas rectorum duorum aut æquivalentium duobus rectis, ergo talis angulus est rectus: vide Euclid. lib. 3 Theorem. 31. hic nota non esse propriè materiam in Geometricis, sed est materia intelligibilis, & materia Metaphysica, quales sunt partes respectu totius.

In geometria non est propriè materia.

3. *Hoc autem idem est ei, &c.*

Quantum possum conijcere, sensus huius loci est, vt velit per idem medium concludi quid, & formam rei per quam mõstratur res, cùm non sit aliud res ipsa: ac propterea non ponit exemplum causæ formalis, quia potius ipsa cum re mõstratur, quàm demonstret rem: literam attende, cum dixisset per illud medium concludi illum angulum esse rectum, dicit rectum, & ipsius quod quid est, idem esse cum definitio & nomen idem significet, causa autem recti assignata ipsa etiam erit causa ipsius quòd quid. Potest etiam sic exponi, quòd tale medium est quod quid rei, nam hoc significat illa definitio, medietas duorum rectorum nimirum ipsum rectum, talis autem definitio sumpta est pro medio, vt patet in demonstratione posita.

4. *Hoc autem propter quid Medorum bellum, &c.*

Ponit exemplum in efficienti causa, vt quare Athenienses bello vexantur à Medis? quia ipsi Athenienses primò iniusti fuerunt & inuaserunt cum fuerit ipsorum Medorum amicos, nempè Sardes: fiet igitur syllogismus, qui primò Medos inuadunt bello, a Medis bello vexantur, Athenienses primò Medos inuadũt, ergo Athenienses à Medis bello vexantur, hæc demonstratio est à causa efficienti.

5. *Quorum cunque verò causa, &c.*

Exempla causæ finalis assignat duo, alterum est sanare est huius deambulationis, sic qui vult sanari deambulat, qui malè habet vult sanari, ergo qui malè habet deambulat. Alterum est, domus finis est suppellectilia conseruare, si suppellectilia conseruari debẽt, oportet domos esse, sed suppellectilia conseruari debẽt ergo oportet domos esse. Statim explicat duos modos quibus causa finalis notatur, nempè propter quid deambulemus, & cuius gratia deambulemus, vtrumque enim finem petit.

6. *Sit ambulare propter sanum, &c.*

Ingeniosè vult Aristoteles offendere efficientem, & finalem causam adinuicem se demonstrare, ac exemplum de efficiente ponit, sumit enim pro maiori extremo sanum, pro minori deambulare: pro medio cibos non manere in ore ventriculi, hoc est, digestos esse, & facit rationem

nempe tale medium, quod est efficiens sanitatis, sic, cibos digeri tantum est, deãbulare facit cibos digeri ergo deambulare sanum est, hæc demonstratio ab efficienti.

Statim dubitat, nonne sanum esse est causa finalis, vt qui deambulet, cibos digerat, & eiusratio? respondet ita esse, & si terminos conuertas, manus extremum in medium, fiet demonstratio à fine, vt si probetur deambulãs cibos digerere propter sanitatem; literæ textus per ista facilè intelligetur.

7. *Generationes autem è contrario, &c.*

Ostendit in generatione causam efficientem & finalem aliter se habere, nã causa efficiens sit primum & habet esse; quàm effectus probandus, at in finali ipsum extremum C. nempè deambulare fit primum, & finis, nempè sanitas vltimo habet esse sensim est, efficiens primò fit ante effectum, at finis est vltimò productus, nam prius est deambulare & cibos digeri, quàm sit sanitas, quamuis sanitas & finis sit primus in intentione.

8. *Contingit autem idem & gratia, &c.*

Secundũ theoremã. Hoc est secundum Theorema: potest idem effectus prouenire duplici ex causã, & finali & materiali, nõ solùm quandé effectũ ex duplici, prouenire causã. ad esse sed etiam quantum ad fieri ponit duo exempla, vtraque secundum opinionem aliorum, alterum humoris effectus, nimirum lumen diffundi per laternæ pellem; est causa finalis ne offendamus pedes; causa verò materialis est quia lumen est corpus partibilius in minutiores partes, quam sint foramina & pori illius pellis, sic enim censebant aliqui lumen per pellem transfundi, at possumus aliud exemplum ponere ex Themist. dentes enim anteriores sunt acuti, propterea quòd sunt ad scindendum, tanquàm propter finem, similiter quia sunt ex materia subtiliori, quã ea, ex qua sunt molares obtusi ad conterendum cibum.

Alterum exemplum ponit, fonus tonitrui fit ex extinctione ignis in nube, necessariò enim ignis extinct in aqua fizit, id est sonitum facit, finis autem tonitrui secundum Pythagoram est, vt paueant qui sunt in inferno, sit ergo vnus effectus ex pluribus causis.

9. *Plurima autem huiusmodi sunt, &c.*

Cum idem & à fine, & ex necessitate, idest, materia, vt Philo. dicit, fieri docuisset, inquit plurima esse huiusmodi, præsertim quæ natura constant, id est, entia naturalia: dicuntur autem entia naturalia, quæ principium in se alicuius motus habent, qualia sunt plantæ, animalia elementa, & ex his mixta, in quibus est duplex hæc causa, & finis, & necessitas, scilicet materia.

Nota literam, illa duo verba (hæc, illa.) sunt nominatiui casus cum natura, vt sit sensus, in his quæ natura constant, hæc natura est propter hoc, illa ex necessitate, id est, est quædam causa finis, est etiam causa materia.

10. *Sed in his quæ sunt ab intelligentia, etc.*

At quia est necessitas multiplex, distinguit, est enim quædam necessitas extrinseca, quæ prouenit à causa efficienti, vt sagitta emissa fertur sursum ex necessario, & alia necessitas intrinseca, quæ est à principio interno rei, & hæc est secundum rei inclinationem & appetitum, vt cum lapis deorsum descendit, & ignis sursum ascendit, & per talem necessitatem, causam probamus ipsius effectus, cum sit necessitas per se.

Quid à fortuna dicat prouenire.

Postquàm docuit causas illas reperiri in naturalibus, docet nõ id semper in his esse, quæ ab intelligẽtia & intellectu fiũt, id est, in artificialibus, artificialia enim quædam nec ex necessitate fiunt, nec à fortuna, sed tantùm propter finem, vt domus effigies: hæc enim solùm sunt pro arbitrio agentis, non ex materia ipsa necessario prouenium, sed ẽtiam propter finẽ, & hinc est, quòd non à fortuna proueniant, cùm non nisi ex intensione agẽtis fiant.

Illud autem dicitur à fortuna prouenire, quod præter intentionem agẽtis particularis prouenit, vt si quis domo egres-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sus negotiandi causa, liberatus est à morte, nempè quia domus ruinam fecit, hoc illi à fortuna euenit: dico autem agentis particularis, quia illud non euenit præter intentionem agentis vniuersalis, nempè Dei, qui omnia præscit, & nihil ei à fortuna euenit, domus igitur & similia nunquàm à fortuna eueniunt, quia non sunt nisi ex agentium intentione.

Quædam alia artificiata à fortuna eueniunt, vt sanitas, nauigationis exitus, cuius rationem Arist. reddit, nempè quia ab alia causa prouenire possunt, quàm ab arte, sanitas enim etiam à natura, nauigatio etiam à ventis prouenit, cum autè ista à tali causa præter artem eueniant, possunt à fortuna euenire, nempè cum accidunt præter intentionem, nõ quòd à fortuna sit generatio rei, sed cum ab illo principio præter intentionem venit, à fortuna dicitur.

In arte igitur finis est, qua parte ab arte res prouenient, & in hoc cum natura conuenit, vtraq; enim est propter finem quæ enim sunt à fortuna, non sunt propter finem, cum non sint secundum causarum particularium intentionem.

11. Tertium theorema. *Eadem autem causa est, &c. in his, &c.*

Tertium theorema est, in causis & effectibus quę simul sunt eodem modo variari causam, quo effectus, quantum ad temporum varietatem, vt quare est eclipsis? quia est interpositio, quare fuit eclipsis? quia est interpositio: quare futura est? quia futura est interpositio: ponit exemplũ aliud præteriti, quare glacies est? reducas ad cõplexum sumpta significatione nominis, vt supra diximus, & nota hũc locum? reduces sic, quare aqua est congelata? quia est exhalata, puta quia partes calidæ præhus enaporatæ sunt, & calor recessit, & hoc idé potest variari secundum quamlibet temporis differentiam.

CAPVT XII.

TEXT. 1. IN ijs verò, quæ non simul sunt, an ne sunt in continuo tempore? quemadmodum videtur nobis aliæ aliorum causas esse, ipsius quidem factí factam alteram, & futuri alteram futuram, & ipsius fieri, si quid prius factum fuit.

2. Est vtique à posterius facto syllogismus, principium autem & horum ipsa facta, quare & in ijs quæ fiunt consimiliter: à priori verò non est, vt quoniam hoc factum fuit, quia hoc posterius factum fuit, & in futurum consimiliter: neque enim indefiniti, neque definiti erit temporis? quare quoniam hoc verum est dicere factum fuisse, hoc autem est verum dicere factum fuisse, posterius, in intermedio nãque falsum erit dicere hoc iam altero facto. Eadem autem ratio & in futuro.

3. Neque quoniam hoc factum fuit, hoc erit medium enim congenitum oportet esse factorum factum, & futurorum futurum, eorum quæ fiunt quod fit. entium ens id verò quod fuit, & id quod erit non contingit esse congenitum. Amplius neque indefinitum contingit esse, tempus intermedium, neque definitum, falsum enim erit dicere in intermedio.

4. Considerandum autem quid est ipsum continuum, vt post ipsum factum esse, ipsum fieri sit in rebus, an manifestum est, quòd non est contiguum facto, quod fit, neque enim factum facto: termini namque sunt & indiuidui: quemadmodum igitur neque puncta sunt sibi inuicem contigua, neque facta, ambo enim indiuidua sunt, neque vtique quod fit facto propter idem, nam quod fit, diuisibile est, factum autem indiuisibile: quemadmodum igitur linea ad punctũ se habet, ita quod fit, ad factum: insunt enim infinita facta in eo quod fit: magis autem manifestè in vniuersalibus de motu oportet dici de his.

5. Quinta Physicorũ. c. de cõtinuo & contiguo, & alibi. De eo igitur quod est, quomodo, cum generatio consequenter sit, se habeat medium, quod est causa, in tantũ acceptũ sit: necesse est enim & in his medium & primum immediata esse: vt A. factum fuit, quoniam C. factum fuit, posterius autem C. factum fuit: prius autem A. principium autem C. eo quòd proximus ipsius tunc est, quod est principium temporis, C. verò factum est, si D. factum est: cum igitur D. sit necesse est A. factum esse, causa autem est C. cum enim D. factũ est, necesse est C factum esse: C. autè facto necesse est prius A. factum fuisse. Ita verò accipienti medium, sta bitur alicubi in immediatum, an semper extra cadet propter infinitum? non enim est contiguum factũ facto, quemadmodum dictum fuit, sed incipere tamen necesse est medio & ab ipso nunc primò. Similiter autem & in ipso erit: si enim verum est dicere, quod erit D. necesse prius verum dicere, quod A. erit: huius autem causa ipsum C. si enim D. erit, prius ipsum C erit si verò C. erit, prius ipsum A. erit: similiter autem infinita est sectio & in his: non enim sunt futura contigua inter se principium verò & in his immediatum accipiendum est.

7. Sed habet autem sic in operibus, si facta est domus, necesse est incisos fuisse lapides, & factum fuisse hoc † propter quid? quoniam necesse est fundamentum factum fuisse, si quidem & domus facta fuit: si verò fundamentum est, prius lapides factos fuisse necesse est. Rursus, si erit domus, consimiliter prius erunt lapides (monstratur autem per medium similiter) erit enim fundamentum prius.

[Nõnulli codices non habent illud propter qd.

1. Intentio Arist. *In his autem quæ non simul sunt &c.*

CVM in tertio theoremate præcedenti de causis & effectibus quæ simul sunt, locutus esset, nunc de causis & effectibus quæ nõ simul sunt, sed successione procedunt quærit an talia, licet simul non sint, saltem in continuo fiant tẽpore, vt cum fundamenta, & muri, & domus fiant: an sunt continuo tempore, sicut videtur nobis communiter, ita vt effectus facti sit altera causa prius facta continuo tempore, & futuri futura, & eius quod fit aliqua præcedens, licet simul nõ sint omnia.

2. *Est igitur à posterius facto syllogismo, etc.*

Antequàm quæstionem determinet, statuit modum demonstrandi in similibus causis, docens in his quæ facta sunt procedendam à posteriori ad prius factũ & similiter in his, quæ futura sunt à posterius futuro ad prius, sic, facta est domus, ergo facta sunt fundamenta: futura est domus, ergo futura sunt fundamenta, non licet autem à prioribus procedere, ac propterea vocat syllogismum, non autem demonstrationem.

3. *Neque enim infinito, aut finito erit tempore, &c.*

Probat quòd non sit verum dicere: quia prius est factum posterius esse factum, nec signando tempus certum & finitum, nempè quia hoc est factum, illud tali die est factum, nec non signando tẽpus vllum, sed infinitè & indeterminatè: neutro enim modo est verũ dicere, quia prius factum est, nempè fundamenta, factum est posterius, puta domus, quia sumendo tale tempus intermedium, erit quidem verùm dicere factum esse prius, non autem posterius. Idem dicendũ est de futuro.

4. *Neq; quoniã hoc factũ est, hoc erit, &c.*

Non solum à priori ad posterius non valere conteudit in facto vel futuro esse, sed nec à facto ad futurum valere probat non enim licet dicere, quia fundamenta facta sunt, domus erit, primò, quia mediũ & quod per mediũ probatur debent esse contemporanea & congenita, vt vtrũq; futurum, aut vtrumque præteritum, aut vtrumque in esse aut in fieri, at factum esse & futurum non sunt simul congenita: præterea, quia siue sit certum tempus siue incertum, in quo futurã esse domum dicatur, in medio tempore falsum erit dicere quod erit, cum impediri possit, & si fundamenta posita sint.

5. *Speculandum ergo quid est continuũ, &c.*

Conatur modò respondere ad propositam quæstionem de cõtinuitate temporis effectus & causæ, quæ simul non sunt, ac dicit quod oportet speculari quid sit continuum, erit enim manifestum quod factum esse nec cum fieri, nec cum alio factum esse sit continuũ, nam facta esse

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt sicut puncta in linea, fieri verò sicut ipsa linea, vt igitur punctum non est continuũ puncto, cum indiuisibilia sint, nec linea puncto, quia posito aliquo puncto non dabitur pars lineæ ita immediata puncto illi, quin detur alia minor versus illud punctum, ita nec factum esse cum facto esse, nec cum fieri continuum est: at quia hoc excedebat limites Logicos, remittit se ad libros Physicorum, in quibus de motu in vniuersali tractatur.

6. *Dè eo igitur quomodo cum eo, &c.*

Ostendit hæc solùm dicta esse vt ostẽdatur quomodo in his quæ consequenter & successiuè fiunt, sit causa media accipienda, nam cum causa media debeat esse immediata extremo maiori, oportuit cognoscere quo modo ista immediata sint, licet aliquid ex philosophia misceatur. Quo autem modo sint immediata docet, primo repetendo principium, quod sit, hoc autem est vltimum factum esse, per hoc enim probamus prius, vt A. esse, nempe fundamenta, quia C. est, nẽpè quia muri facti sunt, & muros factos, quia D. nempè domus est, semper autem vltimum dicitur principium, quia proximum est ipsi nunc præsenti, quod dicitur principium temporis.

Nota. Hic nota, quod sicut in linea datur principium incipiendo extrinsecè, nempè à puncto primo versus lineam, non autem datur principium à linea versus punctum, ita datur principium à facto esse incipiendo, quod nunc, versus antecedentia, non tamen à prioribus factis esse inciptendo, ac ob id principium primum debet esse quod vltimum est, ac ob hoc ad priora procedendum: in prioribus autem non est dare primum factũ esse, sicut datur vltimũ factũ esse: ac ob id à posteriori sumendũ est principiũ, eadẽ est ratio in futuro, ab eo enim quod posterius est, principium sumi debet.

7. *Hoc autem se sic in operibus, &c.*

Docet quòd motus in tempore non detur ista immediatio vnius facti esse cum altero facto esse, vel cũ fieri, tamen ea quæ facta sunt, habere hanc immediationẽ & in his non esse processum in infinitum versus priora: nam domus facta est, ergo lapides decisi sunt, quod est vltimum, & lapides decisi sunt quia fundamẽta sunt, quod est medium: datur igitur immediatio in rebus, licet non in tempore: hæc pro capite sufficiant, sunt enim ista philosophica.

CAPVT XIII.

TEXT. 1. QVoniam autem videmus in ijs quæ fiũt, circulo generationem quandã esse, contingit hoc esse: si quidẽ sequantur se inuicem mediũ & extra: in his enim ipsum cõuertere est: monstratũ verò est hoc in primis, quod cõuertuntur conclusiones, quod aũt circulo hoc est, in operibus autẽ apparet sic: made facta terra, necesse est vaporem fieri, hoc autẽ facto nubẽ, hoc aũt facto aquã, hoc aũt facto, necesse est made factã esse terrã: hoc autẽ erat, quod à principio, quare circulo circuiit vno enim ipsorũ quocunq; existẽte, alterum est, & illo alind, & hoc primum. 1. Post. c. 3

2. Sunt autẽ nonnulla quidem quæ fiũt vniuersaliter, nanque & semper & in omni, aut sic se habent, aut fiunt, alia verò semper quidem, non vt plurimũ autem, vt non omnis homo masculus barbam emittit, sed vt plurimum.

Talium itaq; necesse est & medium vt plurimum esse, si enim A. de B. vniuersaliter prædicatur, & hoc de C. vniuersaliter, necesse est A. de C. semper & in omni prædicari, hoc enim est vniuersale & in omni & semper, sed supponebatur vt plurimũ: necesse est igitur & mediũ vt plurimũ esse, quod est, in quo B. erũt igitur & eorũ, quæ vt plurimũ, principia immediata, quæcunque vt plurimum ita sunt, aut fiunt.

Quoniam autem videmus in ijs, &c. I. Intentio Arist.

Cùm in his, quæ simul non sunt causa & effectibus à posteriori argumentũ sumendum esse docuisset, nunc docet in quibusdam etiam quæ non simul sunt, nihil

nihil referre à posteriori vel à priori incipere, hæc autem sunt quæ mutuò & circulo quodam non indiuiduo, sed specie generantur adinuicem: & in his conclusiones præmissas, & præmissæ conuersim conclusiones ostendunt, vt prius dictum est, nempè secundo Priorũ cap. 5.

Verbi gratia, si terra made facta est, vapores erunt, si vapores, erunt nubes, si nubes, pluuia, si pluuia, terra erit made facta, vnde est circulus, & in his per vapores futuras pluuias, & per pluuias vapores etiã futuros probare possumus, neutrum enim in specie habet rationem veram prioris aut posterioris.

2. *Sunt autem quædam, quæ fiunt vniuersaliter, &c.*

Mediũ tale esse debere quale illud quod probatur. Theorema quoddam constituit, tale esse mediũ oportere, quale id quod probatur, sunt enim quædam quæ semper sunt aut fiunt sine defectu, vt quod triangulus habeat tres angulos, quod sol oriatur, quod occidat: quædam quæ frequenter eueniunt, licet aliquando deficiant, vt quod vir barbam habeat, quod pluuiæ sint in hyeme: eorum igitur quæ semper sunt aut fiunt, & medium debet esse semper, in his verò quæ plerunque, & mediũ etiam plerunque: & probat secundum, nam si A. dicitur de B. semper, & B. de C. semper, & A. dicetur de C. semper, nõ ergo plerunque, vt dicebatur, vnde per principium de omni, medium semper non erit ipsius plerunq;, erit ergo quod est plerunque sine medio, aut medium debet esse etiam plerunque v. dictũ est.

De compositione definitionis ex suis partibus, & quando sunt ignotæ quo pacto veniantur.

CAPVT XIIII.

TEXT. 1. QVomodo igitur ipsum quid est in definitione assignatur, & quo modo demonstratio, aut definitio est ipsius, aut non est, dictum est prius. Quomodo autẽ oportet venari, quæ in eo quod quid est prædicantur, nunc dicamus. Eorum igitur, quæ insunt semper vnicuique nonnulla extendũtur in plus, non tamẽ extra genus: dico autẽ in plus inesse, quæcunq; insunt quidem vnicuiq; vniuersaliter, at vero & alij: veluti est impar, quod omni inest trinitati, sed & non trinitrati, quemadmodũ ens inest trinitati, sed & non [numero: sed & impar in est in omni trinitati, & in plus inest, nam & quinario inest, sed non extra genus quinarius enim est numerus, nihil autem extra numerum & impar. [a. l. trinitati.

Talia itaq; accipienda sunt vsque ad hoc, quousque tot accepta fuerint primum, quorum vnumquodque quidem in plus inerit, omnia verò non in plus sunt: hãc enim necesse est esse substantiã rei: vt trinitati inest omni numerus, impar, primus vtroque modo, & vt non mensuretur numero, & vt non componatur ex numeris: hoc igitur iam est trinitas numerus impar, primus, & ita primus: horũ enim vnumquodque, alia quidem imparibus omnibus inIunt, vltimum verò & dualitati, omnia autem † nulli. 2. [a. l. nulli nisi tria

Quoniam verò declaratum est nobis in superioribus, quod necessaria quidẽ sunt, quę in eo quod quid est prędicãtur, vniuersalia verò necessaria sunt, trinitati autem, & cuilibet alij sic accipiuntur in eo quod quid est, quæ accipiuntur sic, ex necessitate quidem essent vtiq; trinitas hæc: quod autem substantia sit, ex his planum est: necesse enim est, si nõ hoc esset trinitatis esse, vt gen' aliquid esse hoc aut nominatum aut innominatum: erit igitur in plus quã trinitati inexistẽs: supponatur enim tale esse genus, vt insit secundum potentiam in plus: si igitur nulli inest alij, quam indiuiduis trinitatibus, hoc vtiq; esset trinitati esse, supponatur enim & hoc substantia vniuscuiusq; esse, quæ est in indiuiduis vltima talis ꝓdicatio: quare consimiliter & alij cuicunque ita monstratorum eidem esse erit. 3.

Oportet autem, quando totum aliquid negocietur quispiam, dividere genus in indiuidua specie prima, vt numerum in trinitatem & dualitatem postea, 4.

sit illorum definitiones tétare accipere vt rectæ lineæ & circuli, & recti anguli: post hæc autem accipientem quid est genus, veluti vtrũ quantorum, aut qualium proprias passiones speculari per communia prima accidentia.

5. Nanque ijs quæ componuntur ex indiuiduis, ex definitionibus erunt plana, eò quod principium est omnium † definitionum ipsum simplex, & simplicibus solis per se insunt accidentia, alijs verò secundum illa.

† 2. L. definitio & ipsũ simplex.

6. Diuisiones autem, quæ sunt secundum differentias, vtiles sunt ad ita pertranseundum, vt tamen monstrant, dictũ est in præcedentibus: vtiles verò essent ita solum ad syllogizandum ipsum quid est. Atqui videretur vtique, nihil, sed statim accipere omnia, ac si quispiam à principio acciperet absque diuisione.

7. Differt autem aliquid primum & posterius eorum quæ prædicantur prædicari, vt dicere, animal mansuetum bipes, aut bipes animal mansuetũ: si enim omni ex duobus est, & vnum quiddam est animal mansuetum, & rursus ex hoc & differentia, homo, aut quodcunq; est, quòd vnum sit, necessarium est diuidentem petere.

Amplius vt nihil derelinquatur in eo quod quid est, ita solum contingit, quando enim primum acceptum sit genus, si inferiorum quidem aliquam diuisionum accipiat, non incidet omne in hoc: vt nõ omne animal aut integris aut scissis pennis est, sed pennatum animal omne, huius enim differentia hæc, prima verò differẽtia animalis est, in quã omne animal incidit: similiter autẽ & aliorum vnaquæcuiusq; & extrinsecorũ generũ, & eorum quæ sub ipso, vt auis, in quam omnis auis: & piscis, in quã omnis piscis: ita igitur procedenti est scire, quoniã nihil derelictũ fuit, aliter autem & derelinquere necessarium est, & non scire.

8. Nihil autem oportet definientem & diuidentem omnia scire entia, quamuis impossibile dicere esse aliqui, differẽtias scire, quæ sunt ad vnumquodq; non scientem vnumquodque, sine autẽ differẽtijs non esse vnumquodq; scire: à quo enim non differt, idem esse huic, à quo autem differt, alterum ab hoc. Primum quidem igitur hoc falsum est: non enim secundũ omnem differentiam alterum est: multę enim differentiæ insunt eisdem specie, sed non secundum subitantiam, neque per se.

Postea quando acceperit opposita & differentiam, & quod omne incidit hinc aut inde, & acceperit in altero q; quæritur esse, & hoc cognoscat, nihil differt scire, aut non scire, in quibuscunque prædicantur alijs differentiæ: manifestum enim est, quoniam si ita procedens venerit in hæc, quorum non amplius est differentia, habebit iterationẽ subitantiæ, omne autẽ incidere in diuisionẽ, si sint opposita, quorum non est medium, nõ est petitio: necesse est eũ omne in altero ipsorũ esse, siquidẽ illius differentia erit.

9.

Ad constituendã verò definitionẽ per diuisiones, tria oportet coniectare, vt accipiantur quæ prædicãtur in eo quod quid est, & hęc ordinare quid primũ, aut quid secundũ est, & q; hæc omnia sint.

10.

Est autem horũ vnum primum per id, quod possumus, quemadmodum ad accidens, syllogizare, quod inest, & pergens construere: ordinare autẽ, vt oportet, erit, si primum acceperit, hoc autem erit, cum acceptum fuerit, quod omnibus sequitur, illi autem non omnia, necesse est enim esse aliquid tale, hoc autẽ accepto, iã in inferioribus idẽ modus est, secundò nanq; aliorũ primum erit, & terrijs consequentijs, ablato enim superiori, q; consequitur aliorum primum erit: consimiliter verò & in alijs. Quod autem omnia hæc sint, manifestum est ex eo, quod accepit: & primum secundum diuisionem, quoniam omne aut hoc, aut hoc animal est: inest autem hoc, & rursus huius totius differentiam, vltimi verò non amplius esse differentiam, aut & statim cum vltima differẽtia à toto non differre

11.

differre specie hoc: manifestum enim quod neque plus adiacet

12. Omnia enim in eo, q; quid est accepta sunt horum, neq; deficit vllum: aut enim genus, aut differentia vtique esset: genus quidem igitur & primum, & hoc quod cũ differentijs assimilitur, differentiæ verò omnes habentur, nõ enim amplius sunt posteriora specie: nanque differret vtiq; ipsum vltimam, hoc autem dictum est non differre.

13. Quærere verò oportet inspicientẽ ad similia & in differẽtia: primũ quid omne idem habẽt, postea rursus in alteris, quæ in eodẽ quidẽ genere sunt cũ illis: sunt autẽ ipsis quidẽ eadem specie, ab illis autem altera: quando autem in his acceptũ fuerit aliquid omnino idẽ, & alijs consimiliter in acceptis omninò cõsiderare, si idẽ, quousq; ad vnam deuenerit rationem, hæc enim erit rei definitio: si verò non processerit in vnam, sed in duas, aut plures, planum quod non esset vtiq; vnũ aliquid quod quæritur, sed plura.

14. Vt dico, si quid est magnanimitas: quæ rere mus, considerandum in quibusdam magnanimis, quos scimus, quid habent vnum omnes in quantum tales, vt si Alcibiades magnanimus, aut Achilles, & Aiax, quid vnum omnes habent? non tolerare iniuria affecti, ille enim bellauit, iste autem iratus est, hic verò interemit se ipsum. Rursus in alteris, vt Lysandro, aut Socrate, si vtique indifferẽtes sunt & bona & mala fortuna affecti: hæc duo capiens cõsidero, quid idem habent, & non impassibilitas circa fortunas, & non tolerantia cũ iniuriãtur, si verò nihil, duæ vtiq; species essent magnanimitatis.

15. Semper autem est omnis definitio vniuersalis, non enim alicui oculo dicit salubre Medicus, sed aut omni, aut specie determinans.

1. *Quomodo quidẽ sit, quod quid est, &c.* Intentio Arist. Postquam quomodo quod quid est definiatur, & qualiter in demonstratione ostendatur ostensum est, proponit se dicturum qua via definitionem venari possimus, definitio autem aut est alicuius speciei specialissimæ, aut alicuius generis subalterni: incipit autem à methodo definiendæ speciei, vt vult Themist. & Philoponus.

Ante omnia verò diuisionem prædicatorum essentialium statuit: quædam attribuit, essentialiter prædicantur de specie, ita tamen vt excedant genus illius speciei, sicut ens prædicatur de ternario, excedit tamen genus ipsius, nempe numerum, similiter prædicatur quantitas, excedit tamen, quædam verò essentialiter prædicantur: in plus tamen, ita vt excedant speciem illam, non tamen genus sicut impar, primum, insunt ternario in plus, quia alijs etiã numeris insunt, non soli ternario, sed non excedunt numerũ cum non nisi numeris insint: ita fit etiam in alijs speciebus. Diuisio attributorũ essentialium.

Huiusmodi igitur accipienda sunt, &c. 2.

Distinctione prædicatorum essentialium de specie proposita, methodus constituit in hoc, vt circa speciem definiendã tot prædicata essentialia sub illo genere sumamus, quousque omnia simul iuncta soli illi insint speciei, licet singula separata excedant speciem. Methodus inuestigandi definitionem speciei.

Verbi gratia est definiendus ternarius, cuius genus est numerus, sumam de ternario essentialia omnia, nempe quod est impar, quod est primus vtrobique, & quamuis ista singula sint cõmunia per se (nam impar inest etiam quinario, primus vtrobique binario) tamen totum simul soli ternario inest.

Aduerte dupliciter dici numerum primum, vno modo, quia sola vnitate mensuratur & non numero aliquo, sicut ternarius, quinarius, septenarius, & alij: alio modo quia non componitur ex numeris, quomodo soli binarius, & ternarius primi dicuntur: vnde vterque dicitur primus vtrobique, id est, quia nec mensuratur numero, nec componitur numeris, si igitur primus cõsideretur per se, inest binario, impar per se, inest alijs, totũ verò ternario soli, atq; hæc est via definiendi

Nota. Numerũ dupliciter primũ dici.

Universidad de Deusto
Biblioteca

speciem, quæ magis deseruit pro indaganda differentia, quæ difficilius cognoscitur.

3. *Quoniam autem ostensum à nobis, &c.*
Probat prædictam orationem esse definitionem ipsius ternarij, & primò, probat esse necessarium prædicatum, sic, in quid prædicata prædicantur necessario, illa talia prædicantur in quid, vt notũ est, ergo necessaria sunt: maior patet, quia in quid prædicata vniuersaliter prædicantur, vniuersalia autem necessaria sunt: idem dicendum in alijs omnibus à ternario: sed quod sit substantia & definitio probatur, illa oratio prædicatur in quid de ternario, ergo vel est genus vel definitio: non genus, quia cõpeteret alijs à ternario, genus enim superius est, ergo est definitio, cum definitio sit oratio quæ in quid, & soli inest. Dices, quomodo illæ differentiæ prædicantur in quid? respondet Philop. differentiam per se in quale quid prædicari, at in definitione simul cũ ipso genere prędicatur in quid, definitio enim in quid prædicatur.

Obiect.

Diluti.

Quæstio an sit vltima differẽtia simplex specierũ specialissimarum. Prin. opi. D. Tho.

Hic est † vna difficultas notanda, an vnius speciei specialissimæ vna sit vltima differentia conuertibilis cum specie eadẽ. Sanctus Thomas hoc loco lect. 13. respondet quamlibet speciem specialissimã habere vnicam vltimam differentiam conuertibilem cum ipsa, at quia tales differentiæ sunt ignotæ, circumscribimus illam per varia accidentia communia simul iniuncta, quæ dicuntur essentialia, quia formam rei essentialem circunscribunt: non autem circunscribimus per accidentia propria, quia per talem definitionem oportet demonstrare ipsa propria de specie.

Rat. D. Tho.

Ratio Sancti Thomæ est, quia cum differentia sumatur à forma, sit autem vnica forma vltima in specie, erit etiam & differẽtia vltima, hoc idem Alber. tract. de differentia. c. 5. & in præsenti capite, & videtur hoc idẽ docere Aristoteles septimo Metaphysicæ, capit. 12. text. 43. vbi differentias vltimas cum specie conuerti docet, & primò de partibus animali, cap. 1. esse species, inquit, quæ vnica indigent differentia. Simplicius capit. 3. ante prædica. docet Porphyrium differentias, vt in plurimum definisse, hæ autem communes sunt: vbi insinuat non deesse vltimas differentias: at Porphyrius differentiam vltimam specificã nullam videtur facere: sed solum illud aggregatum ex multis communibus, quem alij quoque sequuntur.

Secunda rat. Por.

Pro hac opinione esse videtur, quod potest fieri vt omnes gradus qui sunt alicuius formæ rei, inueniantur seorsum in varijs rebus, licet simul iuncti non nisi in illa re, & profectò hoc in homine cõstat, nam forma ipsi est principium vitæ, quẽ gradum in formis plantarũ inuenimus, est etiam principium sentiendi, qui gradus est in brutis, est etiã principium intelligendi, qui gradus est in Angelis, at simul intelligendo, non est nisi in homine nam si tu dicas, intelligere hominis esse cum discursu, ac obid non inueniri in angelis, dicent hi, nihil aliud esse intelligere cum discursu, quam intelligere coniunctum sensitiuo, vnde qui dicit rationale, dicit duo, nempè intellectiuũ cum sensitiuo, vnde iuxta istorum sententiam ista erat exacta hominis definitio, substantia intellectiua, sensitiua.

1. ratio.

Et quamuis hæc opinio non careat probabilitate, tamen non est negandũ, posse esse differentias vltimas simplices vltimarum specierum, cum possint multis inesse simplices gradus formæ solis speciebus competentes, quamuis hoc forte non sit demonstrabile, est tamen probabilius, quàm contrarium.

Vltimas differentias simplices posse esse ultimarum specierũ.

Congruum autem est cum totum, &c.

Alteram constituit methodum pro genere subalterno definiendo, generalissima enim nõ habẽt definitionẽ: methodus autem consistit in tribus, primum est, vt tali genere proposito fiat eius diuisio in suas vltimas species: secundũ, vt singulæ definiantur, & sumatur id quod in eis inuentum fuerit commune, hoc enim

4. Method⁹ vt generis subalterni definitio indagetur.

enim erit differẽtia illius: tertiũ, vt prædicamentum illius inquiratur, in quo ipsius est genus, hoc autem fiet considerando proprietates ipsorum prędicamẽtorum, quæ in singulis prædicamentis superius expositæ sunt, & sic perfectam habebimus definitionem.

Verbi gratia, volo definire lineam, dividam eam in suas species, rectam, & circularem, postea singulas definiam: recta est longitudo sine latitudine, cuius medium nõ exit ab extremis, circularis est, longitudo sine latitudine, cuius medio incit punctum, à quo lineæ omnes ductæ vsque ad ipsam sunt æquales: sumam ab vtraque illud commune, nempe longitudinem sine latitudine, postea per proprietates quantitatis comperiam lineã esse quantitatem, & continuam, quia secundum eam est æquale vnum alteri, & eius partes terminum habent commũnem, dicam igitur linea est quantitas cõtinua, longa sine latitudine: atque hæc methodus est pro genere.

5 *Compositis enim ex athomis, &c.*
Vult Arist. ostẽdere meritò ad methodum definitionis generis vtendum esse definitionibus specierũ, nam cum genera non sint nisi ex speciebus collecta, meritò per ea quæ speciebus insunt ad genus ascendimus: cum in speciebus primo inueniantur & cognoscantur.

Litera autem sic est exponenda, secundum Themist. & Philopo. quamuis aliter S. Tho. exponat. conuenientia compositis ex athomis, id est, quæ insunt generibus, quæ ex vltimis & indiuisibilibus speciebus componuntur, ex ipsarum specierum definitione esunt manifesta, propterea quod omnium principium est definitio, & quod simplex, id est, generum & vniuersalium definitio simplicis speciei principium est, & quæ insunt simplicibus speciebus, per scilicet cõpeterecognoscuntur, alijs verò, nempe generibus non nisi per species inesse illa percipiuntur.

6. *Sed diuisiones, quæ sunt secundum differentiam, &c.*

Diuisiõis quę sit vtilitas ad inuestigationẽ definitionis. Prior vtilitas.

Vt Philopon. dicit duas vtilitates ex diuisione ad has methodos definiendi proponit, præmittit tamen non demonstrari definitionem per diuisionem, vt dictum est prius.

Prior vtilitas est ad ordinem inter partes definitionis, refert enim multũ dicere, homo est animal, mansuetum bipes, vel bipes mansuetum.

Cuius rationem dat, nam semper partes præcedentes faciunt vnũ genus, quod per bipes contrahitur, propterea multũ refert vnam partem, aut alteram præponere, quamuis vt dicit Arist. hoc non demonstretur ex diuisione, sed accipiatur, tamen vtilis est ad hoc diuisio, nam si recta sit, partes ipsius priores præponi debent, posteriores verò postponi.

7. Poste-rior vtilitas.

Amplius nihil relinquendũ, &c.
Altera vtilitas diuisionis est, vt nihil relinquatur in definitione, reliquitur autem, cum prætermittitur differentia proximè dividens genus: signum autem cognoscendi quando differentiæ nõ sint generi adæquatæ, hoc est, cum enim ipsę differentiæ non adæquant ipsum genus vniuersaliter sumptum, non sunt proximæ, vt habere scissas pẽnas, & habere nõ scissas, sicut habent vespæ, muscæ, & vespertiliones, non sunt differentiæ proximæ animalis, cum non omne animal habeat pennas scissas, aut non scissas, hæ enim differentiæ auis sunt, atque hoc signum est pro cognoscendis proximis differentijs generis alicuius, & aliorum generum, quæ extra illud sunt, nempe superiorum, & eorum quæ sub illo sunt, atque ex hoc colligitur prędicta vtilitas ad definitiones.

8.

Nihil tamen oportet definientem, &c.
Excludit errorem quẽdam, quem Themist. & Philop. tribuunt Pseusippo nepoti Platonis, hic enim dicebat non posse cognosci differentiã alicuius, nisi cognoscantur omnia, à quibus differt, sine differentia verò nõ cognosci quicquam, nam à quo non differt, est idem cum eo: à quo verò differt, est aliud ab eo, si igitur non

cognos-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cognoscitur res sine differentia nec differentia, nisi alijs omnibus cognitis, non contingit definire aut diuidere nisi omnibus cognitis.

Hoc reijcit Arist. ac primò illud fundamẽtum refutat, nẽpe quod differt ab alio alterum est ab eo: hoc docet esse falsum, nam individua vnius speciei differunt ab inuicem, non tamen vnum dicitur alterum, id est, diuersum in substantia ab alio, cum non omnis differentia sit essentialis, ex quo fit vt ad cognoscendum quid res sit, nõ sit opus omnia cognoscere, cum saltem individua illi⁹ speciei non sit opus cognita habere.

9. *Posita cum accipiantur omnia, &c.*

Respondet modo non opus esse cognoscere omnia in particulari, à quibus res differt, sed si genus diuidatur per duas differentias, in quibus non sit medium, aut per plures, & definitum accipiatur in vna, satis erit vt cognoscatur differre ab omnibus alijs, quibus ineſt oppoſita differentia, licet non cognoscãtur illa omnia in particulari, vt satis est scire omne animal esse aut rationale, aut irrationale: & hominem esse rationalem, vt cognoscatur ab alijs omnibus animalibus differre, quamuis in particulari non cognoscantur, sed vniuersaliter nempe esse irrationalia.

Quod si dicas, vnde scimus omne animal esse rationale, aut irrationale? forsan erit aliud: respondet Arist. nõ posse esse aliud, quia differẽtiæ sunt immediatè oppoſitæ, ob id non petitur principiũ, quando nulla alia statuitur: quod si per huiusmodi diuisiones procedamus, non opus erit omnia in particulari cognoscere, sed tantum rem definiendam esse sub oppoſitis differentijs.

10. *Ad probandum autem terminum per diuiſiones, &c.*

Post methodos definiendi traditas, vult docere diuisionẽ esse vtilem ad definitionem probandam, non quidem demonſtratiuè, vt dictum est, sed alio probationis genere: ad hoc autem oportet tria in diuisione obseruare. primũ est, vt non accipiantur in diuisione nisi tãtum essentialia, & non accidentia aliqua, alterum, vt ordinatè accipiantur talia prędicata vt primum sit loco primo, secundum loco secundo, & sic consequenter: tertium vt sumantur omnia membra diuisionis vsq; ad vltimam speciem, vel vsq; ad illud quod definiri debet.

Est autem vnum horum, &c.

11. Diuisionẽ vtilẽ esse ad definitiõis probatiõẽ;

Ostendit modum quo ista in diuisione obseruari possunt, primum quidem obseruabitur examinando talia prædicata per problemata generis, sicut examinantur accidens per sua problemata, id est, per præcepta quæ dantur ad determinãda problemata accidentis vel generis.

Obseruabitur secundum, si primũ prædicatum fuerit primo loco, illud autẽ est primum, quod sequitur omni alia, non tamen omnia alia sequuntur & inferuntur ex ipso, vt viuens est primum quam animal: nam omne animal est viuens, non è contra omne viuens animal, & idem obseruabitur in sequẽtibus, nam semper respectu sequentiũ antecedẽtia dicuntur prima, & eodẽ modo sunt examinanda.

Obseruabitur verò tertium duplici signo, primo ne intermedia prætermittãtur, sumẽdo differẽtias adæquatas, quod cognoscitur, quando genus vniuersaliter non continetur sub illis, nam cum adæquatæ sunt, exactè diuidunt genus vniuersaliter sumptum, vt diximus paulò superius in hoc capite: secũdo, vt diuisio procedat vsq; ad vltimum, quod cognoscetur, quando iam amplius sub illo toto non possumus differentiam sumere, vel si sumamus, est idem cum ipso toto, vnde quando peruentum est ad hominem, scimus absolutam esse diuisionem, quia sub homine non licet differentiam sumere, vel si differentia sit, puta rationale, est conuertibilis & idem cum homine, dini sua verò differentia debet esse inferior.

Omnia enim in re, quod quid est, &c. 12.

Probat modo per talem diuisionem rectè colligi & probari definitionẽ, nam omnia prædicata ista sunt essẽtialia, nõ ergo est quid superfluum, similiter nihil erit diminutũ, nam nõ deest genus, cum acceptum sit primum genus, non deest differentia, quia omnia intermedia vsq; ad vltima accepta sunt, erit ergo bona per talem diuisionem accepta definitio.

13. Intẽtio Arist. *Quærere autem oportet intendentẽ, &c.*

Non conuenit inter omnes expoſitores quid Arist. hic intendat. Sanctus Thomas enim vult, vt hic tradatur alia methodus definiendi speciem per resolutionem, Alb. verò & Aegid. vt tradatur hic methodus definiendæ passionis ipsius speciei, at potius mihi videtur dicendum cum Themist. & Philo. quod Ari. doceat modum separandi ęquiuocum à genere, quia sæpe accidit, vt videantur genera, quæ tamen sunt æquiuoca, traditur autẽ hic via hoc dignoscendi.

Methodus qua genus ab æquiuoco valeat distingui

Via autem hæc consistit in his, primò vt illius propoſiti generis sumamus illa singularia, quæ cẽsentur vnius speciei, & consideremus ea, in quibus sunt similia & indifferentia: secundò, vt sumamus alia singularia, quæ censentur vnius esse speciei inter se, diuersa tamen à priori sub illo genere, & pariratione consideremus similia in his & indifferentia: tertiò, vt vtraque comparemus, & videamus an in aliquo communi conueniant in illis similitudinibus reperto: si enim hoc est, erit huius communis definitio, si verò ratio non est vna communis, est æquiuocum tale propoſitum, & non est definiendum.

Verbi gratia, volo definire animal, diuidam in singularia hominis, & quæram an habeant aliquid commune, quo dicũtur animal, & inueniam esse sensibilia rationalia: postea sumam individua leonis & inueniã esse sensibilia rugibilia, quod si vtraque comparem, commune inueniam, nempe sensibile, ob id igitur animal vniuocum & genus erit.

Vt dico, si quid est magnanimitas, &c.

Exemplum proponit Aristot. si velis quod sit magnanimitas definire, prius cõsidera eos qui magnanimi dicũtur vnius speciei magnanimitatis, vt Achillem, Aiacem, Alcibiadem, hi magnanimi dicuntur, quia noluerunt pati iniuriam, Aiax enim occidit se, propterea quod arma Achillis fuerunt sibi denegata, Achilles verò abstinuit se à bello propter Brisei eidem raptam ab Agamemnone, Alcibiades pugnauit contra suos, quia propter accusationem à bello fuit reuocatus, omnes hi conueniunt in hoc quòd vindictam sumebant illatæ iniuriæ.

Postea considera alios magnanimos alterius speciei, scilicet Socratem, & Lysandrum, hi enim magnanimi dicti sunt, quia æquo animo se haberent, tam in aduersis, quàm in prosperis.

Si verò fiat comparatio inter has magnanimitates, nihil inuenietur commune, vt volunt Græci, propterea non erit vnica magnanimitatis definitio. Sanctus Thomas vult, quod sit aliquid commune, nempe quod omnes se dignos magnis existimabãt, ac inde procedebat vel vindicare iniuriã, vel nihili facere, & vtraq; expoſitio conuenit textui.

Semper est cum omnis definitio vniuersalis, &c. 15.

Ne quis cum singula considerata sint, ea definiri existimaret, docet definitiones non esse singularium, sed vniuersaliũ solum & communium, vt Medicus non considerat sanitatem huius vel illius oculi, sed in communi, nempe oculi in vniuersali, aut in specie, puta oculi colerici, sanguinei, vel alterius, itaq; definit.

Definitiões esse solum rerum vniuersaliũ.

Nota.

Medicꝰ partim vniuersale partim singulare sibi ꝓponere.

Aduerte Medicum habere speculationem & praxim, quantum ad speculationem respicit vniuersale, quãtum ad praxim & operationem respicit singulare. Sunt autem in singulari tria consideranda, & natura, illius, & singularitas, & totum simul suppoſitum, natura est principium, quo actionis vel passionis, quia per eam fit actio vel passio, singularitas est conditio necessaria actionis vel passionis, quia non est actio physica, quæ nõ sit in singulari, similiter passio: dico physicam,

Tria qdꝫ in singulari cõsiderãtur.

ficam, quia intellectus operatio fertur in vniuersale, ad totum suppositum est, quod agit vel patitur, agere enim vel pati suppositorum est.

CAPVT. XV.

TEXT. 1. FAcilius autem est singulare definire, quam vniuersale: quapropter oportet à singularib⁹ ad vniuersalia trãsire: æquiuocationes etenim latent magis in vniuersalibus, quam in differentibus. Quemadmodum autem in demonstrationib⁹ oportet esse ipsum syllogizatum fuisse, ita & in definitionibus manifestum est: hoc autẽ erit, si per ea quæ singulariter dicuntur, sit in vnoquoque genere definire seorsum, vt simile non omne, sed q̃ in coloribus & figuris: & acutum, quod in voce, & ita in commune progredi obseruantem, ne æquiuocatio incidat. Siverò neq; disputare oportet translationibus, planum, quod neq; definire, neque translationibus: disputare enim necesse erit in translationibus.

1. *Facile autem est magis definire singulare, &c.*

Intẽtio Arist. EXpræcedenti doctrina infert vnũ, facilius esse definire singularia, id est minus vniuersalia, quam communia, vnde oportet ex definitione inferiorum ascendere ad superiora.

Probat primò, quia æquiuocatio impedit definitiones, hæc autẽ est frequentior in vniuersaliori, propter amplitudinem eorum, quam in minus vniuersalibus, quæ non habent similitudinem cum æquiuocis.

Probat secundò, sicut demonstratio debet syllogizare, ita definitio declarare, sed clarior est definitio, quæ incipit à particularibus, vt si velis definire simile, acutum, quæ communia multis sunt, melius erit vnumquodque per se definire, nempè simile in coloribus, simile in figuris, similiter acutum in voce, acutum in sono, & sic paulatim procedere, attendo ne æquiuocum definiamus.

Ex quo reijcit modum definiendi metaphoricum, qui obscurus est, vt enim nõ est disputandũ per metaphoras, ita nec definiendũ, si enim definitiones essent, essent etiam disputationes.

Hic attende, quod hic non intendit docere speciem prius definiri, quam genus, sed à toto genere loquendo facilius est & inferius definire particularia, quam communia, de quibus non constat esse genus: hoc non prohibet, quin incipientes à genere, ipsum prius definiamus. Nota.

¶ *Quo pacto problemata reuenitur tum diuisione, tum etiam proportione.*

Cap. XVI.

AD hoc autem, quod habeamus problemata, eligere oportet & decisiones & diuisiones, ita verò eligere supponentem genus commune omnium, vt si animalia essent, quæ speculata sunt, qualia omni animali insunt: his autem acceptis rursus reliquorum primo, qualia omne sequãtur: vt si hoc est auis, qualia omnem sequantur auẽ, & ita semper proxima: planum enim quod habebimus iam dicere, propter quid insunt consequentia ijs quę sunt sub communi, vt propter quid homini aut equo insunt. sit autem animal, in quo A, B, verò cõsequentia omne animal: in quibus autem C, D, E. aliqua animalia: planum igitur propter quid B, inest ipsi D, namque per A, confimiliter autem & alijs. Et semper in alijs eadem est ratio, nunc quidem igitur secundum tradita communia nomina dicimus. TEXT. 1.

Oportet autem non solum in his cõsiderare, sed & si aliud quid visum fuerit inexistens cõmune, excipientem postea quæ hoc sequitur, & qualia hoc sequuntur, vt cornua habentia habere erinaceum, & non vtrinque dentata esse: rursus cornua habere, quæ sequitur. planum enim propter quid illis inerit, quod dictũ est, propter enim cornua habere inerit. 2.

Amplius

Amplius autem alius modus est, secundum proportionale eligere: vnum enim accipere non est idem, quod oportet vocare sepium, & spinam, & os, erunt autẽ consequentia & his, tanquam vna quædam natura tali existente.

4. Eadem verò problemata sunt, hęc quidem eo, quòd idem medium habent, vt quoniam omnia † contraresistentia: horum autem quædam genere eadẽ sunt, quęcunque habent differentias eo, quod aliorum, aut aliter sunt: vt propter quid resonat? aut propter quid apparet? & propter quid iris? omnia enim hęcidem problemata sunt genere, omnia enim sunt refractio. sed specie altera. Aliqua verò eo, quod medium sub altero ziedio est, differunt problemata, vt propter quid Nilus decrescente mẽse magis fluit? quoniam hybernior decrescens est, & propter quid hybernior decrescens est? quoniam Luna deficit, hæc enim ita se habent inter se.

† ἀντιστοιχοῦντα. Græcè dicit, hoc est cõtra rij status

1. *Vt habeamus proposita eligere oportet, etc.*

Intẽtio Arist. HOc capite ostendit diuisionem & decisionem, nempè considerationem communis & vniuersalis abstracti à particularibus, conducere ad determinanda & multiplicanda problemata, & ponit tria theoremata circa hoc, quorũ primum est, vt separatim consideremus vniuersalia & cõmunia, & quæ eis insunt secundũ se, omnia speculemur, nã postea per ipsum cõmune poterimus illa omnia de particularib⁹ probare & demõstrare. 1. Theo.

Vt si manus animal, & quæ ei insunt secundum se consideremus, nempè somnum, vigiliam, sensum, motum localem & alia, postea de singulis animalibus eadem per animal medium demonstrabimus, & sic faciendum est in quolibet alio vniuersali, vnde fit abstractio & decisio illius communis, & considerantur, quæ ei insunt, postea fit decisio, vt eadem de inferioribus demonstremus.

2. *Oportet autem non solum in his considerare, etc.*

2. Theo. Secundum Theorema est, non solum oportere seligere ista communia, quę nomina habent posita, sed quæcunque alia communia etiam si nominata non sint, & considerare ea, quæ eis insunt, postea de illorum inferioribus demonstrare.

Vt considerare hoc commune, nempe habere cornua, & quid sequatur ex hoc, nempè non habere dentes superiores, & habere multos ventres, nam animalia, quæ cornua habent, materiã dentium superiorum in cornua conuertunt, & obid multos habent ventres, vt cibos postea ruminare possint, & ab vno in alium ventrem transferre, nam cum dentes non habeant, non ita facilè possunt cibum conterere.

Per cornigerum igitur illa de animalibus habentibus cornua in particulari demonstrabuntur. Themist. per hoc commune intelligit genus innominatum, Alber. verò passionem aliquam communem, etiam si non sit genus.

Amplius alius modus est, &c. 3.

3. Theo. Tertium Theorema est, vt non solum commune vniuocum sumamus, sed etiã analogum, cum ea, quæ probanda sunt analoga etiam sunt, vt sepium, spina, & os nullum habent cõmune vniuocum, sed analogum, vt enim se habet os in terrestribus, ita spina in aquatilibus, & sepium in quodam pisce, qui sepia dicitur, tale proportionale est sumendum, & quę cõmuniter insunt inuestiganda, posterius enim per tale commune de singulis illa probantur.

Eadem autem proposita, &c. 4.

Merito cum multa problemata vnico medio docuerit determinari, ostẽdit illa omnia dici eadem problemata, quæ vnico medio determinantur, sicut omnes quæstiones, quæ per antiperistasim probantur, eadem dicitur, vt quare fontes subterranei sint frigidi in æstate, calidi in hyeme: quare lucernæ viuaciores sint vigente frigore: quare fiant grandines in autumno, & similia problemata dicuntur eadẽ, quia eadẽ est causa, nempè antiperistasis, id est, obiectio contrarij.

Si

Universidad de Deusto
Biblioteca

Si medium fuerit idem specie, erunt problemata eadem specie si genere, similiter & problemata, vt quare fit arcus iris: quare fiat imago in speculo: quare echo in in aere: omnium horũ idem est medij genere, scilicet repercussio, licet diuersa sit repercussio in illis tribus.

Dicuntur etiam eadem problemata, quæ vnicum habent medium, sed subordinatione quadam, nam illud est vnius medium, & hoc postea est alterius medium: vt quare nilus magis crescit in fine mensis lunaris: quia est tempus hyemalium finis mensis, iterum quare est tepus hyemalium tũc? quia luna deficit, illa duo dicuntur eadem, quia ab vnico medio pendent, ordine tamen quodam.

Quomodo causæ & effectus se habeant inter se, & quo pacto causæ veniantur, & an vnius effectus plures sint causæ.
Cap. XVII.

TEXT. 1. DE causa verò & cuius causa dubitaret vtique aliquis, an quãdo est causarum & causa est, quemadmodum si fluunt folia, aut deficit, & causa fluendi folia, aut deficiendi erit, veluti, si huius est lata folia habere: ipsius verò defecere, est terrã in medio esse: si enim non est, alia quædam erit causa ipsorum, siue causa est simul & tantum, vt si in medio terra est, deficit, aut si latifolium est, fluunt folia.

2. Si verò sic simul vtrq; essent, & mõstrarentur per se inuicem: sit enim folio fluere, in quo A, latifolium verò in quo B, vitis autem in quo C, si itaque ipsi B, inest A, omne enim latifolium fluit folio, ipsi verò C, inest B, omnis enim vitis est latifolia, ipsi C, inest A, & omnis vitis fluit folio, causa verò B, medium, sed & quoniam latifolia est vicis, est per folio fluere demonstrare, sit enim D, quidem latifolium. E, verò folio fluere, vitis aũt in quo F, ipsi itaque F, inest E, folio fluit. omnis vitis, ipsi aũt E, D, omne enim folio fluẽs est latifolium, omnis igitur vitis est latifolia: causa aũt est folio fluere: si verò nõ contingit causas esse sibi inuicem, causa enim prior est eo cuius est causa, & desiciendi quidem causa est in medio terrã esse: quòd autem in medio terra sit, non est causa ipsum deficere: si igitur per causam quidem demonstratio est propter quid, quę verò nõ per causam ipsius quod, quòd terra quidem in medio est, nouit, propter quid autem non: quoniã ipsum deficere non est causa, quod sit in medio sed hoc ipsius deficere manifestum est, in ratione namq; ipsius deficere ineſt esse in medio: quare planũ, quod per hoc, illud cognoscitur, sed non hoc per illud.

3. An contingit vnius plures esse causas? si enim est idem de pluribus, primũ prędicari: sic A, ipsi B, primo inexistens, & ipsi C, alij primo, & hæc ipsis D, E, inerit igitur A, ipsis D, E, causa verò est ipsi quidẽ D, B, ipsi verò E, C, quare causa quidem existente, necesse est rem esse, re autem existente, non necesse est omne esse, quodcunque sit causa, sed causa quidem, non tamen omnis.

4. Aut si semper vniuersale problema est, & causa totum quiddam, & cuius causa vniuersale, vt folio fluere toto aliquo determinato, licet species ipsius sint, & his vniuersaliter, aut plantis, aut his plantis, quare & medium æquale oportet esse in his, & cuius causa, & conuerti: vt propter quid arbores folio fluunt, si itaque propter congelationem humidi, & si folio fluit arbor, oportet esse congelationem, & si congelatio ineſt non cuicunq; sed arbori, est folio fluere.

5. Vtrum autem contingit non eandem causam esse eiusdem omnibus, sed alteram, aut non? an siquidem per se demonstretur & non per signum, aut accidens? nõ potest fieri: namq; ratio extremi medium est, si verò non ita contingit.

6. Est autem & cuius causa, & cui considerare secundum accidens, non tamen videtur problemata esse: si verò nõ, similiter habebũt medium, siquidem sunt æquinoca, æquinocorum medium est: si verò

verò vt in genere, similiter habebunt, vt propter quid & per mutatim proportionale? alia enim causa est in lineis, & numeris, & eadem vtiq; in quantum quidẽ lineæ, alia in quantum verò habens augmentum tale, eadem, ita & in omnibus: huius autem similiter esse colorem colori, & figuram figuræ, aliam alij: æquinocum enim est simile in his: hic quidem fortasse ꝓportionaliter habere latera & æquales angulos. in coloribus verò sensum vnum esse, aut aliud aliquid tale: quæ verò secundum analogiam, eadem & medium habebunt secundum analogiam.

6. Se habet autem sic consequi causa sub inuicem, & cuius causa, & cui causa: singulum quidem accipiẽti, cuius causa in plus est, vt extrinsecos æquales esse quatuor in plus est, quam triangulũ, aut quadrangulũ, omnibus verò æqualiter: quæcunque enim quatuor rectis æquales esse extrinsecos, & medium similiter: est autem medium ratio primi extremi, quocirca omnes scientiæ per definitionem fiunt: vt folio fluere simul sequitur vitem & excedit, & ficum & excedit, sed non omnes, sed æquale est: si igitur acceperis primum medium, ratio folio fluendi est: erit enim primum quidem in altera medium, quoniam talia omnia sunt postea huius medium, quoniam succus congelatur, aut aliud aliquid tale, quid autem est folio fluere, congelari succum in contactu seminis.

7. In figuris verò ita assignabit, quærentibus assectionem causæ & cuius causa; sit A, inexistens B, omni B, verò vnicuiq; eorum, quæ D, in plus autem: B, vtiquè vniuersale esset ijs, quæ sunt D, hoc enim dico vniuersale, quod non conuertitur: primum verò vniuersale, cum quo vnum quodq; quidem non conuertitur, omnia autem conuertuntur & non excedunt. ipsis itaque D, causa est ipsius A, ipsum B, oportet igitur A, in plus quam B, extendi si verò non quid magis causa erit hoc illius? si itaque omnibus E, ineſt ipsum A, erunt aliquid illa vnum omnia aliud à B, si enim non, quomodo erit dicere, quod cui ineſt E, ipsum A, omni ineſt: cui verò A, non omni ipsum E, propter quid enim non erit aliqua causa, vt insit omnibus D. † sed nunquid & quæ sunt E, erunt aliquid vnum? Considerare oportet hoc, & sit C.

† Al. l. sed nunquid & ipsis E. si quidẽ erũt aliquid vnum?

8 Contingit itaq; eiusdem plures causas esse, sed nõ ijsdem specie: vt quod longæua sint, quadrupedia quædam, eo quia non habẽt bilem, volatilia verò eo, quod sicca sunt, aut alterum quid. Si verò ad indiuiduum nõ statim veniunt, non solum vnum est medium, sed & plura, & causæ plures: vtrum verò causa mediorum, quod vniuersale primum, aut quod ad singulare, singularibus? planum itaq; ea esse, quę proxima sunt vnicuiq;, cui sunt causa primũ enim sub vniuersali esse, hæc est causa † vt ipsi D, ineſſe ipsum C, ipsum [A, ineſſe, est causa: ipsi igitur D, ipsum C, causa ipsius est A, ipsi verò C, ipsum B, huic autem idem.

† a. l. nõ. [Argy. l. velut vt A competeret ipsi D, causa est ipsum C. vt igitur A, competat ipsi D, eius est ipsa C, vt autẽ competat ipsi C, eius est ipsum B.

9. De syllogismo igitur ac demonstratione, & quid vtrunq; est: & quomodo sit: manifestum est: simul verò & de scientia demonstratiua, idem enim est.

De causa autem, & cuius causa est, &c.

HOc caput nescio an à multis sit intellectũ, propter obscurũ procedendi modum: dicam quę mihi videtur tamen maximè quadrare, dubitãs proponit Arist. nunquid eũ effectus sit, causa sit, ita vt liceat ab effectu causam colligere, vt si eclypsis sit, terra sit in medio, & si arbor defrõdescit, lata habeat folia, quod est causa argumentatur à parte affirmatiua nam si effectus est absq; illa causa, ergo habebit aliam causam, nõ enim cõtingit effectum esse sine vlla causa.

Intentio Arist.

Si verò causa sit & causarum, &c.

Argumentatur pro parte negatiua, q̃ non sint simul effectus & causa, aliter enim esset circulus à causa ad effectum, & econtrà, vt probare vitem defrondescere, quia lata habet folia, & contra, lata habere folia, quia defrõdescit: hoc argumentum

Universidad de Deusto
Biblioteca

mentum soluit dicẽdo, quod iste circulus non est in causis, sed vna est demõstratio à causa, altera est ab effectu, & quia, & hoc nõ est vllũ inconueniens, vt superius diximus, textus est apertus.

3. *An cõtingit vnius plures esse causas, &c.*

Argumentatur secundo ad probãdum quòd nõ valeat ab effectu ad causam: potest idem effectus à pluribus causis primis prouenire, vt vituperabile à superbia, & ab intemperantia, ergo iã non abestectu licebit colligere causam, non enim licet dicere, est vituperabile, ergo propter superbiã, quia potest esse propter intẽperãtiam, nec licet dicere propter intẽperãtiam, quia potest esse propter superbiã.

Nota. Ista argumenta Arist. proponit dubitatiuè, quia nõ probat antecedentia, quia sunt dubia & opinabilia, solũ tangit difficultatem, hoc ergo argumẽto probat, q̃ ex effectu non licet inferre causam omnem, sed disiunctiuè aliquã: ipse hoc literis explicat, vt A, puta vituperabile habet duas causas totales B, superbiã, & C, intemperantiam, & prædicatur vituperabile de D, nempè superbo, & de E, nempè intemperato, de illo per mediũ B, superbiam, de hoc per C, intemperantiam, igitur ex singulis medijs colliges effectũ, nõ ex effectu singulas causas, quia est superior effectus, causa verò inferior.

4. *An si semper vniuersale, &c.*

Rursus contra hanc secundã rationem instat, quia videtur, quod quando proble ma seu ꝓpositio probanda est vniuersalis posterioritice, causa est vniuersalis, & cuius est causa, id est, passio est etiam vniuersalis, & ita omnes tres termini erunt conuertibiles: sensus est: si sumatur proprium subiectum & vniuersale passionis, causa erit æqualis, & cõuertetur cum eis.

V. g. si defrondescere sumatur de proprio subiecto, nempè non de hac vel illa planta, sed de illo cõmuni omnibus his, quæ defrondescunt, tunc medium etiam erit æquale, nempè quia humidũ densatur & congelatur, nõ quodcunq; sed illarum plantarum talium: & tunc ista erunt conuertibilia: & nota hic, q̃ vera causa defrondescendi est humidum cõgelari, non quòd lata sint folia, hoc enim signũ quoddam est, nec opus est hæc declarare cum philosophica sint, satis est vt exempla intelligantur prout sufficiunt præsenti instituto. Cur arbores defrondescant.

Vtrum autem contingat, &c. 5.

Replicat contra hoc etiam dubitãdo, videtur enim, quòd possit esse, quòd eiusdem effectus sint plures causæ in diuersis subiectis, & nõ vna, verbigratia longeuũ inest ceruo & cornici, sed illi quia caret felle, huic quia siccum animal est.

Iterum contra hoc dubitat, quia videtur, quòd quando passio demonstratur per se, & non per signa, vel per accidentia (hæc enim vnius possunt esse plura) tunc non possit esse, quòd vnius effectus plures sint causę, & probat, nam medium est definitio passionis & maioris extremi, erit igitur ipsi æquale, si extremũ vniuocum & medium similiter, si vnũ genus & alterum etiam, si vnum analogũ, etiam & alterum, vt commutari proportionaliter, & lineis, & numeris, & alijs simul analogicè inest, quia alia ratione inest lineę alia inest singulis, quãuis inter se similitudinem habeant: si quis igitur velit dare medium huius, erit etiam analogum.

Similiter simile inest coloribus, & figuris, est enim color colori, & figura figuræ similis, sed analogicè, nam colores alia ratione dicũtur similes, quia eodem modo mouẽt visum, alia ratione figuræ, quia latera habent æqualia, medium igitur huius similitudinis probandæ erit analogum, sicut & extremum ipsum.

Se habet autem sic consequi, &c. 6.

Ex hac præcedenti doctrina determinat modo, cum medium tale sumendum sit, nempè definitio extremi (vt omnes scientiæ sumunt) tunc omnia futura conuertibilia, nempè cuius est causa, id est, maius extremum, & cui est causa, id est, subiectum, & ipsa causa, id est, medium: quòd si sub subiecto sumuntur inferiora singula non cõuertentur: tamen omnia simul,

simul, vel subiectum cõplectens illa, conuertetur cum extremo.

Verbigratia, habere extrinsecos angulos æquales quatuor rectis, non conuertitur cum triangulo, aut cũ singulis alijs, tamen cum omnibus conuertitur simul & cum subiecto illa continente, similiter defrondescere & humidum seminis densari, conuertuntur cũ omnibus simul inferioribus: vocat siccum seminis, quia ex eodem humido ex quo nutriuntur folia etiam nutriuntur fructus & semina arborum.

Nota. Quando demonstratiõis termini conuertantur & quando non. Ex quo habes, quod quando sumitur definitio passionis, licet id nõ semper sit, & proprium subiectum, conuertuntur omnes termini demõstrationis, & causa cum effectu: quando verò non sumitur subiectũ propriũ, sed inferius, non cõuertitur extremũ cum inferioribus singulis cum omnibus tamẽ simul conuertitur.

7. *In figuris autem sic assignabit, &c.*

Vult consecutionem causæ & effectus petentibus, per ipsas figuras syllogisticas hoc declarare, & ostendere, quod potest aliquando fieri vt eiusdem effectus plures sint causæ nec repugnare hoc modo syllogizandi.

Nota q̃d sit vniuersale, & vniuersale primũ Aduerte duos terminos in hoc textu, vniuersale, & vniuersali primum: vniuersale dicitur id, quod non cum alijs cõuenitur, vt animal individuis hominis vniuersale est, cum omnibus enim simul nõ conuertitur: vniuersale primum dicitur, quod licet cum alio non conuertatur, tamen simul cum omnibus illis cõuertitur, vt homo suis singulis individuis vniuersale primum est.

Hoc supposito sumit, sit A, puta viuẽs in omni B, puta animali, & animal sit in D, puta in omnibus speciebus suis, singulis autem in plus, tunc A, erit in plus, quã B, nempè animal, quia erat vniuersale ipsi, viuens enim non conuertitur cum animali, alias esset illius causa, id est, inferret animal, quod non est: sumit autem hic causam in inferendo, vt vult Philop. si igitur A, est in B, & B, in D, A, erit in D, per ipsum D, id est, viuẽs de speciebus animalis, per ipsum animal dicetur vlterius si A, viuens est superius animali, erit in alijs, puta plantis E, nempè ficubus, populis, & reliquis: si enim non esset in his non esset superius A, ineſt ergo in istis, quæ sunt distincta ab ipso B, puta animali, quòd si ista sint distincta à B, erit ergo A, in eis per medium aliquod, sicut inerat D, per B, si ergo ineſt his plantis, puta E, per medium aliud C, puta arborem, iam vnius effectus plures sunt: vnde in consequentia syllogistica vnum per multa concludi potest.

Contingit igitur eiusdem, &c. 8.

Concludit, posse vnum effectum per plures causas eiusdem generis intelligi demonstrari, sed non de eadem specie: vel de eodem subiecto, sed de diuersis, vt longæuum de ceruo, quia caret colera, de cornice, quia est animal siccum.

Si enim definitionem effectus proximam sumimus, effectus vniuersalis vnica est causa, vt longeui, esse bene proportionatos humores.

At præter hanc causam cõmunem, in singulis speciebus multiplicantur causæ, & quo magis species multiplicantur, etiã causæ, nã alia ratione est cornus lõgæuus alia cornix, & alia alias species, non tamen semper, nam aliquot species eandẽ causam possunt participare.

Dices, vtra melior causa, ea quæ est vniuersalis passionis, an ea, quę est proxima subiectis singulis? respondet Arist. eã esse, quæ est proxima cuique subiecto. Nota: demonstrationẽ in resolutiõe vsq; ad definitionẽ & causam proximã subiecto rum progredi.

Vide clarè demonstrationem non fistere in definitione passionum, sed in definitione & causa proxima subiectorum, vt causa quare ceruus sit longæuus, id est D, sit A, est per C, quia est bene temperatus, causa quare est bene temperatus est B, quia non habet coleram, hæc iam nõ habet vlterius causam.

Si iste textus econtrà legatur incipiendo à particulari causa vsque ad vniuersalem, vt quare ceruus longæuus? quia non habet coleram, vlterius quare non ha-

bens cõleram est longanimũ? quia est bene temperatũ, tunc fiuet opinioni Aegi. Rom. de medio passionis, sed nihil contra nos, qui aliquando definitionem passionis medium constituimus.

Epilogus librorũ Priorũ & Posteriorum.

Tandem epilogũ facit Arist. ex li. Priorum & Posteriorũ simul, nempè dictum esse iam de syllogismo in cõmuni, & de demõstratione, & de scientia ipsã demõstratiua, quod idem est, hæc de capite.

¶ Quomodo principia cognoscantur, & quis principiorũ sit habitus. Cap. XVIII.

TEXT. 1. DE principijs verò & quomodo fiũt nota, & quis cognoscens habitus, hinc est planũ addubitantibus primũ: quod quidem igitur non cõtingit scire per demonstrationem non cognoscendi prima principia immediata, dictum est prius. Immediatorum verò cognitio vtrum eadẽ sit, aut non eadẽ dubitare posset aliquis & vtrũ scientia vtriusq; aut non, aut huius quidẽ scientia, illius verò alterum quid genus, & vtrum non inexistentes habitus innascantur, aut inexistentes latuere.

2. Si itaq; habemus ipsos: absurdũ est, contingit enim certiores habere cognitiones demõstratione latere: siue rõ accipimus, non habentes prius, quomodo vtiq; cognoscere nos, & discernere ex non præexistente cognitione? impossibile namq; quemadmodũ & in demonstratione dicebamus. Manifestum igitur, quoniam neq; habere possibile est, neque ignorantibus, & nullum habentibus habitũ innasci.

3. Necesse igitur habere quidem aliquã potentiam, non taliẽ autem habere, quæ est his honorabilior secũdum certitudinẽ. Apparet autem hoc vtique omnibus inexistens animalibus: habent enim cõgenitam potentiam iudicatiuam, quam vocant sensum.

4. Inexistente autẽ sensu, in alijs quidem animalium fit permãsio sentati, in alijs verò non fit, in quocunque igitur nõ fit, aut omninò, aut circa quæ non fit, nõ est his cognitio extra ipsũ sentire.

5. In quibus verò ineest sentientibus habere vnum quiddam in anima cum multa talia fiant, tam differentia quædã fit: vt his quidem fiat ratiõ extalium permansione, his verò non. Ex sensu quidem igitur fit memoria, quẽadmodum dicimus, Idem in proœmio metaphy. ex memoria verò, quæ plerunq; eiusdem fit, experientia: multæ nãque memoriæ numero experiẽtia vna est, experientia autem, aut ex omni quiescente vniuersali in anima, aut vno præter multa, quod vtique in omnibus vnum sit illis idem, est artis principium & scientiæ: si circa generationem quidem, artis, si verò circa ens, scientiæ.

6. Neq; itaq; insunt determinati habitus, neq; ab alijs habitibus fiunt notioribus, sed à sensu, vt in pugnæ versione facta vno stante, aliter stetit, postea alter, quousq; ad principium venit, anima verò est talis vt possit pati hoc. Quod autem dictũ quidem fuit prius, non manifestè verò dictum fuit, rursus dicamus.

7. Cum enim steterit indifferentium vnum, primum quidem in anima vniuersale est, sentitur enim singulare; sensus verò ipsius vniuersalis est, vt hominis, sed nõ Callix hominis. Rursus in his stabitur quousq; ad impartibilia steterint & vniuersalia, vt tale hoc animal, quousq; animal, & in hoc consimiliter: planum itaque, quod nobis prima inductione cognoscere necessarium est, sensus etenim fit vniuersale facit.

8. Quoniam verò habituum, qui circa discursum sunt quibus verificamur, aliqui semper verè sunt, alij verò suscipiunt falsum, vt opinio, & ratiocinatio; vera autẽ semper sunt scientia & intellectus & nullum scientiæ genus aliud certius est, quã intellectus: principia verò demonstrationum notiora sunt, scientia autem omnis cum ratione est, principiorum quidẽ scientia vtique non erit: quoniam verò nihil contingit esse verius scientia, quam intellectum, intellectus vtique erit principiorum

cipiorũ, & ex his considerantibus & quoniam demonstrationis principium non est demonstratio: quare neque scientiæ est scientia. Si igitur nullum aliud præter scientiam genus habemus verum, intellectus vtique erit scientiæ principium, & principium, quidem principij vtiq; erit † si autem omnis, consimiliter se habẽt ad omnem rem.

† Arg. 1 scientia autẽ ad omnẽ rẽ sese habet similiter.

¶ Posteriorum analyticorum finis.

¶ De principijs autem qualiter sunt cognita, &c.

Alia lit. quæ autẽ omnis.

POstquam Arist. de his quæ ad ipsam demonstrationẽ, & eius structurã pertinent, hactenus disseruerit, ac de eius medio, quod sit & quo modo cognoscatur tractauit, nunc tandem de modo quo ipsa principia complexa acquirantur disputat.

Intentio Arist.

Dictum iam non est non esse demonstratiuam scientiã absq; horum immediatorum principiorum cognitione, poterat tamen aliquis tria dubitare, primò, an cognitio mediatorum, & immediatorum sit eadem, id est eiusdem rationis: secundò, an cognitio principiorum immediatorũ sit scientia, sicut mediatorũ, vel aliquod aliud altius scientiæ & cognitionis genus: tertiò, an ille habitus & cognitiones principiorum acquiãtur de nouo, an sint naturales, sed latẽtes à principio, & post notificati.

Tria proponũtur dubia.

2. *Si quidem igitur habemus ipsos.*

Incipit disputare circa tertiam quæstionem ad vtrãq; ipsius partem, nam si habemus tales habitus à natura, latentes tamẽ multo tempore, vt dicebat Plato; absurdum est profectò dicere, quod habeamus à natura cognitiones & habitus, qui sint certiores demonstratione, & tamen non cognoscamus per ipsos, cum nullus possit demonstrationem habere, quin cognoscat statim.

Argumẽtatur pro vtraque parte tertiæ quæstionis.

Quod si dicatur tales habitus esse acquisitos, videtur aliud incõueniens magis; nam cum cognitio acquisita fiat ex præexistenti cognitione, vt dictum est, oporteret ante illos habitus alios priores cognitiones & habitus ponere, quæ tamen non sunt.

Concluditur ergo non esse dicendum tales habitũ ineſſe à natura, nec quod ex cognitione præcedenti non fiant, cũ omnis cognitio acquisita ex præcedẽti fiat, at quæ nam sit ita cognitio, ex qua principiorũ cognitio fiat, explicat modo.

Necesse est itaque habere quandam potentiam, &c. 3.

Intendit docere sensum ineſſe hominibus à natura, & ex hoc sensu prouenire memoriam, & ex memoria experientiam, & ex hac colligi per intellectũ vniuersalis cognitionem, atq; hoc esse principium scientiq, vnde conitat non ineſſe cognitiones principiorum à natura, nec fieri ex alijs præexistẽtibus in intellectu, sed à sensu originem ducere, qui quidem ineſt nobis à natura, quod etiam docet 1. Met. cap. 1.

Sẽsum à natura hominibus tribuũt.

Dicit ergo primum necessarium esse ante principiorum cognitionem, præcedere in nobis quandam cognoscitiuam potentiam, hæc autem non est alius habitus, vel cognitio certior, & honorabilior principiorum cognitiuus, sicut ipsa principiorum cognitio est certior, & honorabilior cognitione conclusionis, non sic inquam est ista potentia sensitiua, sed est quoddam principium quo indiget intellectus ad suas intellectiones.

At ne quis putaret hanc potentiã hominibus esse propriam, dicit omnibus animalibus ineſſe, quæ dicitur sensus, animal enim eo animal est, quo sensum habet, hanc potentiam vocat connaturalem, quia animalia sensum per generationem simul cum esse suo accipiunt.

Cum insit autem sensus, &c. 4.

Non vniformiter sensum hunc animalibus reliquis, & hominibus ineſſe ostendit, ne quis decipiatur dicens, sicut ex sensu non fit in animalibus principiorũ cognitio, ita nec in homine.

Sensum non ita homini, vt alijs animalib. ineſſe.

Quæ animalia habeãt memoriam

Duas autem diuisiones facit: prior est quædam animalia præter sensum memoriam habẽt, quædam aũt præter sensum memoriam non habent, memoriam habent illa, in quibus species & imagines rerum sensatarũ manent etiam post præsentiam illarum rerũ: nam hoc pacto fit memoria, illa verò non habent, in quibus non manent tales imagines, ac propterea extra rei præsentiam nõ sentiunt.

Nota.

Nota, quòd dicit ista animalia nõ sentire nisi in præsentia obiecti illa, quę sentiunt, loquitur aũt disiunctiuè, omninò non sentiunt in absentia, aut nõ sentiunt illa quorum imagines non manent, nam animalia, quæ memoriam non habent, aliquãdo recordantur: quando aliquod sensibile vehemens perceperunt, & quæ memoriam etiam habent, nõ recordantur, quando debiliter speciẽ receperunt, nec manet hoc aũt est, vt intelligas memoriam fieri ex permanẽtia imaginum sensatarũ rerũ in parte interiori capitis.

5. *In quibus autem inest sentientibus, &c.*

Posterior diuisio est, ex his memoriam habentibus, quædam habẽt virtutẽ qua ex multis memorijs vnum colligant & inferant, quędam non habent illam vt vnũ colligere possint, atque ex his quæ tale vnum colligunt: sit quędam animalium distincta ab omnibus alijs, qua vniuersatione & intellectu vtatur, atq; hic est homo, qui ex memorijs multis vnum vniuersale colligit, & ratione vtitur, reliquis verò id non est concessum.

Ordo cognitionũ in homine.

Ex quo infert ordinem cognitionum in homine, ex sensibus enim exterioribus fit memoria manẽtibus imaginibus rerũ sensatarum, ex multis autem memorijs similibus experimentum, est enim experimentum collatio multorum singularũ sensibilium; ex hoc autem experimento, & extoto vniuersali collecto iam & abstracto, & facto vno propter multa, fit principium artis & scientię, artis si fuerit in rebus factibilibus, scientiæ si fuerit in speculabilibus: vnde principium artis & scientiæ est propositio vniuersalis collecta per intellectum ex experientia & ex memoria, & vltimo ex sensu.

Circa literam, aut, copulatiuè est legendum, vt notat Philop. hęc omnia clarius explicantur in præd. Met.

Nequeigitur insunt determinati, &c. 6.

Infert ex prædictis responsionem tertiæ quæstionis, nempè cognitionẽ principiorum non ineſſe nobis à natura, nec fieri ex alia notiori intellectiua cognitione, sed à sensu modo, qui dictus est produci, & exemplum ponit, sicut aliquãdo pugna existẽte accidit milites hinc inde disparsos fugere, ac exercitum destituere, tunc vnus stat, quo stante alius etiam stat, & post hos alius, donec placidus stantibus, sit iterũ exercitus, sic fit vniuersale ex hoc, & illo, & alio, & multis singularibus cõseruatis in memoria, quæ quidem dispersa erant, sed adunantur & colligũtur intellectu cõprehendente similitudinem omnium per abstractionem.

Responsio ad tertiã quæstionis.

Quod si dicas, quomodo anima potest recipere has species & singularia in se de nouo? respondet animã esse talẽ, vt possit pati fieri, nam intellectus secũdum Arist. 3. animę, tex. 32. est vt tabula rasa, q̃ potest rerum similitudines in se recipere.

Dubitat. Solut.

Vnde repetit clarius modum quo vniuersale fiat, dicens quando est aliqua natura secundum se vna, & indifferens multis, vt homo, animal, album, & hoc per intellectum, nam extra intellectum nõ est separata natura communis, cum igitur talis natura sic est facta vna & communis est vniuersale, vt Petrus est homo, & cæteri etiam sunt homines: at quando sumitur homo per se, qui in illis est, sic separatus, iam est vniuersale, ante non erat, fit autem hoc per intellectum.

Vniuersale quo fiat.

Dices, nõne sensus circa vniuersalia feruntur? nam visus habet pro obiecto ipsum colorem, non hunc vel illum: respondet potentiam sensitiuam habere ipsam naturam communem pro obiecto, tamen actus & sensationes non sunt, nisi circa singularia, intellectus verò actus est, qui in vniuersalia fertur.

Dubium. Solut.

Huius

Habitus intellectiuos speculatiuos veros esse tres.

Huius rei declarationem vide supra lib. 1. super cap. 24. vnde sequitur, q̃ intellectus collectę & adunatę intelligit naturam, quam sensus sparsim in multis percipiunt singularibus, ac ideò per inductionem, quæ sensus fit, cognoscere seu intelligere incipimus.

7. Solutio 2. & 3. quæstionis.

Quoniam autem circa, &c.

Secundam & tertiam soluit quæstionem, ostendens cognitionem principiorum non esse scientiam, sed alium habitum scientia certiorem, nempè intellectum ex quo fit, vt non sit eiusdem rationis cognitio principiorum, & eorum quæ ex principijs deriuantur.

Supponit autem duo, alterum est habitus intellectiuos veros speculatiuos esse tres, primus, qui potest recipere falsũ, vt opinio & ratio, id est, syllogismus topicus, qui est causa opinionis: alter est scientia, quæ est cognitio necessariorũ per causam, tertius est intellectus, qui est cognitio necessariorum immediatorũ, atque hi duo semper sunt veri.

Supponit secundò, quòd nulla cognitio est certior, quàm scientia, nisi habitus hic, qui dicitur intellectus, quæ duo colligũntur ex 6. Ethi. c. 3. tunc argumentũ est, horum principiorum non est opinio, quia semper sunt vera, non est scientia, quia non habent causam: nec per discursum cognoscuntur, & præterea, quia sunt certiora his quorum est scientia ergo eorum erit intellectus, non enim restat alius habitus intellectiuus certior scientia, præterea quia scientiæ non est scientia, alias enim esset processus in infinitum, deuenire est ergo ad aliquam cognitionem quæ non sit scientia, & hæc est intellectus.

Ex quo colligit hanc cognitionem, quæ intellectus dicitur, esse principium, & principium principij, id est, cognitionem, qua cognoscimus ista propositiones primas, quæ sunt principia.

Sic autem se habet omnis scientia ad omnem conclusionem, vt enim est scientia cognitio procedens ex alia, & qua cognoscimus id, quod ex alio sequitur, ita & intellectus est cognitio, sed non ex alia intellectiua cognitione, ac ideò est principium.

Similiter est cognitio, qua propositiones primæ, quæ ex alijs non sunt, cognoscuntur, ac propterea est principij principij ex quibus omnibus res propositæ quæstiones solutæ sunt.

QVÆSTIO I.

An principia per se nota adueniant nobis cognoscenda.

Primum Nota. De sensu quæstionis.

TSensus quæstionis sit manifestus aduerte primò, dico esse genera principiorum, quędam sunt rei, quędam cognitionis principia rei: principia sunt, à quibus res suum esse accipit sicut materia, forma, & reliquæ causæ dicuntur rei principia: cognitionis verò principia sunt, à quibus cognitio rei procedit, sicut propositiones sunt principia cognitionis ipsius conclusionis: non autem existimes, quod semper differant ea ista principia, cum enim à posterioribus procedimus ad cognitionem priorum, tunc differunt re principia cognitionis & rei, at cum à prioribus est processus, tunc eadem re sunt principia cognitionis & rei, semper tamen differunt ratione, nam rei principia sunt secundum suum esse, cognitionis verò, secundum quod per intellectum sumuntur, ipsorum cognitio aliorum est causa cognitionis.

Secundũ notam. Intellectus esse duplex operationem.

Aduerto secundò, quod intellectus noster duplicem habet operationem, & apprehendendi, & diudicandi: res apprehensionem enim rerum sibi conuenientium per iudicium verò earum veritatem vel falsitatem comprehendit, alterum tamen vel alterum faciendo: hos autem operationes esse diuersas experientia ostendit, nam enim apprehensionis est quidditatem rei intelligere, iudicij verò de re intellecta esse vel non esse cognoscere, quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

cipiat, & hoc à sensibus accipit, in iudicio etiam dependet ab apprehensione, non enim iudicium fit, nisi de rebus apprehensis, & præterea indiget iudicium præter apprehensionem alio iudicio adiuuante, nam iudicium conclusionis pendet ex iudicio præmissarum, & quando in intellectu tam nō est aliud iudicium, quo præmissas cognoscamus, sit recursus ad iudicium sensus per inductionem, an verò semper omne iudicium intellectus dependeat ex alio iudicio siue sensus, siue intellectus, hoc dubitatur modo, & difficultas est propter illas propositiones per se notas communissimas, nempe quodlibet est, vel non est, omne totū est maius sua parte, & similes: de his enim est quæstio, an notæ sint per inductionē singularium, ita vt absque inductione nō cognoscantur.

1. opinio. Est quorundam opinio, quòd hæ communissimæ propositiones inductione cognoscantur, nec intellectus eas acquiescere et, nisi præcedēte iudicio sensus per singularia: rationes autem huius sententiæ hæ sunt.

1. Ratio. Prima, causa vniuersalis non producit effectus, nisi mediantibus causis particularibus, vt patet de cælo, & sole, & gloriuso Deo, quādo naturaliter operatur, semper enim cum his causis particularibus operatur, at intellectus est causa vniuersalis omnium assensuum intellectuorum, ergo ad particulares assensus opus est, quod sint alij assensus, vt enim ad assentum huius cōclusionis vtitur assensu harum præmissarum & principiorum, ita ad assensum principiorum vtetur assēsu & iudicio sensus, vt si fiat inductio quædam ex singularibus illorū principiorum, nempe hoc totum est maius sua parte, & hoc totum est minus sua parte, & sic de cæteris, ergo omne totum est maius parte, tunc singularia illa sensu, vniuersale intellectu compræhenditur.

2. Ratio. Secundò, si illa principia non cognoscerentur inductione, solo lumine intellectus fierent nota, sed hoc est falsum, nā hoc modo nullus posset ea negare, at constat hæc principia à multis esse negata, vt dicitur 4. Met. & notat Auer. 1. Metaph. com. 15. ergo non cognoscuntur solo lumine intellectus, sed per inductionem.

Circa hoc aduerte non esse dubiū de principijs immediatis vnius scientiæ, sunt enim multa ex his, quæ inductione cognosci debent: sed de cōmunibus multarum scientiarum, & communissimis omnium, vt superius diximus.

1. fundā. 1. concl. Dignitates solo intellectus lumine intelligi.

Et de his est prima conclusio: solum lumen intellectus facta prius apprehensione sufficit ad certo assentiendum istis dignitatibus patet conclusio. 1. Post. c. 3 vbi exterminis cognosci has propositiones dicit Arist. suincit, inquit, quia per totum quid pēs partem intelligatur, cognoscere, vt statim nullo iudicio præcedenti cognoscatur omne totū esse maius parte, vbi Alb. vti diximus comparābat has propositiones visibilibus luminosis, quæ suo proprio videntur lumine absque vllo alio extrinseco: & Aegid. hoc loco dicit sicut oculus informatus specie videt colorem, ita intellectus apprehensione facta assentit istis. Et Linc. 1. post. c. 9. præterea Arist. 2. Met. c. 1. vocat has ianuas scientiarum, in quibus non cōtingit error; præterea quia æque notum est, singulare hoc totū est maius parte, sicut omne totum est maius parte, præsertim cū per sensum non percipiamus aliqua singularia harum propositionum, non enim sensu cognoscitur, si ab his æqualibus hæc demas æqualia, remanebunt æqualia.

Secunda conclusio: licet ista principia possint syllogizari & induci, tamen non fiunt nota ex tali inductione & syllogismo, cum in seipsis clarissima sint, & per se fidem habeant.

2. concl.

Vnde ad primum argumentum respondeo, quòd satis est determinatio ex parte speciei obiecti, per quam speciem fit apprehensio, & præterea quia sicut lumen solis est causa vniuersalis, tamē se solo calefacit, ita & lumen intellectus se solo

Ad. 1.

solo inducit assensum illorum principiorum, absque alio particulari iudicio, cum ille assensus principiorum sit, quid vniuersale & commune, ex quo dimanent multi assensus particulares conclusionū aliarum. Ad secundum dico, quod negare aliquid multipliciter contingat, aut ore exterius, aut corde interius, non loquimur de exteriori negatione, quia quilibet potest negare omnia, sed de interiori: hæc est triplex, aut virtualis, aut formalis, & hæc directa, vel indirecta: virtualis, cum negamus aliquid in alio, vt qui dicit nullum corpus esse album, virtualiter negat nullam niuem esse albam: formalis, cum aliquid in se ipso negatur: hoc verò fit negatur, quia rationes faciunt apparere aliter, tunc est negatio directa: si verò negatur, quia licet in se verum appareat semper, tamen nescire ea, quæ sequuntur ex illo, facit de illo dubitare, est negatio indirecta, quo pacto Zeno negabat motum & sensum, quia nesciebat intelligere quomodo si moueatur aliquid, posset pertransire infinitas partes, quæ sunt in spatio.

Ad. 2. Negatio alia exterior alia interior est, eaque triplex.

Dico negare principia virtualiter non arguit illa per se cognita non esse, imò quoticunque in bona consequentia aliquis cōcedit præmissas, & negat conclusionem, virtualiter negat quodlibet est vel non est.

Dignitates virtualiter posse negari

Dico secundò, nullus negat directè illas dignitates, cum non sit ratio directa contra eas apparens.

Dico tertio, indirectè negātur, sed hoc non arguit eas non esse per se notas, nā etiam hunc motum esse, est per se cognitum sensu, & tamen Zeno negabat.

Obiect. Dices Aristo. dicit has pendere à sensu: dico primò, quòd loquitur de intrinsecis propositionibus & particularibus demonstrationum immediatarum. Dico secundò, quòd etiam istæ communissimæ à sensu pendent, quia est necessaria apprehensio terminorum, quæ non fit sine sensu.

Solutio.

Hæc de quæstione breuiter, quæ latius examinari debet lib. 2. Metaph. atque de tota enarratiōe in libros Posteriorū. Sit laus Deo Opt. Max. qui ad finem nos perduxit, Amen.

Finis Secundi Libri Posteriorum.

LAVS DEO.

Aucmero

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca